K

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
III. 13. h

EX LIBRIS B. M.
C. JOS. M.ª LAIS EP. HIPPON.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS STRANGII

Sacræ Theologiæ Doctoris, & in Academiâ Glaſguenſi Profeſſoris primarii,

DE
INTERPRETATIONE
& perfectione
SCRIPTURÆ:

Ubi ſusè de judice Controverſiarum & Traditionibus contra Bellarminum, Stapletonum, Gretſerum, Gregorium de Valentiâ, & alios.

Unà cum opuſculis de Sabbato, Imagine Dei, Polygamiâ, & aliis.

ETIAM AUTORIS VITA.



ROTERODAMI,
Ex Officinâ ARNOLDI LEERS
Anno cIↃ IↃC LXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

BENEVOLO LECTORI SALUTEM.

Benevole Lector.

Commodum eſt ut introitu paucis compellêris. Multa ſcripſit Auctor præter vel edita, vel edenda, ſanè digna luce, ſed tam procul abſuit ab omni ambitionis aurâ, ut nulla ei mens unquam fuerit apparendi in publico: & certè, ſi per aliquorum male conſultam temeritatem licuiſſet, omnia ſua lubentiſſimè perpetuis tenebris immerſiſſet, verum omniverò cùm, quæ diſcipulis dictâſſet in difficili admodum quæſtione de Concurſu Dei in malo, quibuſdam adeò diſplicuiſſent, ut inde ipſi creaverint magnam & diuturnam moleſtiam, propè coactus eſt contra ſuum animum, & perpetuum morem extra tenebras ſe conjicere, & quæ in privatum uſum paucorum dictaverat, mundo propalare, ut tota judicaret Eccleſia, num talis ejus doctrina fuerit, quæ à quoquam vexari mereretur. Et verò cùm neceſſitatem ſibi impoſitam animadvertiſſet producendi in publicum iſtum ſuum de Concurſu tractatum, induci ſe quoque paſſus eſt ut prælo pararet quæ jam etiam compârent. Tam autem benigno vultu, & tam amicis complexibus, ut accepi, non tantùm in *Belgio*, ſed per totam *Angliam*, in primis *Londini* (omitto noſtrorum domi plauſus) Tractatus prior acceptus eſt, ut eò alacrior & ſpe bonâ plenus, non minorem favorem ab æquis lectoribus expertura iſtius admodum accurati ingenii reliqua quæ apud me delitеſcebant, jam tandem emittam: & quia multi id à me expetiverunt, aliqua præfabor de Auctoris vitâ.

Joannes Strangius *Irviniæ*, quæ *Cunigamiæ* ad littus *Scotiæ* Occidentale Metropolis eſt, anno ſuperioris ſæculi octogeſimo quarto natus eſt honeſto admodum loco: nam Pater

Guilielmus Strangius iſtius urbis ad mortem uſque unicus Paſtor, integerrimâ famâ fuit: cujus genitor *Iacobus Ioannis* avus in ſupremo *Edinburgi* Senatu Advocatum egerat. *Iacobi* hujus Frater natu major *Balcaſciæ* (in Fifâ domûs per multa ſæcula ſatis notæ) *Comarchus Strangiorum* in Scotiâ caput erat, extinctâ tum Baronum de *Pitcorthi* familiâ. *Ioannis* Mater erat *Agnes Borthuick* Filia *Comarchi de Leny* in mediâ *Lothianâ*.

Infantiam *Ioannes* egit *Irviniæ*, donec, mortuo ibi Patre, Mater in ſecundis nuptiis ad familiam tranſivit *Roberti Willichii* Paſtoris *Cellæ Marnoci* etiam in *Cunigamiâ*. Hîc ille in pueritiâ prima poſuit rudimenta literarum; ubi ſtatim ſcintillulæ ingenii ſupra vulgus puerorum emicare cœpêrunt: nec magis ingenii quàm animi ad pietatem & optimos mores proni. Multoties audivi *Zachariam Bodium* Academiæ noſtræ digniſſimum nuper Procancellarium memorare, quòd ipſe puer in puero *Ioanne* ſuo tum *Cellæ Marnoci* condiſcipulo, egregiam ſupra omnes ſodales modeſtiam & pietatem conſtanter obſervaverit.

Anno ætatis duodecimo miſſus eſt à vitrico *Andreapolin*, ut in Gymnaſio *Leonardenſi* à conſanguineo *Roberto* etiam *Willichio* *Collegii* iſtius tum temporis Gymnaſiarchâ in literis Græcis & Philoſophiâ inſtitui curaretur. Hîc in Philoſophiæ & literarum humaniorum ſtudiis, ſociis omnibus palmam præripuit ſub Magiſterio *Ioannis Ecclini* viri φιλοσοφωτάτου, magnæ eloquentiæ, magnæ pietatis & zeli. Decimo ſexto ætatis anno Magiſterii lauream adeptus, paulò pòſt adhuc adoleſcens ad Profeſſoris publici ſeu Regentis munus in eodem Gymnaſio unanimi Moderatorum calculo vocatus eſt. In hoc munere Diſcipulis Magiſter gratiſſimus aliquot annos magnâ cum fidelitate & fructu verſatus eſt.

Cum autem *Ioannes in Leonardenſi Gymnaſio* unum & alterum curriculum peregiſſet ſummo cum amore & laude (erat enim in omnibus Philoſophicis, in primis in arte diſputandi facultate ſingulari, nullique ad hunc uſque diem in noſtrâ Gente hac in parte ſecundus) ut primùm in Sacrâ Theologiâ ſe exercere cœpit, Eccle-

Digitized by Google

Eccleſia Areliæ in Presbyterio Perthenſi, ὁμοψήφοις omnium, quorũ intererat, ſuffragiis, ejus curæ commiſſa eſt. Presbyterium *Sanctandreanum* dum ei dimiſſorias daret, inſigne ipſi teſtimonium præbuit cùm pietatis, tùm literaturæ, tum omnis doni quod juvenem miniſterii candidatum ornare poſſet, omnium chirographis ſubſcriptum, Januarii 26. 1614. Inter alios *Alexandri Henderſoni*, *Ioannis Carmichaelis*, *Roberti Howai*, *Petri Bruſſii*, *Ioannis Dykis*, *Willielmi Areskini* inſignium virorum nomina in eo ſcripto lego.

In *Areliæ Paræciâ* domicilium habebat Comes Gentis *Haiorum* multò illuſtriſſimæ Princeps: Comitem Jeſuita doctiſſimus *Haius* cum totâ penè domo ad Religionem Pontificiam ſeduxerat: Spectatiſſimæ illius familiæ in viam veritatis reducendæ nemo JOANNE STRANGIO magis Idoneus videbatur: & quidem tanta Domini in ejus labores benedictio fuit, ut paræciam ſuam totamque viciniam à Papiſmi incremento immunem præſervârit, ipſumque Comitem, etſi non ad plenam veritatem, tamen ad magnam in controverſiis modeſtiam adduxerit; filium verò *Franciſcum* ſummæ ſpei juvenem, filiaſque *Marriæ & Baclucbii* Comitiſſas lectiſſimas fœminas, eo Religionis amore imbuerit, ut in eo *Franciſcus* ac ſoror *Baclucbia* ad ultimum ſpiritum perſeveraverint, *Marria* ad hunc diem ſingulare pietatis & zeli exemplum cunctis inſpectantibus præbeat.

Paulo poſt Doctoris Theologici titulo ornatus eſt, quem nemo dubitabat inſignem ejus eruditionem ac probitatem commeruiſſe, majori multò jure quàm plerique eum gradum tum temporis aliis longè artibus ac diverſo fine ambiebant, & aſſequuti ſunt. Cum Rex *Iacobus* anno 1617. *Andreapoli* exercitia Academica ſuâ præſentiâ illuſtrare dignatus eſt, præ aliorum omnium D. STRANGII pia & modeſta, ſed magna & ſubtilis eruditio, unanimi omnium præſentium ſententiâ emicuit.

Tunc erat cùm populus *Edinburgenus*, ſecundum ſuæ Urbis privilegium, ex omni *Scotiâ* eligendi, quos ad ſuum miniſterium maximè idoneos cenſeret, in STRANGIUM oculos conjeciſſet, & omni opera ad ſe traducere annixus eſſet, ſed vir modeſtus &

prudens nullâ ſuadelâ, nulla vi voluit à populo ſuo *Arelienſi* abripi: cum quo & fratribus Presbyterii *Perthenſis* amiciſſimè vixit ad annum milleſimum ſexcenteſimum vigeſimum ſextum; tum autem expreſſo à *Carolo* Rege mandato juſſus eſt migrare *Glaſguam*, ut Præfecturam Academiæ ſuſciperet unanimitùs à Moderatoribus vocatus; poſt factam ab eminentiſſimo viro *Ioanne Camerone* iſtius Præfecturæ dimiſſionem. Ægrè quidem iſti vocationi aſſenſus eſt, non niſi poſt alterum Regis mandatum, & multoties enixè repetitas cùm Urbis tùm Academiæ præces.

Ut *Glaſguam* venit, & in Academia larem fixit, omnium de ſe ſpem abundè implevit; muneris ſibi demandati partes omnes ſummâ cum diligentiâ & fide magnáque cum laude conſtanter obivit. Lectiones Theologicas ſingulis ſeptimanis binas, ſecundum morem & inſtituta Academiæ & Calendis Novembris ad deſinentem Julium prælegebat, quas, quàm magnâ eruditione refertas, jam videt mundus. In lingua Hebræa Studioſos aſſiduè inſtituebat, ſacrarum homiliarum exercitiis & Diſputationibus Theologicis hebdomadatim cum curâ & fructu præſidebat: ut à Regentibus juventus Philoſophica ſedulò quotidie exerceretur unicè incumbebat, publicorum delictorum cenſuram etiam hebdomadatim exigebat; in publicis omnibus examinationibus ſeu Theologicis ſeu Philoſophicis ipſe ſemper primarias ſibi partes ſumpſit in quibus, confeſſione omnium, egregia facultate pollebat. In Presbyterio ſeu Claſſe Urbanâ ut primarium membrum verſabatur, partéſque ſuas tam in concionando, quàm conſultando aſſiduè obibat: dum morbus aut diverſiones neceſſariæ Miniſtros Urbanos avocabant, ſuam frequenter operam in concionibus ac Sacramentis celebrandis lubens conferebat.

Ex noſtræ Academiæ inſtitutis Magiſtri Regentes, & ex publicâ bursâ alumni, cum magnâ ſæpe turbâ Nobilium ac ſplendido loco natorum juvenum, publicâ ſimul mensâ convivunt, ut hoc etiam pacto adoleſcentes ſub Magiſtrorum oculis victitantes, & intra Academiæ ſepta cubantes, in pietate ac bonis moribus proficiant, ab Urbano ſtrepitu & ſcandalis remoti. In Scholaſticâ hac

œco-

œconomiâ multò major Strangii cura ac dexteritas fuit, quàm cujuſquam ante eum Academiæ noſtræ Præfecti; aſſiduè enim ut Academiæ familiæ Curator menſæ capiti aſſidebat, in notabile rei Academicæ, non ſuæ, commodum: certè unicè ſemper cavit ne ullum publicæ pecuniæ obolum in rationes ſuas converteret, ſtipendio ſibi ab initio aſſignato contentus, etſi illud priori apud *Arelianos* non paulò minus fuerit.

Sub ejus Præfecturâ, ejuſque inprimis labore, magnum incrementum cepêre cùm ædes tùm reditus Academiæ. Splendida illa ædificia omnia in areæ interioris latere toto Septentrionali, totóque etiam orientali, ejus curâ fundata perfectáque ſunt, & magnum in poſticâ pomarium plantatum. Opera hæc eò jucundiora ſpectantibus fuêre, quòd ſcirent eorum impenſis ferendis nihil omnino in proprio Academiæ penu repoſitum, ſed omnia ſuppeditata ex vicinæ Nobilitatis, aliorumque benevolâ liberalitate, Doctoris ac Collegarum ſolicitationibus procurata. Imò verò ab eâdem induſtriâ profectum eſt, tum Regis donum ter mille ſexcentarum mercarum, tùm *Zachariæ Bodii*, *Strangio* à primâ adoleſcentiâ ad ultimum ſpiritum amiciſſimi, magnum ſupra viginti quatuor librarum millia legatum, in ulterius Academicarum ædium ac Bibliothecæ augmentum.

Quod ad reditus, *Cellæ Brigidenſis* & *Renfroanæ* Paræciarum decimæ, in *Trochoregii* Præfecturâ ex dono Regio acquiſitæ, ſed poſteà propemodum amiſſæ, ejus curâ conſervatæ ac ſtabilitæ ſunt, totuſque *Gallovidiæ* Epiſcopatus, ex novo Regis dono acquiſitus. Sed cum re negotia & lites accumulabantur: hinc viro laborum magna acceſſio, commodorum nulla; in ejus unius humeros omnia devoluta ſunt quæ domi foriſve erant peragenda: nam nullius dum præter Regentes ſuæ glebæ neceſſariò affixos, publicus erat Profeſſor, qui vel intra vel extra pomæria procuraret publica. In hac autem adminiſtrationis parte quæ civiles lites & negotia ſpectabat, tantâ fuit prudentiâ, & tam improbâ diligentiâ, tantáque apud Judices atque Advocatos auctoritate & gratiâ, ut in Controverſiis omnibus Academicis ſemper victor

eva-

evaſerit, in magnum ſæpe rationum Academicarum compendium.

Ita ſuo munere fungebatur magno omnium omnis ordinis cum favore; ab anno vigeſimo ſexto ad triceſimum octavum: tum quidem maxima quæ toti Nationi, Regno, Eccleſiæ, & Scholis incubuit tempeſtas, etiam eum aliquâ ex parte afflavit. In quorundam etiam malevolentiam incidit, ſed non ſuo merito, nam cum omnia ejus privata publicaque inveſtigarent, perſcrutantes ſi qua ad criminationem pateret rima. In vitâ privatâ, & publicâ muneris functione, omnia erant ſupra calumniam, tantùm in Dictatis captores quædam detulerunt, in quibus à paucis Doctoris Tuiſſi & *Samuelis Rhetorfortis* Scholaſticis ſpeculationibus diſcedebat. De Confeſſionibus Eccleſiarum, reformatarum, inprimis Britannicarum vel antiquioribus vel recentioribus nulla unquam ipſi quæſtio mota fuit, nec de decretis Synodi *Dordracenæ*; nam his omnibus ſemper religioſiſſimè adhærebat: ſed in quæſtionibus tantùm quibuſdam multo difficillimis de Providentiâ Dei circa peccatum, putavit ſibi liberum à privatis quibuſdam Doctoribus modeſtè diſſentire. Hoc quidam ita moleſtè tulerunt, ut magnas ipſi tanquam Heterodoxo turbas concitârint, nec antè clamor ſiſti potuit, quàm ad Nationale Concilium res tota delata eſſet. Hîc ſtatim omnia æquiſſimâ judicii Lance perpenſa & tandem ſopita ſunt. Dictata ejus controverſa viris multis totius Gentis doctiſſimis tradita ſunt, ut accuratè examinarentur, quod ſeriò ab ipſis tum ſingulis privatim, tum in multis ad hunc finem inſtitutis congreſſibus publicè per integrum annum eſt factum. Sed omnibus ab extimâ ſuperficie ad unum fundum penitùs intro ſpectis, & re ad Synodum Nationalem relatâ, publico decreto, conſentientibus omnium calculis, STRANGII doctrina ab omni Heterodoxias labe abſoluta eſt, ut ex authenticis Nationalium Synodorum Decretis, quæ verbatim Latinè tantum ſubjiciam patet.

Actum

Digitized by Google

Actum in Synodo Nationali Edinburgenâ 18. *Iunii* 1646. *Seſſ. ult.*

Synodus Nationalis comperiens ad ſe remiſſum à præcedentis Synodi deputatis dictatorum Doctoris *Strangii* examen, nec impræſentiarum ad iſtud examen accuratè ineundum ſibi tempus ſuppetere, commendat Dictatorum illorum ſeriam inſpectationem *Andreæ Ramiſæo*, *Alexandro Henderſono*, *Ioanni Adamſono, Ioanni Sharpio, Roberto Duglaſſio, Guilielmo Colvillo, Georgio Gilleſpio* ex Academiâ & Presbyterio *Edinburgeno*: *Alexandro Colvillo*, *Joanni Barono*, *Roberto Blæro, Samueli Rhetorfortio, Davidi Forretto, Iacobo Bruſſio, Iacobo Sylvio, Roberto Tralio,Waltero Comrio* ex Academiâ & Presbyterio *Andreapolitano*: *Andreæ Canto, Guilielmo Duglaſſio, Guilielmo Strachani* ex Academiâ & Presbyterio *Abredonenſi*: *Davidi Dickſono, Roberto Ramiſæo,Roberto Balæo,Hugoni Makkellio,Ioanni Nevio, Patricio Colvillo* ex Academiâ & Synodo *Glaſguanâ*: *Edwardo Didoclario, Guilielmo Iamiſono, Andreæ Stephanidæ*, *Roberto Knoxio*, *Iacobo Guthrio*, *Roberto Lichtoni*, *Iacobo Fabro, Thomæ Donaldſono* ex variis Presbyteriis, ipſis mandans ut accuratè ſcrutentur ſiquid in iis dictatis haberetur contrarium Doctrinæ receptæ in noſtrâ vel aliis Eccleſiis Reformatis, etſi ullæ phraſes eſſent quæ veritatis hoſtibus faverent. In hunc finem *D. Strangius* continuò Dictatorum ſuorum librum Synodo tradidit, publicâ ſibi fide reſtituendum poſt ejus examen. Librum iſtum Synodi ſcriba juſſus eſt tradere primùm *Ioanni Adamſono*, qui curaret exemplaria deſcribenda in uſum fratrum *Edinburgenorum*,& deinde *D. Colvillo*, qui exemplaria fratribus *Andreapolitanis* aliiſque ſuppeditet. Quo autem ſuprà dicti fratres omnia accuratiùs perpendant, ipſis Synodus injungit,ut inter ſe aliquoties conveniant locis ac tēporibus,ut ipſis videbitur, commodiſſimis: in primis ut ex dictis fratribus, quotquot commodè poſſunt, adſint *Edinburgi* in primo Deputatorum Eccleſiæ conventu Menſe Februario, ut ibi inter ſe ac cum ipſo Doctore de Dictatis ejus colloquantur. Mandat denique Synodus prædictis fratribus, ut ſententias ſuas Synodo in ſequenti ſcripto referant.

A. Ker.

In Synodo Nationali Edinburgenâ 27. *Auguſt.* 1647. *ante meridiem Seſſ.* 23.

Eo die Deputati à præcedenti Synodo ad examinanda Doctoris *Strangii* dictata ſuam ſententiam ſcripto retulerunt, quam, ad Doctorem vindicandum, Synodus publicis actis inſcribi juſſit in hæc verba. Nos qui *D. Strangii*

dictata conſideravimus, poſt noſtrum examen invenimus quædam in iis ita expreſſa ut variis prudentibus & doctis viris iidem ſcrupuli ſuborti ſint: ſed poſtquam de iſtis ſcrupulis cum ipſo Doctore contuliſſemus, ejuſque elucidationes tam verbo quàm ſcripto accepiſſemus, de viri orthodoxiâ nobis eſt ſatisfactum. Ut autem omnis dubitandi occaſio à Dictatis removeretur, Doctor ipſe obtulit paucorum verborum additionem ad majorem rei ipſius explicationem, quod nobis etiam gratum fuit.

A. Ker.

Eâ tempeſtate ſerenatâ expectabat vir bonus in poſterum deſideratam quietem, ſed non diu turbulenta quorundam ingenia ipſi pacem indulſerunt, verùm in præſentiâ de hac tabulâ manum, quid enim attinet iſtam Camarinam commovere? Finis turbarum hic fuit, ut vir moleſtiarum pertæſus munere ſuo ceſſerit, expetens ut in ſenectute honeſto otio frueretur, quò ſcriptis ſuis extremam manum & limam adderet. Huic ejus deſiderio Viſitatores Academiæ acquieverunt: Facultate tam Theologicâ quàm Philoſophicâ unanimitùs diu reluctante, nec niſi gravatè admodum dilectiſſimi & honoratiſſimi ſemper Collegæ ſui diſceſſum admittente. Quàm autem honorifico cum elogio, & liberali per omnem vitam ſtipendio Viſitatores dimiſerint, ex ipſorum ſtatuto à Nationali Synodo comprobato, quod etiam ſubjiciam, videre eſt.

Glaſguæ 19. *Apr.* 1650.

INſpectores Academiæ *Glaſguenſis* à Comitiis Regni & Nationali Synodo inſtituti, perpendentes libellum ſupplicem à *D. Strangio* ipſis oblatum, cujus tenor ſequitur. Reverendis & honorabilibus Collegii *Glaſguenſis* inſpectoribus à Comitiis Regni & Nationali Synodo deputatis humiliter offert *Ioannes Strangius.* Quandoquidem ex imo corde aſſeverare poſſum aſſentiri me animitùs Synodo *Dordracenæ*, & Confeſſionibus fidei Eccleſiæ *Scoticanæ* tam antiquioribus quàm recentioribus in omnibus articulis, in primis in iis quæ Dei Decreta, Providentiam, Electionem, Gratiam, liberum arbitrium, & alia capita ſpectant, circa quæ objectiones contra mea Dictata motæ ſunt, humiliter peto velitis mihi de mea orthodoxia teſtimonium concedere. Dicti inſpectores ſecundum charitatem judicantes, & quod tam ſolenniter Doctor teſtatus eſt, verum eſſe credentes, teſtimonium orthodoxias & rectæ mentis ſecundum priorem ipſius Declarationem concedunt. Præterea dicti Inſpectores, ut ſuam ergo Doctorem benevolentiam teſtentur, ſtatuunt ut ipſi non tantùm integrum Academiæ Præfecti ſtipendium anni quinquageſimi tradatur, ſed etiam ut durante vitâ, mille mercarum ipſi quotannis perſolvatur, & ducentæ inſuper minæ, quotieſcunque rationes Academicæ ferent.

Ultimo

Digitized by Google

Ultimo triennio quo rebus ſuis privatis vacare datum eſt, ſedulus erat in perficiendis, quæ nunc publicata ſunt, ſcriptis, donec anno 54. ætatis ſuæ 70. adulto Majo negotiorum causâ *Edinburgum* profectus, acutâ febri, quæ ipſi lethalis evaſit, correptus eſt. In diebus ſupra viginti quibus quotidie cum morbi acceſſu etiam in tantâ ætate colluctatus eſt, magnus in eo Divini amoris ſenſus, magna humillimæ pietatis, fidei, ac reſipiſcentiæ, ac ſingularis erga cœleſtia deſiderii fragrantia viſitantes omnes valde refecit. Paſtores *Edinburgeni Robertus Duglaſſius* & *David Dickſonus*, qui cum eo colloquia ſacra commiſcebant, & ardentes preces frequenter fundebant, probè nôrunt quanta S. Sancti copia ex multâ Dei miſericordiâ ipſum ad extremum halitum repleverit. Tandem Junii 20. feriæ ſecundæ horâ octavâ matutinâ in magnâ pace animam ſuam in Chriſti manus depoſuit. Poſt biduum, maximo omnium ordinum cœtu, & cum magni amoris ac doloris etiam in multis clariſſimâ demonſtratione ad ſepulturam deductus eſt, & juxta *Robertum Bodium* à *Trochoregiâ* ſpectatiſſimum ſuum deceſſorem reconditus. Præter alia multorum Epicedia, & vetus amicus vir doctiſſimus hoc Epitaphio parentavit

In Obitum

Clariſſimi atque invictiſſimi Chriſti athletæ Doctoris STRANGII

Indidit an Numen tibi STRANGI *nomen & omen*
Roboris, an STRANGI, *quod peregrina ſonat,*
Dum pendens animi volvo; te nomen utrumque
Ingenium & genius demeruiſſe probant.
Miles in Uraniæ *caſtris non fortior alter,*
Aut veri vindex acrior ullus erat.
Hoſte triumphato toties, totieſque ſubacto;
STRANGIUS *invicto robore nomen habes.*
Te fecit pietas peregrinum degere terris,
Hoſpitis & STRANGI *nomine jure frui.*
Quòd ſi vindiciæ veri pietaſque jugentur
Dat patriæ pietas ut potiare polo.
Dant & vindiciæ veri, ut ceu ſydus Olympo
Clareſcas radiis tempus in omne tuis.

Hoc gemens mæréſque, novercantibus Muſis exequiale
carmen effudit Andreas Ramiſæus octogenarius.

Digitized by Google

In eundem eodem Auctore.

Occiduo effœtum ingenium cum langueat ævo;
Heu quas exequias, quæ tibi juſta dabo?
Tu morum exemplar, tu vita norma modeſta;
Et caſtigata tu rationis apex.
Ultima doctrina tu linea, cum tua nuſquam
Quò virtus terris progrediatur, habet,
Succedit cœlo; & ſemper quia ſumma ſecutus
Perfrueris ſummo nunc ſine fine bono.

JACOBUS etiam WRIGHTUS doctiſſimus & pientiſſimus ad COKBURNI ſaltum paſtor ὁ μακαρίτης hoc addidit.

Ornavère tuum radicantia lumina ludum
Glaſcua, *ſic cunctis anteferenda locis.*
Quum Sacris operatus erat Melvinus; Athenæ,
Roma, Sion *campis accubuère tuis.*
Poſt peregri peragrata diu loca plurima, fovit
Smetonius *Muſas laude fideque pari.*
Mella Sionææ *ſtillabant dulcia terræ,*
Mellifluo Bodius *fluxit ut ore pius.*
Ingenii culti Camero *(quem* Gallia *culta*
Excoluit, coluit) lux tibi magna fuit.
Quattuor hiſce quater felix Academia, quanta
Damna tulit tantis quattuor Orba viris?
STRANGIUS *en ſurgit Phœnicis more; tot unus*
Re referens, radiis quot micuère priùs.
Hoc vivo Melvinus *erat* Bodiuſque *ſuperſtes,*
Smetonius, Camero *tunc redivivus erat.*
Doctrina documenta dedit memoranda, revelans
Vera, ſtrophas retegens quas vafer hoſtis alit.
Nulla aberat Virtus quæ condecoraret acumen
Ingenii, & raras mentis & oris opes.
Summa aderat, Virtutis apex, Prudentia in omni
Officio vita conſpicienda proba.
Direxit Plebem, Pubem quoque rexit, & amplas

Erexit

Erexit ſtudio dexteriore Scholas.
Donec in occiduo ſuperant nova tecta Lyceo,
Invidiá invitá, nomen ad aſtra ferent.
Scripta Eratûs perſcripta manu, queis tempus in omne
Vivus adeſt mundo, Mors abolere nequit.
Turba fovet Pimplæa animi monumenta, recepta
Sed Cœlis anima Cœlica turba favet.

PEr totam vitam magna viri temperantia fuit & firma valetudo, ut nunquam unum diem decubuiſſe meminerim. Triplex ei fuit connubium cum familiis ſemper honeſtis. Ex tribus uxoribus multos ſuſtulerat liberos, ſed ipſi quatuor tantùm filiæ ſuperfuerunt. Filius *Guilielmus* optimæ ſpei juvenis cum in Profeſſione Philoſophicâ egregia ſpecimina tam pietatis quam literaturæ dediſſet, ex hecticâ occubuit; ſuæ ætatis anno 22. cui mæſtiſſimus Pater breve hoc Epicedium, quod in *Strangiorum Glaſguæ* tumulo ſplendido marmori inſculptum legimus, conſcripſit in hæc verba.

Epitaphium in obitum M. Guilielmi Strangii *Regentis in Academiâ* Glaſguenſi, *qui obiit anno Dom.* 1651. *ætatis ſuæ* 22.

Flos juvenum, pius ac doctus, Cœleſtia ſpirans,
Ad Cœlum properè raptus es ante diem.
Ὃν γὰρ φιλεῖ Θεὸς ἀποθνήσκει νέος.

Ex filiabus ſuperſtitibus tres priores viris probis nuptæ, pietatis, prudentiæ, cæterarumque virtutum ad hunc diem ſunt exemplaria.

In bonis fortunæ totâ vitâ ei Deus benignus erat: liberis ſuis omnibus res ſatis amplas reliquit, quin & amicis pauperibus & uſibus publicis, præter in vitâ liberalitatem, ſupra decem millia mercarum legavit non vulgari exemplo.

De viro non plura quod ad opera vel præſens vel prius: utrumque tuo, *Benevole Lector*, judicio ſubjiciatur, prout ipſorum æſtimaveris meritum, ita ſententiam feras.

Quæ Doctiſſimus & Clariſſimus Gentilis noſter *D. Morus* priori parti præfatus eſt, quibuſdam in omnibus non perplacuerunt, itaque ad illam qualemcunque offenſam levandam, rem ut erat, nudam propono. *D. Strangius* dum viveret, *D. Spangio* Eccleſiæ *Britannicæ* apud *Middelburgenſes* Paſtori digniſſimo ſingulari ſuo Amico exemplar iſtius Scripti tranſmiſerat cum Theologis Belgis communicandum. Poſtquam *D. Strangius* obiiſſet, & ante mortem ultimam manum ei operi impoſuiſſet, exemplar illius novum, quàm potui limatiſſimum ad *D. Spangium* curavi deferendum, ut, ſecundum frequens ſuum votum,

tum, excuderetur. Hanc ille operam fideliſſimè præſtitit, efficiens ut ab *Elzevirio Amſtelodami* elegantiſſimis typis committeretur, & pro multâ ſuâ cum Clariſſimo *D. Moro* conſuetudine, qui tunc *Amſtelodami* degebat, illi perſuaſit ut ſubinde operas inviſeret. Cum autem expectata à me Præfatio non acceſſiſſet tempeſtivè ob rationes *D. Spangio* notas, *D. Morus*, pro ſuâ cum *Spangio* Amicitiâ & Amore etiam in Doctiſſimum opus, ne omninò ἀπροοιμίαστως exiret in publicum, ea ſcripſit tam proſa quàm verſu quæ legimus in introitu, ubi quædam de *D. Spangio* Poëticâ Hyperbole decantat, de quibus certò ſcio *D. Spangium* nihil quicquam inaudiviſſe, antequam publico data eſſent; &, ſi in tempore fuiſſent viſa, eorum editionem nunquam illum fuiſſe admiſſurum.

Quòd *Meſtrezatio* ſuam Præfationem *Morus* inſcriberet, unica cauſa fuit, Magni iſtius viri ſingularis in *Morum* Amor, quem hic occaſione qualiben geſtiit retaliare. Quod autem hac dedicatione ſignificatam voluit *Morus* ullam *Strangii* cum *Meſtrezatio* in dogmatis *Amiraldi* controverſis Symphoniam, vel ullam etiam ſuiipſius in hac lite cum *Meſtrezatio* concordiam, puto eſſe calumniam ſine omni fundamento.

Quæ autem de Eccleſiæ *Scoticanæ* in nuperis turbis proceſſu *D. Morus* videtur ſiniſteriùs expreſſiſſe, rerum noſtrarum in magnâ loci diſtantiâ minùs ex acta cognitio excuſat. Certè ſi, dum illa ſcriberet, ipſi *D. Spangius* adfuiſſet, facilè ex hac parte omnis offenſa fuiſſet ſublata. Utcunque, tam *D. Moro* quàm *D. Spangio* præſtantiſſimis viris, ob egregiam utriuſque in *D. Strangium* voluntatem, promptumque in poſthumis ejus edendis ſtudium atque induſtriam, magnas deberi gratias profiteor. Non te diutiùs à ſequentium lectione detineo aliorum laboribus, ſi lubet, gratis fruere.

Glaſguæ v. *Cal. Junii*
CIↃ.IↃC. LVIII.

R. B.

TITU-

T I T U L I
LIBRORUM & CAPITUM

De Sacræ Scripturæ Interpretatione, Perfectione & aliis Quæſtiônibus Controverſis.

UT ET

De Sabbatho, Imagine Dei, Nomine Jehova, Divortio & Polygamiâ.

L I B E R I.

De Interpretatione ſensûs Scripturæ.

Cap. I. *IN quo ſtatus Controverſiæ explicatur, de perſpicuitate & obſcuritate Scripturæ.* Pag. 1

II. *In quo Orthodoxa ſententia confirmatur argumentis ex Scripturâ petitis.* 6

III. *De Rationibus ex rei propoſitæ naturâ petitis.* 12

IV. *In quo idem probatur teſtimoniis Patrum & Adverſariorum.* 16

V. *In quo reſpondetur argumentis Adverſariorum.* 20

VI. *De generibus ſenſuum Scripturæ.* 23

VII. *Num in Scripturâ plures dentur ejuſdem loci ſenſus Literales.* 32

VIII. *De mediis inveniendi & explicandi verum Scripturæ ſenſum & uſum.* 38

IX. *De perſonis quibus jus explicandi ac diſcernendi ſenſum Scripturæ competit.* 50

X. *In quo proponitur & explicatur ſtatus controverſiæ de normâ & judice ſenſûs Scripturæ & omnium Controverſiarum.* 61

XI. *De Deo unico infallibili Iudice in Scripturâ loquente.* 65

XII. *Reſpondetur ad objectiones Adverſariorum contra ſententiam explicatam.* 69

XIII. *Sententia Pontificiorum explicatur de externo judice infallibili.* 74

XIV. *Papam non eſſe judicem ſummum & infallibilem.* 80

XV. *Probatur Concilium generale neque ſine Papâ neque cum Papâ eſſe judicem illum infallibilem.* 98

XVI. *Probatur Eccleſiam non eſſe judicem infallibilem, & omninò nullum dari externum judicem infallibilem.* 103

XVII. *De Analyſi fidei Digreſſio.* 112

XVIII. *Sententia Pontificiorum de Analyſi fidei.* 134

XIX. *Reſpondetur ad argumenta Adverſariorum quibus ſtabilire nituntur externum judicem infallibilem ex Veteri Teſtamento.* 148

XX. *Reſpondetur ad argumenta adverſariorũ ex N. Teſt. & primò ex Mat.16.18.* 161

XXI. *Reſpondetur ad argumentum ex Matth.16.19.* 175

XXII. *Reſpondetur ad tertium argumentum Adverſariorum ex Nov. Teſtamento, Ioan.21. verſ.15. 16.18.* 191

XXIII. *Reſpondetur ad reliqua argumenta Adverſariorum ex N. Teſtam.* 208

XXIV. *In quo Reſpondetur ad alia argumenta ex Novo Teſtamento quibus probant Eccleſiam aut Concilia non poſſe errare.* 225

XXV. *Reſpondetur ad argumentum ex conſuetudine Eccleſiæ.* 238

XXVI. *Reſpondetur ad teſtimonia Pontificum & Imperatorum.* 242

XXVII. *Reſpondetur ad teſtimonia Patrum Græcorum.* 247

XXVIII. *Reſpondetur ad teſtimonia Patrum Latinorum.* 262

XXIX. *Reſpondetur ad teſtimonia Patrum quibus probant Pontifices Eccleſiam aut Concilium non poſſe errare.* 291

XXX. *Quo expenduntur argumenta adverſariorum à ratione ſumpta.* 293

LIBER

Digitized by Google

LIBER II.

De Perfectione Sacræ Scripturæ.

Cap. I. *De ſtatu Controverſiæ.* Pag. 315
II. *De neceſſitate Scripturæ.* 323
III. *In qua Argumenta à Scriptura teſtimoniis de Scriptura perfectione & ſufficentiâ.* 334
IV. *Idem probatur argumentis à ratione.* 350
V. *Idem probatur teſtimoniis Patrum & aliorum.* 371
VI. *Refelluntur Traditiones Pontificiæ teſtimoniis Scripturæ.* 382
VII. *Argumenta à ratione contra Traditiones Pontificias, & primum ab earum incertitudine.* 384
VIII. *Examinantur regulæ quibus dicunt Adverſarii veras Traditiones dignoſci.* 393
IX. *Alia argumenta à ratione ſumpta.* 402
X. *Teſtimonia Patrum & aliorum contra Traditiones.* 410
XI. *Præmunitiones de uſu vocabuli Traditionis ad ſolvendum argumenta adverſariorum.* 413
XII. *Reſpondetur ad argumenta Adverſariorum è Sacris Literis petita.* 424
XIII. *Reſpondetur ad primum argumentum Pontificiorum à ratione ſumptum contra ſufficientiam Scripturæ.* 434
XIV. *Reſpondetur ad alias rationes Pontificiorum.* 444
XV. *Reſpondetur ad exempla Adverſariorum & primò ad ea quæ utrique Teſtamento communia affert Bellarminus.* 459
XVI. *Reſpondetur ad exempla quæ ad Vetus Teſtamentum ſpectantia affert.* 476
XVII. *Reſpondetur ad tres inſtantias Bellarmini quæ ad Novum Teſtamentum ſpectant.* 482
XVIII. *Reſpondetur ad inſtantias aliorum primò contra ſufficientiam Veteris Teſtamenti* 492
XIX. *Reſpondetur ad inſtantias aliorum contra ſufficientiam etiam Novi Teſtamenti.* 502
XX. *Reſpondetur ad teſtimonia ab Adverſariis citata, & primò Pontificum & Conciliorum.* 513
XXI. *Reſpondetur ad teſtimonia Patrum Græcorum.* 519
XXII. *Reſpondetur ad teſtimonia Patrum Latinorum.* 548
Tractatus de Sabbato & die Dominico, Ad Cap. 2. Geneſ. verſu ſecundo & tertio. 566
Reſpondetur ad argumenta adverſæ ſententiæ. 579
Quo jure inſtituta ſit ſanctificatio diei ſeptimi, & quatenus obligat. 584
An Morali Præcepto obligemur ad unum diem in ſeptimanâ ſanctificandum. 597
Quâ auctoritate & quouſque inſtituta ſit diei Dominici Sanctificatio. 607
Quatenus die Dominico ab operibus ſervilibus & recreationibus abſtinendum. 626
De Nomine Iehova Ad Gen Cap. 2. v. 4. 644
De Imagine Dei in Homine Ad Cap. 1. Geneſ. verſ. 26. 655
Faciamus hominem in Imagine noſtrâ &c 658
De Divortio & Polygamiâ Ad Geneſ. 2. verſ. 23. 671
De Divortio. 672
De Polygamiâ. 676

JOAN-

JOANNIS STRANGII,

S S. Theologiæ Doctoris, & in Academia Glaſguenſi Profeſſoris primarii,

DE INTERPRETATIONE ET PERFECTIONE SCRIPTURÆ,

LIBER PRIMUS,

DE INTERPRATATIONE SENSUS SCRIPTURÆ.

CAP. I.

In quo ſtatus controverſiæ explicatur de perſpicuitate & obſcuritate Scripturæ.

INterpretatio Scripturæ duplex conſiderari ſolet; una verborum, altera ſenſus. Interpretatio verborum eſt verſio vocis ignotæ, aut minùs notæ, in notam ſeu notiorem; veluti cum transfertur ex unâ linguâ in aliam. Quæ autem de ejuſmodi tranſlationibus occurrunt quæſtiones, jam ſpectabimus. Proximum eſt, ut quæ de ſenſu Scripturæ agitantur controuerſias etiam expendamus: quas ad tria capita referimus. I. *de perſpicuitate & obſcuritate Scripturæ,* II. *De varietate ſenſuum Scripturæ, eorumque accommodationibus & conſequentijs.* III. *De normâ & judice veri ſenſus Scripturæ, adeoque omnium controuerſiarum dirimendarum.*

Quæſtiones de perſpicuitate Scripturâ quoad ſenſum, non verba.

Bellarminus cum umbrâ aſini digladiaturus, ita ſtatum controverſiæ de primo capite proponit, ut nullum reverâ habeat adverſarium. Itidem plerique omnes Pontificij Doctores ſtatum controverſiæ pervertunt, nobiſque ea affingunt quæ à ſententiâ noſtrâ valdè abhorrent. Conſentaneum itaque nobis videtur, aliquot hypotheſibus præmiſſis, ſtatum controverſiæ dilucidè explicare.

Ieſuita pervertentes ſtatum controverſia, diſputant contra ſuas umbras non contra nos.

1. Oratio, ſive ſcripta ſive voce prolata, perſpicua aut obſcura dicitur duobus modis: aut ſimpliciter & per ſe, aut reſpectu alicujus, & ex accidente.

Quadam obſcura ſimpliciter, quadam per accidens.

Per ſe & ſimpliciter perſpicua appellanda eſt, quæ in ſe claritatem habet, & facilè perſpicitur ab homine ſani judicii advertente, ſerio-

quæ eam reputante. Alioqui, qui expertes ſunt iudicij, aut iudicium habent depravatum : (ſicut accidit ijs quibus organa aliquorum ſenſuum aut deſunt, aut vitiata ſunt) ij vel non percipiunt obiecta, vel malè percipiunt, ita ut aliquando contraria pro contrarijs habeant. Sic dulcia videntur amara febricitantibus, omnia videntur flava ictericis,& quæ clariſſima, ſunt obſcura cæcis aut lippis. Multa quoque fugiunt non advertentes & negligentes. Ita ſæpè accidit, ut Scriptura, alioqui per ſe & abſolutè plana & aperta, per accidens & ratione alicujus; hoc eſt, propter hominis alicujus eam legentis negligentiam, aut vanam confidentiam, ſeu arrogantiam, aut craſſam animi cæcitatem, aut perverſitatem, aut malitiam, aut præconceptas opiniones & præjudicium, fit obſcura atque intricata.

Homo ſpiritualis eſt ſani judicii ſimpliciter, naturalis vero tantum κατά τι.

2. Homo ſani judicij hic duobus modis intelligi poteſt : vel κατά τι, nempe ſecundum naturales dotes, quæ homini naturali ex reliquis divinæ imaginis ſcintillulis ſuperſunt : vel ſimpliciter, nempe ſecundum lumen gratiæ, quod à Sp. Sancto datum eſt fidelibus & regenitis omnibus.

Deinde, cognitio S. Scripturæ alia eſt communis, quâ verba ſecundum literam & Grammaticè intelliguntur; alia eſt ſpiritualis & ſalutaris, quâ fide verâ apprehenduntur. Multa quidem in S. Scripturis occurrunt homini etiam naturali perſpicua priori cognitionis genere: & conſtat ingenioſè de ſummis articulis fidei diſputare & concionari poſſe etiam profanos homines Mat. 7. 22. Quanquam ex inſitâ corruptelâ proclive eſt ijs, etiam clariſſimè dicta perperam accipere : unde & tot errores nati ſunt in Eccleſiâ. Poſterius autem cognitionis genus proprium eſt fidelium : ſiquidè,ut dicitur 1 Cor. 2. 14. *Animalis homo non eſt capax eorum quæ ſunt Spiritus Dei ; ſunt enim ei ſtultitia ; nec poteſt ea cognoſcere, quia ſpiritualiter dijudicantur,* Item 2. Cor. 4. 3. *Quod ſi opertum eſt Evangelium noſtrum , iis qui pereunt opertum eſt , &c. Contrà , ſpiritualis dijudicat omnia ,* nec quà talis falli poteſt. 1. Cor. 2. 15. Ideoque ſimpliciter in rebus ſpiritualibus ſano iudicio præditus dicitur.

Mat. 7. 22. — *1. Cor. 2. 14.* — *2. Cor. 4. 3.* — *1. Cor. 2. 15.* — *1. Cor. 13. 9.*

In hâc vitâ regeneratio eſt imperfecta.

Cæterum, quia in hac vitâ ex parte duntaxat regeniti ſumus, & ex parte cognoſcimus 1. Cor. 13. 9. alijque magis, & alij minus illuminati ſunt, ijdemque per gradus adoleſcunt : non mirum eſt non omnia omnibus, & ſemper æque eſſe perſpicua. De perfectè autem regenitis in alterâ vitâ, eorumque perfectâ & clarâ cognitione loqui, nihil ad inſtitutum noſtrũ ſpectat; quippe iis Scripturâ & libris opus non eſt.

3. Sicut

Digitized by Google

3. Sicut in videndo duplex requiritur claritas; una externa, objecti manifeſtati lumine externo; altera interna, oculis ipſis inſita: ita in ſpirituali intelligentiâ duplex quoq; claritas invenitur: una externa verbi Dei revelatione, altera interna. à Sp. Sancti illuſtratione. Et ſicut in videndo, manente eâdem claritate externâ, varij dantur gradus, quibus alii alijs, ijdemque aliàs meliùs, aliàs deteriùs vident, ob variam oculorum diſpoſitionem, aut claritatem internam: ita verbi Dei, ſeu S. Scripturæ perſpicuitas in ſe ſpectata non variatur ob variam hominum perſpicientiam; ſed à clarè perſpicientibus diſcernitur & iudicatur qualis re verâ eſt.

Claritas objecti externa eſt invariabilis, ſed interna ſubjecti ſecundum gradus variatur.

4. Perſpicuitas autem Scripturæ non eſt in omnibus partibus uniformis, nam in eâ certo Dei conſilio alia clariùs, alia obſcuriùs ſunt expoſita; cùm ob alias cauſas, tum maxime ob Dei diſpenſationem, qui poſt Chriſtum natum, clarâ Euangelii luce, myſteria ſalutis prius occulta, revelare inſtituit. Rom. 16. 25. 26. 1. Cor 2. 7. 10. Eph. 3. v. 4. 5. 6. 9.

Quædam Scripturæ partes ſunt alijs magis perſpicuæ. Rom. 16. 25. 26. 1. Cor. 2. 7. 10. Eph. 3. 4. 5. 6. 9.

5. Oratio per ſe clara vel obſcura dicitur, vel ratione rerum ſignificatarum, vel ratione vocum ſignificantiũ, ſeu modi ſignificationis. Res ſunt abſtruſæ vel ob earum ſublimitatem, quæ ſuperant captum noſtrum, ut myſteria S. Trinitatis: vel quia ſunt aliâ ratione à ſenſibus noſtris remotæ, ut prædictiones rerum futurarum. Voces ſignificantes, ſeu modus ſignificandi eſt obſcurus, vbi voces occurrunt obſoletæ, parabolæ, figuræ, & tropi minùs familiares, phraſes antiquo ſeculo propriæ, à noſtro uſu remotæ, ambiguè dicta, δυσνόητα.

Oratio de rebus altis & obſcuris poteſt eſſe clara quoad voces & modum ſignificandi.

Quemadmodum autem interdum accidit, ut res communes & faciles obſcuritate verborum involvantur, ita fieri poteſt, ut res arduæ ac difficiles, oratione facili & perſpicuâ elucidentur: ſic in S. Scripturâ res abſtruſas, quæ nullâ ratione humanâ perveſtigari poterant, & myſteria priùs occulta Deus clariſſimè patefecit. Dan. 2. 22. 1. Cor. 2. 9. 10. Col. 1. 26. 27. adeò ut, quod aliàs nobis obſcurum, aut inſcrutabile eſſet, ex Scripturis clare innoteſcat.

Dan. 2. 22. 1. Cor. 2. 9. 10. Col. 1. 26 27.

His explicationis cauſâ præmonitis, varia dubia in hâc quæſtione elucidantur, & præſertim quæ δυσνόητα colliguntur, ſive ex Patribus, ſive ex recentioribus Orthodoxis, facilè conciliantur: itaque, ut ad quæſtionem propiùs accedamus, ſubjiciemus propria quædam capita in hâc materiâ, de quibus inter nos & Pontificios paùlo ſaniores nulla eſt controverſia; utcunque ſtatum controverſiæ pervertentes, pleraque hæc cum controverſiâ per calumniam iniquiſſime confundant.

Quæ hîc inter partes ſunt extra controverſiam.

Digitized by Google

1. Quædam Scripturæ loca ſatis perſpicua & clara eſſe omnibus ſana mente præditis; quædam verò intellectu eſſe difficilia. Gregorius in epiſt. ad Leandrum & lib. 4. Moral. Scriptura (inquit) eſt
„ quaſi quidam fluvius planus & altus, in quo & agnus ambulet, &
„ elephas natet. Auguſtinus lib. 2. de doctrinâ Chriſtianâ cap. 6.
„ Magnificè & ſalubriter Sp. Sanctus ita Scripturas modificavit, ut
„ locis apertioribus fami occurreret, & obſcurioribus faſtidia deter-
„ geret.

2. Multa in S. Scripturis per ſe clara, obſcura eſſe per accidens, ut in primâ hypotheſi explicavimus, ut patet ex 2. Cor. 3. v. 14. 15. 16

2. Cor. 3. 14. 15. 16.

3. Res contineri in Scripturâ arduas ac difficiles, ut in quintâ hypotheſi explicavimus, ideoque hîc non quærendum eſſe de obſcuritate ex parte rei.

4. Cognitionem noſtram omnem myſteriorum Dei in hâc vitâ eſſe obſcuram comparatè; nempe conferendo cum illâ cognitione perfectâ in Cælis 1. Cor. 13. 12. Sed nos loquimur de manifeſtatione vel cognitione, non ſecundum modum rei, ſed ſecundum modum homini in hâc vitâ neceſſarium.

1. Cor. 13. 12.

5. Abſque Sp. Sancti gratiâ & illuſtratione nullum fidei myſterium ſalutariter intelligi poſſe: tametſi fortè communi ratione literalem ſenſum homines naturales aſſequi queant, ut in ſecundâ hypotheſi dictum eſt. Ideoque ad ſalutarem intelligentiam Sacræ Scripturæ Sp. Sancti illuminationem implorandam eſſe, ut Pſal. 119. v. 18. 26. 27. 33. &c.

Pſal. 119. 11. 26. 27. 33.

6. Ipſis regenitis qui in Scripturis non habent ſenſus ſatis exercitatos, varias phraſes eſſe ſubobſcuras.

7. Quædam etiam ratione modi explicationis fidelium doctiſſimis & exercitatiſſimis toto vitæ curſu exercitij materiam adminiſtrare.

8. Tantam varietatem & abyſſum rerum pulcherrimarum in ſacris literis contineri & latêre, ut ſemper ſuperſit quod diſcat ſtudioſiſſimus & ſolertiſſimus in vitâ longiſſimâ.

9. Utilem & neceſſariam eſſe in Eccleſiâ explicationem Scripturæ, quam Deus miniſtris ſuis mandavit, non tantùm ad rudiores inſtruendos, & difficiliora explicanda, ſed etiam ad doctiores monendos, provehendos & confirmandos, & ad uſus ſpirituales in locis etiam clariſſimis eruendos & accommodandos 2. Tim. 3. 16.

2. Tim. 3. 16.

Sententia Proteſtantium.

Jn iſtis igitur articulis nulla eſt controverſia. Nunc ſententiam noſtram, quam exagitant adverſarij, paucis theſibus, additâ earum

rum antitheſi, complectemur.

1. In Scripturâ perſpicuè & apertè traduntur omnia quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria: hoc eſt, tota doctrina fidei & vitæ Chriſtianæ.

Gregorius de Valentiâ diſtinguit inter ſcitu neceſſaria ad ſalutem abſolutè & ex hypotheſi, ut caveat ſua fides implicitæ.

Gregorius de Valentiâ Jeſuita diſtinguit ea quæ ſunt neceſſaria ſcitu ad ſalutem in duo genera; quod alia abſolutè & ſimpliciter ſcire neceſſe ſit, cujuſmodi vult eſſe pauca admodum, quæ perſpicuè ferè (inquit) in Scripturâ docentur, & in ſymbolo Apoſtolico comprehenduntur: alia verò neceſſe ſit ſcire ex hypotheſi, nempe ſi in rebus fidei veritas proponatur cum oppoſito errore, quia non licet ſine iacturâ ſalutis, credere aliquem errorem ulli veritati fidei contrarium: inde fieri, ut neceſſe ſit illam veritatem credere & noſſe. Nititur hæc diſtinctio malo fundamento implicitæ fidei à Pontificijs iacto: quaſi ad ſalutem ſatis eſſet populo Chriſtiano confuſè credere quod Eccleſia credit; licet pleraque fidei dogmata ignorentur ignorantiâ puræ negationis (ut loquuntur) non autem ignorantiâ pravæ diſpoſitionis. Inſcitiam enim in rebus fidei pleriſque laudant, aut excuſant, quanquam errores oppoſitos periculoſos fateantur. Nos autem (ut intereà implicitæ fidei errorem omittamus) cùm dicimus omnia ad ſalutem neceſſaria apertè comprehendi in ſacris literis, intelligimus utroque modo neceſſarium: nempe ſive ad veritatem ſalutarem cognoſcendam, ſive ad contrarios errores refellendos. Eodemque ſenſu dixit Auguſtinus de doctrinâ Chriſtianâ lib. 2. Jn ijs quæ apertè in Scripturâ poſita ſunt, inveniuntur omnia quæ requiruntur ad fidem moreſque vivendi &c.

2. Si quid ex iſtis neceſſarijs aliquo in loco S. Scripturæ obſcuriùs tradatur, id in alijs perſpicuè docetur. Unde ſequitur Scripturam eſſe ſui ipſius interpretem, ſeu per ſeipſam exponendam eſſe, nempe unam partem per aliam.

Sententia Pontificiorum.

Papiſtæ verò contra vtramque theſin non tantùm non omnia ejuſmodi neceſſaria tradi in Scripturis, ſed etiam pleraque ex ijs ita obſcurè tradi, ut, niſi accedat interpretatio aliunde, nempe à traditionibus & authoritate Eccleſiæ (quo nomine Papam & eius aſſeclas intelligunt) petita, intelligi nequeant.

3. Scripturæ ita apertæ ſunt, ut Chriſtiani etiam rudes & indocti, ex earum lectione inſtrui ad pietatem poſſint, & errores adverſariorum redargui, præſertim implorato Sp. Sancti auxilio, pioque ſtudio & alijs legitimis adminiculis adhibitis.

Contrà Pontificij, propter obſcuritatem & occaſionem errandi,

Digitized by Google

tum in doctrinâ fidei, tum in præceptis morum, inutile & periculoſum eſſe Scripturam legere docent.

4. Scriptura, cùm in neceſſarijs ad ſalutem ſit perſpicua, ita ut, ſiquid ejuſmodi in uno loco obſcuriùs tradatur, in alio loco clarè explanetur: certe præcisè & universè loquendo, perſpicua potiùs dicenda eſt, quàm difficilis aut obſcura, ſiquidem à potiore & majore parte ſumenda eſt denominatio.

Huic theſi plane contradicentem poſitionem ponit Serrarius Jeſuita in prolegomenis cap. 22.

Rectè controverſiam ſtatuit Ieſuita Serrarius.

„ In hoc ergo demum vertitur cardo controverſiæ: An Scriptura „ Sacra, quoad modum explicandi ita ſit perſpicua in rebus neceſſa- „ rijs ad ſalutem; nempe, quæ ad fidem & mores ſpectant, ut lo- „ cos obſcuros per claros explicando, ad veritatem ſalutarem co- „ gnoſcendam, & errores contrarios diſſipandos ipſa ſibi ſufficiat, „ adeoque cum fructu legi poſſit ab omnibus tum doctis, tum indo- „ ctis, Sp. Sancti ductum piè implorantibus, ac ſtudium, & legiti- „ ma media adhibentibus,

Nos partem affirmativam, Pontificii negativam tuentur: ſicut & olim veteres hæretici, Valentinus, & ſimiles, teſte Irenæo lib. 3. cap. 2.

C A P. II.

In quo orthodoxa ſententia confirmatur argumentis ex Scripturâ petitis.

Diſputationis œconomia.

Argumenta quibus noſtram ſententiam confirmamus ad 4 claſſes revocantur. 1. complectitur teſtimonia S. Scripturæ 2. Rationes à rei ipſius naturâ petitas 3. Teſtimonia Patrum. 4. Confeſſiones adverſariorum.

Perſpicuitas Scripturæ probatur ex Deut. 30. 11.

In 1. claſſe primò occurrit locus inſignis Deut. 30. 11. &c. citatus etiam Rom. 10. 6. &c. *Præceptum hoc quod ego præcipio tibi hodie, occultum non eſt à te, neque longinquum &c. Sed propinquum eſt tibi, verbum hoc volve in ore tuo, & animo tuo ad faciendum illud.* Ex hoc loco ſic argumentor.

Quod non eſt occultum, non longinquum ſeu remotum, ſed propinquum, illud eſt perſpicuum. At verbum Dei non eſt longinquum, aut remotum, ſed propinquum. Ergo Verbum Dei eſt perſpicuum.

Digitized by Google

um. Sub hâc concluſione ſubſumo: Scriptura eſt Verbum Dei, Ergo eſt perſpicua.

Primi ſyllogiſmi minor habetur in textu ſacro: Major & alterius „ minor patent. Bellarminus duplicem affert reſponſionem: prima „ eſt, Plurimos veteres hunc locum intelligere, non de facilitate in„ telligendi Scripturas, ſed de facilitate implendi mandata Dei, „ cùm adeſt auxilium gratiæ: Ita exponere Tertullianum lib. 4. „ contra Marcionem: Origenem, Ambroſium, Chryſoſtomum, & „ alios in cap. 10. ad Romanos, & Auguſtinum lib. de perfectione „ iuſtitiæ, reſponſione penultimâ,

prima Bellarmini reſponſio.

„ Altera reſponſio eſt, alios intelligere quidem hæc verba de fa„ cilitate cognitionis, non quidem Scripturarum, quæ tunc adhuc „ nullæ erant fortaſſe, ſed præceptorum tantùm Decalogi quæ faci„ lè intelliguntur.

In hâc reſponſione accipimus quod adverſarius negare non poteſt, ex his verbis facilitatem oſtendi rei de quâ agitur: & cùm concedit Decalogum facilè intelligi, inde ſequitur Scripturam totam non eſſe obſcuram, cùm magna pars Scripturæ verſetur in expoſitione Decalogi: item, controverſias non arguere difficultatem Scripturæ, cum de imaginibus in ſecundo præcepto prohibitis maxima ſit controverſia. Cæterùm, dum Bellarminus argumenti vim conatur eludere, varia falſa & inepta comminiſcitur.

1. Falſum eſt, quod citat, Patres intelligere verba iſta de facilitate implendi mandata Decalogi, ut loca conſulentibus patet. Et Bellar. ipſe lib. 5. de gratiâ & lib. arb. cap. 6. ait, Expoſitionem eſſe maximè literalem & propriam, ſi locus hic accipiatur, non de facili„ tate legis implendæ, ſed cognoſcendæ. Quoniam enim (inquit) „ ante latam legem potuiſſent Judæi prætexere ignorantiam, ſi non „ feciſſent, quæ Deus ab illis fieri volebat: idcircò Moſes, poſtea „ quam totam legem illis expoſuit, admonet illos ut legem impleant, „ neque ullo modo ignorantiam obtendant: ideo ait, *Mandatum hoc* „ *non ſupra te eſt neque procul poſitum,* id eſt, non in loco alto vel lon„ ginquo, ut illud cognoſcere non valeas. Eandemque eſſe rationem Evangelii docet ibidem Bellarminus ex epiſt. ad Rom. c. 10.

2. Iſta diſtinctio facilitatis non eſt ad rem. Nemo enim non intelligit, facilius à nobis intelligi officia noſtra, quàm præſtari, adeò ut, ſi ſint facilia factu, multò faciliora ſint intellectu. Et de cognitione quæ dirigitur ad faciendum, Moſen ibi loqui planum eſt ex verſibus 13. & 14.

Etiam ſecunda.

3. Fal-

3. Falſum eſt, Scripturas tum nullas extitiſſe, cum verſu 19. Moſes aperte mentionem faciat ſtatutorum ſcriptorum in libro legis.

4. Falſum eſt verba iſta reſtringenda eſſe ad Decalogum, cùm, ut patet ex verbis immediatè præcedentibus v. 10. loquatur de omnibus præceptis & ſtatutis ſcriptis in libro legis, imò de ipſis cæremonijs, ſi rectè vertit vulgatus interpres, præcipuè autem de converſione ad Deum, quæ eſt conditio fœderis Evangelici: & proinde Apoſtolus Rom. 10. diſertè hæc verbo fidei & Evangelio applicat.

Quod ſi quis excipiat, quæ in iſto loco dicuntur de præceptis ac verbo Dei, non ſpectare ad Verbum ſcriptum ſeu Scripturam, facilè refelli poteſt, cùm verbum Dei ſcriptum ſit, ut populo notius eſſet, ut patet ex Deut. 31. v. 9. & ſequentibus.

Secundò perſpicuitas ſcripturæ probatur ex ijs locis quæ verbo Dei aſcribunt lucem.

Pſ. 19. 8. 9. & 119. 105. 130. Pro. 6. 23. 2. Pet. 1. 19.

Secundum argumentum ducitur ex ijs Scripturæ locis, in quibus lux ſeu illuminatio verbi Dei prædicatur Pſ. 19. 8. 9. *Lex Domini ſapientiam prabet parvulis, illuminans oculos.* Pſal. 119. 105. *Verbum Dei lucerna eſt pedibus noſtris, & lux itineri noſtro.* Et ver. 130. *Aditus verborum tuorum illuminat, intelligere facit ſimplices.* Pro. 6. 23. *Mandatum lucerna eſt, & lex lux.* 2. Pet. 1. 19. Sermo propheticus vocatur *lucerna ſplendens in obſcuro loco.* Ergo Scriptura, in rebus præſertim neceſſarijs ad ſalutem, obſcura dici nequit.

Duo reſpondet Bellarminus 1. in locis citatis ex veteri Teſtamento non agi de univerſis Scripturis: ſed tantùm de præceptis Dominicis, quæ fatetur eſſe lucida.

Prior reſponſio Bellarmini refutatur.

At, inquam, 1. Si, ut docent Pontificij, obſcurum dicitur, de cujus ſenſu eſt controverſia, certè etiam præcepta Decalogi erunt obſcura, & nominatim ſecundum præceptum de imaginibus. Deinde, male reſtringit iſta loca Bellar. ad præcepta Dominica, cùm ad Scripturam, ſaltem quæ tunc extabat, ſpectent. Etenim in Pſ. 19. (ut ipſe hîc docet Bellarm.) primò loquitur Pſaltes de cognitione illâ quæ luce naturæ acquiritur ex creaturis. *Cæli enarrant gloriam Dei,* &c. poſtea oſtendens majorem lucem oriri ex verbo ſcripto, ſubiungit. *Lex ſeu doctrina Domini immaculata eſt, convertens animum,* &c. cùm itaque hîc conferatur notitia Dei naturalis per creaturas, & revelata per verbum Dei, conſentaneum eſt, hîc legis nomine intelligi integrum verbum Dei revelatum; Quod ibidem varijs vocabulis denotatur: vocatur enim *Domini Doctrina, lex, teſtimonium, ſtatuta, præcepta,* &c. Sic interpretantur Hieronymus, Lyranus, Arias Montanus, & alij multi in hunc Pſalmum ſcribentes. Imo Bellarminus

Digitized by Google

nus Commentario in v. 9. hujus Pſalmi, legis nomine comprehendi docet ipſam quoque cæremonialem doctrinam. Multoque clarius eſt in Pſ. 119. toto, ſermonem fieri de Verbo Dei integro, conſentientibus interpretibus, ſub iiſdem ſimilibuſque nominibus, quæ Pſal. 19. uſurpantur.

Auguſtinus Sermone 23. in hunc pſalmum idem apertiſſimo do-„ cet, inquiens, Quod ait Pſaltes Verbum tuum lucerna pedibus „ meis, & lumen ſemitis meis, verbum eſt quod Scripturis ſanctis „ *Omnibus* continetur. Imò Bellarminus in hoc ipſo capite paulò antè docet in Pſalmo hoc 119. (aliàs 118.) Davidem nomine legis, non intelligere decem illa præcepta ſolùm, ſed omnes divinas Scripturas: quâ ſignificatione (inquit) utitur etiam Dominus in Evangelio Jo. 15. 25. citans verba ex Pſal. 35. 19. *Ut adimpleatur quod in lege eorum ſcriptum eſt, quia odio habuerunt me gratis.* Porrò in verbis quæ citavimus ex 2. Petr. 1. 19. eodem elogio inſignitur ſermo Propheticus, cum dicitur *lucerna ſplendens in obſcuro loco.* Quodſi Propheticus ſermo ſit lucerna, quantò magis lucet ſermo Evangelicus. *Io. 15. 25. Pſ. 35. 19.*

Itaque huic reſponſioni diffiſus Bellarminus, aliam ſubjungit: Dici „ (inquit) poteſt agi in iis locis de Scripturis omnibus, ſed Scriptu-„ ram dici lucidam, imò lucem & lucernam, non quod facilè intelli-„ gatur; ſed quod, intellecta cum fuerit, mentem illuſtret. Quo quid dici poteſt ineptius? Nemini enim ignotum eſt, hic metaphoram ſumi à viſu oculorum, ad quem requiritur, præter internam facultatem videndi, etiam lumen externum, à quo manifeſtatur objectum. Idemque in voluntate Dei, ac rebus divinis revelandis præſtat verbum Dei, quod lux ſeu lumen, aut illuſtratio objecti præſtat oculis ad res ſenſibiles cernendas. Ideò tam abſurdè dicitur, Scripturas appellari lucem, eò quod mentem illuſtrent cùm intellectæ fuerint, ac ſi diceretur, lucem illuſtrare oculos, cum objectum illuſtratũ viſum fuerit. Nam priùs neceſſe eſt objectum & oculus illuſtrentur à luce, quàm res cernatur: ſic priùs à Scripturâ veluti luce, mens illuſtratur quàm intelligit. Propterea Pſal. 119. 130. cùm dixiſſet aditum verborum Dei illuminare, ſubjungit explicationis causâ, *Intelligere facit ſimplices.* Illuſtrat enim rudes ut intelligant, non autem intelligitur ut illuſtret. Et 2 Cor. 4. 4. Evangelium dicitur illuſtrare quamvis non intelligatur ab infidelibus, ſicut ſol lucet, licet à cæcis non cernatur. *Etiam altera.* *Pſal. 119. 130.* *2 Cor. 4. 4.*

B Ter-

Digitized by Google

Tertiò probatur Scriptura perſpicuitas, ex 2. Cor. 4. 3. 4.

Tertium argumentum ſumitur ex 2. Cor. 4. 3. *Quodſi opertum eſt Evangelium noſtrum, iis qui pereunt opertum eſt, in quibus Deus hujus ſæculi excæcavit mentes, nempe in Infidelibus, ne irradiet eos illuſtratio Evangelii gloria Chriſti.* Unde ſic argumentor.

Evangelium eſt perſpicuum & apertum: Præcipua pars Scripturæ eſt Evangelium: Ergo &c.

. Major patet ex verbis Apoſtoli, qui ait, Evangelium non eſſe opertum, niſi iis qui pereunt, & excæcati ſunt, nempe infidelibus. Prout cæcis ea quæ ſunt lucidiſſima, ſunt operta: adeò ut Evangelium ſit perſpicuum & apertum ſimpliciter ac per ſe, facileque perſpiciatur ab hominibus ſani judicii, & tantùm obſcurum ac opertum ſit ex accidente, & ratione alicujus, nempe eorum quorum judicium eſt excæcatum ac depravatum; ut in primâ noſtrâ hypotheſi dictum eſt. Minor patet: etenim, cum Verbi Dei duæ ſint partes, Lex & Evangelium; nemo dubitat Evangelium eſſe potiorem partem: & præcepta Decalogi, quibus ſumma Legis continetur, facilia eſſe ſuprà faſſus eſt Bellarminus, in quibus explicandis magna pars Scripturæ verſatur

Bellarmini reſponſio refutatur.

Reſpondet Bellarminus ad minorem: Apoſtolum *Evangelii* nomine non intelligere Scripturam, ſed cognitionem & fidem in Chriſtum quam Apoſtoli prædicârunt.

Hîc notandum eſt Bellarm. nomine fidei intelligere doctrinam fidei: alioqui abſurdè Apoſtolus vocaret habitum fidei *Evangelium noſtrum.* Itaque reſpondeo, eandem doctrinam prædicâſſe Apoſtolos & ſcripſiſſe; unde, ſi doctrina ab Apoſtolis prædicata ſit perſpicua, ut fateri cogitur Bellarminus, etiam doctrina ab eis ſcripta erit perſpicua. Neque enim ideò ſcripſerunt Apoſtoli doctrinam ſuam, ut eam obſcuriorem redderent, ſed ut pluribus patefacerent; & poſteris inviolatam propagarent. Et Apoſtolus in verſu præcedente apertè profitetur ſe latebras obſcuritatis fugere, & manifeſtatione veritatis, cum φανερώσει τῆς ἀληθείας ſtudere.

Idque etiam clarius confirmatur ex verbis quæ ſubjungit Bellar-
„ minus in hunc modum. Dixerat Apoſtolus capite ſuperiore hoc
„ eſſe diſcrimen inter Vetus Teſtamentum & Novum, quod in Ve-
„ teri homines non videbant myſteria, Chriſti incarnationem, paſ-
„ ſionem &c. niſi per velamen figurarum & umbrarum: at in novo
„ Teſtam. figuris omnibus jam impletis, revelatâ facie, gloriam
„ Domini ſpeculamur; & non eſt anus nec puer Chriſtianus, qui

non

non ſciat Deum incarnatum, paſſum &c. Ergo (inquam) cùm tam obvia & nota ſint etiam pueris & mulierculis myſteria fidei in Scriptur à Novi Teſtamenti comprehenſa, nunquid hinc etiam ejus perſpicuitas facilè colligetur?

Evangelium lege clarius eſt.

Rom 16. 25. 26. 1. Cor. 2. 7. 10. Eph. 3. 4. 5. 6. 9. Col. 1. 26. 27.

Huc ſpectant omnia iſta loca, in quibus oſtenditur clara revelatio Evangelii ſub Novo Teſtamento, & myſteriorum priùs occultorum, quæ ſcilicet obſcuriùs erant indicata in Veteri Teſtamento, ut Rom. 16. 25. 26. 1 Cor. 2. 7. 10. Eph. 3. 4. 5. 6. 9. Col. 1. 26. 27. Conſtat Novum Teſtamentum in Veteri eſſe velatum, & Vetus Teſtamentum in novo revelatum: adeò ut utrobique eædem res contineantur, ſed diſcrimen ſit in docendi ratione & Revelationis modo, quo novum Teſtamentum, in myſteriis fidei manifeſtandis antecellit Vetus. Idemque diſcrimen non minùs in Scripturâ, quàm in prædicatione utriuſque Teſtamenti, & priùs quidem in illâ quam in hac cernitur. Unde Hieronymus in cap. 44. Ezechielis, quod dicitur Eſaiæ 29. 11. de libro ſignato, & Apoc. 5. de libri obſignati apertione, quem Agnus occiſus aperuit, huc accommodat.

Hieronymus.

Alia reſponſiones Bellarmini refutantur.

„ Reſpondet Bellarminus, diſcrimen Veteris Teſtamenti & Novi „ in hoc conſiſtere, quòd tunc non ſolùm ſententiæ Scripturarum, „ ſed etiam myſteria Chriſtiana non intelligebantur, quæ omnia „ tecta erant figuris. At in novo Teſtamento, quia Chriſtus im„ plevit figuras & Prophetias, etſi multi non intelligant ſententias „ Scripturarum, intelligunt tamen ipſa myſteria redemptionis, etiam „ ruſtici & mulieres.

At (inquam) ſi ipſi etiam ruſtici & mulieres intelligant myſterium redemptionis, intelligunt res omnes neceſſarias ad ſalutem quæ dicuntur in Scriptura Novi Teſtamenti; & ſi intelligant res ipſas in Scripturâ traditas, annon etiam ſententias quæ illas res declarant, in linguâ notâ & familiari ſcriptas aut prolatas, intelligunt? Quaſi verò ubi & res & verba nota ſunt, ignorari poſſit ſententia orationis, niſi ad modum ænigmatis & gryphi proponatur: atqui conſtat, & experientiâ patet, nullam hiſtoriam clariùs & familiariùs narrare quam hiſtoriam Evangelii Chriſti, quantum ad ſalutem ſatis eſt.

Neque verò hoc argumento ſequitur Scripturam Vet. Teſtamenti ſimpliciter & abſolutè eſſe obſcuram, ſed tantùm comparatè ad Nov. Teſtamentum, & ratione certorum myſteriorum in Vet. Teſtamento obſcuriùs, in Novo autem clariſſimè patefactorum. Adeoque, ſi Scriptura etiam Vet. Teſtamenti dicatur lucida, lux, lumen,

lumen, lucerna, ut in præcedenti argumento dictum; quantò magis nunc ſub Novo Teſtamento, totum ſyſtema Scripturæ Propheticæ & Apoſtolicæ in rebus ad ſalutem neceſſariis erit apertum & perſpicuum, poſteaquam quæ in Scripturâ Vet. Teſtamenti fuerunt obſcuriora, nunc illuſtrata ſint ipſo eventu, & concionibus Chriſti, Apoſtolorumque ſcriptis explanata.

,, At inſtat Bellar. Quòd (inquit) ſententia Scripturæ, etiam Nov. ,, Teſtamenti maneat obſcura, patet, tum ex Origene, homil. 12. ,, in Exod. ubi dicit adhuc nunc opus eſſe, ut Agnus de tribu Judæ ,, aperiat libros ſignatos: tum ex Hieronymo, qui in epiſt. ad Paulinum De inſtitutione Monarchiæ, dicit, adhuc manere odii velamen non ſolùm in facie Moſis, ſed etiam in facie Evangeliſtarum ,, & Apoſtolorum; & propterea orandum cum Prophetâ, Revela ,, oculos & conſiderabo mirabilia de lege tuâ, &c.

Reſp. Nihil ex illis Patrum teſtimoniis concludi contra ſententiam noſtram: illi enim non accuſant Scripturæ obſcuritatem, ſed noſtram ignorantiam, negligentiam, & perverſitatem arguunt; ex quâ Scriptura non dicitur per ſe obſcura, ſed ex accidente. Item ad ſalutarem intelligentiam eorum quæ in Scripturis traduntur Spir. Sancti operam neceſſariam affirmant Patres, quam nos ſuprà diximus eſſe extra controverſiam, & hæc ipſa non minùs in prædicatione (quam Pontificii clarum eſſe concedunt) quàm in lectione S. Scripturæ occurrunt. Ideoq; concludimus hoc argumentum cum Apoſtolo, Si Evangelium ſcriptis Apoſtolicis comprehenſum ſit obſcu- ,, rum, his obſcurum eſt qui pereunt; quos Deus hujus ſæculi (nem- ,, pe Satanas) excæcavit, immiſsâ illis efficaciâ illuſionis, ut menda- ,, ciis credant, propterea quod non receperunt amorem veritatis, ,, ut ſalvi fierent. 2. Theſſ. 2. 10.

2. Theſſ. 2. 10.

CAP. III.

De rationibus ex rei propoſitæ naturâ petitis.

Atque hæc è ſacris literis petita teſtimonia ſufficiant: proximo loco ſubjiciemus rationes ex rei propoſitæ naturâ ſumptas; quarum prima hæc eſt.

Ratio 1. Scriptura ſumma eſt perſpicua.

1. Summa totius Scripturæ, quæ conſiſtit in præceptis Decalogi, Symbolo Apoſtolico, Oratione Dominicâ, & Sacramentis, aperta habet

habent teſtimonia in Scripturâ: Ergo Scriptura clara eſt in neceſſariis ad ſalutem. Vice hujus conſequentiæ aliud ſubjungit Bellar. ſcilicet. Ergo tota *Scriptura eſt apertiſſima.* Inde negat conſequentiam,& rationem reddit, *Quia quædam difficilia inveniuntur in Scripturâ*; quod non negamus: itaque hîc peccat ex ignoratione Elenchi.

Sed ſatis firma eſt noſtra conſequentia, quia omnia neceſſaria ad ſalutem continentur in iſtâ ſummâ, quæ in Scripturâ apertè traditur & explicatur.

„ Deinde antecedens negat Bellarminus. Quia (inquit) ſi de his „ tam clara teſtimonia extarent, tum finitæ eſſent omnes controverſiæ. At hæc inepta eſt ratio, quaſi perverſi homines non poſſent controverſias excitare de rebus claris: faſſus eſt antè Bellarminus præcepta Decalogi eſſe intellectu facilia, cùm tamen Pontificii controverſias moveant de ſecundo ejus præcepto, aliiſque capitibus.

Secunda ratio. Si Scripturæ eſſent obſcuræ, nunquam intellectæ fuiſſent à populo Chriſtiano ſine explicatione aut commentariis: At poſterius falſum eſt, Ergo & prius. Major patet; Minor probatur; quia fuit ſine dubio aliquod tempus cùm nulla extarent commentaria in Scripturam. Origenes qui claruit anno 230. primus glaciem ſcidit in enarrandis Scripturis (ut ait beatus Rhenanus in Epiſtolâ præfixa operibus Origenis) qui pleraque in allegoricum ſenſum trahendo, Scripturas magis obſcuravit quàm illuſtravit. Porrò non ſemper, cùm publicè legebantur, adhibebatur explicatio vivâ voce. Falſum eſt autem tum ignotam fuiſſe Scripturam, cùm legeretur. Etenim Deut. 31. 12. mandat Deus legem publicè legi, ut populus audiat, diſcat, & obſervet verba legis: & Apoſtoli ſcripſerunt Epiſtolas, & mandarunt legi Eccleſiis, eodem procul dubio ſine, ut diſcerentur ac intelligerentur quæ ſcripſerunt; atque ideò etiam lectores antiquitùs inſtituti erant in Eccleſiâ, quibus diſertè mandabatur, ut legerent diſtinctè ſacras literas ad plebis ædificationem.

2. Ratio. Initio legebantur, Scriptura ſine omni commentario. Primus commentator Origenes infelix. Deut. 31. 12.

Bellarminus etiam hîc fallaciâ utens ab ignoratione Elenchi, aliam concluſionem noſtro nomine falsò ſubſtituit, quaſi nos commentariorum uſum rejiceremus aut ſperneremus, quod nos ſuprà inter capita non controverſa enumeravimus art. 9. Deinde reſpondet ad confirmationem Minoris, primos Patres, qui continuò poſt Apoſtolos fuerunt, non legiſſe commentaria, quæ nulla erant, ſed audiiſſe tamen viva commentaria, ſcilicet Apoſtolos & eorum diſcipulos, & non ex proprio ingenio Scripturas interpretari voluiſſe.

Bellarmini calumnia.

Digitized by Google

At (inquam) nec omnibus qui legebant Scripturas licebat Apoſtolos eorumque diſcipulos audire, aut iis vacabat ſingulis audientibus explicationes tradere in integros Scripturæ libros: nec authentica erant omnia quæ diſcipuli Apoſtolorum tradidêrunt; nam Apoſtolis adhuc vivis adulterari cœpit Apoſtolica doctrina, ab iis etiam qui ſe eorum diſcipulos profitebantur, Act. 15. & 2. Theſſ. 2. Ita Papias ille, cujus exemplo hîc abutitur Bellarminus, profitetur ſe edoctum fuiſſe à diſcipulis Apoſtolorum; Euſeb. hiſtor. lib. 3. cap. ult. qui tamen Chiliaſtarum errorum auctor eſt, ut ibidem teſtatur Euſebius. Porrò, laudabile erat exemplum Beræenſium Act. 17. ipſorum Apoſtolorum doctrinam explorare, exigendo eam ad Scripturam. Item Apollos dicitur Act. 18. potens in Scripturis qui tantùm ſciebat Baptiſmum Joannis, & nondum Apoſtolos audiverat, aut conſuluerat.

Act. 15. 2. Theſſ. 2.

Act. 17.

Act. 18.

3. Ratio. Scriptura eſt fundamentum Eccleſiaſticarum doctrinarum. Conſtantinus.

Tertia ratio. Si Scriptura S. non eſſet clara in rebus neceſſariis ad ſalutem, tum doctrina Chriſtiana non poſſet inde probari: At poſterius eſt falſum, Ergo & prius. Minor patet, quia Patres & omnes Doctores Eccleſiæ, tùm in concionibus, tùm ſcriptis ſuis, doctrinam ſuam confirmant teſtimoniis Scripturæ, tanquam indubitatis principiis & fundamentis. Sic Conſtantinus Imperator ad Patres Nicenos. „Literarum (inquit) divinitùs inſpiratarum teſtimoniis res in quæſtionem adductas diſſolvamus. Major probatur, quia ex ambiguo & obſcuro nihil probatur, ſicut in genere nihil probatur ex minùs noto aut æquè ignoto, ex ſententiâ omnium Philoſophorum.

Reſponſio Bellarmini refutatur.

Reſpondet Bellarminus, quòd Philoſophi dicunt minùs notum ex magis noto probandum eſſe, id intelligendum non de notitiâ verborum, quæ in perſpicuitate ſententiæ conſiſtit, ſed de notitiâ veritatis rei; nempè, ut, cujus veritas minùs nota eſt, ex eo probetur cujus veritas eſt notior: ſic veritas ſacrarum Scrip. ob auctoritatem divinam, notior eſt quàm ſcriptorum humanorum; licet hæc illis poſſint eſſe verbis clariora. Atqui hæc reſponſio nullius eſt momenti; nam ſi ſententia ſit adeò obſcura, ut ejus ſenſus ignoretur aut incertus ſit; pariter ignoratur & incerta eſt veritas quæ ſub eâ ſententiâ latet: Non dubitatur ob auctoritatem dicentis eam eſſe veram, ſed quid veri contineat, incertum eſt: proinde ex eo nihil probari poteſt, donec de ſenſu ejus conſtet: ideoque ſi quid tale occurrat in diſputando, ſemper liberum eſt reſpondenti dicere *οὐ μανθάνω.*

non

non intelligo ex Ariſt. 8. Top. cap. 3. & cùm res probanda eſt teſtimoniis, certiſſimum eſt nihil probari poſſe obſcuro teſtimonio, quatenùs eſt tale; proinde ex allegorico ſenſu Scripturæ (cùm obſcurus ſit, varius, & incertus) non petuntur argumenta efficacia, ut Scholaſtici docent, & Bellarm. concedit lib. 3. de Verbo Dei, cap. 16.

Quarta ratio à ſtylo. Cujus Scripturæ ſtylus eſt ſimplex & planus, ea eſt perſpicua: At S. Scripturæ, in iis quæ ad fidem & mores pertinent, ſtylus eſt ſimplex & planus: Ergo &c. Major patet. Nam qui obſcurè loqui volunt, ſtylum quoque perplexum & intricatum affectant. Quod ad Minorem attinet, Scripturæ ſtylum dicimus ſimplicem & planum duplici ratione. 1. Quia ſincerus eſt, miniméque fucatus aut operoſus, citra eminentiam orationis aut ſapientiæ humanæ, ut loquitur Apoſtolus 1. Cor. 2. 1. cujuſmodi ſimplicitas decet veritatis ſermonem, ſicut dixit Euripides ἁπλᾶ εἶναι τῆς ἀληθείας λόγον. 2. Quia communis eſt, familiaris, ac omnibus uſitatus; qui, cùm res grandes ac præclaras deſcribit, ad captum legentium ſe attemperat: adeò ut, ob facilitatem & ſimplicitatem ſtyli S. Scriptura Ethnicis & adverſariis veritatis fuerit faſtidio & contemptui. Unde Lactantius divinarum Inſtitut. lib. 6. cap. 21. ait, „ Aſſueti dulcibus & politis, ſive orationibus, ſive carminibus, di„ vinarum literarum ſimplicem communemquè ſermonem pro ſor„ dido aſpernantur. Et paulò poſt. Num igitur Deus, & mentis & „ vocis & linguæ artifex diſertè loqui non poteſt? Immò verò „ ſummâ providentiâ carere fuco voluit ea, quæ divina ſunt, ut om„ nes intelligerent quæ ipſe omnibus loquebatur.

4. Ratio. Stylus Scripturæ clarus eſt.

1. Cor. 2. 1. Euripides.

Lactantius.

Item Cyrillus contra Julianum lib. 7. Reſpondens objectioni, quòd Scriptura vulgatam & protritam habeat dictionem, inquit. „ Ut omnibus eſſent nota, parvis & magnis, utiliter familiari ſermo„ ne commendata ſunt, ita ut nullius captum tranſcendant. *Cyrillus.*

„ Origenes lib. 4. contra Celſum. S. Scriptura pro auditorum „ viribus & utilitate demetitur quæ denunciat. *Origenes.*

„ Hilarius in Pſal. 126. Sermo divinus ſecundùm intelligentiæ „ noſtræ conſuetudinem naturamque ſe temperat, communibus re„ rum vocabulis, ad ſignificationem doctrinæ & inſtitutionis ap„ tatis: nobis enim, non ſibi loquitur, atque ideò noſtris verbis „ utitur in loquendo. *Hilarius.*

„ Sic Auguſtinus lib. 1. de Trin. cap. 12. Nullo loquutionis ge- *Auguſtinus.*

„ nere

,, nere utitur Scriptura, quod in conſuetudine hominum non inve-
,, niatur: quia utique hominibus loquitur.

Non negamus tamen interdum occurrere peculiares S. Scripturæ phraſes, quæ alibi non uſurpantur, ſive ob idiotiſmos Hebraicos, ſive ob rerum circumſcriptionem: quæ tamen ab induſtrio lectore non ita difficulter intelligi poſſunt, quin ex pluribus locis collatis, eorum ſaltem quæ ſunt neceſſaria acquirere queat notitiam. Nec deſunt etiam propria quædam & divina ornamenta orationis in S. Scripturâ, & in ſummâ etiam ſimplicitate verborum relucet incomparabilis majeſtas ſermonis ac ſententiæ.

5. Ratio. Dei finis in Verbo eſt ut ab omnibus intelligatur. Rom. 15. 4. Jo. 20. 2. Tim. 3. 15.

Quinta ratio ſumitur à ſcopo Spir. Sancti, qui, ut potuit, ita & voluit aperte tradere omnia quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria: quippe cui hic finis in ſcribendo fuit propoſitus, ut ex Scripturâ populus ſuus inſtrueretur, crederet, & ſapiens ad ſalutem redderetur. Rom. 15. 4. *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Jo. 20. *Hæc ſcripta ſunt ut credatis Jeſum eſſe Chriſtum illum, filium Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.* 2. Tim. 3. 15. *Sacra litteræ poſſunt te ſapientem efficere ad ſalutem.* At dici non poteſt Sp. Sanctum hunc finem aſſequi, niſi ita perſpicuè in S. Scripturis loquatur, in rebus ſaltem neceſſariis, ut intelligi poſſit. Porrò eo fine ſcripta eſt Scripturâ, ut eſſet regula & norma fidei ac morum. At quod obſcurum eſt, normæ rationem habere non poteſt.

CAP. IV.

In quo idem probatur teſtimoniis Patrum & Adverſariorum.

TEſtimonia Patrum referemus ad iſtas quatuor Theſes, quibus in cap. 1. ſententiam noſtram complexi ſumus.

Auguſtinus.

Prima Theſis diſertè aſſeritur ab Auguſtino, de Doctr. Chriſti.
,, lib. 2. cap. 9. In iis quæ apertè in Scripturâ poſita ſunt, inve-
,, niuntur omnia quæ continent fidem moreſq; vivendi. Item lib. 2.
,, cap. ult. de peccatorum meritis & remiſſione, ait, ſe credere de
,, omni eo quod ſine diſpendio promiſſæ ſalutis ignorari non poteſt
,, clariſſimam eſſe divinorum eloquiorum auctoritatem. Chryſoſto-
,, mus 2. Theſ. hom. 3. Omnia clara ſunt & plana ex divinis Scrip-
turis, quæcunque neceſſaria ſunt, manifeſta ſunt. Itidem Irenæus

Chryſoſtomus, Irenæus.

,, lib. 2.

,, lib. 2. cap. 46. docet, ea quæ ad Religionem ſpectant in ſacris literis apertè & ſine ambiguitate doceri, nec alia dogmata ex para-
,, bolis petenda eſſe. Unde initio capitis 47. ſubjungit. Quod ha-
,, bentes regulam veritatis, & in aperto poſitum de Deo teſtimo-
,, nium, per quæſtiones & parabolas inde abduci non debeamus.

Secunda etiam noſtra Theſis aſſeritur ab Auguſtino de Doctr. *Auguſtinus.*
,, Chriſt. lib. 2. cap. 6. Nihil enim ferè (inquit) de illis obſcuris
,, Scripturis eruitur, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur.
,, Ad hoc teſtimonium tria reſpondet Bellarminus. 1. Non fruſtra
,, Auguſtinum addidiſſe illud (*ferè*) quia quædam reperiuntur ob-
,, ſcuriſſima quæ nunquam in totâ Scripturâ explicantur, ut magna
,, pars Apocalypſeωs, principium & finis Ezechielis. 2. Hoc ipſum
,, eſſe valde difficile inveniri: nimirum, id quod uno loco obſcuriſ-
,, ſimè dictum ſit, ubi nam apertè dicatur: alioqui quomodò dice-
,, ret idem Auguſtinus in Epiſt. 119. cap. 12. ſe plura neſcire quàm
,, ſcire in ſacris literis. 3. Illa loca quæ nobis videntur apertiſſima,
,, alicui alteri fortè videri obſcura.

Nos autem occurrimus primæ reſponſioni: Auguſtinum addidiſſe illud [*ferè*] quia loquitur in genere de omnibus contentis in Scripturâ ſive abſolutè neceſſariis ad ſalutem, ſive non: & licet in genere loquatur, tamen pauciſſima excipi poſſe innuit, cùm ait *nihil ferè.* Alioqui cùm loquitur de iis quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, ſeu quæ ad fidem & mores ſpectant, ait iſta omninò omnia apertè in Scripturis contineri eodem lib. cap. 9. Reliquæ autem duæ reſponſiones nihil ad rem faciunt. Nam etſi difficile eſſet loca obſcura apertis aptare (quod tamen pio & induſtrio lectori non eſt ſemper uſque adeò difficile) tamen hoc ſatis eſt nobis, in apertis locis Scripturæ omnia neceſſaria contineri, & ex obſcuris locis alia dogmata non eſſe eruenda. Et tamen fatemur multò plura in ſacris literis etiam à doctis ignorari quam ſciri: tum quia multa in iiſdem ſunt præter hæc ad ſalutem neceſſaria, tùm quia hæc ipſa ad ſalutem neceſſaria cognoſcuntur tantùm ex parte 1. Cor. 13. & propriè loquendo, *1. Cor. 13.* non ſciuntur ſed creduntur. Cognitio autem perfecta in hac vitâ non eſt neceſſaria ad ſalutem; licet noſtrum ſit quotidiè proficere, & ad perfectionem tendere Phil. 3: 12. 13. 14. Quod autem in ultimâ reſponſione dicit Bellarm. loca manifeſta Scripturæ nonnullis *Phil. 3. 12. 13. 14.* videri obſcura, id hominum ſit vitio, non Scripturæ, ut in primâ hypotheſi dictum eſt.

C Idem

Auguſtinus. Idem Auguſtinus de Doctr. Chriſt. lib. 2. cap. 9. monet, primùm ea quæ apertè poſita ſunt in Scripturis eſſe inveſtiganda, tùm ad ea quæ obſcura ſunt, aperienda & diſcutienda pergendum eſſe, ut ad obſcuriores locutiones de manifeſtioribus ſumantur exempla. Et ,, lib. 3. cap. 26. Ubi (inquit) apertiùs ponuntur, ibi diſcendum eſt quomodo in locis intelligantur obſcuris. Idem de unitate Eccle- ,, ſiæ contra Petilianum cap. 5. Quia in Scripturis (inquit) mul- ,, ta figuratè atque obſcurè poſita ſunt, hoc etiam prædico atque ,, propono, ut quæque aperta & manifeſta deligamus: quæ ſi in ſa- ,, cris Scripturis non invenirentur, nullo modo eſſet unde aperiren- ,, tur clauſa, & illuſtrarentur obſcura. Id quod variè amplificat per ,, totum illud caput. Item cap. 16. Non colligant & commemo- ,, rent, quæ obſcurè vel ambiguè, vel figuratè dicta ſunt, quæ quiſ- ,, que ſicut voluerit interpretatur ſecundum ſenſum ſuum: talia enim ,, rectè intelligi, exponique non poſſunt, niſi priùs ea quæ apertiſ- ,, ſimè dicta ſunt, firmâ fide teneantur.

Chryſoſtomus. ,, Chryſoſt. in Geneſ. hom. 3. Scriptura S. ſeipſum exponit, & ,, auditorem errare non ſinit.

Irenæus. ,, Irenæus lib. 2. cap. 47. Omnis Scriptura à Deo nobis data ,, conſolans à nobis invenietur; & parabolæ his quæ manifeſtè dicta ,, ſunt conſonant, & manifeſtè dicta abſolvent parabolas. Ita vult obſcura loca Scripturæ, quæ parabolarum nomine intelligit, per manifeſta eſſe exponenda, & ad ipſa eſſe exigenda. Sicut & Iſidorus

Iſidorus Peluſiota. Peluſiôtes Chryſoſtomi diſcipulus Epiſt. 38. ait, ex iis quæ ſunt in confeſſo, judicandum de iis quæ in dubio, non contrà.

Baſilius. Baſilius in regulis brevioribus, in reſponſione ad interrogationem ,, 267. ait, quæ ambiguè & obſcurè dici videntur, in quibuſdam lo- ,, cis Scripturæ, clarè explicantur ex iis quæ dilucidè dicta ſunt in ,, aliis locis.

Tertia item Theſis noſtra aſſeritur ab Auguſtino de utilitate cre- ,, dendi cap. 6. ubi ait, Scripturam planè ita eſſe modificatam, ut ,, nemo inde haurire non poſſit quod ſibi ſatis eſt, ſi modò ad hau- ,, riendum devotè ac piè, ut vera Religio poſcit, accedat. Idem in Pſal. 8. Inclinavit Scripturas Deus uſque ad infantium & lactantium capacitatem.

Epiphanius. ,, Epiphanius ad hæreſin 76. Omnia (inquit) clara ſunt in Divinâ ,, Scripturâ, his qui piâ ratiocinatione divinum ſermonem adire ,, volunt; & non diabolicam operationem in ſeipſis conceperunt,

,, ac

Digitized by Google

„ ac ſe ipſos in barathrum mortis conjicere conantur.

Hilarius de Patris & Filii unione. Quantâ potuit Dominus verborum ſimplicitate Evangelicam fidem loquutus eſt, & in tantum ad intelligentiam noſtram ſermones aptavit, in quantum naturæ noſtræ ferret infirmitas, non tamen ut quicquam minus dignum ſuâ majeſtate loqueretur. *Hilarius.*

Huc ſpectant pleraque omnia illa teſtimonia quæ lib. præcedente cap. 6. pro promiſcuâ Scripturarum lectione ex Patribus citavimus.

Quartæ noſtræ theſi conſentaneum eſt quod dicit Hieronymus in Pſal. 86. Scripturas ſacras appellari Scripturas populorum, quia ſcriptæ ſunt & leguntur omnibus populis, ut omnes intelligant. *Hieronymus.*

„ Cyrillus Alexandrinus contra Julianum lib. 7. Scripturæ omnibus notæ, parvis & magnis, nullius captum tranſcendunt. *Cyrillus.*

Clemens Alexandrinus exhortatione ad gentes. Audite qui eſtis longè, audite qui eſtis propè, nullis celatum eſt Verbum Dei, Lux eſt communis omnibus, illuceſcit hominibus, nullus eſt in Verbo Cimmerius, feſtinemus ad ſalutem. *Clemens.*

Theodoretus in argumento Prophetæ Ezechielis. Ubi menti hominis offuſa eſt caligo, idem quod oculi corporis, ipſa ſuſtinet, & alia pro aliis intuetur, vel cum paſſione ſuperante victa nihil omninò videt. In iſtiuſmodi morbum collapſi quidam Scripturam accuſare aggreſſi ſunt, & præcipuè Prophetarum oracula, quaſi obſcuritate operta, contra quos Paulus merito dixit. *Quod ſi opertum eſt Evangelium noſtrum iis qui pereunt opertum eſt.* Et aliquantò pòſt. Nemo igitur, ex iis præſertim qui pietatis ſunt alumni in divinum Spiritum audacter invectus, ejus orationem condemnet obſcuritatis. *Theodoretus.*

Denique (ut alios omittam) Chryſoſtomus tam multis in locis, tam apertè, tam validè, ſententiam noſtram, præſertim quæ in tertiâ & quartâ theſi poſita eſt, aſſerit, urget, confirmat, & amplificat, ut, quæ de hoc argumento ſcripſit, ſi colligerentur omnia, propè integrum volumen conficerent: & quæ nos ex eo fusè citavimus lib. præcedente cap. 6. huc ſpectant omnia. *Chryſoſtomus.*

Ad Bellarmini autem effugia, quibus teſtimonia ejus eludere conatur, quid reſpondendum ſit, patet ex eodem loco.

Poſtremò adverſariorum aliquot confeſſiones ſubjiciemus. Petrus de Alliaco Cardinalis in 2. librum ſententiarum de Novo Te- *Petrus de Alliaco.*

Digitized by Google

„ ſtamento loquens, ait Evangelicam doctrinam eſſe rutilantem ut „ lucernam, quæ per nocturna hujus mundi ſilentia lumen com- „ meantibus exhibet, ne pedem ſuum ad lapidem erroris offendant.

Aquinas. Thomas Aquinas in Summâ par. 1. quæſt. 1. art. 10. Nihil ſub „ ſpirituali ſenſu continetur fidei neceſſarium, quod Scripturæ per „ literalem ſenſum alicubi manifeſtè non tradant.

Acoſta. „ Acoſta Jeſuita lib. 3. de Chriſto Revelato cap. 20. Sunt loca „ Scripturarum alia obſcura, ſunt alia aperta: quæ ad ſalutem ſunt „ neceſſaria, aperta ſunt omnia.

Coſterus. Nec aliena eſt confeſſio Jeſuitæ Coſteri in Enchiridio cap. 1. „ quanquam paulò fortaſſe malignior. Non inficiamur (inquit) „ præcipua illa fidei capita, quæ omnibus Chriſtianis cognitu ſunt ad „ ſalutem neceſſaria, perſpicuè ſatis eſſe Apoſtolicis ſcriptis comprehenſa. Quis igitur auſit dicere inutiliter à Laicis legi Scripturam propter obſcuritatem, cùm ex iis percepturi ſint præcipua Chriſtianæ fidei quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem.

Item Sixtus Senenſis Bibliotheca lib. 6. Annotatione 152. ait eam partem Scripturæ eſſe apertam atque lucidam quæ complectitur ſumma rerum credendarum principia, ac præcipua benè vivendi præcepta & exempla.

CAP. V.

In quo reſpondetur argumentis Adverſariorum.

Bellarminus argumenta ſua, quibus Scripturæ obſcuritatem & difficultatem probat ad quatuor locos revocat: primo loco habet teſtimonia Scripturæ, quorum primum eſt teſtimonium Davidis Pſal. 119. ubi à Deo petit intelligentiam & illuminationem ad Scripturam intelligendam: Reſp. Hoc non arguit Scripturæ obſcuritatem, ſed humanam infirmitatem, & extra controverſiam eſt, ad ſalutarem intelligentiam, etiam perſpicuè dictorum quæ ad fidem ſpectant, nedum obſcuriorum locorum S. Scripturæ, Spir. Sancti illuminationem eſſe neceſſariam. Vide ſupra cap. 1. ad hypotheſin 2. & 3. & articulorum non controverſorum quintum.

Obſcuritatem Scripturæ probat Bellar. 1. ex Pſal. 119. 32.

2. ex Luca 24. & Act. 8. *Secundum* teſtimonium Scripturæ: Chriſtus Lucæ ult. interpretabatur Scripturas ſuis diſcipulis. Et Act. 8. Eunuchus Reginæ Æthiopum dixit ſe non poſſe intelligere quæ legebat in Scripturis abſque Inter-

Interprete, Ergo Scrip. obſcura eſt. Reſp. Negatur conſequentia: quia non ibi ſermo eſt de totâ Scripturâ, aut magnâ ejus parte, ſed de nonnullis particulis. Item, imperitia hominis non converſi, aut minùs exercitati non arguit obſcuritatem Scripturæ, nec ſemper neceſſitas eſt aut uſus interpretationis. Vide Hyp. 1. & 2. & inter articulos non controverſos 1. 2. 6. 7. 8. & 9. Porrò, Luc. 24. 45. Jeſus dicitur aperuiſſe mentem diſcipulorum ut intelligerent Scripturas: malè igitur Scripturis imputatur caligo quæ erat in eorum mentibus. Hieronymus in Epiſt. ad Euſtachium de cuſtodiâ Virginitatis. „Quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam eſſe culpam, ſed Solis. *Hieronymus.*

Tertium teſtimonium Scripturæ: Petrus Epiſt. 2. cap. ult. aſſerit in Epiſtolis Pauli eſſe quædam difficilia intellectu. Reſp. Hinc non ſequitur, neque S. Scripturam in genere, neque Epiſtolas Pauli in ſpecie eſſe ſimpliciter vel abſolutè, aut majore ex parte, aut in neceſſariis obſcuras; etſi quædam in iis occurrant difficilia, quod non negamus. Porrò ex græco contextu apparet, Petrum non dicere aliquam partem Epiſtolarum Pauli eſſe obſcuram, ſed aliquas res de quibus ſcripſit Paulus eſſe difficiles intellectu. Vide quintam noſtram Hyp. & inter articulos non controverſos, tertium. *3. Ex 2. Pet. 3. 15.*

Secundo loco Bellarm. ponit teſtimonia Patrum, & quarto loco teſtimonia noſtrorum, quos Adverſarios appellat: ad quæ non eſt quòd reſpondeamus ſigillatim. Etenim, ſi loca ab eo citata, cum auctorum ſcopo diligenter examinentur, & conferantur cum Hypotheſibus & articulis non controverſis anteà à nobis poſitis, facilè patebit ea noſtræ ſententiæ neutiquam repugnare. Neque ullus Patrum proferri poteſt, qui eam difficultatem Scripturæ S. tribuit, ut proptereà Laïcos (quos vocant) ab eâ legendâ aut audiendâ arcendos diceret. *Reſponſio ad Patres & Proteſtantes.*

Prætereà quòd ex noſtris malâ fide citet nonnulla Bellarminus, quod loca conſulentibus innoteſcet.

Supereſt tertius locus rationem hanc continens: Obſcuritas omnis eſt vel ratione rei tractatæ, vel ratione modi explicationis; ſecundum utramque rationem occurrit obſcuritas in Scripturâ. E. Scriptura eſt obſcura. Reſp. Hanc concluſionem in hoc argumento (ut etiam in præcedentibus argumentis) vel intelligi abſolutè & ſimpliciter vel ſecundum quid: ſi priori modo, fallacia eſt à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter: ſi poſteriore modo (ut reverâ *Rationes Bellarmini pro Scripturarum obſcuritate refutantur.*

non aliter ex illâ ratione in ferri poteſt) fallacia eſt ab ignoratione Elenchi. Nihil enim adverſus nos concludit, quàm quod nos ultro concedimus. Fatemur enim in Scripturâ res arduas ac difficiles tradi; & nonnunquam modum applicationis eſſe difficilem, quâ de re nulla eſt inter nos & Pontificios controverſia, ut patet ex hyp. quinta, & inter articulos non controverſos primo, ſexto, ſeptimo. Quanquam non ferenda ſit Bellarmini hyperbole, qui ait, quo ad modum dicendi, innumerabiles rationes difficultatis eſſe in S. Scripturâ, cùm pauciſſimas aut ipſe aut alii recenſere potuerint.

Ille autem has ſex affert: Primam, quòd in Scripturis occurrant quæ primâ fronte videntur contraria. Secundam, verba & orationes ambiguæ. Tertiam, orationes imperfectæ. Quartam, orationes præ-poſteræ. Quintam, phraſes propriæ Hebræorum. Sextam, Tropi & figuræ. Quæ tamen rationes nec ita frequentes occurrunt, ut propterea Scriptura ſimpliciter obſcura dicenda ſit, nec ubicunque occurrunt, obſcuritatem pariunt, & aliquæ etiam ex iis interdum ad emphaſin & perſpicuitatem faciunt, ut nonnullæ phraſes Hebraicæ, & plerique tropi ac figuræ. Denique, nihil ferè de illis obſcuritatibus eruitur (ut ait Auguſtinus) quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur. Idem cenſeri poteſt de aliis cauſis difficultatisquæ ab aliis adduntur. Cæterùm, quis dubitet tot aut plures ejuſmodi rationes difficultatis occurrere in Conciliorum decretis, & Pontificum reſcriptis, ex quibus volunt Pontificii Scripturæ interpretationem pendêre; Nec non in aliis ſcriptis humanis, & maximè Scholaſticorum, à quibus legendis Laïci non arcentur.

Auguſtinus, Cæterùm huic argumento Bellarmini verba Auguſtini oppono „ in Epiſt. 3. ad Voluſianum. Modus ipſe dicendi, quo ſancta Scri-„ ptura contexitur, quam omnibus acceſſibilis, quamvis pauciſſimis „ penetrabilis! ea quæ aperta continet, quaſi amicus familiaris ſine „ fuco ad cor loquitur indoctorum atque doctorum: ea verò quæ in „ myſteriis occultat, nec ipſa eloquia ſuperba eligit, quò non au-„ deat accedere mens tardiuſcula & inerudita, quaſi pauper ad di-„ vitem: ſed invitat omnes humili ſermone, quos non ſolum mani-„ feſtâ paſcat, ſed etiam ſecretâ exerceat veritate: hoc in promptis, „ quod in reconditis habens. Sed ne aperta faſtidirentur, eadem „ rurſus operta deſiderantur, deſiderata quodammodo renovantur, „ renovata ſuaviter intimantur. His ſalubriter & prava corriguntur, & parva nutriuntur, & magna oblectantur ingenia.

Sic

„ Sic Gregorius præfatione Moralium in Job. cap. 4. Habet in „ publico unde parvulos nutriat, ſervat in ſecreto, unde mentes ſu-„ blimium in veritate ſuſpendat. *Gregorius.*

Quæ cum ita ſint, nemò à ſe alienum putet ſtudium ſacrarum literarum, quod tam ſeriò etiam mulieribus commendat Hieronymus, „ ut in Epiſt. ad Demetriadem virginem. *Hieronymus.*

„ *Unum illud tibi nata Deo, præque omnibus unum*

„ *Prædicam, & repetens iterumque iterumque monebo*

„ ut animum tuum ſacræ lectionis amore occupes. Et ſub finem Epi-„ ſtolæ. Finem (inquit) jungo principio, nec ſemel monuiſſe con-„ tentus ſum; ama Scripturas ſacras, & amabit te ſapientia, dilige „ eam, & ſervabit te, honora illam & amplexabitur te. Item ad „ Celantiam matronam. Sint divinæ Scripturæ ſemper in manibus „ tuis, & jugiter mente volvantur.

CAP. VI.

De generibus ſenſuum Scripturæ.

DE ſenſibus Scripturæ varii ſint Doctorum ſenſus, nos autem ſententiam noſtram breviter explicabimus, unde quid de aliorum opinionibus ſentiendum ſit, facilè patebit.

In Scripturâ duplex omninò reperitur ſenſus verborum, ſimplex ſcilicet & compoſitus: ſimplex eſt, quo verba ſignificant res in quibus ſiſtitur intellectus. *Senſus Scripturæ alius eſt ſimplex, alius compoſitus.*

Compoſitus eſt, quo verba primùm ſignificant res, & res deinde illæ alias res ſignificant & figurant ex inſtituto auctoris. Adeò ut in compoſito ſenſu, duplex ſpectetur ſignum, nempe & vox rei, & res item illa alterius rei: at verborum quoque duplex ſignificatio; prout duplicem habent reſpectum; ſcilicet proximum & immediatum, ad res primò ſignificatas, & mediatum ſeu remotum ad alias res quæ figurantur per eas. *In compoſito duplex eſt ſignum: 1. verba 2. res.*

Atque hic quidem ſenſus compoſitus in omnium typorum & Sacramentorum enunciatione occurrit; ubi externa ſigna enarrantur, quæ ad internas res ſignificatas referuntur. Cujuſmodi ſunt verba illa in cœnâ Dominicâ, *Accipite, edite, bibite ex hoc omnes.* In quibus mandatur participatio, tùm externorum elementorum quæ ſunt ſigna viſibilia, tùm rei ſignificatæ inviſibilis, nempe Corporis & Sanguinis Chriſti.

In

Digitized by Google

In V. Teſtamento ſenſus compoſitus eſt frequens, in Novo rarus.

In veteri Teſtamento plurima fuerunt ejuſmodi Sacramenta & typi quibus Chriſtus venturus & ejus beneficia (ut nihil interim de aliis dicam) adumbrabantur: quibus omnibus abolitis, Chriſtus duo tantùm Sacramenta in Nov. Teſtamento ſubſtituit. Ita fit, ut ejuſmodi ſenſus compoſitus in Vet. Teſtamento occurrat frequentiſſimè, in Novo autem rariſſimè.

In ſenſu compoſito typi aliquando habent uſum, etiam abſolutū, aliquando tantùm relativum.

Typi autem & Sacramenta ejuſmodi in Scripturâ occurrentia ſunt duûm generum: alia enim tantùm tranſlata ſunt à communi uſu ad novam ſignificationem, per novos ritus in eum ſolum finem inſtitutos, ut ceremoniæ & ſacrificia legis, & Sacramenta Nov. Teſt. alia in ipſo uſu & exercitio communi, ut Arca Noæ, diluvium, manna, petra in deſerto, terra Canaan, mons Sion; quorum omnium, in ipſo communi uſu ſpiritualis etiam erat ſignificatio. Sicut & promiſſiones & benedictiones temporales variæ in Veteri Teſt. ſigna quoque erant ſpiritualium & ætèrnorum bonorum. Ejuſmodi etiam typi fuerant Chriſti, Joſeph, Moſes, Joſua, Samſon, David, & alii in variis actionibus in quibus Chriſtum repræſentabant.

In utroque genere cernitur ſenſus compoſitus, ſed in poſteriore maximè apparet: veluti in narrationibus, ſeu hiſtoriis quæ ſpectant ad ejuſmodi res aut perſonas. Ratio eſt, quia in priore genere omnes ritus ſignorum tantùm inſtituti ſunt propter ſignificationem myſticam; nec alium uſum habent. At in poſteriore genere actionum, factorum, & exercitiorum, uſus eſt etiam abſolutus, citra accedentem typicam ſignificandi rationem conſideratus. Quò reſpi-

Gregorius.

,, ciens Gregorius magnus in expoſitione Moralium lib. 20. cap. 1.
,, ait S. Scripturam, ipſo locutionis ſuæ more, ſcientias omnes atque
,, doctrinas tranſcendere; quia uno eodemque ſermone, dum nar-
,, rat geſtum, tradit myſterium: & ſic ſcit præterita dicere, ut eo
,, ipſo noverit futura prædicere.

Poëtarum mythologica & Hieroglyphica Ægyptiorum alterius erant generis à myſteriis divinis.

Fateor ſimile quid aliquo modo in poëtis occurrere, ſub quorum fabulis mythologia latet, unde Plutarchus in libro de audiendis poëtis omnes ὑπονοίας olim vocatas fuiſſe, occultos ſenſus qui ſub fabulis latuerunt. Quibus conſentanea ſunt quæ intelliguntur in ſymbolis & hieroglyphicis Ægyptiorum.

Maxima tamen eſt differentia inter iſtos occultos ſenſus humanos, & myſticos hos divinos. Aliud enim eſt adducere confictas narrationes more poëtarum, vel etiam ſymbola rerum ad res majores ſignificandas more Ægyptiorum: aliud, quod facit Deus in

Scrip-

Scripturâ, ita diſponere verè geſta ut ſigna ſint futurorum: adeò ut per hiſtoriam rerum, quæ inter homines acciderunt, myſteria denotaverit, quæ multis pòſt annis eventura erant; id quod unius Dei proprium eſt.

Ubicunque autem, ob rerum typicam ſignificationem hic compoſitus ſenſus occurrit, in eo duo ſenſus, ex quibus conflatur, diſtingui ſolent; quorum alter appellatur literalis, ſeu grammaticus: quia immediatè per literas ſeu voces grammaticâ ratione ſpectatur, ſive propriè ſive figuratè ſpectentur. Idem dicitur hiſtoricus, quia, cùm (ut dictum eſt) ſenſus compoſitus in hiſtoriis V. Teſtamenti maximè ſpectetur, hiſtoricus ſenſus dicitur, quia pertinet ad hiſtoriam, ſeu externam narrationem rerum geſtarum. Alter appellatur myſticus, παρὰ τὸ μύειν ab occludendo: quia reverâ in priori ſenſu latet, & clauditur. Dicitur & ſpiritualis; quia cùm literalis ſenſus verſatur in rebus externis & corporeis, hic ad res ſpirituales quæ ad ſpiritualem noſtram vitam ſpectant, refertur.

Compoſitus ſenſus conflatur ex duobus, literali ſeu grammatico vel hiſtorico: & myſtico ſeu ſpirituali.

Atque hæc quidem differentia ſpectatur cùm concurrunt hi ſenſus. Cæterùm hinc ortum eſt, ut in genere, ſenſus Scripturæ in has quaſi duas ſpecies diſtinguatur, adeoque ut ſimplex ſenſus omnis etiam dicatur literalis: quanquam ſi voces ſpectes, minùs appoſitè contra diſtinguitur à ſpirituali, cùm literalis ſenſus in Scripturis ſæpiſſimè occurrat maximè ſpiritualis. Verùm ex ſuperiore conſideratione proculdubio petita eſt origo hujus diſtinctionis, quam in genere ſpectantes huc confugiunt, ut ſpiritualem dicant ſenſum ἀναλογῶς, quia latet ſub rebus, quæ ſunt typi, ſicut ſpiritus latet ſub corpore.

An literalis ſenſus rectè opponatur ſpirituali.

Literalem ſenſum ſubdividunt in proprium & figuratum. Etenim literalis ſenſus eſt, quicunque vocibus, ſecundum communem uſum loquendi denotatur, ſive in nativâ proprietate retineantur, ſive transferantur à primævâ ſignificatione in aliam. Atque ita etiam ſenſus parabolarum & apologorum, ſub literali ſenſu includitur, ut docent Thomas in Summæ primâ par. qu. 1. art. 10. & Alphonſus de Caſtro contra hæreſes lib. 1. cap. 3. & alii. Eſt enim parabolarum ſenſus non in cortice verborum ſpectandus (alioqui daretur falſus ſenſus in Scripturâ) ſed ex ſcopo dicentis. Quanquam aliquando à nonnullis ſtrictiùs ſumatur literalis ſenſus pro proprio ſenſu, prout in tropicâ locutione diſtingui ſolet τὸ ῥητὸν καὶ διάνοια: quibus τὸ ῥητὸν & literalis acceptio eadem eſt.

Senſus figuratus parabolarum eſt literalis.

Aquinas.

à Caſtro.

In tropo eſt τὸ ῥητὸν & ἡ διάνοια.

Digitized by Google

Senſus myſticus allegoricus.

Senſus myſticus ſubdividitur à Scholaſticis in tria genera; nempe allegoricum, tropologicum, & anagogicum. Allegoricum vocant (inquit Bellarm.) cùm verba Scripturæ præter literalem ſenſum ſignificant aliquid in N. Teſtamento quod ad Chriſtum vel Eccleſiam pertineat; quomodo Abraham, qui reverâ ad literam, duas habuit uxores, unam liberam, & unam ancillam; & duos filios Iſaac & Iſmael, ſignificavit Deum autorem duorum Teſtamentorum; & Patrem duorum populorum, Iſraëlitarum ſcilicet & Gentium, ut Apoſtolus explicat Gal. 4. Tropologicum appellant, cum verba aut facta referuntur ad aliquid ſignificandum, quod pertineat ad mores, quomodo illud Deut. 25. *Non alligabis os bovi trituranti*, quod intelligitur ad literam de veris bobus; ſignificat etiam ſpiritualiter, non prohibendos eſſe concionatores quin victum accipiant à populo, ut Apoſtolus explicat, 1. Cor. 9. Anagogicum vocant, cum verba aut facta referuntur ad ſignificandam vitam æternam: quomodo illud Pſalmi 95. *Quibus juravi in irâ meâ, ſi introibunt*; quod ad literam intelligitur de terrâ promiſſionis, ſpiritualiter etiam refertur ad vitam æternam, ut Apoſtolus explicat Heb. 4.

Gal. 4. Tropologicus. Deut. 25. 1. Cor. 9. Anagogicus. Pſ. 95. Heb. 4.

Confunduntur à Patribus.

Verùm hæc diſtinctio non eſt obſervata à Patribus, (ut notat etiam hîc Bellarm.) qui omnem myſticum ſenſum interdum vocant allegoriam: & allegoriam & anagogiam, ac nonnunquam etiam tropologiam confundunt; & certè ſenſus non diſtinguendi videntur ex varietate rerum ſignificatarum, quæ propè infinita eſt; ſed ex variis ſignificandi modis. Atque illa eadem varietas rerum ſignificatarum non minùs pertinet ad literalem ſenſum quàm ad myſticum; cum in illo non minùs, quam in hoc diſtingui poſſint alia quæ pertinent ad Chriſtum & Eccleſiam, alia quæ ad mores, alia quæ ad vitam æternam. Adde, quod ineptè definiant allegoricum ſenſum, cùm verba præter literalem ſenſum ſignificant aliquid in N. Teſt. pertinens ad Chriſtum & Eccleſiam, vel (ut Thomas in 1. par. Summæ qu. 1. art. 10.) cum ea quæ ſunt Veteris legis ſignificant ea quæ ſunt novæ legis: quandoquidem allegoricum in ipſa novâ lege, ſeu N. Teſtamento occurrere agnoſcit hic quoque Bellarminus.

Aquinas.

Allegoria Rhetorica, ſpectat ad ſenſum literalem non myſticum.

Notandum eſt etiam vocem ἀλληγορίας eſſe ambiguam: nam aliquando ſignificat figuram Rhetoricam; aut potiùs troporum continuationem, vel multiplicationem, atque ita ad literalem ſenſum ſpectat: aliquando ſignificat myſticum ſenſum, aut in genere aut in ſpecie denotatum, prout accepit Apoſtolus Gal. 4. 24. & ſæpè à Patri-

Digitized by Google

Patribus pro myſtico ſenſu in genere intelligitur, itidemque à nobis hîc accipitur.

Allegorica accommodatio differt ab allegorico ſenſu.

Porrò hîc diſtinguendum eſt inter allegoricum ſenſum Scripturæ, & allegoricam ejus accommodationem. Etenim allegorica accommodatio latiùs patet quàm allegoricus ſenſus, cùm nonnullæ ſententiæ Scripturæ, quæ nullum habent allegoricum ſenſum, poſſint tamen allegoricè accommodari aliî argumento; ſi modò parcè, modeſtè, & prudenter fiat. Allegoricus ſenſus omnis Typicus eſt, nec alibi quàm in Sacramentis & typis locum habet, quâ appellatione intelligimus omnia externa rerum ſymbola in ſacris uſurpata, quibus aliæ res ſignificantur. Allegorica autem accommodatio loci poteſt eſſe, ubi nulla habetur ratio typi, ſed ubi dictum, aut ſententia aliqua, propter ſimilitudinem transfertur ad argumentum aliquod ſpiritualius, ſive ſpectet ad doctrinam, ſive mores, licet id ſignificare non intendat eo locò Sp. Sanctus. Sic quod Deut. 25. 4. vetat Deus bovi trituranti os obligari, accommodat Apoſtolus ſuſtentationi miniſtrorum 1. Cor. 9. Sic quod Pſal. 19. 5. ex interpretatione 70 Interpretum dicitur, ***in omnem terram exivit ſonus eorum***, accommodat prædicationi Apoſtolorum Rom. 10. 18, Pugna Davidis quâ ſuperavit Goliam, ut transferri poteſt ad victoriam Chriſti quâ ſuperavit Diabolum, quia David fuit typus Chriſti; ſic etiam accommodari poteſt ad luctam quâ debellamus perturbationes noſtras, quæ Giganteo more nobis reluctantur.

Deut. 25. 4. *1. Cor. 9.* *Pſal. 19. 5.* *Rom. 10. 18.*

Multiplex eſt Scriptura accommodatio manente eodem ſenſu literali. Auguſtinus.

Atque ut diſtinguendum eſſe dixi inter allegoricum ſenſum Scripturæ, & allegoricam ejus accommodationem; ita ſciendum eſt, variis aliis modis accommodari poſſe Scripturam, manente eodem ſenſu literarum. Cujus generis aliquot attigit Auguſtinus in lib. de uti-„ litate credendi cap. 3. Omnis (inquit) Scriptura, quæ V. Teſta-„ mentum vocatur, diligenter eam noſſe cupientibus, quadrifariam „ traditur: ſecundum hiſtoriam, ſecundum ætiologiam, ſecundum „ analogiam, & ſecundum allegoriam.

Advertendum eſt, non dicere hîc Auguſtinum (ne quis erret) quatuor hos eſſe ſenſus Scripturæ, ſed his quatuor modis tradi Scripturam (quibus & alii quoque addi poſſunt) ſignificans varias tractandi rationes, quas licet ille in Vet. Teſtamento, pro inſtituti ſui ratione ſpectet (agens ſcilicet contra Manichæos) qui Vet. Teſtamentum maximè improbabant, nihil tamen vetat eaſdem etiam in Nov. Teſtamento ſpectari.

„ Secundum hiſtoriam (inquit) traditur Scriptura, cum docetur „ quod ſcriptum & quod non geſtum, ſed tantummodò ſcriptum „ quaſi geſtum. 2. Juxta Ætiologiam, cùm oſtenditur quid, quâ de „ causâ vel dictum vel factum ſit. 3. Secundum Analogiam, cùm „ tantum Veteris Noviſque Teſt. ratio ſeu conſonantia monſtratur. „ 4. Secundùm Allegoriam, cùm docetur non ad literam accipien„ da eſſe quædam quæ ſcripta ſunt, ſed figuratè intelligenda.

Senſus omnis myſticus cum literali conjungitur, & in eo fundatur.

Ex dictis patet nullum myſticum ſive allegoricum ſenſum reperiri ſine literali: quoniam ubicunque occurrit, ſenſus eſt compoſitus, ut dictum eſt. Idque etiam Pontificiorum doctiſſimi coguntur agnoſcere: nam Thomas 1. par. Sum. qu. 1. art. 10. ait myſticum ſenſum ſeu ſpiritualem fundari ſuper literalem, eumque præſupponere. Et Bellar. definit Allegoricum ſenſum, cùm Scriptura præter literalem ſenſum ſignificat aliquid in N. Teſtamento ſpectans ad Chriſtum & Eccleſiam. Præclarè Hieronymus in cap. 13. Eſaiæ. Spiri„ tualis interpretatio ſequi debet ordinem hiſtoriæ, quod plerique „ ignorantes, lymphatico in Scripturis vagantur errore. Et Augu„ ſtinus Serm. 23. de tempore. Ante omnia fratres, hoc in nomine „ Domini, & admonemus quantum poſſumus & præcipimus, ut, „ quando auditis exponi Sacramentum Scripturæ narrantis quæ ge„ ſta ſunt, prius illud quod lectum credatis ſic geſtum quomodo le„ ctum eſt, ne ſubtracto fundamento rei geſtæ, quaſi in aëre quæratis ædificare. Itaque peſſimè Scripturam interpretantur qui allegoricos ſenſus comminiſcuntur, præſertim in Scripturis, neglecto, aut etiam excluſo literali ſenſu, cum ille ſine hoc conſiſtere nequeat, & omninò primò inveſtigandus & cognoſcendus ſit.

Aquinas. Bellarminus. Hieronymus. Auguſtinus.

Illa non accipiuntur literaliter in quibus non ſiſtitur in literâ. Auguſt. explicatur.

Nec obſtat, quòd Auguſtinus in verbis nuper citatis ait Scriptu„ ram tradi ſecundum Allegoriam, cùm docetur, non ad literam „ accipienda eſſe quædam quæ ſcripta ſunt, ſed figuratè intelligenda. Cùm enim ait, quædam ad literam non eſſe accipienda; id intelligendum eſt, non abſolutè ſed comparatè, non quod literalem ſenſum excludat, ſed ut oſtendat in eo non eſſe ſiſtendum aut acquieſcendum, velut in cortice aut putamine, donec interiorem ſenſum velut nucleum guſtemus, ut patet ex exemplis ibidem allatis. Alioqui ſi Allegoria accipiatur Rhetoricè, & litera pro proprio ſenſu, verum eſt abſolutè, quædam non omninò ad literam accipienda eſſe, id eſt, propriè; ſed tantùm figuratè vel tropicè: nempe quæcunque, ſi accipiantur ut ſonant, vel falſum aliquid, vel flagitioſum,

vel

vel indignum continent. Sic Auguſt. de doctr. Chriſt. lib. 3. c. 16. „ Si (inquit) præceptiva locutio flagitium aut facinus videtur jubere, „ aut veritatem, aut beneficentiam vetare, figurata eſt: ut Joh. 6. di- „ citur, *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & ſanguinem ejus bi-* „ *beritis, non habetis vitam in vobis.* Facinus vel flagitium videtur jube- „ re: figura eſt ergo, præcipiens Paſſione Domini eſſe communi- „ candum, & ſuaviter atque utiliter recondendum in memoriâ quòd „ pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata ſit.

Interim diligenter diſpiciendum eſt in explicatione variorum locorum V. Teſtamenti, an ſub involucro typorum, an verò expreſſis oraculis, literaliter de Chriſto intelligendis, myſteria tractentur. Ratio eſt, quia Prophetæ ſolent interdum à typo ad antitypum, à re corporeâ ad ſpiritualem ſubitò tranſire, & cum de aliis rebus ſermo ipſe ſit, ad Chriſtum Scripturæ nucleum ſe convertere: deque eo non ampliùs ſub involucro typorum, ſed expreſſis verbis prophetare. Cujus rei plurima extant exempla in Pſalmis, apud Eſaiam, & alios Prophetas. Sic verba illa Pſal. 2. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* & Pſ. 16. 10. *Non derelinques animam meam apud inferos, nec ſines Sanctum tuum vidère corruptionem.* Et Pſal. 110. 1. *Dixit Dominus Domino meo, ſede ad dextram meam,* ſententia non intelligenda eſt typicè, ſed de ſolo Chriſto literaliter ex auctoritate Chriſti & Apoſtolorum Act. 2. 25. ad 37. Act. 13. 33. 35. &c. Heb. 1. 5. 13. Mat. 22. 4. Mar. 12. 26. Luc. 20. 41.

Aliquando Prophetæ non ſub typis ſed expreſſis oraculis literaliter intelligendis de Chriſto agunt.

Pſal. 2. 7. & 16. 10. Pſ. 110. 1.

Act. 2. 25. & 13. 33. 35. Heb. 1. 5. 13. Mat. 22. 4. Mar. 12. 26. Luc. 20. 41.

Deinde obſervandum eſt, in Scripturâ tradendâ per allegorias, magnam adhibendam eſſe prudentiam, ne promiſcuè in quibuſlibet quæramus allegorias. Quo nomine Hieronymus Origenem ſæpiſſimè reprehendit, quod allegorias ubique inquirat: & quidem ita, ut hiſtoriæ veritatem ſæpè tollat: ut videre eſt in epiſt. ad Avitum & in epiſt ad Pammachium, & alibi. Hæc per allegorias interpretandi licentia maximè labefecit auctoritatem Scripturæ: nam & Prophyrius hoc nomine riſit doctrinam Chriſtianam; & dixit eam nihil habere certi. Equidem omninò puto allegoricum ſenſum vix, ac ne vix quidem unquam adhibendum eſſe, niſi ejus rei certa conſtet ratio ex ſacris literis, præſertim cùm omnes typi V. Teſtamenti tanquam jam conſummati in N. Teſtamento explicentur. Deinde & allegoricis accommodationibus parcè, piè, ſobriè, appoſitè, graviter utendum; ſervatâ ſemper analogiâ ad literalem ſenſum, ad ornatum potiùs quàm ad neceſſitatem, & ad delectandum magis quàm ad

Origenes in allegorico ſenſu nimius & ridiculus Porphyrius.

ad urgendum, aut convincendum. Idem ſtatuendum de alluſionibus quibuſcunque, quibus verba Scripturæ præter ſenſum loci, etiam citra allegoriam aliis rebus accommodantur.

Theologica ſymbolica quando argumentativa & quãdo non. Bellarminus.

Poſtremò obſervandum eſt, quod docet Bellar. in hoc loco, & de quo ait convenire inter nos & adverſarios, ex ſolo literali ſenſu peti debere argumenta efficacia: nam eum ſenſum qui ex verbis ,, immediatè colligitur, certum eſt eſſe ſenſum Sp. Sancti. At ſenſus ,, (inquit) myſtici & ſpirituales varii ſunt: & licet ædificent, cùm ,, non ſint contra fidem aut bonos mores, tamen non ſemper con- ,, ſtat, an ſint à Sp. Sancto intenti.

Atqui hîc diſtinctione opus eſt, quam & conſideravit Bellar. lib. 2. ,, de gratia & lib. arb. Quamvis (inquit) ex myſtico ſenſu non ſoleat ,, fieri ſolidum argumentũ ad probanda dogmata fidei: tamen cum ,, myſticus ſenſus in ipsâ Scripturâ exponitur, ſolidiſſimum argu- ,, mentum conficitur: illa enim expoſitio myſtici ſensûs Scriptu- ,, ræ V. Teſtamenti non eſt myſtica ſed literalis ſententia Scripturæ N. Teſtamenti. Ita profectò myſticorum ſenſuum firma eſt auctoritas, & in argumentando neceſſitas, ſiquidem à Sp. Sancto intenti ſunt, & ad ſenſum literalem reducuntur, cùm literaliter in Scripturâ explicantur. At myſticarum accommodationum vis exigua eſt in argumentando, & auctoritas infirma, quia magnâ ex parte ab humano ingenio pendent. Huc ſpectans Hieronymus in Mat. cap. 13. docet fidei dogmata ex myſticis acceptionibus non poſſe efficaciter probari. Et Aug. in epiſt. 48. ad Vincentium, & in lib. de Unitate Eccleſiæ c. 14. & alibi meritò reprehendit & ridet Donatiſtas, qui ex illis verbis in Cantico Canticorum c. 1. v. 7. *Indica mihi ubi paſcas, ubi cubes meridie?* colligebant Eccleſiam Chriſti in ſolâ Africâ re- ,, manſiſſe. Quis non impudentiſſimè (inquit in illâ epiſt.) nitatur ,, aliquid in Allegoriâ poſitum pro ſe interpretari, niſi habeat & ma- ,, nifeſtiſſima teſtimonia, quorum lumine illuſtrentur obſcura. Et in iſto libro monet ejuſmodi argumenta, quæ figurarum velaminibus involuta ſunt, in diſputatione ſeponenda eſſe, quippe ex quibus nihil certi colligitur. Thom. in 1. par. Sum qu. 1. art. 10. ait ex ſolo literali ſenſu trahi poſſe argumentum, non autem ex his quæ ſecundum allegoriam dicuntur. Non tamen ex hoc (inquit) aliquid de- ,, perit S. Scripturæ, quia nihil ſub ſpirituali ſenſu continetur fidei ,, neceſſarium; quod Scriptura per literalem ſenſum alicubi manifeſtò non tradit. Similia tradit Alphonſus de Caſtro contra hæreſes lib. 1. cap. 3.

Hieronymus.

Auguſtinus.

Thomas.

à Caſtro.

cap. 3. Sixtus Senenſis Bibliothecæ lib. 3. initio, & alii multi Pontificii. Pererius Jeſuita in Geneſin lib. 1. Senſus (inquit) myſti-,, cus, & allegoricus, præterquam quòd non eſt ad docendum quip-,, piam probandumque ſatis idoneus & firmus; eſt etiam varius,,, multiplex & incertus, tantaque in varietate conſtitutus, quanta ,, eſt hominum ad eos ſenſus fingendos ſolertia. Unde vulgatum eſt illud inter Scholaſticos, Symbolica & metaphorica Theologia non eſt argumentativa. *Senenſis.* *Pererius.*

Nihilominùs tamen adverſarii (licet eorum doctiſſimi hoc documentum agnoſcant) in praxi ſæpiſſimè ſecùs faciunt. Bonifacius 8. Papa in bullâ iſta extravagante *Unam ſanctam* tunc factâ, cùm aſſereret Philippum Pulchrum Galliæ regem ſibi ſubeſſe in temporalibus, probat in poteſtate Eccleſiæ ſeu Papæ, duos eſſe gladios, videlicet ſpiritualem & temporalem; quia Apoſtoli Luc. 22. 38. dixerunt. *Ecce duo gladii hic.* Et probat gladium temporalem eſſe in poteſtate Papæ, quia Chriſtus dixit Petro, *Converte gladium tuum in vaginam:* tum probat unicum eſſe rerum omnium caput, nempe Romanum ,, Pontificem ſcilicet. Fingere (inquit) duo principia falſum & hæ-,, reticum judicamus, quia teſtante Moſe Gen. 1. 1. non *in principiis*, ,, ſed *in principio creavit Deus cælum & terram.* Sic Innocentius tertius ,, abutitur loco Geneſ. 1. 14. *Creavit Deus*; Solem (inquit) id eſt ,, Papam, & Lunam, id eſt, Imperatorem: at Sol magnitudine ſuperat lunam, Ergo Papa Imperatorem. Item mandato illo Chriſti, quod dedit Petro Joan. ult. *Paſce oves meas*, Bonifacius ibidem, & omnes Pontificii Doctores abutuntur ad omnimodam poteſtatem Papæ aſtruendam; & Cardinalis Baronius in epiſt. quâ Papam in Venetos incitat, ut magnum ſcilicet pondus addat huic argumento, obſervat non tantùm dictum eſſe Petro *Paſce oves meas*, Joan. ult. ſed & *Occide & manduca* Act. 10. Sacrificium Miſſæ Bellar. de Miſsâ lib 1. cap. 6. & alii probant ex Geneſ. 14. 18. ubi Melchiſedec occurrens Abrahamo dicitur protuliſſe panem & vinum. Et infinitæ aliæ hujus generis allegoricarum argumentationum nugæ occurrunt in ſcriptis Pontificiis. *Allegorica argumenta Pontificiorum ridicula.* *Luc. 22. v. 38.* *Innocentius 3.* *Gen. 1. 14.* *Baronius.* *Ioan. ult.* *Act. 10.* *Bellarminus.* *Gen. 14. 18.*

CAP.

CAP. VII.

Num in Scripturâ plures dentur ejuſdem loci ſenſus literales.

Aſſerunt plerique Pontificii dari unius loci varios ſenſus literales proximos, non ſubordinatos tantùm ex quibus unus compoſitus oritur.

HIs præmiſſis tranſeamus ad quæſtionem elucidandam, *Utrum in Scripturâ plures dentur ejuſdem loci ſenſus literales proximi*, nam extra controverſiam eſt dari in variis locis Scripturæ plures ſenſus ſubordinatos, ex quibus oritur unus ſenſus compoſitus, de quo in ſuperiori capite dictum eſt. Bellar. ait non eſſe improbabile, plures literales ſenſus in eâdem ſententiâ reperiri. Alii ex Pontificiis id confidentiſſimè aſſerunt, ut Thomas, Lyranus, Abulenſis, Canus, Driedo, Salmeron, Alphonſus de Caſtro, & Aſorius. Hic Inſtitutionum moral. lib. 8. ait hanc eſſe communem Theologorum ſententiam: non deſunt tamen inter Pontificios (teſte Aſorio ibidem) qui contrà aſſerunt, nobiſque conſentiunt, qui uniuſcujuſque loci unicum literalem & proximum ſenſum agnoſcimus. Id quod his argumentis probamus.

Unius rei non ſunt plures formæ proximæ & adæquatæ.

1. Unius rei unica eſt forma proxima: At ſenſus eſt vocis & orationis forma: Ergo unius vocis & orationis eſt unus ſenſus proximus; Hoc argumento non evertitur duplex ille ſenſus; nempe literalis & myſticus, unde ſenſus compoſitus oritur. Nihil enim vetat dari plures formas ſubordinatas, ex quibus oritur una integra forma, ſed plures dari proximas aut adæquatas, abſurdum eſt. Ac proinde ab omnibus Philoſophis oratio aut enunciatio multa cenſetur, quæ plures habet ſignificationes proximas.

2. Omnis ſententia cujus plures intenduntur ſenſus immediati ab auctore, eſt fallax: At nulla ſententia Scripturæ eſt fallax. Ergo, &c.

Oratio multorum ſenſuum ambigua eſt & fallax.

Minorem nemo negabit: Major patet inductione & exemplis: quia præcipuæ loci fallaciæ ſunt à pluribus ſenſibus: ut fallaciæ ab Homonymiâ, Amphiboliâ, Compoſitione, Diviſione, & à multis Interrogationibus. Fieri quidem poteſt, ob penuriam vocabulorum & inſcitiam propriam, ut ſæpè fallantur ab ambiguitate orationis lectores vel auditores præter auctoris ſcopum. Sed plures ſenſus immediatos intendere ſemper ſophiſtarum proprium habitum fuit. Contrà, omnis vir honeſtus in omni ſermone, & omnis qui benè docet,

Digitized by Google

docet, in univerſâ doctrinâ, quantum poteſt ab ambiguitate vocum & orationis cavet; ſaltem ſub eâdem dictione plures ſenſus nunquam intendit. Quantò magis hoc vitium affectatæ ambiguitatis orationis, aut multiplicitatis ſenſûs à Sp. Sancto abeſt. Quò ſpectat „illud Lactantii lib. 6. Inſtit. cap. 21. Num Deus & mentis & vocis & linguæ artifex diſertè loqui non poteſt? Nam qui poteſt cenſeri diſertè loqui, cujus ſenſus eſt varius & incertus? Atque hoc ipſo æquum eſt ſecerni divina eloquia ab Archiſophiſtæ illius & antiqui veteratoris Diaboli oraculis præſtigioſis & fallacibus: quod, ut hæc ſunt multiplicia, incerta & ambigua, ita hæc ſimplicia, certa, rata, & indubitata ſunt omnia. At incerta eſt omnis oratio quæ non habet unam certam ſententiam. *Lactantius.*

Qui contrà ſentiunt his potiſſimùm utuntur rationibus. *Pontificiorum argumenta refutantur.*

1. Quia Deus qui Scripturæ auctor eſt, ut omnia ſimul intellectu ſuo comprehendit, ita eodem verbo plura poteſt ſimul ſignificare. Reſp. malè procedere argumentum â potentiâ Dei ad actum; multa poteſt Deus quæ non vult. Deus in verbo ſuo nos alloquitur, non accommodatè ad intellectum ſuum, ſed ad noſtrum; non quantâ ipſe poteſt facunditate & majeſtate, ſed quanta convenit noſtro modulo & uſui. Neque benè procedit analogia ab intellectu Dei, aut verbo ejus interno ad verbum externum: alioqui ſic liceret arguere: ut Deus infinita intellectu ſuo ſimul comprehendit, ita infinita ſignificata verbo externo complectitur, quod abſurdiſſimũ eſt. *1. A. poſſe non ſequitur eſſe.*

2. Quia varia ſunt loca Scripturæ obſcura, quæ Deus ex inſtituto difficilia reddidit, ut inde plures ſenſus educerentur, & quibus ſancti Patres plures literales ſenſus aſſignârunt, qui æquè omnes quadrare poſſunt. Reſp. Temerè & audacter aſſeritur, Dei inſtitutum fuiſſe ut plures ſenſus educerentur: hec ex varietate interpretationum colligitur varietas veri ſenſûs Scripturæ, ſed varietas de ſenſu opinionum, quæ interdum non modò diverſæ, ſed etiam contrariæ apud Patres occurrunt, ut non poſſint ſimul conſiſtere. Neque verò ſatis eſt, ut vera ſit interpretatio, ſi veram contineat ſententiam, niſi aperiat mentem auctoris in iſto loco, quam conſtat Patres non ſemper attingere: ita ſit, ut quædam Patrum expoſitiones ab aliis Patribus, & à recentioribus etiam Pontificiis identidem, rejiciantur. Magni quidem Patres æſtimandi ſunt doctrinæ & pietatis nomine; ſed ut homines, à quibus labi & errare non eſt alienum. Unde præ„clarè Auguſtinus epiſt. 19. Alios (inquit) præter canonicos ſcrip- *2. Varietas interpretationũ probat varietatem opinionum non ſenſuum à Spiritu intentorum.* *Auguſtinus.*

E „tores

„ tores ita lego, ut quantâlibet ſanctitate, doctrinaque polleant, non
„ ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi per au-
„ ctores canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhor-
„ reat, perſuadere poterunt.

3. 3. Tertia ratio ab experientia & exemplis, nempe ex nonnullis locis Scripturæ, quorum plures aiunt ſenſus rectè aſſignari, partim in ipsâ Scripturâ, partim à ſanctis Patribus. Verùm quod ad auctoritatem Patrum attinet, ſatis reſponſum eſt ad præcedentem rationem. Reliquum eſt ut examinentur exempla auctoritate ipſius Scripturæ confirmata. Hic primum exemplum affertur ex Pſal. 2. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, quem locum Paulus videtur variè interpretari. 1. De æternâ Chriſti generatione Heb. 1. 5. 2. De glorioſâ ejus à mortuis reſurrectione Act. 13. 33. 3. De promotione ad ſacerdotium Heb. 5. 5. Reſp. Unum eundemque locum ab Apoſtolo variis uſibus accommodari poſſe concedo: ſed varios ejus literales ſenſus aſſignari nego. Loci quidem illius varii afferuntur ſenſus ab Interpretibus: ſed ea varietas eſt ab inventione humanâ, non ab intentione Divinâ. Hic autem videtur ſimplex loci ſenſus, Filius quidem tu meus es ab æterno, ego verò hodie (id eſt definito & opportuno tempore) genui te, id eſt, à me genitum manifeſtavi. Ita prius quidem membrum ſpectat æternam Filii generationem: alterum autem, manifeſtationem ejus in tempore factam, nempe in Incarnatione primùm exhibitam, & in reſurrectione completam: illam appellat Junius Parallel. lib. 3. genituram ὑποστάσεως ſeu perſonæ, hanc genituram φανερώσεως ſeu manifeſtationis, ſecundum illam regulam quâ Orthodoxi Patres plurimùm uſi ſunt in hoc argumento. *Res tùm dicuntur fieri, cùm incipiunt manifeſtari.* Atque hoc conſentaneum eſt ſignificationi verbi יָלַד quod in Kal frequentiſſimè ſignificat parere, ſeu fætum in lucem edere. Ita Apoſtolus Heb. 1. 5. ſcitè ex hoc loco dignitatem Chriſti ſupra Angelos oſtendit, ratione æternæ illius generationis in tempore manifeſtatæ. Item Act. 13. 33. hinc confirmatur reſurrectio Chriſti, quia per reſurrectionem ſuam, cùm nempe propriâ virtute reſurrexerit, maximè declaretur ipſum eſſe filium Dei, ut disertè docet Apoſtolus Rom. 1. 4. unde etiam appellatur *Primogenitus ex mortuis*, Col. 1. 18. ſicut reſurrectio appellatur *Regeneratio* Matth. 19. 28.

Pſalmus ſecundus de æternâ Chriſti generatione variè accommodatur. Heb. 1. 5. Act. 13. 33. Heb. 5. 5. *Junius.* Heb. 1. 5. Act. 13. 33. Rom. 1. 4. Col. 1. 18. Mat. 19. 28.

Quanquam alii aliter accommodari illa verba Act. 13. putant, conſiderantes duplicem ἀνάστασιν, ſeu ſuſcitationem Chriſti ſpectari ab Apo-

Ἀνάστασις alia eſt exhibitio, alia reſurrectio.

Apoſtolo, unam abſolute dictam, id eſt, exhibitionem ejus & miſſionem in terram (ut Deut. 18. 15. & Act. 7. 37. *Προφήτην ὑμῖν ἀναστήσει Κύριος*, Prophetam nobis ſuſcitabit Dominus. Sic illâ voce utitur Act. 2. 30. & 3. 22. 26. quæ reſpondet voci Hebrææ יָקִים quæ eodem ſenſu de Meſsiâ uſurpantur Deut. 18. 15. 2. Sam. 7. 12. 1. Paralip. 17. 10.) alteram determinatam, nempe reſuſcitationem ex mortuis. Priorem anaſtaſin aiunt proponi v. 23. & confirmari hoc dicto Pſalmi v. 33. poſteriorem verò proponi v. 30. ac confirmari v. 34. & in iſto verſu 34. aliud confirmari quàm in præcedenti manifeſtum eſſe ex adverſativâ particula. [δὲ] Utcunq; eſt, unus idemque literalis ſenſus loci ex Pſalmo citati, ſatis quadrat ſcopo Apoſtoli in iſto loco. Poſtremò, ubi citatur hic locus Heb. 5. nihil eſt difficultatis, ut propterea opus ſit novum ſenſum confingere: nam in eo verſu non deſcribitur promotio Chriſti ad ſacerdotium, ſed perſona à quâ vocatus eſt ad ſacerdotium: ipſa autem vocatio declaratur ver. ſequenti ex Pſal. 110.

Deut. 18. 15. Act. 7. 37. 2. 3. & 3. 22. 26. 2. Sam. 7. 12. 1. Paral. 17. 10.

Alterum exemplum ex verbis Cajaphæ quibus prophetari dicitur Jo. 11. 50. *Expedit nobis ut unus homo moriatur pro populo, & tota gens non pereat.* Hic duplex (aiunt) occurrit ſenſus: unus Cajaphæ, expedire Chriſtum mori per manus Judæorum, ne tota gens à Romanis pereat: alter à Sp. Sancto intentus, expedire ſcilicet unum Chriſtum mori pro populo totius mundi ſalvando. Reſp. Verba prolata à Cajapha unum habere ſenſum communem, qui duplicem illum ſenſum complectitur. Dixit ille, expedire ut unus moriatur pro populo, ut tota gens non pereat: nec expreſſit quomodo expediret Chriſtum mori, nec à quo interitu gens liberanda eſſet: ita ſenſus in genere ſpectatus eſt verus & bonus, accommodatio autem ſpecialis iſtius ſenſûs priori modo falſa eſt & mala: poſteriori autem modo vera & pia. Itaque diverſa hìc ſpectatur accommodatio, non diverſus ſenſus. Et veriſimile quidem eſt, Cajapham hominem improbum ſpiritu prophetico pro tempore actum enunciâſſe quæ nec conſideraret nec intelligeret. Et ſi concedamus Cajapham reſpexiſſe ad priorem accommodationem malè, & Sp. Sanctum rectè accommodâſſe, non ſequetur plures eſſe ejuſdem ſententiæ literales ſenſus, ſed diverſas accommodationes, eaſque non unius, ſed diverſorum auctorum. Senſus autem literalis dicitur, quem auctor intendit vocibus, ſecundum communem uſum loquendi, denotare: unde ſi quis ſtatuat plures literales ſenſus ejuſdem loci, oportet dicat

Ioannis 11. 50. unus tantùm ſenſus eſt verus quem Cajaphas non intellexit.

cat eas intentos eſſe ab uno eodemque auctore, quod de hoc loco dici nequit.

Danielis 9. ult. unum tantùm habet ſenſum Maccab. 1. 54. Mat. 24. 15.

Tertium exemplum Dan. 9. ult. *Erit in templo abominatio deſolationis.* Hæc prophetia tempore Antiochi Epiphanis multis annis ante Chriſtum impleri dicitur Maccab. 1. 54. at à Chriſto tamen dicitur implenda Mat. 24. 15. Reſp. Nequaquam comparandam eſſe auctoris Apocryphi expoſitionem cum Chriſti explicatione, Pererius Jeſuita in Dan. 9. disertè ait & probat non benè applicari ad Antiochi Idolum illam prophetiam. Quanquam neque in iſto loco Maccabæorum auctor Danielem citet, neque expoſitionem verborum ejus præſeferat, ſed tantùm alludere ad ejus verba cenſeri poſſit.

Nec plure: Eſ. 53. 4. Mat. 8. 17. 1. Pet. 2. 24.

Quartum exemplum Eſ. 53. 4. *Languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros portavit.* Hæc verba Matthæus 8. 17. interpretatur de morbis corporalibus quos Chriſtus depulit, at Petrus epiſt. 1. cap. 2. verſ. 24. Refert ad peccata. Reſp. Lucas Brugenſis negat Petrum ibi reſpicere ad iſtum locum Eſaiæ, nempe verſum 4. capitis 53. quem citat Matthæus; ſed potiùs ad ver. 5. 6. 8. 11. capitis. 53. Eſaiæ. Et certè Petrus ibi nullum locum citat; neque iſtius loci unum habet verbum, præter illud unicum *Portavit:* Etſi maximè citaverit, non ſequeretur multiplicem eſſe ſenſum literalem: etenim, cùm Propheta dicat Chriſtum portaſſe morbos & languores, generaliter accipere poſſumus morbos, ut comprehendamus & corporis morbos, & morbos animi, id eſt, peccatum.

Aut Hab. 2. 3. Heb. 10. 37. 38.

Quintum exemplum Habbac. 2. v. 3. 4. Veniens veniet, & non tardabit. Et juſtus ex fide vivet. Hæc intelliguntur (aiunt) de primo Chriſti adventu, at Apoſtolus ad Heb. cap. 10. v. 37. & 38. de ſecundo adventu interpretatur. Reſp. Prophetam loqui de certitudine promiſſionum divinarum in Chriſto, de vitâ fidei, & conſtantiâ ſeu patientiâ fidelium, quæ eodem planè ſenſu ab Apoſtolo accommodantur inſtituto ſuo. Et nihil vetat, eandem generalem doctrinam, ſalvo eodem ſenſu, variis rebus ſpecialiter accommodari.

Auguſtinus in hoc argumento dubitans.

Quarta ratio Adverſariorum eſt ab auctoritate Auguſtini lib. 12. Confeſſionum cap. 31. ubi ait. Cùm alius dixerit, hoc ſenſit Mo-
,, ſes, quod ego: & alius, imò illud quod ego. Religioſiùs me ar-
,, bitror dicere, cur non utrumque potius? Si utrumque verum eſt,
,, & ſi quod tertiò & ſi quod quartò, & ſi quid omninò aliud verum
,, quiſpiam videt, cur non omnia iſta vidiſſe credatur, per quem unus
,, Deus S. Literas vera & diverſa viſurus, multorum ſenſibus temperârit.

Digitized by Google

perârit. Reſp. Auguſtinum eo in loco non aſſerentis ſed dubitantis more loqui. Ita paulò ante cap. 30. ſermonem faciens de variâ ex-„ poſitione primorum verborum Geneſeos. Si quis (inquit) quærit „ ex me quid horum Moſes ille famulus tuus ſenſerit? neſcio: & ſcio tamen illas veras eſſe ſententias. Fatetur plures illîc occurrere ſententias in ſe veras, ſed neſcire ſe ait quænam earum ſit à Moſe intenta. Itaque licet plures ſenſus poſſint aptari verbis Moſis, non proptereà vult plures eum ſenſus intellexiſſe. Et paulò poſt in cap. 32. „ ſubjungit, Etiamſi (inquit) auctor ille per quem dicta ſunt unam „ fortaſſis ex multis veris ſententiam cogitavit. Quod ſi ita eſt, ſit „ igitur illa quam cogitavit, cæteris excellentior. Item cap. 18. „ Dum ergo quiſque conatur id ſentire in Scripturis ſanctis, quod in „ eis ſenſit ille qui ſcripſit: quid mali eſt, ſi hoc ſentiat, quod tu lux „ omnium veridicarum mentium oſtendis verum eſſe: etiamſi hoc ſenſit ille quem legit, cùm & ille verum, nec tamen hoc ſenſerit. Si-„ milia tradit de Doct. Chr. lib. 3. cap. 27. Quando ex iiſdem Scri-„ pturæ verbis, non unum aliquid, ſed duo vel plura ſentiuntur, et-„ iamſi latet quid ſenſerit ille qui ſcripſerit, nihil periculi eſt, ſi quod-„ libet eorum congruere veritati ex aliis locis ſanctarum Scriptura-„ rum doceri poteſt: id tamen eo conante, qui divina ſcrutatur elo-„ quia, ut ad voluntatem perveniatur auctoris per quem Scripturam „ illam Spiritus Sanctus operatus eſt. Proinde nec nos movere debet auctoritas Auguſtini dubitantis, ubi firmâ deſtituitur ratione, nec alios habet Patres conſentientes: nec æquum eſt ut Adverſarii ex dubiâ ſententiâ, certam inferant concluſionem.

Cæterùm quàm incerta ſit hæc ſententia & infirma argumenta Adverſariorum patet ex ipſo Jeſuita Becano qui par. ſecundâ Theologiæ Scholaſticæ, tom. 2. tract. 1. cap. 3. q. 5. hæc quatuor proponit „ notanda. Ne erremus (inquit) aliqua notanda ſunt. 1. Hactenus „ ab Eccleſiâ non eſſe definitum plures eſſe ſenſus literales ſub eâ-„ dem literâ. 2. Multa eſſe Scripturæ teſtimonia quæ antiqui Pa-„ tres variè interpretantur ſecundum literam, ſed inde non ſequitur „ plures eſſe ſenſus literales in illis teſtimoniis. Nam ſæpè fit, ut „ plures illi ſenſus, qui à variis aſſignantur, inter ſe pugnent: fieri au-„ tem non poteſt, ut hæc pugna à Sp. Sancto ſit. 3. Multa etiam „ eſſe teſtimonia quæ ex Hebræo textu diverſimodò tranſlata ſunt: „ nec inde ſequitur plures eſſe ſenſus literales in eâdem literâ, ſed „ tantùm plures eſſe ſenſus literales, ſecundum varias ejuſdem loci *Becanus hic orthodoxus.*

,, tranſlationes. 4. Inter antiquos Patres vix alium eſſe præter Au-
,, guſtinum qui diſertè affirmat plures ſenſus literales ſub iiſdem vocibus contineri. Sed neque ille diſertè affirmat, ſed dubitantis more loquitur, ut dictum eſt. Nec deſunt qui Auguſtinum ſic excuſant: non loqui eum de pluribus ejuſdem loci ſenſibus heterogeneis, ſed homogeneis, qui ad unum communem ſenſum referri poſſunt.

Ex uno ſenſu multa conſequentia & accommodationes. Sed nos libenter concedimus in Scripturâ interpretandâ obſervari poſſe, ut ex unico ſenſu literali alii ſenſus ſubordinati eruantur, qui ſub eo latent, aut ex ipſo deducuntur, aut ad illum referuntur; ut cùm, quod dicitur generaliter, ad varia ſpecialia transfertur, aut ex dicto Scripturæ per legitimam conſequentiam alia deducuntur; aut inde varii uſus eliciuntur ad doctrinam, redargutionem, correctionem, diſciplinam & conſolationem; aut denique ſententia Scripturæ per alluſionem, & analogicè aliis rebus accommodatur, quas auctor Scripturæ eo in loco non reſpexit, ſed cum eis ſimilitudinem & convenientiam habet. Hunc poſtremum modum nonnulli ſenſum Scripturæ *accommodatitium* appellant, qui tamen ſenſus Scripturæ dici non debet, cùm non intendatur in iſto loco à ſacro Scriptore. Et quod de allegoricis accommodationibus ſuprà diximus, idem ſentiendum de his accommodationibus quæ citra allegoriam fiunt: quibus proinde parcè, piè, ſobriè, decorè, graviter, appoſitè (ſemper ſervatâ analogiâ ad genuinum ſenſum Scripturæ) utendum eſt. Verùm priores reliqui modi, cùm ex auctoris mente deducantur, directè ſub
Hieronymus. ,, literali ſenſu comprehenduntur. Quò ſpectans Hieronymus in
,, cap. 3. ad Epheſ. inquit, Singuli ſermones, ſyllabæ, apices, & pun-
Chryſoſtomus. ,, cta in divinis Scripturis plena ſunt ſenſibus. Et Chryſoſtomus in
,, Geneſin hom. 21. Nihil (inquit) hîc ſcriptum eſt, quod non mul-
,, tas habet ſenſuum divitias. Et paulò poſt. Neque enim ſyllaba
,, vel articulus eſt in S. literis, in cujus profundo non ſit grandis quiſ-
,, piam theſaurus.

CAP. VIII.

De mediis inveniendi & explicandi verum Scripturæ ſenſum & uſum.

ABſolvimus jam duas quæſtiones circa interpretationem Scripturæ: unam de perſpicuitate & abſcuritate Scripturæ, alteram de

Digitized by Google

de varietate ſenſuum. Supereſt tertia, eaque præcipua & longè graviſſima, de normâ & judice veri ſenſûs Scripturæ. Ad quam priuſquam accedamus, operæ prætium erit duo præmittere, quæ ad iſtam elucidandam plurimùm conferunt, licet Adverſarii, quicquid in his occurrit controverſiæ, cum iſtâ confundant: Unum eſt de mediis ſeu viâ ac ratione inveniendi ac explicandi verum Scripturæ ſenſum & uſum: Alterum de perſonis, quibus jus interpretandi Scripturam, ſenſumque ejus inveſtigandi ac diſcernendi competit. Et utrobique primò & præcipuè reſpicienius ad ſenſum & interpretationem, per quam ea quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, ex Scripturis erui poſſunt, quoniam eò potiſſimum ſpectat tota controverſia.

Quod ad prius attinet, media alia præcedunt meditationem Scripturæ, alia adhibenda ſunt in ipsâ meditatione, alia ſequuntur meditationem. Media præcedentia ſunt hæc.

Media interpretandi Scripturam antecedentia meditationem.

1. Pia & frequens oratio, ſeu præces ad Deum: à Quo ut omnis bona donatio, & omne integrum donum Ja. 1. 17. ac proinde omne bonum petendum eſt: ita & Sp. Sanctus Mat. 7. 7. &c. Luc. 11. 9. &c. quia Verbum Dei omninò intelligi nequit abſque Dei Spiritu à quo ortum eſt. Si quidem ea quæ ſunt Dei nemo novit niſi Spiritus Dei, & animalis homo non eſt capax eorum quæ ſunt Spiritûs Dei, propterea ad ſalutarem intelligentiam Scripturæ, ſapientia divinitùs, & Sp. Sancti illuminatio ſedulò imploranda eſt, Jac. 1. 5. quod confirmatur à perpetuâ piorum praxi, ſicut patet exemplo Davidis, Pſal. 25. 4. 5. & 119. 18. 19. 26. 27. 33. 34. 64. 68. & Pauli Epheſ. 1. 17.

1. Oratio. Ia. 1. 17. Mat. 7. 7. &c. Luc. 11. 9. &c. Ia. 1. 5. Pſal. 25. 4. 5. & 119, 18. 19. 26. 27. 33. 34. 64. 68. Eph. 1. 17.

2. Mentis idonea diſpoſitio ad quam requiritur docilitas, amor veritatis, ardor diſcendi, & ſtudium præſtandi officium cognitum; & inprimis puritas mentis, quæ fidem, reſipiſcentiam, timorem Dei, & humilitatem complectitur: aut ſaltèm ad hæc dona conſequenda & augenda, ſtudio Scripturæ pro verbo Dei agnitæ, aſpirat Pſal. 25. 9. 12. 14. Jo. 7. 17.

2. Puritas mentis. Pſal. 25. 9. 12. 14. Io. 7. 17.

3. Studia præparantia, nempe 1. notitia Catechetica, 2. Cognitio linguarum earum quibus S. Scriptura primùm exarata eſt. 3. Artium humanarum miniſterium, tum organicarum, quæ omnium rerum cognitioni inſerviunt, tum principalium, quæ res in Scripturâ occurrentes explicant. Eadem eſt ratio hiſtoriarum quæ ad notitiam Scripturæ conferunt, unà cum Chronologiâ & Topographiâ quæ ad lumen hiſtoriæ circumſtantias loci & temporis enarrant.

3. Studia præparantia.

Mediâ

Digitized by Google

Media in meditatione interna, conſideratione verborum & rerum.

Media adhibenda in ipſâ Scripturæ meditatione alia ſunt interna, alia externa. Interna ſunt duplicia, conſideratio verborum & conſideratio rerum tractatarum. Conſiderationi verborum inſervit linguarum cognitio, maximè primigeniarum, ut fontes Scripturæ conſulantur: quia dulciùs & puriùs ex ipſo fonte bibuntur aquæ illæ cœleſtes. Vocum conſideratio eſt vel ſingularum, vel conjunctarum. In vocibus ſingulis ſpectanda eſt ſignificatio, ſit ne propria antropica; etſi ſit multiplex, ut apta eligatur, juxta fidei analogiam, textûs circumſtantias, & ſimilium locorum collationem. In vocibus conjunctis obſervandæ ſunt phraſes, Idiotiſmi, Emphaſis, & figuræ orationis ſecundum regulas Grammaticæ, Rhetoricæ, & uſum Scripturæ.

Ἀλληλουχία

Conſideratio rerum tractatarum eſt vel ſimplex vel comparata. Simplex, quâ textus aliquis propoſitus, in ſe ſpectatur, obſervatur, & perpenditur. Comparata eſt vel propinqua vel remota. Propinqua eſt quâ textus confertur cum locis propinquis, præcedentibus & conſequentibus & appellatur ἀλληλουχία, quâ obſervatus συνάφεια cohærentia & ſeries contextûs, cum ex præcedentibus & ſequentibus judicatur de loci ſenſu, & ſcopus auctoris in circumſtantiis omnibus dignoſcitur. Remota vel eſt generalis vel ſpecialis. Specialem dico collationem textûs cum ſpecialibus Scripturæ locis ſimilibus. Sunt enim alii aliis faciliores & clariores, ex quibus difficiliorum colligi poteſt ſenſus, maximè in rebus neceſſariis ad ſalutem. In iis enim quæ apertè in Scripturâ poſita ſunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem moréſque vivendi, ut loquitur Auguſt. de doctr. Chr. lib. 2. cap. 9.

Collatio Scripturarum.

Huc itaque pertinet præceptum illud, ut obſcuriora per planiora, & pauciora per plura explicentur. Sic conferendæ ſunt ſententiæ eædem aliquoties in Scripturâ repetitæ, quæ interdum quaſdam variationes habent, tum ἐξηγήσεως, tum brevitatis causâ, & prout varie accommodantur, ita plenior earum ſenſus eruitur: cujuſmodi locos

Junius.

conſideravit Franciſcus Junius in libris Parallelorum. Sic conferendi ſunt typi cum antitypis, & prædictiones cum earum complementis, adeoque Vetus Teſt. cum Novo. Sic denique ſententiæ diverſæ phraſium ſimilium: & ſententiæ ſimiles ſimilibus phraſibus explicatæ.

Propria ſedes doctrinarum.

Atque hic obſervandum eſt, cujuſque dogmatis certam & propriam ſedem dari alicubi in Scripturâ, ubi ex inſtituto traditur aut tracta-

tractatur, alibi verò nonnunquam leviùs, prout fert occaſio, attingi. Statuendum autem de quovis dogmate ex propriâ ejus ſede, nec loca illa in quibus tantùm obiter, & pro re natâ attingitur, urgenda ſunt contra tractationem in propriâ ſede propoſitam. Sic doctrina de Juſtificatione ex profeſſo, & velut in propriâ ſede, in primis quinque capitibus epiſtolæ ad Romanos, ad Epheſios 2. ad Galatas cap. 2. & 3. tractatur. Reliqua ergo Scripturæ loca quæ de Juſtificatione agunt, ad iſta exigenda ſunt.

Analogia fidei. *Rom. 12. 6.*

Generalis collatio eſt, quâ cujuſlibet loci explicatio confertur cum analogia fidei, ad eamque exigitur. Ita enim fieri jubet Paulus Rom. 12. 6. Per fidei analogiam autem, ſeu regulam fidei intelligimus perſpicua & manifeſta Scripturæ loca, in quibus articuli fidei claris ac perſpicuis verbis proponuntur, qui ſummatim comprehunduntur in Symbolo Apoſtolico, Decalogo, & Oratione Dominicâ. Etenim FIDEI vocabulum latè hîc ſumitur, ut complectitur doctrinam tùm credendorum tùm faciendorum: quandoquidem, ut faciamus officium ſecundum legem & doctrinam faciendorum, oportet credamus eam eſſe doctrinam ipſius Dei juſtam, æquam & bonam: ſimiliter, ut fidem adhibeamus annexis comminationibus & promiſſionibus.

Quatuor regulæ Patrum in exponendis Scripturis. *Auguſtinus.*

Huc ſpectant regulæ iſtæ. 1. Obſcuriora loca, præſertim de fide & moribus, exigenda ſunt ad perſpicua. Sic Auguſt. lib. 3. de Doctr. ,, Chr. cap. 2. Conſulat regulam fidei quam de Scripturarum pla- ,, nioribus locis & Eccleſiæ auctoritate perceperit. 2. Regula traditur ab Auguſtino in eodem lib. c. 16. *Si præceptiva locutio eſt, aut fla-* ,, *gitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficientiam jubens, non* ,, *eſt figurata. Si autem flagitium aut facinus videntur jubere, aut utilita-* ,, *tem aut beneficentiam prohibere, figurata eſt.* Unde verba Jo. 6. 53. ,, 54. figurata eſſe oſtendit.

,, 3. Reg. *Regula fidei accipienda eſt integra, neque ejus partes ſibi in-* ,, *vicem opponenda*, ut docet Clemens Alexandrinus Strom. 7. Contra hanc regulam peccârunt Ariani, ex Unitate eſſentiæ Divinæ impugnantes perſonarum Trinitatem; & Tritheitæ, ex perſonarum Trinitate, naturæ unitatem, cùm tamen utrumque credendum, perſpicuis S. Scripturæ oraculis nobis commendetur.

4. Reg. *Semper collimandum eſt ad generalem ſcopum Scripturæ, qui eſt Chriſtus Servator.* Omnia enim quæ ſcripta ſunt, ad Chriſtum referuntur, ait Aug. in Pſal. 71. unde Apoſtolus 1 Co. 2. 2. *Non ſtatui* *1 Cor. 2. 2.*

F (Inquit)

(inquit) *quicquam ſcire inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, eumque crucifixum.* Scopum Evangelii eſſe Chriſtum, nemo dubitat, in quo nihil aliud tractatur quàm ejus perſona, natura, munera, beneficia, noſtraque viciſſim officia, quibus ipſi Deoque per ipſum obligamur. *Legis au-*

Rom. 10. 4 *tem finis eſt Chriſtus, ad juſtitiam cuivis credenti.* Rom. 10. 4. *Et lex pæ-*

Gal. 3. 24. *dagogus noſter fuit ad Chriſtum, ut ex fide juſtificaremur.* Gal. 3. 24. Proinde, quæcunque doctrina adverſatur huic generali ſcopo, utpote perſonæ, officio, gratiæ, aut gloriæ Chriſti, rejicienda eſt: qualis, magnâ ex parte eſt doctrina Pontificiorum.

Media externa. Hactenus media interna præcipua enumeravimus. Medium externũ eſt explicatio virorum piorum & doctorum, qui in interpretatione Scripturæ verſati ſunt, aut verſantur: præſertim eorum quibus id munus ab Eccleſiâ demandatum eſt. Proinde diligenter audiendæ ſunt conciones paſtorum, prælectiones Doctorum in Orthodoxâ Eccleſiâ, quos in omnibus dubiis conſulere debent rudiores. Porrò mutuas operas conferre debent ad obſcuriora illuſtranda, quibuſcunque datur opportunitas, doctrinæ ſacræ ſtudioſi: conſulenda etiam ſunt ſcripta cùm Veterum tum recentiorum, cum decretis Conciliorum tùm generalium tùm particularium, quibus doctrina ſacra explicatur aut ſtabilitur: hac ſemper adhibitâ cautione,

1. *Jo.* 4. 1. ut ſpiritus probemus, an ex Deo ſint 1. Jo. 4. 1. & iſtorum omnium auctoritatem tanquam humanam agnoſcamus, & ad normam verbi Dei examinemus, varioſque gradus diſtinguamus, prout alii interpretes, aliis doctrinâ aut pietate præſtant, aut diligentiùs locum conſiderârunt, aut cæteris paribus, nulloque præjudicio præoccupati, plures conſenſerint, aut gravioribus rationibus nituntur.

Media poſt meditationem. Media poſt meditationem Scripturæ, ad uberiorem cognitionem Scripturæ conferentia, ſunt 1. Gratitudo, cum gratiarum actione,

Gratitudo. pro cognitione jam acceptâ: quia, ut aut Caſſiodorus in Pſalmos,

Caſſiodorus. „ Jugiter ſibi ſubvenire facit, cui collatum beneficium ſemper ante oculos aſſiſtit. 2. Precatio, ut Deus cognitionem veritatis cordi-

Precatio. bus noſtris infigat, ne unquam excidat; augeat, & ſalutarem reddat. Sicut enim Apoſtolus pro aliis, ita nos non deſinamus pro nobis „ orare & petere, ut impleamur agnitione voluntatis Dei, cum om- „ ni ſapientiâ & intelligentiâ ſpirituali: ut ambulemus ſicut Domi-

Col. 1. 9. 10. „ no convenit, cui per omnia placeamus, omnis operis boni fru- „ ctum proferentes, & creſcentes in agnitione Dei Col. 1. 9. 10.

Ruminatio. 3. Repetitio & ruminatio lectorum, auditorumq; ex S. Scripturâ.

Beatus

Digitized by Google

Beatus enim ille qui de lege Dei, meditatur noctu & interdiu, Pſal. 1. 2. *Pſal.* 1. 2.
4. Communicatio cognitionis noſtræ cum aliis, ad eorum inſtructionem, confirmationem, admonitionem, & conſolationem. Hoc enim officium à ſingulis Chriſtianis Deus poſtulat ſecundum communionem quam habemus cum prophetico munere Chriſti. Ita Apoſtolus 1. Theſſ. 5. 11. *Adhortamini alii alios, & ædificate ſinguli ſingulos.* Idem docet Chriſtus parabolâ talenti Mat. 25. 15. &c. & parabolâ minæ ſervis datæ à Domino ad negotiandum, Luc. 19. 13. &c. ubi etiam hic fructus oſtenditur, nempe incrementum donorum Dei ex uſu. *Omni habenti dabitur, & exuberabit.* Poſtremò, uſus & praxis cognitionis Scripturæ in exercitiis fidei, reſipiſcentiæ, & bonorum operum. Etenim, ut cognitio noſtra ad praxin dirigitur, ita praxis cognitionem firmam, ſolidam, & auctiorem reddit, & ad plura cognoſcenda præparat, Jo. 14. 21. *Qui tenet præcepta mea* (inquit Chriſtus) *& obſervat illa, is eſt qui diligit me: qui autem diligit me, diligitur à Patre meo, & ego diligam eum, & ei conſpiciendum exhibebo meipſum.* Huc ſpectant etiam quæ ex Pſal. 25. & Jo. 7. 17. ſuprà citavimus. Atque ut hic fructus praxeos in omni vitæ noſtræ conditione cernitur, ita potiſſimùm in cruce & tentationibus, tùm externis tùm internis, elucet: quas qui non, aſſiſtente gratiâ, expertus eſt, in cortice Scripturæ plerumque hæret, nec medullam attingit. Unde meritò dicitur. *Schola crucis eſt ſchola lucis.* Et Pſal. 119. 71. *Bonum mihi fuit me affligi, ut diſcerem ſtatuta tua.*

Communicatio proximum inter ſe. *Theſſ.* 5. 11. *Mat.* 25. 15. *Luc.* 19. 13. *Cognitorum praxis.* *Jo.* 14. 21. *Pſal.* 25. *Jo.* 7. 17. *Pſal* 119. 71.

Ex his quæ diximus mediis alia ſunt propria ſtudio Scripturæ, alia communia, quibus in aliorum ſcriptorum interpretatione uti poſſunt & debent qui in eâ laborant, quæ tamen ſingulari ratione hîc ſpectantur. *Alia media communia, alia propria.*

Alia ſunt abſolutè neceſſaria; verbi gratiâ, oratio, illuminatio Sp. Sancti, collatio locorum &c. alia non abſolutè ſunt neceſſaria, ſed ad benè eſſe, ut loquuntur, id eſt ad meliorem & uberiorem intelligentiam conferunt: putà, quæ requirunt cognitionem linguarum & artium humanarum: citra quas, reliquis adhibitis mediis, ſalutarem cognitionem Scripturæ multi Idiotæ conſequuti ſunt: quanquam, ſi earum adminiculum acceſſiſſet, multò magis iidem profeciſſent. *Alia ſunt neceſſaria alia commoda.*

Pontificii, & nominatim Stapletonus lib. 11. de principiis fidei doctrinalibus, & in eorundem relectione controver. 6. quatuor proponunt media, quibus in Scripturæ interpretatione utendum eſt. *Regula Stapletoni.*

F 2 1. Regu-

1. Regulam fidei. 2. praxin Eccleſiæ. 3. Patrum conſenſum. 4. Conciliorum reſcripta & decreta, quæ omnia Papæ auctoritati ſubjiciunt. Regulam fidei nominant nobiſcum Pontificii, ſed alio ſenſu: quippe ſub eâ comprehendunt traditiones non ſcriptas, quas pari pietatis affectu, cum libris Veteris & Novi Teſt. ſuſcipere & venerari ſe teſtatur Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. Sed nos ſuo loco probabimus (favente Deo) Scripturæ perfectionem, & traditiones ab hac regula alienas eſſe.

Quod ad tria reliqua attinet, praxin Eccleſiæ, Patrum conſenſum, & Conciliorum decreta, nos quidem eâ penitùs non rejicimus: imò in iſto medio externo, quod in Scripturæ meditatione adhibendum eſt, incluſimus, adhibitâ iſtâ cautione & conditionibus quas illîc ſignificavimus: ſed illi; omnibus aliis conditionibus ſublatis, hanc unam ponunt, Papæ ejuſque aſſeclarum approbationem: ſine qua praxin Eccleſiæ Veteris, Patrum conſenſum, & Conciliorum etiam Oecumenicorum decreta repudiant, quæ ſententia quam iniqua ſit, ex ſequentibus patebit.

Stapletoni objectionibus reſpondetur. Prima. Diſputat contra media à nobis prolata Stapletonus, communiter & particulariter. Communiter 1. objicit, media noſtra eſſe cum omnibus hæreticis, imo etiam Judæis, interdum & Paganis communia. Illi enim conferunt loca Scripturarum, conſiderant antecedentia & conſequentia, inſpiciunt fontes, & obſervant phraſes: nihilominùs à vero ſenſu Scripturæ longiſſimè aberrant. Reſp. In hac enumeratione non contineri omnia media quæ recenſuimus: & adverſarios veritatis non rectè uti, ſed perperam abuti mediis iſtis memoratis: ex quorum legitimo uſu abunde refelluntur eorum errores.

Secunda. Secundo objicit, media noſtrâ ſtudio & induſtriâ humanâ acquiri, ideoque merè eſſe humanâ, ac proinde probabilia tantùm, & interdum fallacia. Reſp. Quàm falsò hoc objici de pleriſque mediis noſtris patet, cum præcipua media ex ipſius S. Scripturæ ſpeculatione petamus, & ad eam omnia exigamus: tam perſpicuum eſt rectiſſimè retorqueri in Pontificios argumentum: ſiquidem praxis Eccleſiæ, conſenſus Patrum, & Conciliorum decreta ſunt teſtimonia humana: idemque cenſendum de regulâ fidei, quatenus ex eorum ſententiâ complectitur traditiones præſertim, cum hæc illi omnia Papæ auctoritati ſubjiciant.

Tertia. 3. Objicit, media à nobis allata ſubjicienda eſſe quatuor iſtis mediis,

Digitized by Google

mediis, quæ ipſi poſuerunt: ita ut nec contra ea, nec citra ea valeant. Ratio eſt, quia verum vero contrarium eſſe non poteſt. Itaque ſi illis mediis quæ infallibilia ſunt, hæc media adverſantur, vera eſſe non poſſunt. Reſp. Fatemur alia media regulæ fidei ſubjici, quam nos medium principale agnoſcimus, ita ut hæc regula in claris & perſpicuis Scripturæ locis tradita agnoſcatur, nec ad traditiones humanas extendatur: de reliquis falsò ſumitur. Contrà enim potiùs verum eſt, praxin Eccleſiæ, Patrum conſenſum, & Conciliorum definitiones, quæ nos externa media agnoſcimus, ſubeſſe iſtis internis mediis, quæ in Scripturæ meditatione adhibenda diximus. Ratio eadem eſt, quâ adverſarii abutuntur, nimirum, quia verum vero contrarium eſſe nequit. Itaque cùm conſtet Scripturam eſſe certiſſimè veram, interna autem media ex ipſa Scripturâ petantur, ſi media externa iis adverſantur, falſa eſſe neceſſe eſt.

Particularia ejus objecta refelluntur.

Particularia varia objicit Stapletonus contra nonnulla media à nobis poſita, quibus probare nititur ſingula imperfecta eſſe, & non ſufficere. Sed non eſt quòd nos recenſeamus iſta argumenta, cùm, ut alioqui multa falſa & inepta continent, etiam nihil prorſus contra nos probent. Neque enim nos diximus ſingula quæ attulimus media, perfecta eſſe, & ſufficere ad Scripturæ explicationem. Nam, ſi unũ ſufficit, cætera ſupervacanea poſſent cenſeri: ſed ſimul omnia, vel pleraq; omnia adhiberi volumus: & ubi unum aliquod fortè non confert ad alicujus loci explicationem, ejus defectum per reliqua ſupplendum eſſe: nonnulla autem neceſſaria eſſe, & omni loco adhibenda, ſuprà innuimus. Porrò, ſimilia nobis regerere de mediis Pontificiis in promptu eſt: quibus oſtendere licet ea ſingula non ſufficere: & ipſi Pontificii proculdubio volunt ea conjunctim non diviſim ſumenda eſſe.

Porrò collationem locorum Scripturæ fallax eſſe interpretandi medium probat, quia in collatione Scripturarum, aliquid ſimiliter vel diſſimiliter dictum videtur: non tam ex locorum ipſorum ſimilitudine & diſſimilitudine, quàm ex affectu & præjudicatâ ipſorum conferentium ſententiâ: adeoque hæretici (inquit) conferentes Sripturas, errârunt turpiſſimè. Reſp. Valdè iniquum eſſe, hominum vitia rebus imputare: cùm nihil tam bonum ſit, quin vitio ſuo homines eo abuti poſſint. Quaſi verò idem non poſſet de Pontificiorum mediis dici: quod nonnulli præjudicio abrepti, objiciant Patrum conſenſum, ubi minimè conſentiunt, & aliorſum Patrum ſcripta, &

Digitized by Google

Conciliorum reſcripta, contra ipſorum mentem detorqueant, praxinque Eccleſiæ antiquæ mentiantur, & traditiones, quas pro regula fidei accipi volunt, comminiſcantur.

Primarium medium exponendi Scripturam eſt ipſa Scriptura.

Hic verò præcipua inter nos & Pontificios controverſia eſt, de mediis in ipſâ Scripturæ meditatione adhibendis, quæ in externa & interna diſtinximus, utra alteris præſtent. Nos interna externis præponimus: illi, licet regulam fidei verbo tenus agnoſcant, reliqua quæ poſuimus media interna nihili faciunt: & externa illa, praxin Eccleſiæ, Conciliorum definitiones, & Patrum conſenſum maximoperè venditant. Nos externa illa quidem non rejicimus, ſed internis iſtis omninò ſubjiciendo, & ad iſta exigenda eſſe dicimus: adeoque Scripturam ſui ipſius interpretem agnoſcentes, non poſſe certiùs Scripturæ interpretationem haberi, quàm per ipſam Scripturam aſſerimus. Proinde ſummam regulam, & optimum medium ad intelligendam Scripturam eſſe diligentem, attentam, frequentemque lectionem, auditionem, meditationem, & collationem Scripturarum. Idque confirmatur argumentis iis, quibus ſupra cap. 2. hujus lib. perſpicuitatem Scripturæ demonſtravimus.

Auguſtinus.

Idemque patet ex perpetuâ praxi & ſententiâ Patrum: Auguſt. de „ doctr. Chr. lib. 3. cap. 28. Per Scripturas (inquit) Divinas, mul- „ tò tutiùs ambulabis, quas verbis tranſlatis occupatas cum ſcrutari „ volumus, aut hoc inde exeat, quod non habet controverſiam, aut, „ ſi habet, ex eâdem Scripturâ, ubicunque inventis atque adhibitis „ eis teſtibus terminetur. Chryſoſtomus in Geneſin hom. 13. Ad „ ipſum Scripturæ ſcopum pertendamus, quæ ſeipſam interpretatur. „ S. Scriptura cùm nos tale quiddam docere vult, ſeipſam exponit, „ & auditorem errare non ſinit. Plurima alia in hanc ſententiam regerere poſſem ex Patribus, imo ex ipſis adverſariis non nulla, inter quæ luculentum eſt teſtimonium Joſephi à Coſta Jeſuitæ lib. 3. de „ Chriſto revelato cap. 21. Nihil perinde (inquit) Scripturam mihi „ aperire videtur, atque ipſa Scriptura; itaque diligens, attenta, fre- „ quenſque lectio, tum meditatio & collatio Scripturarum omnium, „ ſumma regula ad intelligendum mihi ſemper viſa eſt. Nam ex aliis „ Scripturis aliæ optimè ſemper intelliguntur, tum phraſis ipſa & „ ſpiritus familiaris fit: ut aſſuetis jam ſermonibus intelligentia pa- „ teat: itaque obſcuram aperta; dubiam certa interpretatur.

Chryſoſtomus.

A Coſta hic orthodoxus.

Initio nulli Interpretes.

Alia media quæ ab aliis Pontificiis afferuntur, his quæ ex ipſa Scripturâ petuntur, poſteriora ſunt & inferiora. Etenim initio naſcentis

centis Eccleſiæ primi patres, nec praxin Eccleſiæ, nec conſenſum Patrum, nec Conciliorum reſcripta, quæ nulla tum extabant, tanquam regulam interpretandi ſibi propoſuêrunt, ſed Scripturam per Scripturam interpretati ſunt, ideoque quam regulam illi ſibi propoſuerunt, ad eam, & ipſorum, & ſequentium interpretationes exigi debent.

Adde, iſta quæ illi jactant media multò infirmiora & incertiora eſſe illis. Nam quod ad praxin Eccleſiæ attinet, ſi inde Scripturæ interpretatio inveſtiganda eſt, eſt illud quidem medium à poſteriore, non à priore, ut loquuntur. Nam quis neſcit ex theoriâ & regulis de praxi, non ex praxi de regulis & theoriâ judicandum eſſe. Probanda eſt Eccleſiæ praxis per Scripturam: alioqui præſcriptio, praxis, & conſuetudo in rebus divinis locum non habent. Sic Tertullianus de virginibus velandis, initio libri, ait; Veritati nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporis, non patrocinia perſonarum, non privilegium regionum: Dominus noſter Jeſus Chriſtus veritatem ſe, non conſuetudinem cognominavit, &c. Et Cyprianus ad Pomponium. Conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt.

Praxis Eccleſiæ examinanda ad Scripturam.

Tertullianus.

Cyprianus.

Quod ad Patrum conſenſum attinet, eum verbis potiùs jactant Pontificii, quàm reipsâ ſequuntur. Ubi enim volunt, liberum ſibi faciunt, à Patrum interpretatione diſcedere. Baronius ad annum Chr. 34. contextu 213. ait, ſanctiſſimos patres, quos Doctores Eccleſiæ, ob eorum ſublimem eruditionem meritò nominamus, quantum libet Sp. Sancti gratiâ præ cæteris imbutos eſſe liqueat, in interpretatione Scripturarum, non ſemper ac in omnibus Eccleſia Catholica ſequitur. Bellar. lib. de Conciliis c. 12. Patrum Concilia (inquit) non ſunt regulæ, nec habent auctoritatem obligandi: Sixtus Senenſis in Bibliothecæ 5. & 6. lib. ſcripſit cenſuras in expoſitores Veteris & Novi Teſt. ubi varias, falſas, incommodas, aut ineptas interpretationes Patrum in certa loca Scripturæ perſtringit. Non pauci reperiuntur doctiſſimorum Patrum errores, quos Pontificii pariter nobiſcum notârunt. Unde meritò celebratur, in jure etiam canonico diſtinct. 9. capit. 5. dictum illud Auguſtini in epiſt. 19. ad Hieronymum: Ego ſolis eis ſcriptorum qui canonici appellantur, didici hunc timorem-honoremque deferre, ut nullum eorum ſcribendo erráſſe audeam credere. Bellarm. de Verbo Dei lib. 3. cap. 10. ad arg. 9. Quis (inquit) neget multos veterum Patrum habuiſ-

Patres à Pontificiis ſæpè rejiciuntur.

Baronius.

Bellarminus.

Sixtus Senenſis.

Auguſtinus in jure canonico.

„ habuiſſe excellenter donum interpretandi, & fuiſſe ſpirituales?
„ Et tamen conſtat quoſdam ex præcipuis eorum non leviter in qui-
„ buſdam lapſos.

Sed fortaſſe de ſingulis Patribus hæc intelligenda ſunt; aliter verò ſentiendum de conſenſu Patrum. Et nos quidem libenter fatemur, conſenſum plurium Patrum, cæteris paribus, majorem eſſe auctoritatem, quam ſingulorum, aut pauciorum. Sed nec Pontificii negabunt plurimos Patres poſſe in errore conſentire; cum ipſa etiam œcumenica & generalia Concilia errâſſe fateantur.

Rejiciuntur à Pontificiis multa Concilia generalia.

Bellar. de Conciliis lib. 1. cap. 6. octo Concilia generalia penitus reprobavit: & cap. 7. ſex Concilia generalia, partim confirmata, partim reprobata enumerat: in quibus nunc convenêrunt Epiſcopi 300. nunc 400. nunc 600. nunc Patres fere 1000, ut ipſe ibidem notat Bellarminus. Verum enim verò, ſi ſpectentur Patres antiqui celebriores in Eccleſiâ, quorum ſcripta ad nos pervenêrunt, nemo unquam (opinor) oſtendet eorum univerſalem conſenſum in errore, circa fidem & mores, aut articulum aliquem neceſſarium Religionis. Atque utinam Pontificii nulla alia dogmata cudiſſent, præter ea in quibus Patrum conſenſum probare poſſent: ita facile nos quoque conſentientes haberent.

Ivell. provocatio ad Patres.

Ivellus Epiſcopus Saliſburienſis, articulos 27. Pontificiæ religionis protulit (quibus plures addi poſſunt) in quibus omni antiquitatis teſtimonio deſtitutos oſtendit adverſarios: quos omnes provocat, ut in iis omnibus, vel unum oſtenderent luculentum teſtimonium, ex antiquo quoquam aut catholico patre, aut ullum primitivæ Eccleſiæ exemplum. Et quicquid Hardingus, aut alii reſponderint, nihil ſolidi reſpondiſſe, lectoribus nullo præjudicio præoccupatis, patebit; nedum ut in iis conſenſum Patrum probare valeant. Itaque dogmata quidem illa retineamus in quibus boni patres conſenſerunt: quanquam non eſt neceſſe ſcripturam ſemper interpretari ex conſenſu Patrum. Plurima ſunt loca Scripturæ, in quorum interpretatione plurimùm diſſentiunt Patres.

Plurima ſunt, quæ illi communiter non attigêrunt, aut non ſatis plenè explicârunt. Et quanti laboris eſſet, omnium Patrum, de omnibus textibus ſententias exquirêre, ut eorum conſenſus inveniatur! Adeoque pauci admodum certi eſſe poſſent de Interpretatione Scripturæ, ſi hoc medium eſſet neceſſarium. Paucis datur Patres omnes perlegere, nec pauciora ſunt in Patribus difficilia intellectu, quàm in Scripturâ. Et plurima ſcripta adulterina & ſuppoſititia Patribus falsò adſcrip-

Digitized by Google

adſcripta ſunt, ut obſervarunt & noſtri & Pontificii: & plura forte ſunt ejuſmodi quàm adhuc obſervata ſunt: & in Patrum ſcriptis multa librariorum incuriâ, plura ſtudio hæreticorum depravata ſunt, ac præſertim à Pontificiis expurgationis nomine, ut patet ex eorum indicibus expurgatoriis. Porrò, præter communem Patrum ſententiam, non raró profitentur ipſi Pontificii Doctores, ſe Scripturam interpretari. Cardinalis Cajetanus, initio commentariorum in Ge- *Cajetanus non vult Patribus alligari.*
,, neſin: Si quando (inquit) occurrerit novus ſenſus textui conſo-
,, nus, quamvis à torrente doctorum ſacrorum alienus, æquum ſe
,, præbeat lector cenſorem. Et rurſus, Nullus deteſtetur novum
,, S. Scripturæ ſenſum, ex hoc quòd diſſonat à priſcis Doctoribus:
,, non enim alligavit Deus expoſitionem Scripturarum, priſcorum Doctorum ſenſibus. Franciſcani fratres & Jeſuitæ nunc communiter defendunt Mariam virginem caruiſſe originali peccato, at Canus locorum lib. 7. cap. 1. ait Sanctos omnes, qui ejus rei mentionem fecerunt, contra aſſeverâſſe, ubi plurimos Patres & Doctores enumerat. Et contra hunc Patrum conſenſum aliter ſentire liberum facit Concilium Tridentinum Seſſ. 5. Et quidem pro ſententiâ iſtâ, ejus aſſertores ne γρῦ quidem ex ullo Patrum aut antiquiorum Scholaſticorum proferre poſſunt. Propterea in locis Scripturæ de originali peccato neceſſe habent Scripturam interpretari, citra imò contra conſenſum Patrum. Proinde ad conſenſum Patrum non eſt alliganda Scripturæ interpretatio, teſtibus ipſis adverſariis. Maldonatus in Matth. 20. ait Patres exiſtimâſſe filios Zebedæi temerè reſpondiſſe: at ipſe contrà credit verè eſſe loquutos. Item in Math. 19. *Franciſcani & Ieſuitæ deſerunt Patres Canus.* *Maldonatus.*
,, Sic ferè omnes (inquit) exponunt; quibus equidem non aſſentior.
,, Item, Vellem ut unam aliquam interpretationem ex his quæ bo-
,, nos auctores habent, ſequi poſſem: ſed fateor me, præter volun-
,, tatem meam, in novam interpretationem rationibus majoribus intendi. Non eſt itaque quod reſtringamus dona Sp. Sancti, qui, ubi vult, ſpirat, & donum interpretationis in Eccleſiâ ſuâ continuat. Nec abſurdum eſt, ſuccedentes interpretes, præcedentium operibus & aliis adminiculis, quibus illi fortè deſtituti ſunt, fretos, eundem ductum Sp. Sancti ſequentes, & cum bono Deo, eorum opera, & legitima alia media adhibentes, nonnihil videre, quod illi aut non animadvertêrunt, aut non aſſecuti ſunt: ſiquidem, ut ait Didacus Stel- *Stella.*
,, la in Luc. 10. (libenter enim hîc utor adverſariorum verbis) ſcimus
,, Pygmæos gigantum humeris impoſitos, plus quàm ipſos gigantes videre.

Digitized by Google

Concilia non ſufficiunt exponendis Scripturis.

Denique, quod ad Conciliorum reſcripta & decreta attinet, quàm infirmum ſit medium ad interpretandam Scripturam, hinc patet: quod maximæ partis Scripturæ nulla habeatur interpretatio in Conciliis. Et nemini ignotum ſit, ſi quando locus difficilis in Scripturâ explicandus occurrit, quàm laborioſum & incommodum eſſet omnia Conciliorum volumina perveſtigare: præſertim cum magnâ obſcuritate laborent, & ſæpenumerò ſibi invicem contradicant, & in multis corrupta inveniantur. Item concilia etiam univerſalia & œcumenica errori eſſe obnoxia, niſi confirmentur à Papâ, & in multis errâſſe, docent, ut ſuprà dictum eſt, Pontificii. Ita ex maximis voluminibus, ac ingenti Conciliorum numero, tantùm octodecim generalia Concilia ſelegit Bellar. (lib. 1. de Conciliis cap. 5.) quibus auctoritatem tribuat: ex quibus etiam pleraque ſunt recentiora, invaleſcente tyrannide Antichriſtianâ coacta: nam tredecim eorum poſt annum Domini 680. celebrata eſſe teſtatur ibidem Bellarm. Imò verò Stapletonus de doctrinalibus principiis lib. 8. cap. 14. & 15. & lib. 11. cap. 6. Concilia generalia, à Papâ etiam approbata, fatetur, etſi errare non poſſint in concluſionibus, errare tamen poſſe in applicatione Scripturarum ad concluſiones ſeu determinationes. Proinde concedit errare poſſe in interpretatione Scripturarum, (id quod videre eſt in Conciliis recentioribus plurimis, & nominatim in Concilio Niceno ſecundo) Etenim qui malè applicat Scripturam ad ſententiam aliquam confirmandam, malè interpretari Scripturam cenſendus eſt. Quemadmodum itaque Pontificii hoc medium cum præcedentibus Papæ Romani auctoritati ſubjiciunt, ita nos meliori jure ea Scripturæ, aut mediis internis in Scripturæ conſideratione ſpectatis, ſubjicienda aſſerimus.

CAP. IX.

De perſonis quibus jus explicandi ac diſcernendi ſenſum Scripturæ competit.

Proximè differendum eſt de perſonis quibus jus interpretandi Scripturam, ſenſumque ejus inveſtigandi ac diſcernendi competit.

Scripturarum interpretatio propria miniſtris.

Atque hìc duplex interpretandi ratio ſpectanda eſt pro duplice hominum vocatione, communi & propriâ. Propriam dico Paſtorum & Doctorum in Eccleſiâ, quos Deus peculiariter ad publicum docen-

Digitized by Google

docendi munus in Eccleſiâ vocavit Eph. 4. verſ. 6. 12. 13. & 14. *Eph. 4. 6. 12. 13. 14.* Hunc enim ordinem Deus conſtituit in Eccleſiâ, ut alii præſint, alii ſubſint, alii doceant, alii docendos ſe præbeant & diſcant. Et quibus competit hæc propria interpretandi ratio, utpote peculiariter à Deo vocatis ad miniſterium, eorum eſt peculiariter etiam doctrinam falſam à vera dijudicare, & interpretationem aptam ab ineptâ diſcernere: quò ſpectat illud Apoſtoli 1. Cor. 14. 29. 32. *Prophetæ duo aut tres loquantur, & alii dijudicent, & ſpiritus prophetarum prophetis ſubjiciuntur.* *1. Cor. 14. 29. 32.* Verum eſt, Apoſtolum illìc Prophetarum nomine intelligere eos, quibus extra ordinem & miraculosè donum interpretationis datum eſt: ſed ἀναλογικῶς accommodari poſſunt verba etiam ordinariis verbi miniſtris.

Communis omni fideli inferior plerumque propria. Communis interpretandi ratio ac jus ſpectat ad omnes communis vocationis illius cœleſtis participes ac conſortes qui poſſunt uti mediis prædictis, aut omnibus aut præcipuis illis, quæ ſuprà neceſſaria diximus, præeunte ſemper, ſi haberi poſſit, publico adjumento, ex publicorum miniſtrorum doctrinâ, adeò ut ſinguli poſſint ſenſum Scripturæ per legitima media inquirere, & etiam aliis privatim communicare, ad ſui ipſorum & aliorum ædificationem; quorum etiam eſt doctrinam præconum & Doctorum Eccleſiæ ad Scripturam exigere; more Beræenſium Act. 17.11. & *omnia probare, ac quod bonum eſt, retinere.* Theſſ. 2. 21. & nominatim ſpiritus probare num ex Deo ſint, 1. Joh. 4. 1. *Act. 17. 11. 1 Theſſ. 2. 21. 1. Ioh. 4. 1.*

Non dubitamus ordinariè & cæteris paribus donum interpretationis & dijudicationis ſanæ doctrinæ & veri ſenſûs Scripturæ majori menſurâ communicari publicis Eccleſiæ miniſtris, ſive in unâ aliquâ particulari Eccleſiâ munus ſuum obeuntibus, ſive in legitimâ Synodo de vero ſenſu Scripturæ inter ſe conferentibus, quam ſingulis & privatis qui neque tot donis & adminiculis inſtructi ſunt, neque privatâ & ſimplici meditatione æquare poſſunt multorum doctorum collationem ac diſputationem. Dixi [*ordinariè*,] nam tempore communis apoſtaſeos Deus ſæpenumerò excitavit extra ordinem unum aut alterum ex miniſtris ſuis, qui ſe reliquis opponerent: aut privatos etiam homines quos donis ſpiritûs ſui inſtruxit, ad arguendos errores & vitia ordinariorum miniſtrorum Eccleſiæ, ut varios prophetas tempore defectionis Iſraëlitarum: nec mirum eſt idem uſu veniſſe in miniſtratione Eccleſiæ Chriſtianæ poſt generalem defectionem ſub Antichriſto.

Digitized by Google

Interpretatio hominis privati aliquando præferenda ſenſui generalis Concilii. Gerſon.

Dixi [*cæteris paribus*] quia ſi miniſtri Eccleſiæ communi ſocordiâ & inſcitiâ laborent, ſi negligenter agant, & præjudicio præoccupati concurrant, ſit ſæpenumerò in conciliis etiam ipſis, ut major factio vincat meliorem: imò ut aliquis privatus, implorato Sp. Sancti auxilio, aliiſque adminiculis diligenter adhibitis in ſacris literis & dogmatibus plus videat quàm iſti. Id quod nonnulli ex Pontificiis clariſſimè aſſerunt. Gerſon Academiæ Parienſis Cancellarius de exa-,, min. doctrin. part. 1. Conſider. §. 11. Jungatur huic conſidera-,, tioni cum ſuâ declaratione duplex veritas: prima ſtaret ſi aliquis ,, ſimplex non auctorizatus, eſſet tam excellenter in ſacris literis ,, eruditus, quòd plus eſſet credendum in caſu doctrinali ipſius aſſer-,, tioni quàm Papæ declarationi. Conſtat enim plus eſſe credendum ,, Evangelio quàm Papæ: ſi docet igitur talis eruditus veritatem ali-,, quam in Evangelio contineri ubi Papa neſciret, vel ultrò erraret, ,, patet cujus præferendum ſit judicium. Altera veritas, Talis eru-,, ditus deberet in caſu fidei, dum celebraretur generale concilium, ,, cui ipſe præſens eſſet, illi ſe opponere, ſi ſentiret majorem partem ,, ad oppoſitum Evangelii, malitiâ vel ignorantiâ declinare.

Panormitanus.

Abbas Panormitanus in Cap. Significat Extrav. de electione. In ,, concernentibus fidem (inquit) etiam dictum unius privati præfe-,, rendum eſt dicto D. Papæ, ſi ille moveatur melioribus rationibus ,, novi aut Veteris Teſtamenti.

Picus Mirandulanus.

Johannes Franciſcanus Picus Mirandulanus de ordine credendi ,, Theorem. 16. Si in Concilio pars major contra divinas literas, ,, contraque ea quæ violare nefas eſt, decernere quicquam vellet, ,, cæteris qui pauciores eſſent contrà nitentibus, numero minori ad-,, hærendum eſſet, quemadmodum accidit in Concilio Ariminenſi, ,, & in Epheſino 2. quin imò ſimplici potiùs ruſtico & infanti, & ,, aniculæ, quàm Pontifici Maximo & mille Epiſcopis credendum, ſi ,, contra Evangelium iſti, & illi pro Evangelio verba facerent.

Bellarminus quæſtione ſtatum pervertit.

Bellarm. qui hanc quæſtionem cum eâ de quâ proximè agemus, confundit, ita proponit ſtatum controverſiæ. Num interpretatio Scripturæ ab aliquo viſibili & communi judice petenda eſt, an uniuſcujuſque arbitrio relinquenda. Ineptè arguit, cùm neutra pars quæſtionis ſit neceſſaria, de viſibili & communi judice. Poſteà agendum eſt, uniuſcujuſque arbitrio relinquendam eſſe Scripturam (quod ille nobis ut multa invidiosè ſolet affingere) nemo unquam dixit. Nos autem dicimus, cuique jus eſſe adhibere media legitima ad interpre-

terpre-

Digitized by Google

„ terpretationem: imo ipſe mox ſibi contradicit. Convenit (inquit) „ inter nos & adverſarios, Scripturas debere intelligi eo ſpiritu quo „ factæ ſunt, id eſt, Sp. Sancto. Rectè inquam; proinde non habet Bellarminus adverſarium quo dicit uniuſcujuſque arbitrio relinquen- „ dam eſſe Scripturam. Pergit autem Tota (inquit) quæſtio in eo „ ſita eſt, ubi ſit iſte Spiritus: Nos enim exiſtimamus hunc ſpiri- „ tum, etſi multis privatis hominibus ſæpè conceditur, tamen certè „ inveniri in Eccleſiâ, id eſt, in Concilio Epiſcoporum à Papâ confirmato: & nos etiam certò exiſtimamus Sp. Sanctum inveniri in Eccleſiâ verâ; ſed non ita certè inveniri in Concilio Epiſcoporum à Papâ confirmato, ut illud Concilium errare nequaquam poſſit, poſteà oſtendemus.

Accipimus autem quod dat, hunc ſpiritum multis privatis homi- „ nibus etiam concedi. Poſteà ſubjungit. At (inquit) hæretici om- „ nes hujus temporis docent Sp. Sanctum Scripturarum interpretem „ non eſſe alligatum Epiſcopis vel ulli hominum generi.

At (inquam) id nuper faſſus eſt Bellarminus, cùm dixit hunc ſpiritum multis privatis hominibus ſæpe concedi, nunquid ſeipſum ac- „ cuſat hæreſeos? Verùm (inquit) hinc inferunt unumquemque ju- „ dicem eſſe debere, ſive ſpiritum ſuum loquendo, ſi ipſe donum in- „ terpretationis habeat, ſive alicui alteri adhærendo quem eodem dono prædítum viderit. Sed (inquam) nemo noſtrorum, quos hæreticorum nomine inſimulat, aut ſibi, aut ulli homini, aut cætui judicium auctoritatis abſolutum, & infallibiliter (ut loquuntur) tribuit: ſed judicium diſcretionis, quod Apoſtolus omni homini ſpirituali tribuit, 1. Cor. 2. 15. prout etiam eorum ad quos ſcribit judicium appellat, 1. Cor. 10. 15. 11. *1 Cor. 2. 15. & 10. 15. 11.*

Sententia Proteſtantium.

Sic igitur perplexè & calumnioſe Bellarm. ſtatum controverſiæ præpoſuit, nos autem, quantùm ad præſentem quæſtionem attinet, ſententiam noſtram in tria membra diſtinguimus. 1. Omnibus Chriſtianis, quibus eſt uſus rationis, jus faſque eſt indagare per legitima media ſuprà enumerata verum ſenſum Scripturæ. 2. Omnibus iis licet ſenſum legitimâ ratione inveſtigatum ac inventum aliis privatim communicare ad ſuiipſorum & aliorum ædificationem. 3. Ad omnes eos ſpectat interpretationem aut doctrinam à quocunque traditam examinare ac diſcernere.

Argumentum primum.

Primum membrum ſic probatur. 1. Quorumcunque eſt Scripturam legere & ſcrutari, eorum eſt ſenſum ejus indagare & inquirere: At omni-

Digitized by Google

omnibus Chriſtianis quibus eſt uſus rationis, &c. Ergo minor probata abunde eſt lib. præcedente. Major clara eſt. Siquidem legere & non intelligere negligere eſt, neque quiſquam prudens alio fine legit quàm ut intelligat, neque in Scripturâ verſatus dici poteſt, qui ſenſum ejus aliquâ ex parte non tenet aut non requirit: ſiquidem Scriptura non in nudis verbis, ſed in ſenſu conſiſtit. Unde Hieronymus in cap. 1. ad Galat. „Ne putemus in verbis Scripturarum eſſe „evangelium, ſed in ſenſu, non in ſuperficie ſed in medullâ, &c.

Secundum. 2. Argumentum. Quicunque à Deo promiſſiones habent de intelligentia Scripturæ, eorum eſt mediis uti ad intelligendam Scripturam: At quilibet fideles id genus promiſſionis habent. E. &c. major patet: nam quibus Deus pollicetur auxilium Spiritûs ad aliquid præſtandum, ii bonâ conſcientiâ uti poſſunt & debent legitimis mediis ad ſe pertinentibus & conferentibus ad illum finem; Deus enim Sp. ſui opem pollicetur non ceſſantibus & negligentibus, ſed induſtriis & laborantibus, nec vult ordinarium Sp. ſui auxilium ſeparari ab uſu mediorum. Itaque iſta duo præcepta conjungi ſolent *Ora & Labora.* Qui orat & non laborat Deum tentat: qui laborat, & non orat, impietate laborat, ita fruſtrâ laborat, ſiquidem labor noſter omnes inutilis eſt, niſi Deus auxilium præſtet, & benedictionem addat quam piis precibus à ſe impetrari vult. His conſentanea ſunt iſta veterum adagia, Dii facientes adjuvant, & Cum Minervâ manum quoque move.

Iſ. 54. 13. Ioh. 6. 45. Iſ. 11. 9. Ierem. 31. 3. 4. Minor probatur ex verbis Iſaiæ 54. 13. quæ citantur Joh. 6. 45. *Omnes filii Dei edocti erunt à Deo.* Et Iſ. 11. 9. *Plena erit terra ſcientiâ Jehova velut, &c.* Et Jerem. 31. 3. 4. *Indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inſcribam eam: non docebit ultrà vir proximum ſuum dicens, Cognoſce Dominum, omnes enim ſcient me, à minimo eorum uſque ad maximum.* In quibus locis copia & ubertas cognitionis ſalutaris promittitur ſub Novo Teſt. quam aſſequi nequeunt ſine cognitione ſacrarum literarum quibus hoc elogium tribuitur ab Apoſtolo, *Quod hominem poſſunt ſapientem reddere ad ſalutem*, 2. Tim. 3. 15. Eodem ſpectant verba illa 1. Joh. 2. 20. 27. *Vos unctionem habetis à Sancto illo, & nôſtis omnia: nomneceſſe habetis ut quiſquam doceat vos, ſed unctio docet vos de omnibus.* Quibus verbis complementa illarum promiſſionum ſignificavit in iis ad quos ſcribit Apoſtolus.

2. Tim. 3. 15. Io. 2. 20. 27.

Reſponſiones Bellarmini refelluntur. Bellar. variis modis conatur evitare vim horum teſtimoniorum, ſed noſtri inſtituti brevitati non convenit omnes ejus ineptias refellere.

Non

Non hinc colligimus (ſicut ille nugatur) omnes Chriſtianos intellecturos divinâ revelatione omnia arcana Scripturarum, quod ne ipſi quidem ſanatici Anabaptiſtæ & Enthuſiaſtæ admiſerint. Sed noſtrum argumentũ eſt, quid negare non poteſt, Deum pollicitum eſſe, ac re ipsâ præſtitiſſe ſub N. Teſt quibuſlibet fidelibus per gratiam Sp. ſui uberiorem cognitionem doctrinæ cœleſtis in Sripturis revelatæ, ac proinde ipſarum Scripturarum: etenim quantò magis aliquis intelligit doctrinam in Scripturis revelatam, tantò magis Scripturam intelligit: & cujus rei intelligentiam alicui pollicetur Deus, eandem quærere & acceptâ uti pro menſurâ gratiæ datæ fas eſſe quis dubitet?

Secundum membrum ita perſpicuum eſt, ut nullâ videatur egere probatione. Omne enim verè bonum ſui communicativum eſt, ut loquuntur, & dotes animi communicando augentur, & à Deo etiam conferuntur in uſum aliorum, ut patet ex parabolâ tallenti, & minæ ſervis datæ ad negotiandum Matth. 25. 15. Luc. 19. 13. &c. & ex apertis Apoſtoli verbis, 1. Pet. 4. 10. *Ut quiſque accepit donum, ita alter alteri ſubminiſtrantes, ut boni diſpenſatores variæ Dei gratiæ.* Quibus verbis monet Apoſtolus, ut, quod quiſque donum habet, ad proximi utilitatem referat, ob hanc rationem, quia quicquid accipimus donorum, hac lege accipimus à Deo, ut ſimus ipſius œconomi.

Fidelis quilibet Dei veritatem aliis proponere & à quovis propoſitam examinare jus habet.

Mat. 25. 15.

Luc. 19. 13.

1. *Pet.* 4. 10.

Quod ad tertium attinet, patet ex locis ſuprà citatis Act. 17. 11. 1. Cor. 2. 15. & 10. 15. 1. Theſſ. 2. 21. 1. Jo. 4. 1. quibus adde Jo. 10. 4. 5. & Mat. 7. 15. 16. Ex quibus locis apparet, omnium fidelium eſſe, vocem Chriſti ſummi paſtoris nôſſe & diſcernere à voce alienorum, ſpiritus docentium explorare, omnia probare, omnia dijudicare, per Scripturas examinare an ita ſe habeant quæ ab aliis doceantur, ab erroribus & ſeductoribus cavere, & ex fructibus eorum eos dignoſcere: ex quibus elicitur, omnium fidelium eſſe diligenter in omnia dogmata quæ ipſis proponuntur, inquirere, & inquiſita diſcernere, nec quidquam in cauſa fidei ob auctoritatem Romanam, aut temerè, aut ſine judicio amplecti.

Act. 17. 11.

1. *Cor.* 2. 15.

1. *Theſſ.* 2. 21.

1. *Io.* 4. 1.

Io. 10. 4. 5.

Mat. 7. 15. 16.

(Chryſoſtomus hom. 13. in Acta Apoſtolorum. Certè non eſt
(viri (inquit) accipere ſimpliciter omnia quæ audit; at ſi judicium
(habueris, ac mente omninò quod bonum eſt ſcies: unde multis coarguit eorum prætextum, qui profitentur ſe velle fieri Chriſtianos, ſed dubitare cui parti adhæreant. Nam cùm Scripturas (inquit) accipimus, facilè tibi fuerit judicare cui parti credendum ſit. Etiamſi

Chryſoſtomus.

variè interpretando Scripturas mentem errorum variè ad ſe trahunt: ita Chryſoſtomus requirit hoc diſcretionis judicium ab homine etiam non ut Chriſtiano, ſed Chriſtianæ Religionis ſtudioſo.

Auguſtinus. Auguſtinus verò Confeſſ. lib. 13. ſub finem cap. 22. & toto cap. 23. explicans locum Apoſtoli, 1. Cor. 2. 15. *Quomodo ſpiritualis homo omnia judicet*, docet hoc judicium convenire non ſolùm iis qui ſpiritualiter præſunt, ſed etiam qui ſpiritualiter iſtis ſubduntur maſculis & fæminis; eoſque judicare, & approbare quod rectum, improbare autem quod perperam invenerunt, ſive in ſolennitate ſacramentorum, ſive in vocibus ſubjectis auctoritati verbi Dei, interpretando, diſponendo, diſſerendo, diſputando. At dubitari ſolet de ſenſu loci, 1. Cor. 2. 15. Nam ſi ſpiritualis omnia dijudicet, & rectè judicet, ac quiſque fidelis ſit ſpiritualis (ut ibi docet Auguſtinus) quî fit ut inter ſpirituales tanta ſit diſſenſio? Et ſi ſpiritualis à nemine judicetur, tum in Eccleſiâ tollentur omnia judicia ſuperiorum in inferiores. Reſp. Bonifacius VIII. Papa in Extrav. de Superioritate & obedientiâ cum variis Papæ paraſitis, hæc verba Apoſtoli tantùm reſtringit ad Papam Romanum; ſed ſaniores Pontificii nôrunt hanc eſſe abſurdam interpretationem adeòque ipſe Bellar. c. 10. hujus libri ad arg. 9. latiùs accepit verba, & certè cum Apoſtolus diſertè ibi opponat ſpiritualem animali homini, certum eſt per ſpiritualem intelligi omnem regenitum, ſicut per animalem hominem intelligit omnem non-regenitum hominem. Cùm autem dicit ſpiritualem hominem omnia judicare, & à nemine judicari; accipiendus ſpiritualis homo quâ eſt ſpiritualis, id eſt, quâ à ſpiritu Dei regitur, quâ ratione idem ei tribuitur, quod ipſi ſpiritui Dei à quo regitur; alioqui cum in hac vitâ perfecta non ſit noſtra regeneratio, ut homo tantùm ſit ſpiritualis ex parte, habeatq; carnis reliquias quæ concupiſcunt adverſus ſpiritum, ſit ut interdum labatur, & in errores & vitia, ut ait Jacobus, in multis labimur omnes; unde opus habet non rarò ut ab aliis beneficio ejuſdem ſpiritûs judicetur & corrigatur, ita tamen ut nemini ſpirituali denegetur hoc judicium diſcretionis de quâ agimus, ſecundum menſuram donationis Chriſti, ut loquitur Apoſtolus Eph. 4. 7. in iis quæ ad ſpiritualem ejus vitam & fidem ſpectant: nam ad iſtiuſmodi res reſtringenda eſt hæc univerſalis particula [*omnia*] ut patet ex collatione hujus verſûs cum præcedente.

1. Cor. 2. 15. Quomodo ſpiritualis judicat omnia.

Eph. 4. 7.

Ad exemplum Beræenſium malè reſpondet Bellarm.

Bellar. ad argumentum noſtrum ſumptum ab exemplo Beræenſium, Act. 17, 11. duo reſpondet. 1. Aliam eſſe rationem Judæorum

rum

Digitized by Google

rum Beræenſium, quibus non conſtabat Paulum fuiſſe Apoſtolum, nec tenebantur credere, niſi priùs viderent miracula, aut alias rationes credendi; aliam Chriſtianorum quibus conſtat Eccleſiam non poſſe errare in doctrinâ fidei. 2. Etſi hæreticus peccet dubitando de veritate Eccleſiæ cujus doctrinam deberet ſine examine recipere, tamen non malè facit examinando loca Scripturæ & Patrum à Concilio Tridentino (verbi causâ) prolata an ita ſe habeant; modò id faciat intentione inveniendi veritatem. At (inquam) 1. Hæc petit non probat Bellarminus, cùm ſumat aliam eſſe rationem Beræenſium, aliam Chriſtianorum: fides enim & prudentia quæ laudatur in Beræenſibus, in apertis locis Scripturæ, omnibus mandatur & commendatur, ut ſuprà oſtendimus. Item, cum ſumit, Chriſtianis conſtare Eccleſiam non poſſe errare, præſertim cum intelligat Romanam Eccleſiam, quam erroris & apoſtaſiæ meritò arguimus. 2. A ſcopo aberrat, cùm objicit ſine examine recipiendam eſſe doctrinam Eccleſiæ: neque enim homines audiunt Eccleſiam docentem, ſed hunc vel illum hominem, & nos hoc exemplo oſtendimus omnem docentium doctrinam examinandam eſſe ad Scripturam, tanquam ad Lydium lapidem, ut ita conſtet, num genuinam Eccleſiæ doctrinam tradat.

3. Malignè accommodat verba Act. 17. 11. quaſi Beræenſes tantùm ſpectâſſent, num loca Scripturæ à Paulo citata ita ſe haberent, ſeu fideliter citata eſſent, cùm in textu dicatur Beræenſes ſcrutatos eſſe Scripturas an hæc ita ſe haberent, nempe quæ Paulus prædicabat.

4. Etſi conſtaret omnes debere recipere doctrinam Eccleſiæ, tamen cùm ipſa veritas Religionis controverſias non determinaverit, ut Eccleſia Romana docet, & cùm ſalvâ doctrinâ fidei quæſtio eſſe poſſit de verâ interpretatione multorum locorum Scripturæ, nihil affert Bellarminus quin ob has rationes liceat more Beræenſium ſcrutari Scripturas, & ad eas examinare docentium interpretationes. Interim nos accipimus, quod concedere videtur Bellarm. Beræenſibus quamvis laïcis licuiſſe legere Scripturas ſine aliquâ ſpeciali conceſſione, & potuiſſe etiam legendo intelligere: (alioqui non potuiſſent judicare an hæc ita ſe haberent) & hac ratione, ſaltem illis, quibus nondum conſtat Eccleſiam Romanam eſſe erroris expertem, licitum & utile eſſe legere & inveſtigare Scripturam.

Omnia probate *eſt præceptum commune Chriſtianis non peculiare Epiſcopis.*

Bellar. ad argumenta noſtra ſumpta ex 1. Theſſ. 5. 20. & 1. Joh. 4. 1. duo reſpondet. 1. Paulum & Joannem, cum aiunt *Omnia probate*, & *Probate Spiritus*, non velle dicere, ut omnes in Eccleſiâ id face-

facerent, ſed ut faciant ii ad quos pertinet: ſicut, ſi ſcribatur ad aliquam Academiam, ut examinet aliquem librum, non ſignificatur, ut detur examinandus liber omnibus hominibus illius Academiæ, ſed tantùm hominibus ejus facultatis de quâ liber ille tractat. 2. dicit agi ,, in utroque loco de doctrinâ dubiâ. Non eſt autem (inquit) doctri- ,, na dubia librorum prohibitorum, ſed eſt apertè mala: neque du- ,, bia Conciliorum, ſed eſt apertè bona. At (inquam) prior reſponſio ex textu planè refutatur: in quo tam generaliter traduntur iſta præcepta, quàm quæ præcedunt aut ſequuntur: nec ulla ratio aut prætextus ex textu oſtendi poteſt, quòd reliqua præcepta ſint communia, iſta autem propria Eccleſiarum propoſitis. Nec quidquam ad rem facit ſimile à Bellar. allatum: neque enim ut liber aliquis, verbi gratiâ de re medicâ, alienus eſt à profeſſione Juriſconſultorum, ita doctrina de Religione, quæ ad omnium ſalutem ſpectat, aliena videri debet à quoquam homine præſertim fideli: deinde longè alia eſt ratio de libri artificioſe ſcripti cenſurâ, quæ à peritis in illâ parte facienda eſt; alia doctrinæ propoſitæ omnibus ad credendum, quam quiſque diſcernere debet antequam credat. Unde Chry- ,, ſoſtomus ad fin. hom. 3. in 2. Cor. Ideò (inquit) obſecro & oro ,, vos omnes, ut relinquatis quid nam huic vel illi videatur de his, & ,, à Scripturis omnia inquiratis.

Chryſoſtomus.

Bellarmini ineptia & impudentia.

Poſterior reſponſio ineptiſſima eſt, ſiquidem quod non eſt dubium, examinatione operoſâ opus non habet, ſe facilè probatur. Nihil autem in rebus fidei poteſt eſſe non dubium, niſi ad verbum Dei examinatum, ei conſentaneum eſſe probetur. Cùm autem aſſumit, ea quæ maximè controverſa ſunt, eſſe indubitata, verbi causâ, doctrinam librorum à Pontificiis prohibitorum eſſe apertè malam; & doctrinam Pontificiam (eam enim intelligit per doctrinam Conciliorum, quanquam plurima Concilia etiam generalia aut omninò aut ex parte reprobent) eſſe apertè bonam, quis non hominis impudentiam miretur? Saltem patiatur eos qui dubitant, Spiritus & doctrinam probare. Pontificii autem arcent communiter Laïcos ſive dubitántes, ſive non dubitantes ab iſtâ probatione.

Multi egregii tractatus Theologici Laicorum.

Poſtremò, non difficile eſt in omnibus propè ſæculis exempla oſtendere hominum privatorum & Laïcorum (ut vocant) qui non modò Scripturas ſcrutati ſunt, ſed Theologicos etiam tractatus magnâ cum laude ediderunt. Sed non opus eſt in re manifeſtâ morari; ideoque tranſeamus ad examinanda argumenta Adverſariorum.

Pri-

Digitized by Google

1.Cor.12.8 Non probat ordinariam Scripturarum interpretationem alligari Epiſcopis.

Primum arg. Pontificiorum ex 1. Cor. 12. 8. *Huic quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alii verò ſermo cognitionis, alii prophetia, alii interpretatio linguarum.* Et verſ. 30. *Num omnes linguis loquuntur? Num omnes interpretantur?* Hîc (inquit Bellar.) apertè dicitur non dari omnibus fidelibus Spiritum interpretandi Scripturas. Reſpondeo, Apoſtolum ibi, nomine interpretationis non intelligere ordinariam interpretationem ſensûs Scripturæ, ſed miraculoſam & extraordinariam interpretationem variarum linguarum, quæ nec Papæ nec Conciliis convenit. Et licet concederemus agere Apoſtolum de ordinariâ interpretatione ſensûs Scripturæ, hoc tantùm ex iſto loco colligeretur, non omnibus ex æquo collatum eſſe iſtud donum, aut impoſitum eſſe munus publicum interpretandi Scripturas, adeò ut, licet omnibus fidelibus jus faſque ſit legitimis uti mediis ad interpretatationem Scripturæ conferentibus, non tamen omnes interpretes Scripturæ ſtatim haberi aut dici mereantur. Cæterùm ex eodem cap. clarum eſt, præſertim ex verſ. 11. hoc donum interpretationis, ut & reliqua χαρίσματα ibi enumerata, non eſſe alligata ulli, aut certæ ſectæ, aut hominum generi, ſed diſtribui ſingulis, prout vult Spiritus, quemadmodum experientiâ manifeſtúm eſt.

2. Pet. 1. 20. Nullá Scriptura eſt propria explicationis. Nemo ſeu privatus ſeu publicus, ſeu unus ſeu plures exponere debet Scripturas ex proprio ingenio. ſed ex Spiritu Sancto.

Secundum arg. adverſariorum ex 2. Pet. 1. 20. ubi dicitur, *Omnem propheticam Scripturam non eſſe*, id eſt, (juxta Hebræorum phraſin) nullam eſſe, *propriæ explicationis.* Unde colligunt privatas interpretationes, quæ fiunt à privato Spiritu hîc ab Apoſtolo rejici. Reſp. 1. Hîc à viris doctis obſervatum agi non de interpretatione aliorum interpretum, Scripturam Prophetarum explicantium, ſed de interpretatione voluntatis divinæ, ab ipſis Prophetis in ſuis prophetiis traditâ; ut colligitur ex collatione hujus verſus cum ſequente: ita ut hic ſit ſenſus. Prophetas in edendis prophetiis non fuiſſe interpretes propriorum aut privatorum conceptuum mentis ſuæ, ſed fuiſſe interpretes mentis & voluntatis Dei, cujus Spiritu acti & afflati erant. Cæterùm hac de re non contendemus cum Adverſariis, & concedemus agi de interpretatione Propheticæ Scripturæ, ab aliis interpretibus factâ, & condemnari omninò propriam explicationem Scripturæ. Sed quid (obſecrò) intelligetur nomine propriæ explicationis? An omnis explicatio quæ à privatis quibuſcunque hominibus affertur? At Bellar. fatetur, ut ſupra oſtendimus, Spiritum rectæ explicationis Scripturæ multis privatis hominibus ſæpe concedi. Proinde propria interpretatio quæ hîc rejicitur non eſt

H 2 inter-

interpretatio privati hominis, cui donum interpretationis datum eſt, ſed interpretatio quæ ex privato & proprio alicujus ſenſu pendet, ſive privatus ſit, ſive publico munere fungatur: adeoque opponitur interpretationi ex Scripturâ, beneficio Sp. Sancti collectæ, quæ ſola eſt legitima Scripturæ interpretatio. Certum eſt igitur Scripturas non ex proprio cujuſquam, ſive privati ſive publici hominis, ſive unius ſive plurium ingenio, ſed ſecundum dictamen Sp. Sancti, à quo ortæ ſunt, ex ipſis & ſecundum ipſas exponi debere, prout etiam Arias Montanus rectè annotavit. Si (inquit) Prophetiæ au-

Arias Montanus.

„ ctoritas non ex dicentis voluntate aut libidine, ſed ex dictantis con-
„ ſilio profecta eſt, interpretatio etiam, non ex legentis ingenio, ſed
„ ex Divini ſpiritûs mente petenda eſt. Atque ita nulli licet Scrip-
„ turas ad ſuum placitum interpretari, ſed ad eum, quem illæ ipſæ
„ poſtulant, modum.

1. Jo. 4. 1. Spiritus hominum publicorum non minùs quàm privatorum ſunt probandi.

3. Arg. Adverſariorum ex 1. Jo. 4. 1. *Dilecti, ne cuivis ſpitui credite, ſed probate ſpiritus an ex Deo ſint: nam multi pſeudo-propheta venerunt in mundum.* Ex hoc loco ſic arguit Bellar. Spiritus (inquit) ho-
„ minum privatorum probandus eſt, an ex Deo ſit, multi enim ja-
„ ctant Sp. Sanctum, qui agitantur ſpiritu vertiginis & mendacii.
„ Igitur non poteſt ſpiritus privatus eſſe judex. Quomodo enim erit
„ judex, cum adhuc de ipſo judicandum ſit? Reſp. In hoc argumento varia ſunt vitia. 1. Locum Apoſtoli ineptè reſtringit ad ſpiritum hominum privatorum. Nam textus non magis loquitur de ſpiritu hominum privatorum quàm aliorum, cum jubet *probare ſpiritus, an ex Deo ſint*, additâ ratione, ne ſcilicet, ſeducantur à Pſeudoprophetis & ſeductoribus. Et quis dubitat Pſeudo-prophetas & ſeductores poſſe eſſe etiam homines in publico munere conſtitutos? Certum enim eſt pleraſque omnes hæreſes ab hominibus, qui publico in Eccleſiâ munere functi ſunt, ortas eſſe. Unde conſtat publicorum miniſtrorum ſpiritus (à quibus, cùm errant plus eſt periculi quàm à privatis) non minùs probandos eſſe quàm privatorum? Pronde, ſi rectè arguit Bellarm. colligitur hinc, nec publicum, nec privatum ſpiritum eſſe judicem. Deinde hoc præceptum probandi ſpiritus, eodem argumento patet non reſtringendum eſſe ad Papam aut Concilia, aut etiam miniſtros Eccleſiæ, ſed ad omnes fideles pertinere. Poſtremò, ineptè arguit ſpiritum privatum non poſſe eſſe judicem, cùm de ipſo judicandum ſit, niſi intelligat judicem ſummũ & ſupremum, qualis eſt ſolus Deus. Nam de judice inferiori judi-

cari

cari poſſe à ſuperiori nemo ambigit: ſpiritum autem privatum, id eſt, hominem privatum (ita enim ille accipit) judicem eſſe ſummum de quo judicari non poſſit, nemo unquam aſſeruit. Imò nec judicem propriè dicimus, utpote cui judicium tantùm diſcretionis, non autem juriſdictionis tribuimus, à quo propriè judex denominari ſolet.

Judicium juriſdictionis non diſcretionis denominat judicem.

C A P. X.

In quo proponitur & explicatur ſtatus controverſiæ de normâ, & judice ſenſûs Scripturæ, & omnium controverſiarum.

Super eſt nunc de Interpretatione Scripturæ à nobis conſideranda quæſtio præcipua & longè graviſſima quæ eſt de unicâ infallibili (ut loquuntur) normâ & judice veri ſenſûs Scripturæ, adeoque totius doctrinæ ac fidei Chriſtianæ, & omnium de eâ controverſiarum. Nos hîc duo conjungimus, normam & judicem, quoniam utramque appellationem S. Scripturæ vendicamus, quam metaphoricè normam ſeu regulam (neque ullum aptius proprium vocabulum ſuppetit) metonymicè autem judicem, id eſt, vocem ſummi judicis appellamus. Pontificii autem hæc nonnunquam ſeparant, concedentes Scripturam eſſe normam fidei & doctrinæ, ſed negantes eſſe ſolam & unicam normam. Bellar. lib. 4. de Verbo Dei cap. ult. ait, finem proprium & præcipuum Scripturæ non fuiſſe, ut eſſet norma fidei, ſed ut eſſet commonitorium quoddam utile ad conſervandam & fovendam doctrinam ex prædicatione acceptam; & Scripturam non eſſe regulam totalem, ſed partialem; quia non omnia menſurat; cùm aliqua ſint de fide quæ in ipſâ non continentur. „ Caranza autem inſolentius in primâ controverſiâ. Nos (inquit) di- „ cimus quòd prior regula, & notior & multo latior eſt Eccleſia, „ ſcilicet, quam Scriptura canonica, & hæc per illam debet regulari, non contrà. Similia traduntur ab aliis, qui ſummam regulam volunt eſſe traditionem Eccleſiæ.

Scriptura eſt metaphoricè norma & metonymicè judex. *Concedunt Pontificii Scripturam eſſe normam fidei, ſed partialem, non ſolam & unicam.* *Caranza.*

Sed nos de perfectione Scripturæ & voluntate commentitiæ iſtius regulæ traditionis, poſteà, volente Deo dicturi, ut Pontificiis quibuſcunq; directè hoc loco occurramus, omiſsâ interim ratione normæ, de infallibili judicio aut judice controverſiarum diſputamus; Atque hîc ad explicationem ſtatûs controverſiæ, nonnihil de ſignifica-

tione terminorum *judicis* & *judicii* præmonendum eſt.

Quid eſt judicium diſcretionis.

Judicium autem duplex hîc annumeramus (omiſſis aliis ſignificationibus) nempe judicium *diſcretionis* & *juriſdictionis*. Notum eſt judicium eſſe facultatem animæ, potentiæ cognoſcendi annexam, ut in omni cognitione tam ſenſili quàm intellectuali primò cernatur paſſio in receptione ſpeciei, deinde actio in judicando: Atque ita latiſſimè patet judicandi ſignificatio. Sed preſſiùs & propriè magis in intellectu ſpectatur, in quo dominatur quaſi Prætor, ut ait Scaliger, ad inventorum perpenſionem, quæ eſt manſorum veluti ruminatio ad coquenda conſilia; non eſt tamen judicium (ut volebat idem) reflexio rationis in ſe, ſed rationis revocatio, ſeu, ratio ſe revocans, non propriè ad apprehenſionem, ſed ad rem apprehenſam examinandam & determinandam. 1. Num vera ſit an falſa. 2. Deinde num bona ſit an mala; & in utroque judicio verum ſpectatur; nam de vero aut falſo, bono aut malo ſententiam ſuam ut veram proponit, atque hoc judicium appellamus *judicium diſcretionis*, quià diſcernit inter vera & falſa, bona & mala; neque quiſquam quidquam amplecti, aggredi, vel agere ſciens aut prudens poteſt abſque judicio; ſed ſunt qui temerè ſine idoneâ diſpoſitione & conſilio judicant; alii exactè, præviâ diligente examinatione, & accuratè penſiculatis, quæ oportet, omnibus, ſententiam de aliquâ re ferunt; atque hoc κατ' ἐξοχὴν judicium appellari ſolet; unde illi dicuntur ſine judicio, hi cum judicio aliquid amplecti & aggredi: atque hoc ſenſu ſuperiori capite judicium diximus adhibendum eſſe ab omnibus Chriſtianis in omni doctrinâ religionis recipienda, quod docendi causâ appellamus *judicium diſcretionis*.

Scaliger.

Quid juriſdictionis.

Judicium *juriſdictionis* non aliter differt à judicio diſcretionis, quàm quòd annexam habeat poteſtatem obligandi alios. Judicium cujuſque privati imperium quidem obtinet in animo proprio, cui inſerviunt & parent reliquæ animæ vires & munera. Ad judicium enim parant viam ea quæ præcedunt, ſcilicet munia apprehendendi, inquirendi, ac deliberandi: & judicio obtemperant quæ ſequuntur, vires ſcilicet aſſentiendi, diſſentiendi, volendi, appetendi, averſandi, proſequendi, & fugiendi: ſic judicium juriſdictionis pro ratione dignitatis & muneris quo aliquis fungitur, ad alios extenditur qui ad obtemperandum obligantur. Porrò ab hoc judicio juriſdictionis, non autem à judicio diſcretionis, judex appellari ſolet.

Judicio etiam privati omnes ſuæ animæ facultates obtemperare ſolent.

Iuriſdictio Dei eſt

Juriſdictio alia eſt ſumma & independens; alia ſubordinata & depen-

Digitized by Google

dependens: ſumma & independens vel eſt ſimpliciter & abſolutè tales, vel κατά τι & ſecundum quid: abſolutè talis eſt unius Dei poteſtas & juriſdictio; Summa & independens ſecundum quid, id eſt, inter homines, eſt ſummi magiſtratûs & majeſtatis in terris, nempe quæ à nullo homine dependet, aut cujus rationem nulli hominum qui eam exercet, tenetur reddere, ſed ſoli Deo, qui ſuam poteſtatem & auctoritatem ſicut & nomen ei communicavit. Subordinata & dependens ſimpliciter eſt inferiorum Magiſtratuum, quibus ſuperior Magiſtratus poteſtatem & auctoritatem tribuit & communicavit, ſicut ſummo Magiſtratui Deus.

Summa & independens abſolutè. Iuriſdictio ſummi magiſtratûs eſt ſubordinata ſimpliciter & ſumma ſecundum quid?

Atque hæc quidem in Politiâ cernere eſt, verùm in Eccleſia alia eſt ratio: neque enim Deus dominium tribuit iis quibus animarum curam credidit, nec in regimine Eccleſiæ inſtituit magiſtratus propriè dictos, ſed, reſervato ſibi imperio & dominio, hominibus miniſterium tantùm commiſit, ſuis inſtructionibus & mandatis in doctrinâ fidei & morum alligatum & reſtrictum. Mat. 20. 25. Marc. 10. 42. Luc. 22. 25. Act. 1. 17. 1. Cor. 1. 24. 1. Pet. 5. 3.

In Eccleſiâ ſunt miniſtri non magiſtratus.

Mat. 20. 25. Marc. 10. 42. Luc. 22. 25. Act. 1. 17. 1. Cor. 1. 24. 1. Pet. 5. 3.

Proinde nec Eccleſia, nec homines Eccleſiaſtici quâ tales propriè ſunt judices doctrinæ fidei & morum, aut controverſiarum de iis ortarum, ſed potiùs indices, nuncii, & adminiſtri ejus doctrinæ quam Deus in ſacris literis tradidit, hac lege, ut à Scripturæ normâ nunquàm diſſentiant, aut recedant. Aut ſi judices dicamus, miniſteriales judices oportet intelligamus, nempe, quorum munus eſt ut fidorum miniſtrorum aut præconum ſummi judicis vocem & ſententiam ſecundum mandata ejus, & memoriales literas explicare, à quibus ſi latum unguem recedant, fidem non merentur.

Miniſtri ſunt nuncii & indices, non propriè judices.

Hac ſignificatione & ratione fatemur ſingulos Paſtores & Doctores in ſuis Eccleſiis eſſe judices quæſtionum quæ occurrunt circa Religionem; &, cum ſpiritus prophetarum ſubjiciantur prophetis, controverſias inter miniſtros Eccleſiæ judicandas eſſe ordine ſuo à presbyterio & Synodis particularibus ac univerſalibus. Atque hæc intelligimus de ipſâ doctrinâ religionis ſeu fidei & morum quæ non generaliter modò, ſed ſpecialiter etiam ita perfectè in verbo Dei tradita eſt, ut nihil addi, demi, aut mutari poſſit: non eſt autem hujus loci conſiderare ea quæ ad externum ordinem & diſciplinam Eccleſiæ ſpectant, quæ generaliter quidem præſcribuntur in Scripturâ, ut fiant ordine, decenter, & ad ædificationem Eccleſiæ, 1 Cor. 14. ſed particularia quæ variantur ratione circumſtantiarum judicio Eccleſiæ

Diis poſſunt judices controverſiarum miniſteriales.

De rebus ordinis & diſciplinæ Synodi conſtituunt canones & magiſtratus leges. 1. Cor. 14.

cleſiæ permiſit, cujus eſt in Presbyteriis & Conciliis, non leges propriè loquendo, ſed Canones aut conſtitutiones de iſtis rebus conſtituere (neque enim legum auctoritatem habent, niſi accedat auctoritas Magiſtratûs) & ſecundum eos Canones, & nonnunquam citra eos ſingularia perſonarum facta & dicta examinare & judicare quos etiam, cum uſus poſtulat, mutare poteſt. Pontificii autem in Eccleſiaſtico regimine non minùs quam Politico propriè dictos judices & Magiſtrates ponunt, quales volunt eſſe omnes Epiſcopos; & ſummum judicem dicunt eſſe Eccleſiam, id eſt, (ut ipſi interpretantur) Papam, aut ſolum, aut cum ſuo Concilio; eidemque ſummum imperium, principatum, & Monarchiam in Eccleſiam tribuunt, qui & leges ferre poſſit omnium conſcientias obligantes: imo multò majorem poteſtatem aut prærogativam judicis Eccleſiaſtici quàm politici ſtatuunt: quippe cùm nullus detur princeps, legiſlator, aut judex in politico regimine ab errore immunis, judicem tamen externum Eccleſiaſticum infallibilem dari autumant.

Sententia Pontificiorum.

Sententia Proteſtantium.

Nos autem hoc loco non de proprietate vocis judicis cum Adverſariis litigabimus, ſed de hoc diſputabimus, num detur aliquis judex, ſive propriè dictus ſive miniſterialis interpretationis verbi Dei, & controverſiarum de Religione, qui ſit ἀναμάρτητος, & infallibilis, ut loquuntur: &, ſi nullus talis detur viſibilis judex, ad quem ut ad judicem ſummum confugiendum ſit in omnibus ejuſmodi difficultatibus, & controverſiis. Nos breviter aſſerimus nullum mortalem hominem aut Cœtum judicem eſſe infallibilem; & proinde reliquum eſſe ut confugiamus ad ſolum Deum, tanquam ſummum judicem in Scripturâ loquentem. Pontificii contrà dicunt dari externum viſibilem judicem infallibilem, ſed non conveniunt inter ſe quis ſit ille judex. Non alii volunt eſſe Papam ſolum, alii Papam cùm Concilio, alii Papam dicunt eſſe ſupra Concilium, alii contra: ſententiam autem noſtrâ de Deo judice in Scriptura loquente multum exagitant, in quâ controverſiâ expediendâ, nos primò ſententiam noſtram de Deo unico fallibili judice in Scripturâ loquente propugnabimus; deinde Adverſariorum ſententiam de externo, judice infallibili oppugnabimus.

CAP.

CAP. XI.

De Deo unico infallibili Iudice in Scripturâ loquente.

DEum Opt. Max. ſummum eſſe ac veriſſimum & juſtiſſimum judicem omnium rerum & perſonarum nemo unquam non Atheus dubitavit. (Gen. 18. 25. Iſ. 33. 22. Rom. 3. 6. Ia. 4. 12. Heb. 12. 23.) Sed quoniam Dei judicia in hac vitâ alia ſunt occulta, nec ante ultimum judicii diem retegenda, alia ſunt revelata, ac propterea ab hominibus in hac vitâ agnoſcenda: & nos nunc quærimus judicem ad quem provocare liceat ad omnes controverſias de fide & religione definiendas, ideò reſtringimus quæſtionem noſtram ad Revelatum Dei judicium, ſeu ad Deum judicem ſententiam ſuam de rebus dubiis revelantem, idq; in S. Scripturâ in quâ patefecit quæcunque ad ſalutem ſunt neceſſaria. Deut. 29. 29. *Quæ occulta ſunt, penes Jehovam Deum noſtrum ſunto: at quæ revelata, nobis & filiis noſtris uſque in ſæculum Revelata ſunt, ut faciamus omnia verba hujus legis.* Ita loquitur Sp. Sanctus de lege Moſaicâ, ſeu, de Verbo Dei per Moſen revelato, cui poſtquam acceſſerunt reliquæ partes S. Literarum, tota Scriptura eſt inſtar legis ſecundum quam hic ſupremus judex in hujuſcemodi controverſiis jus dicit, & inferiores omnes judices, aut potiùs miniſtros ſuos judicare vult. Proinde Scriptura appellatur judex metonymicè, cùm ſit vox ſummi judicis & norma omnis judicii Eccleſiaſtici.

Gen. 18. 25. Iſ. 33. 22. Rom. 3. 6. Ia. 4. 12. Heb. 12. 23

Deut. 29. 29.

Scriptura eſt vox ſummi judicis.

Atque ita intelligenda ſunt verba noſtrorum cum Scripturam judicem appellant; aut nomine Scripturæ intelligendus eſt auctor Scripuræ, id eſt, Deus in Scripturâ loquens, alioqui ſtrictè loquendo nomen judicis, quo officium denotatur, non niſi perſonæ competit. Sic Chriſtus Jo. 12. 48. verbo ſuo judicandi actionem tribuit, cùm dicit, *Sermo quem loquutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die.* Itidem Jo. 7. 51. *Nunquid lex noſtra judicat hominem, niſi prius audiverit ab ipſo?* Utrobique eſt verbum κρίνειν judicare, ut vertit vulgatus Interpres. Quod ſi cum Bezâ vertamus *Condemnare*, eôdem res redit, cum condemnare officium ſit judicis, ſicut & abſolvere, Item Heb. 4. 12. Sermo Dei dicitur κριτικὸς, vim habere judicandi, cogitationes & conceptus cordis. Itaque, ſi rectè intelligantur verba, eôdem res redit, dicere Deum, & dicere Scripturam

Scriptura & ſi impropriè verè tamen judicat. Jo. 12. 48. & 7. 51.

Heb. 4. 12.

ram judicem controverſiarum: cùm hic ſit ſenſus, ſupremum judicium Deo in Scripturis loquenti tribuendum; cujus auctoritate omnes controverſiæ de Religione dirimendæ ſunt, ut fides noſtro ejus verbo nitatur. Id quod his argumentis probamus.

In controverſiis ad ſententiam Scripturæ recurrendum. Iſ. 8. 19. Arg. 1. Io. 5. 39.

1. Argumentum, ex apertis S. Scripturæ præceptis quibus mandatur ad judicium Dei in Scripturâ recurrere. Eſaias cap. 8. 19. mittit populum ad Deum ſuum ut ejus judicium conſulat. Sed quâ ratione Deus conſulendus eſt, cùm nunc externâ voce, aut interno afflatu, ut Prophetas olim, homines non alloquatur? Ideo ordinariam rationem ſubjungit. ***Ad legem*** (inquit) ***& teſtimonium***, nimirum ad Verbum Dei Revelatum eos remittit. Sic Chriſtus ipſe Jo. 5. 39. ad Scripturam auditores remittit. ***Scrutamini*** (inquit) ***Scripturas, illæ ſunt quæ teſtantur de me.***

Secundum ex Io. 5. 39. 45. Act. 26. 22.

2. Arg. ab exemplis Doctorum Eccleſiæ θεοπνεύστων qui ad judicium Scripturæ provocârunt, & ex eâ dogmatum ſuorum confirmationem petivêrunt, ut Chriſtus ipſe loco memorato, & in eodem cap. verſ. 45. ad ſcripta Moſis provocat. Paulus Act. 26. 22. profitetur ſe nihil dixiſſe extra ea quæ Prophetæ & Moſes futura prædixerunt. Proinde libentiſſime Moſis & Prophetarum judicium amplectitur. Et paſſim Chriſtus & Apoſtoli doctrinam ſuam ex Vetere Teſt. confirmârunt.

Tertium ex 2. Tim. 3. 15.

3. Arg. ex 2. Tim. 3. 15. ubi dicitur ſacras Literas poſſe hominem ſapientem reddere, ad ſalutem: unde ſic arguo. Quod poteſt hominem ſapientem reddere ad ſalutem, poteſt dirimere controverſias de iis rebus quæ ſunt neceſſariæ ad ſalutem: At Scriptura poteſt hominem ſapientem reddere ad ſalutem. Ergo &c. Minor eſt in textu. Major patet; quia quod reddit hominem ſapientem ad ſalutem, oportet ei patefaciat omnia ad ſalutem neceſſaria: & proinde, ſi quid ad ſalutem neceſſarium eſt occultum, obſcurum, aut dubium, illud reteget, manifeſtabit & demonſtrabit.

Quartum ex Luc. 16. 31.

4. Arg. ex Luc. 16. 31. ***Si Moſen & Prophetas non audient, ne, ſi quidem ex mortuis reſurget aliquis, perſuadebitur eis.*** Unde patet, nullius hominis, ne ſi maximo miraculo à morte reſuſcitatus, à Deo ad prædicandum mitteretur, majorem eſſe auctoritatem quàm Moſis & Prophetarum, id eſt, Scripturæ ab iis traditæ: neque aliter Moſes & Prophetæ tunc aut nunc audiri poſſunt, quàm ex Scripturâ ab iis exaratâ. Siquis excipiat, ibi Chriſtum loqui de teſtimonio Moſis & Prophetarum, non de judicio, ſciat Dei teſtimonia eſſe etiam judicia;

&

Digitized by Google

& proinde pro eodem ſumi in ſacris Literis ut Pſ. 19. & 119. frequenter. Itaque, ſi nemo majorem habeat auctoritatem ad teſtificandum, ita nec ad judicandum majorem habebit poteſtatem. *Pſ. 19. & 119.*

5. Arg. ab iis attributis quæ in ejuſmodi ſummo & infallibili judice requiruntur. Hujuſmodi ſunt 1. ut conſtet eum non poſſe errare. 2. ut ab illius ſententiâ non liceat provocare, & ad eum ab alio judicio liceat appellare. 3. ut nullo partium litigantium ſtudio ducatur, nedum ut ipſe ſit pars aliqua. 4. ut partes ad obedientiam reſtringat. At hæc omnia Scripturæ aut Deo in Scripturâ loquenti, nullique alii competunt, Ergo &c. *Quintum. à proprietatibus ſummi judicis.*

Huc accedunt plurima Patrum teſtimonia, inter quæ hæc pauca ſatis illuſtria quæ ſubjungam.

„ Baſilius magnus Epiſt. 80. ad Euſtathium. Stemus (inquit) arbitratui inſpiratæ à Deo Scripturæ: & apud quos inveniuntur dogmata divinis Oraculis conſona, illis omninò veritatis adjudicetur ſententia. *Baſilius.*

„ Athanaſius in Epiſt. de Synodo Ariminenſi: Fruſtrà circumcurſantes prætexunt, ſe ob fidem Synodo poſtulare, cùm ſit divina Scriptura omnibus potentior. *Athanaſius.*

„ Optatus Milevitanus, lib. 5. adverſus Palmerianum Donatiſtam: Vos dicitis [*licet*;] nos dicimus [*non licet*:] inter [*licet*] veſtrum, & [*non licet*] noſtrum natant animi populorum. Quærendi ſunt judices: ſi Chriſtiani, de utraque parte dari non poſſunt, quia ſtudio veritas impeditur. De foris quærendus eſt judex; ſi Paganus, non poteſt nôſſe Chriſtiana ſecreta: ſi Judæus, inimicus eſt Chriſtiani Baptiſmatis: ergo in terris hac de re nullum poterit reperiri judicium. De Cælo quærendus eſt judex: ſed ut quid pulſamus ad Cælum, cùm habeamus hic in Evangelio teſtamentum? Quia hoc loco rectè poſſunt terrena cæleſtibus comparari. Tale eſt quod quivis hominum habens numeroſos filios, his quamdiu pater præſens eſt, imperat ſingulis. Sic Chriſtus quamdiu præſens in terris fuit (quamvis nec modo deſit) pro tempore, quicquid neceſſarium erat, Apoſtolis imperavit. Sed quomodò terrenus pater cum ſe in confinio ſenſerit mortis, timens ne poſt mortem ſuam ruptâ pace, litigent fratres, adhibitis teſtibus voluntatem ſuam de pectore morituro transfert in tabulas diu duraturas. Et, ſi fuerit inter fratres contentio mota, non itur ad tumulum, ſed quæritur teſtamentum: & qui in tumulo quieſcit, tacitè de *Optatus.*

„ tabulis loquitur vivens. Is cujus eſt teſtamentum in Cælo eſt :
„ ergo voluntas ejus velut in teſtamento, ſic in Evangelio inquira-
„ tur. Etenim præſentia quæ modò facitis, jam futura conſpexe-
„ rat Chriſtus.

Auguſtinus. Auguſtinus tomo 6. in lib. de quinque hæreſibus cap. 6. compel-
„ lans Arianum. Vade (inquit) interpella judicem : habes judicem
„ ordinarium; Et ubi (inquis) iſtum inveniam? Audi Prophetam di-
„ centem Eſ. 33. *Dominus judex noſter, Dominus legifer noſter*; ſic eſt
„ in cælo ut non deſerat terram.

Eodem tomo contra Maximum Arianorum Epiſcopum lib. 3.
„ cap. 14. Nunc nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminenſe tan-
„ quam præjudicaturus proferre Concilium. Nec ego hujus aucto-
„ ritate, nec tu illius detineris. Scripturarum auctoritatibus, non
„ quorumcunque propriis, ſed utriuſque communibus teſtibus, res
„ cum re, cauſa cum causâ, ratio cum ratione concertet.

„ Idem tom. 7. lib. de Unitate Eccleſiæ cap. 3. Non audiamus
„ [*hæc dico, hæc dicis*] ſed audiamus [*Hæc* dicit *Dominus:*] ſint libri Do-
„ minici, quorum auctoritati utique conſentimus; utique credimus,
„ utique ſervimus: ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cau-
„ ſam noſtram.

Et in eodem lib. cap. 4. Quia cum Donatiſtis nobis quæſtio eſt
„ non de capite, ſed de corpore, id eſt, non de ipſo Chriſto, ſed de
„ ejus Eccleſiâ: ipſum Caput de quo conſentimus oſtendat nobis
„ corpus ſuum, de quo diſſentimus, ut per ejus verba jam diſſentire
„ deſinamus. In eodem, lib. cap. 5. Quæque aperta & manifeſta
„ deligamus, quæ ſi in S. Scripturâ non invenirentur, nullo modo
„ eſſet, unde aperirentur clauſa, & illuſtrarentur obſcura.

Eodem tomo lib. 5. de Nuptiis & Concupiſcentiâ c. 33. Iſta con-
„ troverſia judicem requirit, judicet ergo Chriſtus, judicet cum illo
„ & Apoſtolus, quia & in Apoſtolo ipſo loquitur Chriſtus, clamat,
„ & dicit &c. Citat auctor verba Chriſti & Apoſtoli.

„ Idem tom. 8. in Pſalmum 57. Auferantur de medio chartæ no-
„ ſtræ, procedat in medium codex Dei: audi Chriſtum dicentem,
„ audi veritatem loquentem &c.

Eodem tomo lib. de Gratiâ & libero arbitrio cap. 18. Sedeat
„ (inquit) inter nos judex Apoſtolus Joannes, cujus verba citat ex
„ primâ ejus Epiſtolâ.

Ambroſius. Ambroſius lib. 1. de Fide ad Gratianum Auguſtum cap. 4. Nolo
„ argu-

Digitized by Google

„ argumento credas, ſancte Imperator, & noſtræ diſputationi:
„ Scripturas interrogemus; interrogemus Apoſtolos, interroge-
„ mus Prophetas, interrogemus Chriſtum. Quid multa? Patrem
„ interrogemus, cujus honori ſtudere ſe dicunt. Et paulò pòſt. Ita-
„ que tanquam boni gubernatores, fidei vela tendamus, Scriptu-
„ rarumque relegamus ordinem. Et mox teſtimonia Scripturæ
„ ſubjungit.

CAP. XII.

Reſpondetur ad objectiones Adverſariorum contra ſententiam explicatam.

CONTRA hanc quam demonſtravimus ſententiam varia obji- *Scriptura*
ciunt Pontificii. 1. Obj. Omnis mutus ineptus eſt judex. At *loquitur,*
Scriptura eſt muta, Ergo &c. Reſp. Fallaciam eſſe ab ambiguitate *non eſt mu-*
vocis [*muti*] & [*judicis*] prout accipiuntur propriè vel impropriè. *ta.*
Propriè enim ſumptis vocabulis vera eſt major. At in minori Scrip-
tura non propriè, ſed metaphoricè dicitur muta, & in concluſione
metonymicè judex, ut dictum eſt. Fateor, quod Cicero dicit lib.3. *Cicero.*
de legibus, legem eſſe magiſtratum mutum, magiſtratum autem le-
gem loquentem, accommodari poſſe Scripturæ & paſtoribus. Alio-
qui cum Scriptura ſit vox ſummi Judicis ſcripta, & vox ſcripta à vo-
ce prolatâ formaliter, id eſt, ratione ſignificationis non differat, ne-
gari poteſt Scripturam eſſe mutam, cùm Sp. Sanctus teſtetur eam
loqui, dicere, clamare, Rom. 3. 19. *Scimus quæcunque lex dicit, iis qui* *Rom.*3.19.
ſub lege ſunt, loqui Rom. 9. 17. *Dicit Scriptura Pharaoni &c.* Similia *&* 9. 17.
occurrunt Marc. 15. 18. Jo. 7. 28. & 42. Rom. 4. 3. & 10. 8. 11. *Mar.*15.28
1. Cor. 9. 8. Gal. 3. 8. & 4. 30. 1. Tim. 5. 18. Heb. 12. 15. & *Jo.*7.28.
alibi. Sic Rom. 9. 27. Eſaias (id eſt Eſaiæ Scriptura) dicitur clama- *&* 42.
re ſuper Iſraël, Luc. 16. 29. *Habent Moſen & Prophetas, audiant eos.* *Rom.*4.3.
Proinde Moſes & Prophetæ in Scripturâ loquuntur. Sic 2. Pet. 1. 19. *&* 10.8.11
Rectè facitis (inquit Apoſtolus) quòd attendatis ſermoni prophetico. 1.*Cor.*9.8.
Porrò, quid obſtat quin judex poſſit ſententiam ſuam non minùs *Gal.*3.8.
ſcripto quàm voce proferre? Nonne Imperatores, Reges, & ipſi *&* 4.30.
Pontifices Romani per reſcripta & Epiſtolas, leges & canones in- 1.*Tim.*5.18.
terpretati ſunt, & cauſas deciderunt; ut patet ex utroque Jure, Ci- *Heb.*12.15 *Rom.*9 27.
vili ac Canonico? Annon etiam Concilia ſua decreta, quæ judiciales *Luc.*16.29 1.*Pet.*1.19.

 ſenten-

ſententiæ habentur à Pontificiis ſcriptis committunt? Certè Pontificii, quantum in ipſis eſt, Scripturam mutam reddunt, dantes operam ne populo innoteſcat. Nos contrà, omnes ut legant & audiant Scripturam in notâ linguâ loquentem, hortamur. Eodem modo reſpondendum eſt ad alia Adverſariorum convicia potiùs quàm argumenta, cum S. Scripturam appellant, cæcam, ſurdam, &c.

In foro Divino idem accuſator, teſtis, & judex. *Apoc.1.5.*

2. Object. Idem non poteſt eſſe teſtis & judex: At Scriptura eſt teſtis. Ergo &c. Reſp. Diſtinguenda eſt Major. In foro quidem humano, ob infirmitatem humanam, neceſſariò ſeparantur teſtis & judex: at aliter ſe res habet in jure Divino. Deus enim idem poteſt eſſe & judex & teſtis, & accuſator. Sic Chriſtus qui eſt teſtis ille fidelis Apoc. 1. 5. eſt omnium judex; & hoſtium ſuorum quos accuſat, & fratrum ſuorum, quorum eſt Advocatus. Sic conſcientia humana, quaſi Dei vicaria, accuſatoris, teſtis, & judicis munere fungitur. Idem cenſendum de S. Scripturâ, quæ eſt vox Dei. Sic legem Dei David appellat promiſcuè teſtimonia & judicia Dei.

Lex Dei eſt Dei judicum & teſtimonii. *Multa Iudicis externi proprietates Deo conveniunt non omnes.*

3. Objectio. Judex ſupremus talis eſſe debet, qui ab omnibus poſſit adiri; utriuſque controvertentium partis quærelas & apologias audire, explicare, examinare, ita ſententiam inter litigantes dicere ac declarare; ut pars altera ſciat ſe in causâ fuiſſe ſuperiorem, altera inferiorem: denique qui poſſit cogere contradicentes, & transgreſſores ad obedientiam: At hæc non conveniunt Scripturæ, aut Deo in Scripturâ loquenti. Ergo &c. Reſp. 1. ineptè argui à conditionibus civilis judicis, quarum nonnullæ requiruntur ob infirmitatem humanam; quaſi ad humani judicii formulas exigendum ſit Divinum judicium, aut eadem eſſet per omnia ratio judicii civilis & ſpiritualis; quanquam in pleriſque facilè analogia cernitur. Non opus habet Deus ejuſmodi inveſtigatione, diſquiſitione & explicatione, quæ hominibus neceſſaria eſt, & in quæſtionibus facti potiùs quàm juris locum habet. Ille enim omnia ab æterno ſapienter providit, & præclarè. Optatus in teſtimonio ſuprà citato: Præſentia „ quæ modò facitis, jam futura conſpexerat Chriſtus. Ideoque etiam ante controverſias exortas, ſententiam ſuam quâ decidi poſſunt, in Teſtamento ſuo declaravit. Sic 1. Tim.4. & alibi præmunivit Paulus fideles adverſus errores longo pòſt tempore eventuros.

1.Tim.4.

Scripturam autem, aut Deum in Scripturâ loquentem faciliùs poſſe adiri quàm Papam cum Concilio (quem Adverſarii ſtatuunt ſummum judicem) facilè patet. Nec obſtat quòd nonnulli legere non

non poſſint Scripturam: patet enim ad Scripturam aditus, non ſolum cùm ipſe legis, ſed cùm ab aliis lectam audis. Neque neceſſaria eſt externa ſemper præſentia ipſius corporei judicis: ſiquidem, ut dictum eſt, Principes & Pontifices etiam per reſcripta multoties cauſas decidunt & determinant. Poteſtas autem coactiva in rebus ſpiritualibus propriè nulli competit, in quibus ſpectatur animi conſenſus, & voluntatis propenſio. Voluntas autem cogi non poteſt, neque cogi poteſt homo, ſed tantùm perſuaderi, ut aſſentiatur alicui doctrinæ.

Deinde nulli homini datur imperium in animam, conſcientiam, & voluntatem, quod ſoli Deo proprium eſt, qui unus poteſt per verbum ſuum & ſpiritum non cogere propriè, ſed efficaciter perſuadere intellectui, & voluntatem movere ac flectere ad obedientiam fidei. Denique rejectaneos cogere ad æternas pænas ſubeundas. Magiſtratus quidem civilis adigere poteſt homines ad obedientiam externam: ſed non exigit aſſenſum judicii, nec curæ eſt ei utrum voluntati partium arrideat ipſius ſententia an non. Sed qui in rebus ſpiritualibus externam obedientiam aut cultum præſtat, ſine interno mentis aſſenſu & ſtudio, graviter peccat, & hypocritam agit.

Poſtremò, iſta proprietas quam aſſignant judici, ut altera pars litigantium evidenter ſciat ſe viciſſe, altera ſe causâ cecidiſſe, non eſt neceſſaria: Deus in hac vitâ quotidie judicat impios, quibus tamen non ſemper evidenter conſtat ſe causâ cecidiſſe. Satis hoc eſt, quòd Deus in Scripturâ ita perſpicuè declaraverit omnia quæ ad fidem & mores ſpectant, ut, quicunque ſano judicio dat operam Scripturæ, videre queat bonam cauſam probari, malam autem damnari. Alioqui hominibus negligentibus aut male ſanis, ſuo vitio judicium Scripturæ obſcurum aut ignotum eſſe, non eſt abſurdum, quemadmodum in cap. 1. hujus libri oſtendimus.

Sunt enim hæretici, quorum conſcientia cauterio reſecta eſt,
1. Tim. 4. 2. ſunt mente corrupti & amentes, 2. Tim. 3. 8. 9. ſunt *1. Tim. 4. 2.*
ſubjici neſcii, quos transverſos agit turpis lucri cupido, Tit. 1. 10. 11. *2. Tim. 3.*
ſunt qui ſuopte judicio ſunt condemnati, Tit. 3. 11. ſunt quos Deus *8. 9.* *Tit. 1. 10.*
juſto ſuo judicio excæcavit, & quibus efficaciam erroris immiſit, *& 3. 11.*
propterea quod amorem veritatis non recepêrunt. Act. 28. 26. 27. *Act. 28.*
2. Theſſ. 2. 10. 11. Hi, & tales ſi Scripturæ judicium non agnoſ- *26. 27.*
cant, ipſis, non Scripturæ vitio vertendum eſt. Ita, qui ab iis ſedu- *2. Theſſ. 2.*
cuntur, ſuo vitio errant, quòd non eâ, quâ par eſt, fide & diligentiâ *10. 11.*
Scrip-

Scripturas ſcrutantur, & ex eis Dei judicium expiſcantur.

Porrò, nec hæc quam aſſignant Adverſarii proprietas, ipſorum judici viſibili competit. Etenim in judicio fidei, ut aliquis evidenter ſciat ſe causâ cecidiſſe, non ſatis eſt, ut in judicio Politico de rebus externis, ei notam eſſe ſententiam judicis: ſed cùm hæc cauſa conſcientiam attingat, neceſſe eſt ut inſuper ei perſuadeatur, judicem ſic jure ſtatuiſſe, quod non eſt penes judicem terrenum præſtare. Verùm, ſi Adverſarii contendant, opus eſſe, ut in Eccleſiâ talis ſit judex, qui ſaltem ſuam ſententiam notam faciat partibus ligitantibus, nos non repugnamus, & judicium quidem externum miniſteriale in Eccleſiâ agnoſcimus, ſed illud non eſſe ſummum, abſolutum, & infallibile mox oſtendemus.

Scriptura non eſt ſimpliciter obſcura, nec plures ſenſus habet non ſubordinatos.

4. Object. Scriptura ambigua & obſcura eſt, varioſque ſenſus recipit: itaque cùm de ipſius Scripturæ ſenſu dubitetur, quem unuſquiſque ſibi conatur vendicare, nullus erit finis: niſi detur aliquis viſibilis judex qui de vero ſenſu pronunciet. Reſp. Quid ad antecedens hujus argumenti reſpondendum ſit, patet ex præcedenti doctrinâ, in quâ de Scripturæ perſpicuitate & ſenſuum ejus varietate diſſeruimus: ubi oſtendimus Scripturam ita perſpicuam eſſe in neceſſariis, ut, ſi quid obſcuri alicubi occurrat, in alio loco perſpicuè explicetur, adeoque ipſa ſui interpres ſit: unumque duntaxat eſſe unius loci ſenſum, ſive ſimplicem ſive compoſitum: & licet ſenſus compoſitus plures ſenſus ſimplices complectatur, nempe literalem & typicum, nullum tamen hinc oriri incertitudinem, cùm literalis ſenſus in ſe ſit clarus; & typicus in ipſa Scripturâ explicetur. Itaque negandum eſt antecedens argumenti ſi ſimpliciter intelligatur (ut volunt Pontificii) quaſi Scriptura ſimpliciter eſſet obſcura & ambigua varioſque ſenſus reciperet non ſubordinatos, At ſi ita intelligatur antecedens, Scripturam eſſe κατά τι obſcuram, quia quædam Scripturæ loca ſunt obſcura ſeorſim ſpectata, & nonnunquam habere plures ſenſus ſubordinatos, qui ab uno pendent, aut ad unum referuntur, tum inepta eſt conſequentia; quandoquidem omnis obſcuritas in rebus neceſſariis hinc orta in ipsâ Scripturâ illuſtratur.

Porrò, conſequens argumenti eſt etiam ambiguum: nam viſibilis ille judex vel pronunciat ex ipsâ Scripturâ: & in hoc ſenſu nos non negamus viſibilem judicem miniſterialem qui Scripturæ ſit alligatus: vel ex aliis principiis pronunciat, & ſic negamus eum eſſe infallibilem.

Item,

Digitized by Google

Item, cùm dicitur in objectione, *nullum fore finem*, duobus modis intelligi poteſt; vel ex jure, vel ex perverſitate litigantium: ſi priori modo, certè jure finiendæ ſunt controverſiæ per determinationem Scripturæ: ſi poſteriori modo, ob perverſitatem litigantium, nunquam in hac vitâ expectandus eſt finis omnium controverſiarum, ſive detur viſibilis judex, ſive non: alioqui ſi penes viſibilem judicem illorum ſit, finem imponere omnibus controverſiis, cur non id præſtat?

Quare nullus eſt finis controverſiarum.

5. Object. Ad quem hæretici provocant in Religionis cauſâ, non eſt judex: At ad Scripturam provocant hæretici: Ergo &c. Reſp. Major eſt falſa: ſæpè enim accidit, ut utraque pars ad unum & eundem provocet judicem, à quo oportet altera pars damnetur. Imò vel hinc conſtat palàm notum eſſe omnium de Religione controverſiarum judicem eſſe, quia ad eam provocant, non tantùm Orthodoxi omnes, ut Auguſtinus, Optatus &c. ſed etiam hæretici: quod non fieret niſi utriſque notum eſſet, id jus eſſe Scripturæ. Deinde minor eſt falſa, ſi univerſaliter ſumatur, ut præ ſe ferunt adverſarii: Tertullianus lib. de Reſurrectione carnis hæreticos ſui temporis appellat, Lucifugas Scripturarū. Aufer (inquit ibidem) hæreticis quæ cum Ethnicis ſapiunt, ut de ſolis Scripturis quæſtiones ſuas ſiſtant, & ſtare non poterunt. Et Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes cap. 2. Hæreticos dixit, cùm arguuntur ex Scripturis, in earum accuſationem converti: quæ meritò accommodari poſſunt noſtri temporis hæreticis primariis, id eſt, Papiſtis.

Quomodo hæretici provocant ad Scripturas & tamen Scripturas fugiunt.

Tertullianus.

Irenæus.

6. Object. Neceſſarium eſt in Eccleſia aliquem eſſe judicem controverſiarum Religionis: At Scriptura non eſt neceſſaria, fuit enim tempus quo non erat Scriptura. Reſp. Ad minorem. Scriptura neceſſaria eſt vel ratione formæ internæ, quatenus eſt Verbum Dei, vel ratione materiæ & formæ externæ, ſcilicet quà literis exaratur. Nos Verbum Dei abſolutè neceſſarium dicimus: & Scripturam judicem dicimus quatenus eſt Verbum Dei & vox judicis. Verbum quidem Dei ſcribi non erat abſolutè neceſſarium: ſed poſtquam ex inſtitutione divinâ ſcriptum eſt, nunc ex hypotheſi neceſſarium eſt, etiam quà ſcriptum eſt, id eſt, ex voluntate Dei ad ædificationem Eccleſiæ, cumque Scripturæ perfectionem agnoſcimus, ac proinde Verbum Dei integrum eſſe ſcriptum credimus, eodem ſenſu accipimus Verbum Dei, ac Scripturam.

Scriptura ex hypotheſi eſt neceſſaria & verbū Dei eſt neceſſarium abſolutè.

Quod objiciunt, Omnes controverſias de Religione non poſſe ex

Digitized by Google

Scripturis dirimi, aliàs volente Deo conſiderabimus, cum de Scripturæ perfectione agemus.

Hæ ſunt præcipuæ Adverſariorum objectiones, ex quarum ſolutione aliæ leviores facilè dilui poſſunt.

CAP. XIII.

Sententia Pontificiorum explicatur de externo judice infallibili.

HACTENUS priorem partem controverſiæ expedivimus de Deo infallibili judice in Scripturis loquente. Proximum eſt ut oſtendamus, nullum alium dari externum judicem, abſolutum, & infallibilem ſenſûs Scripturæ & omnium controverſiarum de Religione.

De judice controverſiarũ ſententia Proteſtantium.

Quod antequam aggrediamur, operæpretium eſt, ut præter ea quæ cap. 10. diximus nonnulla alia ad ſtatum controverſiæ explicandum adjungamus. Nos quidem unicum ſummum, abſolutum, & infallibilem controverſiarum judicem Deum in Scripturâ loquentem agnoſcimus, & unicuique in Eccleſiâ fideli judicium diſcretionis permitti & mandari aſſerimus, & legitimis prætereà Eccleſiæ Paſtoribus & Doctoribus tum ſeorſim, tum in Concilio convocatis, ſecundum varios gradus judicium juriſdictionis attribuimus, non authenticum, ſed miniſteriale, non abſolutum, ſed reſtrictum & alligatum ad Scripturam tanquam ad legem, non ſummum & ultimum, ſed ſummo iſti ac ultimo ſubordinatum: ita ut provocare liceat à ſingulis ad Presbyterium, à Presbyterio ad Synodos & Concilia, ordine ſuo provincialia, nationalia, & generalia, ſive œcumenica; & tandem ad ſummum illud Dei judicium in Scripturâ loquentis, quod omnibus ſtatim conſulere & exquirere licet in controverſiis fidei & Religionis, de quibus ſolis hîc loquimur.

Pontificiorum rara perplexitas.

Pontificii autem dicunt neceſſariò ſtatui in Eccleſiâ externum judicem abſolutum & infallibilem, cujus judicio ſtandum eſt, & in cujus judicium fides noſtra ultima reſolvenda eſt.

Concilium Trident.

Quanam Eccleſia eſt qua non poteſt errare.

Cum autem quæritur. Quis ſit ille judex? mirâ perplexitate hîc laborant. Solent ſæpè confuſè reſpondere Eccleſiam eſſe illum judicem. Ita Concilium Tridentinum Seſſ. 4. decret. 2. ait Eccleſiæ eſſe judicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum. Hinc Eccle-

Eccleſiam non poſſe errare contendunt. Sed conſiderandum eſt quid Eccleſiæ nomine intelligant. Nunquam illi Eccleſiæ nomine intelligunt cætum efficaciter vocatorum & ſanctorum (quæ eſt maximè propria acceptio Eccleſiæ, prout in ſymbolo ſumitur) ſed cætum externum viſibilem, fidem Chriſti profitentium ſive verè ſive hypocriticè. Atque adhuc in hoc ſenſu Eccleſiæ vox ambigua eſt. Eccleſia enim vel eſt univerſalis, vel particularis. Illi autem particulares Eccleſias errare poſſe concedunt. Eccleſiam autem univerſalem nunc accipiunt pro univerſitate fidelium, id eſt, doctrinam fidei profitentium, (nam illi etiam impios & reprobos fidelium nomine complectuntur) nunc pro univerſitate Epiſcoporum. Bellar. lib. 3. de Eccleſiâ cap. 14. & utrovis modo ſumptam Eccleſiam univerſalem errare poſſe negant, id eſt, ut explicat ibidem Bellar. Quod tenent *Bellarmini.*
„ omnes fideles tanquam de fide, neceſſariò eſt verum & de fide, &
„ ſimiliter, id quod docent omnes Epiſcopi tanquam ad fidem per-
„ tinens, neceſſariò eſt verum & de fide.

Verum hæc explicatio Bellarmini, aut quæſtio de infallibilitate Eccleſiæ ſic explicata, inepta eſt. Nam 1. Quis ſcire poteſt, quid teneant, omnes omninò Epiſcopi, & omnes omninò fideles, nullo excepto. *Quæſtio de infallibilitate Eccleſiæ collectivæ eſt inepta.*

2. Nemo unquam id in controverſiam vocavit, ſit ne illud verum, quod omnes omninò fideles & Epiſcopi tenent tanquam de fide. Facilè enim concedimus & agnoſcimus Deum eam curam gerere Eccleſiæ ſuæ, ut in eâ veritatem neceſſariam, ſaltem apud paucos conſervet: & nunquam prorſus ab eâ, id eſt, ab omnibus omnino Eccleſiæ membris, adeoque ex univerſâ terrâ exulare ſinat.

3. Cùm ait quod omnes fideles tenent de fide, id verum eſſe, quæri poteſt quos intelligat nomine fidelium, an eos tantùm qui fidei ſeu doctrinæ Chriſtianæ omninò adhærent, ut orthodoxos: an etiam eos qui ex parte tantùm adhærent, ut hæreticos. Utrovis modo inanis eſt quæſtio. Nam ſi priori modo intelligantur fideles, quis dubitavit id eſſe verum, quod omnes orthodoxi tenent de fide: ſin poſteriori modo, nempe ſi conveniat inter omnes, & orthodoxos & heterodoxos, de aliquo dogmate, tum certè nulla erit de eo controverſia in Eccleſiâ. In hac autem quæſtione non habetur ratio ſimpliciter infidelium & apertorum Eccleſiæ hoſtium.

4. Cùm in omni cætu præſertim legitimè ordinato, quod à maximâ parte fit, id toti aggregato tribui ſoleat, non aliter diſputatur

Digitized by Google

de Eccleſiæ errore, quàm majoris partis habitâ ratione. Sic Concilium Nicenum dicitur orthodoxum, & Concilium Ariminenſe hæreticum, non ab omnibus ſuffragiis, ſed à majori parte.

Denique à præſenti noſtro inſtituto prorſus alienum, & omnino extra oleas eſt diſputare, num Eccleſia, ſive ſumpta pro omnibus fidelibus, ſive pro omnibus Epiſcopis, errare poſſit. Etenim de infallibilitate (quam vocant) Eccleſiæ hinc orta eſt contenſio inter nos & Pontificios: quod ad Eccleſiam, tanquam ad ultimum & abſolutum judicem ad controverſias in religione dirimendas confugiendum dicant. Sed quis poteſt confugere ad omnes per totum mundum Epiſcopos & omnes fideles? Nec Adverſarii ita dementes ſunt, ut Eccleſiam hoc ſenſu ſtatuant judicem.

Pontificii confugiunt ad Eccleſiam repræſentativam.

Concilium Oecumenicum à Papa convocatum & approbatum poteſt errare.

Ergo cùm ab uno certo externo judice nos pendêre volunt, huc confugiunt: ut Eccleſiam (quam vocant) repræſentativam dicant eſſe judicem. Eccleſia autem repræſentatur à Synodo & Concilio miniſtrorum Eccleſiæ legitimè convocatorum: ſicut in comitiis ordinum regni, regnum ipſum repræſentatur. Pontificii autem fatentur Concilia poſſe errare, non tantùm particularia, ſed etiam generalia & œcumenica, licet legitimè congregata ab ipſo Pontifice Romano ac præſidentibus ipſius legatis, ut patet ex Bellarm. lib. 1. de Conciliis cap. 6. & 7. & lib. 2. cap. 8. & 11. Idem lib. 2. de Conciliis cap. 7. ait legitimum Concilium errare poſſe in his quæ non legitimè agunt, & de facto erràſſe, quando ab Apoſtolicâ fide reprobantur. Et ſic erràſſe dicit quartum œcumenicum Concilium, nempe Chalcedonenſe, quod celebratum eſt circiter annum Domini 454. in quo ad fuerunt Epiſcopi 630. quanquam hoc Concilium ipſe Bellar. inter Concilia generalia à Papâ approbata, atque ab universâ Eccleſiâ recepta recenſuit lib. 1. de Conciliis cap. 5. Idem lib. 2. de Conciliis cap. 2. ait Concilium Baſileenſe Seſſ. 2. unà cum legato Pontificis, communi conſenſu ſtatuiſſe Concilium eſſe ſupra Papam; Quod tamen (inquit) nunc judicatur eſſe erroneum.

Papa cum Concilio eſt judex infallibilis.

Quæ cùm ita ſint, huc tandem deſcendunt, ut dicant Papam cum Concilio eſſe judicem illum infallibilem; & hoc ſe intelligere cùm aſſerunt Eccleſiam eſſe judicem. Sic Bellarm. lib. 3. de Verbo Dei cap. 3. Sed cùm dicunt Papam cum Concilio ſuo eſſe judicem illum, quod tandem Concilium intelligunt? Utrum Concilium generale, an particulare, an Concilium forte Cardinalium? Si ſufficiet Concilium Cardinalium aut particulare aliquod, quid opus eſt (quæſo) Con-

Conciliis generalibus? Siquidem eadem eſt auctoritas Concilii Cardinalium, aut particularis cujuſvis cum Papâ, quæ eſt generalis Concilii: Verùm præ ſe ferre ſolent ſe intelligere Concilium generale. At litigantibus non ſemper præſto ſunt Concilia generalia, quæ rariſſimo & difficillimè celebrantur. Adverſarii autem ſupponunt ſemper neceſſarium eſſe Eccleſiæ judicem hunc externum viſibilem: An fortè dicent ſufficere Conciliorum decreta quæ ſcripta extant? Tùm in promptu erit retorquere eaſdem objectiones quas illi contra Scripturæ judicia oppoſuerunt: ut, cum dicunt judicem non debere eſſe mutum, debere eſſe talem qui poſſit ab omnibus audiri, litigantium querelas audire, examinare, perſpicuè decidere omnes controverſias &c. Si dicant Papam ſemper præſto eſſe, qui viva voce dijudicet controverſias, quorſum Papæ adjungunt Concilium, dicentes [Papam cum Concilio eſſe judicem?] Nam ſi Concilium ſcriptum intelligant, cur non æquè Papam cum Scripturâ, ac Papam cum Concilio judicem ſtatunt? Sin Concilium actu convocatum intelligant, tum vel Papæ ad infallibiliter judicandum neceſſarium eſt illud Concilium, vel non: ſi non eſt neceſſarium, tùm omnis poteſtas infallibiliter judicandi eſt penes unum Papam: ſiquidem is ſine Concilio poteſt infallibiliter judicare, Concilium autem ſine eo nequaquam. Et ſi ita ſit, quid eſt quòd tantò labore convocentur Concilia, cùm poſſit unus homo ex ſcrinio pectoris ſui omnem veritatem effundere, & controverſias determinare. Si neceſſarium ſit ei Concilium, tum tamdiu deeſt Eccleſiæ infallibilis judex, quamdiu non celebrantur Concilia; quod Adverſariis abſurdum videtur.

Concilium Papa non eſt neceſſarium.

Si dicant Papam ſemper convocare generalia Concilia cùm opus eſt, id etiam manifeſtè falſum eſt; nam neque ſemper vult cùm poteſt, neque ſemper poteſt cùm vult: ſicut 300 annis poſt Chriſtum nulla celebrata ſunt Concilia generalia, etſi illo tempore non defuerunt multæ hæreſes, ſchiſmata, & abuſus. Et Bellar. ipſe docet ob hanc & alias rationes Concilia generalia non eſſe abſolutè & ſimpliciter neceſſaria lib. 1. de Conciliis cap. 10. At externum infallibilem judicem eſſe ſimpliciter neceſſarium volunt. Unde ſequitur ex eorum ſententiâ dari externum infallibilem judicem in Eccleſiâ ſine Concilio generali. Neceſſe eſt ergo tandem ut dicant vel Papam ſolum eſſe illum judicem infallibilem, vel Papam cum Concilio ſaltem aliquo particulari.

At hîc miſere diſtrahuntur inter ſe Pontificii. Varii enim inter eos, nec

Multi Pontificii do-

cent Pontificem ut Pontificem hæreticum eſſe poſſe.

„ nec ignobiles auctores (ut oſtendit Bellar. lib. 4. de Pontif. Ro-„ mano cap. 2.) aſſerunt Pontificem Romanum. Non tantùm ut pri-„ vatum doctorem, ſed etiam ut Pontificem, poſſe errare in rebus fi-„ dei, & poſſe eſſe hæreticum & docere hæreſin, ſi abſque generali „ Concilio definiat, & de facto id aliquando accidiſſe. Hanc opinio-„ nem (inquit) ſequitur & tuetur Nilus Archiepiſcopus Theſſaloni-„ cenſis. Eandem ſequuti ſunt aliquot Pariſienſes, ut Gerſon, Jaco-„ bus Almayn in libris de poteſtate Eccleſiæ, nec non Alphonſus „ de Caſtro lib. 1. c. 2. contra hæreſes, & Adrianus 6. Papa in quæ-„ ſtione de Confirmatione, qui omnes non in Pontifice, ſed in Ec-„ cleſiâ ſive Concilio generali tantùm conſtituunt infallibilitatem judicii de rebus fidei. Hanc ſententiam ibidem docet Bellarm. non eſſe hæreticam, & Eccleſiam Romanam tolerare: quippe quam non audet Papa in Concilio damnare, quoniam Eccleſia Gallica Pontificia & infiniti alii eam ſequuntur. Idem Bellar. lib. 2. de Conciliis cap. 5. oſtendit non deeſſe Catholicos (inter quos nominat Cyprianum) qui aſſerunt Concilia particularia à Papâ approbata errare poſſe in fide & moribus, adeoque Papam in Concilio particulari errori eſſe obnoxium.

Nondum Pontificiis certum utrum Concilium ſupra Papam, an Papa ſupra Concilium ſit.

Cæterùm fingamus id quod fieri non poteſt, ſemper præſto eſſe generalia Concilia cum Papâ: at nondum conſtat, nec definitum eſt in Pontificiâ Eccleſiâ, ſit ne Papa ſupra Concilium, an Concilium ſupra Papam, adeoque ſi Papâ à Concilio diſſideat, quod non rarò evenit, utri parti adhærendum ſit. Quæ quæſtio (inquit Bellarm. lib. 2. de Conciliis cap. 13.) uſque ad hanc diem ſupereſt inter Catholicos, id eſt, Pontificios: & proinde inter eos controvertitur, utrum infallibilitas judicii de rebus fidei ſit penes Concilium, an penes Papam. Et quidem Concilium eſſe ſupra Papam definiverunt duo Concilia generalia, nempe & Concilium Conſtantienſe, & Baſilieenſe; quorum iſtud eſt à Martino 5. Papâ comprobatum, & magnâ frequentiâ celebratum, cui intererant Patres ferè mille, ex quibus Epiſcopi plures 300, ut notat Bellar. lib. de Conciliis cap. 7. In nullo autem Concilio generali, ne in ipſo Tridentino auſus eſt Papa alteram partem determinandam proponere: nempe Papam eſſe ſupra Concilium (quanquam eam ſtudioſè aſſerat Bellar. plurimíque alii Papæ aſſentatores) cùm tam magna valida ſit factio contrà ſententium.

Principium in

Atque hoc pacto principium ipſum fidei Pontificiorum, in quod ulti-

Digitized by Google

ultimò fidem reſolvunt, incertum declaratur: ac proinde tota ipſorum religio, tanquam dubia & incerta, vacillet neceſſe eſt. Supponunt neceſſarium eſſe in Eccleſiâ judicem externum infallibilem: atque judicium Eccleſiæ infallibile volunt eſſe primam rationem credendi; & ultimum illud in quod reſolvitur fides, adeò ut ab eo ſuſpendant ipſam auctoritatem Scripturæ quoad nos. At non conſtat inter eos, necdum definitum eſt in ullâ Eccleſiâ, adeoque fas eſt cuicumque dubitare penes quem ſit infallibile illud judicium: & quicquid ab uno hac de re aſſeritur, liberum relinquitur alteri contradicere: ſi ſit in Eccleſiâ Romanâ externus judex infallibilis controverſiarum, cur non definit omnes controverſias inter Pontificios? Saltem cur non hanc primariam definit, unde aliæ omnes pendent controverſiæ ex ipſorum ſententiâ, quis ſit ille judex externus infallibilis? Quid intereſt utrum non detur judex ad quem in omnibus controverſiis confugiendum ſit, an ignoretur quis ſit? Bellarm. ait, eorum ſententiam qui aſſerunt Papam etiam ut Papam & in Cathedrâ poſſe errare, & hæreſin docere, etſi non ſit hæretica, tamen eſſe omninò erroneam, & hæreſi proximam: cur ergo tamdiu toleratur in Eccleſia? Cur non ab infallibili judice planè rejicitur?

quod Pontificii ſuam fidem ultimò reſolvunt, etiamnum ipſiſmet incertum eſt.

Sed licet non audeat Papa in Concilio generali hanc quæſtionem proponere, nedum determinare, certum eſt tamen nunc Papam ſibi ſoli vendicare hanc poteſtatem infallibilis judicii: & per Jeſuitas, aliosque ſuos emiſſarios venditare, ac animis hominum ſuæ ſuperſtitioni addictorum omnibus modis inſinuare. Proinde cum Eccleſiam dicunt eſſe judicem, aut Eccleſiæ auctoritatem obtendunt, nihil aliud niſi μορμολύκειον quoddam aut larvam objiciunt, quâ homines incautos aut imperitos territent vel deludant, cum eo nomine unum Pontificem Romanum intelligant, quem ſolum ab errore in docendo eximunt, in cujus propterea infallibilitate fidem fundandam eſſe prædicant. Id quod Bellar. apertè docet lib. 4. de Rom. Pontif. & lib. 2. de Conciliis, & Coſterus in Enchiridio in loco de Summo Pontif. Sic Gregorius de Valentia Jeſuita tom. 3. in Thom. „ diſp. 1. qu. 1. puncto 1. contextu 6. aperte docet. Nomine Eccle- „ ſiæ intelligimus ejus caput Romanum Pontificem per ſe, vel unà cum Concilio. Omitto hîc quàm abſurdè & prodigioſâ latentiâ unum hominem, nempe Papam Eccleſiæ nomine denotent; & quam frudulenter ſpecioſum Eccleſiæ nomen prætendant, cùm unum Pontificem intelligant.

Eccleſiam Pontifex & Ieſuitæ exponunt Papam ſolum.

Gregorius de Valentiâ.

Cæte-

Cæterùm, ſi (ut Jeſuitæ volunt) auctoritas omnis Eccleſiæ ſit penes Romanum Pontificem, per ſe vel unà cum Concilio, & tam per ſe quàm una cùm Concilio, ac infallibilitas non ſit in cætu Concilii aliorum vel in Concilio Epiſcoporum, ſed in ſolo Pontifice, ut plane docet Bellar. lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 2. quid opus eſt tot ambagibus ad controverſias dirimendas, cùm unus Papa poſſit omnia, penes quem eſt per ſe quæ vult definire, & quos vult in Concilium adhibere aut excludere.

Quod Proteſtantibus incumbit probandum.

Sic oſtendimus, quàm lubrica varia, & incerta ſit ſententia Pontificiorum de ipſo primo principio & fundamento Religionis ipſorum. Quare, cùm illi inter ſe non conveniant, & nobis contra eos omnes agendum ſit, ſic progrediemur. Primò oſtendemus Papam ſine Concilio generali non eſſe judicem infallibilem. 2. Nec Concilium generale, ſive cum Papâ ſive ſine Papâ. 3. Quia Adverſarii ſub Eccleſiæ nomine latêre cupiunt, oſtendemus Eccleſiam non eſſe illum judicem, præſertim ut illi Eccleſiam reſtringunt ad Romanam Synagogam; & omninò nullum dari externum judicem infallibilem omnium controverſiarum de Religione.

CAP. XIV.

Papam non eſſe judicem ſummum & infallibilem.

BELLARMINUS cum totâ fere Jeſuitarum ſectâ omnem Eccleſiæ auctoritatem & judicii infallibilitatem in Papâ reſidere volunt: in cujus judicium tanquam ultimum fidem reſolvunt. Et quia hæc nunc factio in Eccleſiâ Romanâ videtur prævalere, contra eam primò agemus.

Contra infallibilitatem Papæ Arg. 1. Reus non eſt judex.

1. Arg. Cùm maxima controverſia ſit inter Chriſtianos de Pontifice Romano, & in primis de hac poteſtate infallibiliter judicandi quam ſibi arrogat: cum multorum graviſſimorum criminum arguatur, nempe impietatis, tyrannidis in Eccleſiâ occupatæ, depravationis Scripturarum, corruptæ religionis, ac Antichriſtianiſmi, iniquum eſt eum in propriâ cauſâ judicem ſedere, cùm ſit adverſa pars & reus: Item abſurdiſſimum eſt, illud pro principio in diſputando proponere, quod vel maximè controverſum eſt. Annon ſic manifeſtè impudentiam, diffidentiam, & malæ cauſæ conſcientiam prodit Papa cum ſuis aſſeclis, qui cauſam ſuam, omnemque cum aliis controverſiam à nullo alio quàm à ſe judicari permittit.

2. Arg.

Digitized by Google

2. Arg. Si Pontifex ſit judex infallibilis veri ſens ûs Scripturæ, & omnium controverſiarum, cur cunctatur aut tergiverſatur in ſuo officio? Cur non nobis tandem tradit authenticam interpretationem totius Scripturæ? Cur non evolvit eas obſcuritates, ac tollit difficultates, quæ omnium ingenia torquent, ut non ampliùs opus ſit tam multis, tam variis, ac ſæpenumerò contrariis ipſorum Pontificiorum explicationibus? Cur non definit omnes quæ vigent inter ipſos de rebus maximi momenti controverſias, ut contentiones inter *Franciſcanos & Dominicanos* de libero arbitrio & gratiâ, de conceptione Virginis Mariæ, fuerit ne ſine peccato originali an non; & hanc ipſam quæ fons eſt omnium controverſiarum, quis ſit ſummus judex; num Papa major Concilio, cum plurimis aliis? Et enim iſta & ejuſmodi non definit, aut quia non poteſt, aut quia non vult; ſi non vult cùm poſſit, argumentum eſt invidi & illiberalis animi. Si non poteſt, etſi velit, habemus quod volumus. Neque verò hæ & tales controverſiæ levis ſunt momenti, pro quibus partes tanquam pro aris & focis dimicant. Et, ſi leviores cenſerentur, certè, ſi ineptus eſt ad leviores, multò magis ad graviores determinandas; Et ſi aggrederetur earum determinationem, ſtatim ſentiret auctoritatem ſuam à ſuis in dubium vocari. Quàm multa in decretis Concilii Tridentini, verborum involucris & ambagibus de induſtriâ tecta ſunt, ut diſſidentium factionum opiniones involverent & ſuum ſingulis ſenſum relinquerent. Id quod patet ex Petri Soavis hiſtoriâ Concilii Tridentini, & ex ipſis canonibus. Quòd ſi regerant hîc, eadem objici poſſe contra Scripturam, quam nos judicem dicimus; fateor hæc & alia ab iis objici, ad quæ jam reſpondimus. Verùm illi cùm hæc objiciunt Scripturæ Papam aliuſmodi judicem ſtatuunt, qui omnibus examinatis, ita ſententiam dicit, ut altera pars ſciat ſe viciſſe, altera ſe causâ cecidiſſe: ideoque ſuis ipſi caſſibus tenentur.

2. Neque vult neque poteſt multas controverſias determinare.

3. Arg. Si Papa ſolus ſit judex infallibilis interpretationis Scripturæ & controverſiarum, ſaltem eo tempore quo vocat ſedes iſta Apoſtolica, aut cum vitio creantur Pontifices, ortoque ſchiſmate plures eliguntur, deërit Eccleſiæ judex infallibilis, & ſublato principio in quod reſolvunt fidem ſuam, fides eorum labaſcat aut vacillet neceſſe eſt. Etenim qui teſtimonio & judicio Eccleſiæ aut Papæ inniti fidem dicunt, præſentem duntaxat Eccleſiam & Papam intelligunt. Nam quid Pontifices defuncti, aut Eccleſia prioribus ſæculis ſtatuerit, aut docuerit, ex eorum ſententiâ non aliter quam ex teſti-

3. Sæpe non datur Papa.

L monio

monio & traditione præſentis Papæ aut Eccleſiæ ſciri poteſt. Quid ergo fiet ab illis, qui omnia ad Papam referunt, cùm nullus extat Papa, aut quis ſit, ſciri non poteſt. Genebrardus in Chronologiâ ſuâ enumerat ejuſmodi ſchiſmata plura quam viginti, & Onufrius viginti ſex ſchiſmata enumerat, quorum vigeſimum primum, & vigeſimum ſextum 40 circiter annos durârunt: quo tempore plures Pontifices, modò duo, modò tres inter ſe dimicabant. Bellarminus de Pontif. Rom. lib. 4. cap. 14. ait, tempore Concilii Conſtantienſis tres fuiſſe qui Pontifices haberi volebant Gregorium XII. Benedictum XIII. & Joannem XXIII; nec potuiſſe facilè judicari quis eorum verus ac legitimus eſſet Pontifex, cùm non deeſſent ſingulis doctiſſimi patroni. Cæterùm poſt longam contentionem, iis omnibus depoſitis, Concilium illud alium ſubſtituit.

Genebrardus. Onufrius.

4\. *Nunquam poteſt certò ſciri legitimus Papa.*

4\. Arg. Si certitudo doctrinæ fidei quoad nos à Papæ judicio dependeat, neceſſe eſt ut certitudine fidei, aut ſaltem non minore certitudine dignoſcatur verus ac genuinus Papa: At poſterius eſt falſum: E. & prius. Major patet, nam nulla certitudo ex incerto principio colligi poteſt. Minor probatur, non tantùm ob rationem ſuprà allatam tempore ſchiſmatis, ſed etiam quocunque alio tempore, ex iſtis hypotheſibus Pontificiis. 1. Neceſſariam abſolutè eſſe intentionem miniſtri ad conficiendum Sacramentum. 2. Neceſſarium eſſe Pontifici Sacramentum Ordinis. 3. Hominem non baptizatum nullius ordinis eſſe capacem. Unde ſequitur, cùm nemo poſſit eſſe certus de alterius hominis intentione, neminem eſſe certum utrum Papa fuerit verè Baptizatus, aut verè ordinatus. His adde: cum ad Epiſcoporum legitimam ordinationem ſtatuant neceſſariam eſſe ſucceſſionem nunquam interruptam, ſi in totâ illâ ſucceſſione defectus unquam fuerit intentionis in miniſtro Baptiſmi aut ordinationis, quicunq; poſteà ſucceſſerunt Epiſcopi aut Pontifices, non erunt legitimi. Præterea, ſi Simonia interceſſerit, ordinatio nulla eſt, ut patet ex Jure Canonico apud Gratianum in Leonis decreto, Cauſa 2. q. 1. Con. *Gratia*; & ex Bullâ Julii II. editâ an. 1505. Proinde, ſiquis Papa fuerit Simoniacus, non erit legitimus, & omnes ordinationes, ſive mediatè ſivè immediatè ab illo procedentes quantâcunque temporis ſerie, nullæ habentur, quippe factæ à non habente poteſtatem. At multos Pontifices, per Simoniam ſe intruſiſſe, ex ipſorum Pontificiorum hiſtoriis notiſſimum eſt. Inter alios videte Baronium, Annalium tom. 9. ad annum Chriſt. 912. §. S. Genebrardum Chronologiæ

lib. 2.

Digitized by Google

lib. 2. ad annum 901. De Alexandro VI. homine profligatiſſimo idem teſtatur Guicciardinus, variique alii hiſtorici.

5. *Papa poteſt eſſe & ſæpe fuit hæreticus ac flagitioſus. Bellarm. præf. de Pontif. Rom. Coſterus in Enchiridio.*

5. Arg. Cùm ipſi Pontificii ultrò concedunt Pontifices Romanos poſſe eſſe homines ſceleratiſſimos, ac perditiſſimos, idq; ſæpenumerò accidiſſe; & ex iis etiam optimos, non tantùm in controverſiis facti particularibus, ſed etiam in quæſtionibus juris univerſalibus, tam fidei quàm morum, ut privatos doctores poſſe errare; nec aliter eos ab errore eximunt, quàm quatenus ut Pontifices ex Cathedrâ publicè docent, ut oſtendit Bellar. in præfat. de Pontif. Rom. & lib. 4. cap. 2. quomodo quæſo, poteſt omnibus fidelibus certò conſtare, quorum fidem à Romano Pontifice pendêre volunt, quando, & quid, non ut privatus Doctor, ſed ut Pontifex è Cathedrâ doceat Papa, cùm rarò publicè doceat, & poſſit etiam publicè docere, ut privatus Doctor: cumque inter ipſos Pontificios Doctores hac de re non conveniat, qui de multis decretis adhuc ipſi dubitant, an ea Pontifex emiſerit ut Pontifex, an ut particularis Doctor. Sic multa in dubium vocantur, quæ continentur in ipſis Pontificum epiſtolis decretalibus, ut oſtendit Bellar. lib. 4. de Pontifice cap. 14.

Sed adhuc multò magis fluctuabit fides ſimplicis Papiſtæ, cùm ex ſententia doctiſſimorum Pontificiorum Papam poſſe eſſe hæreticum cognoverit, id eſt, in rebus fidei pertinaciter & obſtinatè errare. Nam Liberium Papam conſtat fuiſſe Arianum, & Anaſtaſium Papam faviſſe Neſtorianis, qui hiſtorias legerit, non dubitat, inquit Alphonſ. de Caſtro adverſus hæreſes lib. 1. cap. 4. Quæ cùm ita ſint, quàm incerta & lubrica erit fides hominis Chriſtiani, ſi eam ab uno homine quantumlibet flagitioſo & hæretico pendêre ſit neceſſe? *de Caſtro.*

6. *A Papa ſententiâ licet diſſentire ſine notâ hæreſeos.*

6. Arg. Si Pontifex eſſet unicus judex infallibilis in Eccleſiâ, tum nemo poſſet ab ejus publicâ ſententiâ diſſentire ſine notâ hæreſeos aut ſchiſmatis: At poſterius eſt falſum. Ergo & prius. Minor probatur variis exemplis. 1. Cùm Victor Epiſcopus Romanus totius Aſiæ parœcias unà cum vicinis Eccleſiis, ac cunctos illic fratres excommunicatos denunciâſſet, ob diſſidium de die Paſchatis celebrando: non deerant varii Epiſcopi pii & orthodoxi qui hoc ſibi diſplicere profeſſi ſunt, & Victorem hoc nomine acriter reprehenderunt: inter quos erat Irenæus, qui hac de re ad Victorem, nomine fratrum per Galliam, quibus præerat, ſcripſit; ut teſtatur Euſebius hiſt. lib. 5. cap. 23. 2. Cyprianus acerrimè reſtitit Stephano Epiſcopo Romano in quæſtione de hæreticis rebaptizandis; ut patet *Irenæus. Cyprianus.*

ex epiſt. ipſius Cypriani ad Pompeium. Quâ in re etſi erravit Cyprianus, non tamen aut hæreticus aut ſchiſmaticus exiſtimatus eſt ob diſſenſionem cum Epiſcopo Romano; quod Bellar. ipſe concedit de Rom. Pontif. lib. 1. cap. 7. & de Conciliis lib. 2. cap. 5. Nihil occurrit Bellarmino quod hîc reſpondeat, quàm Stephanum non definiviſſe tanquam de fide; hæreticos non rebaptizandos, propterea quod non excommunicaverit Cyprianum, & alios contra ſentientes. Attamen ipſe fatetur Stephanum id ſtatuiſſe ſub pœnâ excommunicationis, ut patet ex Euſeb. hiſt. lib. 7. cap. 4. Auguſtini lib. de myſticâ unione cap. 14. Quod autem Pontifex decrevit ſub pœnâ excommunicationis, id non ut privatus Doctor, ſed ut Pontifex decreverit, neceſſe eſt. Cæterùm quòd non proceſſerit excommunicatio, morte Stephani, ac non ipſius æquanimitate factum eſt: nam biennium tantùm Eccleſiæ Romanæ præfuit. 3. Athanaſius injuſtiſſimè à Liberio Papâ excommunicatus, ab ejus ſententiâ in rebus fidei juſtiſſimè diſſenſit: quâ de re plura mox.

Athanaſius.

7. *Pontifices errârunt frequenter.*

7. Arg. Non deſunt exempla quibus oſtenditur ſummum, quem vocant, Pontificem in publico munere erràſſe, cùm in Eccleſiâ Judaicâ, tum Romanâ.

Aaron.

In Eccleſiâ Judaicâ, 1. Aaron erravit, cùm miniſter fuit Idololatriæ, conflando vitulum, & univerſum Populum hortando, publicato feſto Exod. 32.

Urias. *2. Reg. 16. 10.*

2. Urias erravit, cùm ex mandato Achazi Regis contra legem Dei extruxit novum altare in templo ad formam altaris Damaſceni, & in eo ſacrificia obtulit, 2. Reg. 16. 10.

Reſpondent Pontificii, Uriam non erràſſe tanquam judicem in dirimendâ controverſiâ legali, ſed in facto: quæſtionem autem non eſſe, utrum Pontifex poſſit in aliquo facto errare, ſed an errare poſſit in ſententiâ publicè ferendâ circa controverſiam Religionis. At hoc reſponſo nihil futilius: plus enim eſt hoc publico facto Regis errorem confirmâſſe, & populo univerſo errandi anſam præbuiſſe, quàm ſi ſolo verbo errorem probâſſet. Et quis neget hinc errorem in conſtituendo publico Dei cultu eſſe errorem publicum publicè à Pontifice approbatum, adeoque quis eum habebit pro infallibili judice Religionis qui ſuperſtitionem impiam publicè in Eccleſiam inducit & fovet?

Caiphas.

3. Caiphas erravit, qui publico decreto in publico Concilio Chriſtum morti adjudicavit. Ad hoc variè varii Pontificii reſpondent:

dent: Bellarminus autem, aliarum reſponſionibus rejectis & refutatis lib. 1. de Conciliis cap. 8. ait Pontifices & Concilia Judæorum non potuiſſe errare antequam Chriſtus veniret, ſed eo præſente po-
„ tuiſſe. Sicut enim (inquit) non eſt neceſſarium ut Vicarius Papæ
„ non poſſit errare, cùm ipſe Papa regat Eccleſiam, & ab errore
„ defendat: ſic non fuit neceſſarium ut Pontifices Judæorum non
„ poſſent errare, quando Chriſtus ſummus Eccleſiæ Pontifex ad-
„ erat, & Eccleſiam per ſe adminiſtrabat. Sed hæc gratis à Bellarmino dicuntur, qui nunquam probavit ſummum Sacerdotem non potuiſſe errare tam ante quàm poſt Chriſtum. Et ſimilitudo inepta eſt, cum non minùs veriſimile ſit in præſentiâ Domini quàm abſentiâ ipſius, vicarium poſſe reddi immunem ab errore: & Chriſtum ſemper præſentem eſſe Eccleſiæ, uſque ad conſummationem pateat ex Matth. 28. ultimo. *Matt. 28. ult.*

Sequuntur exempla Pontificum Romanorum qui in publicos errores incidêrunt: ex quibus tantùm graviores aliquot recenſibimus, qui hæreſin aut Apoſtaſiam ſapiunt. *Elentherius Montaniſta.*

1. Tertullianus in initio lib. contra Praxeam ſcribit Romanum Pontificem (is erat Elenthecius, aut, ut alii volunt, Zepherinus) agnoviſſe prophetias Montani, ac Priſcæ & Maximillæ, quæ propheтiſſæ Montani ab ipſo inſpiratæ dicebantur, & ex eâ agnitione pacem Eccleſiis Aſiæ & Phrygiæ, à Montano ſcilicet corruptis obtuliſſe; ſed poſteà à Praxeâ perſuaſum, literas pacis jam emiſſas revocâſſe, cùm prædeceſſores ejus illam hæreſin antea damnaverint. *Tertullianus.*
Unde B. Rhenanus (quanquam alioqui Pontificiæ auctoritatis ſatis pertinax aſſertor) in annotationibus ad Tertullianum, ponit hoc loco in margine, *Epiſcopus Romanus Montanizat*, id eſt, Montanum hæreticum ſequitur. Bellar. reſpondet, non eſſe omninò fidem habendam Tertulliano in hac parte, quandoquidem ipſe Montaniſta erat. Sed credibile eſſe Pontificem Romanum à Montaniſtis perſuaſum fuiſſe, Montani doctrinam non eſſe diverſam à doctrinâ Romanæ Eccleſiæ, & ideò voluiſſe eis pacem reddere, quam abſtulerant ipſius prædeceſſores, non quòd approbaret errorem Montani, quem ſui majores improbaverant, ſed quòd arbitraretur falsò de illis erroribus accuſatos fuiſſe Montaniſtas: unde concedit, Papam errâſſe, non circa fidem, ſed circa perſonam. Atqui hîc Tertulliani aſſertioni de re ſibi notâ quæ ſuo tempore accidit, magis fidendum, quàm Bellarmini de re antiquiſſimâ nullâ auctoritate nitentis *B. Rhenanus.*

Digitized by Google

conjecturæ, & vafrâ excuſatione, quo jure quâvè injuriâ Pontificiam auctoritatem evehentis.

Marcellinus Idololatria.

2. Marcellinus Pontifex, ſive pretio corruptus, ſive metu adactus, ethnico ritu Idolis ſacrificavit, quod ipſe confeſſus eſt in Concilio Sinueſſano 300. Epiſcoporum, ut patet ex actis ejuſdem Concilii: idemque conſtat ex Pontificali Damaſi Papæ, & Epiſtolâ Nicolai I. Papæ ad Michaelem, & omnium Latinorum, quotquot ſcripſerunt vitas Pontificum Romanorum: Baronius ad annum 302. numero 95. ait hæc hujus immolationis acta extare, venerandâ antiquitate adeò ſignata, & veteribus teſtata monumentis, ac tabulis Eccleſiaſticis conſignata, ut ab his deſciſcere ſtultum, & tot teſtibus obniti temerarium exiſtimari poſſit. Nihilominùs tamen ibidem de veritatis certâ fide dubitari poſſe ait ob quaſdam rationes. Sed tamen in ſecundâ editione annalium ad annum 303. art. 100. mutat ſententiam, & ex profeſſo impugnat argumenta quibus veritas hujus hiſtoriæ, aut acta Synodi Sinueſſanæ labefactari videbantur.

Baronius ſibi contradicit.

Liberius Arianus manifeſtarius.

3. Liberius Epiſcopus Rom. cùm primo pro Athanaſio & orthodoxâ fide Arianis fortiter obſtitiſſet, ejectus Româ propterea à Conſtantio Imperatore, cùm exulâſſet triennium, tandem fractus exilii tædio, aut quâcunque aliâ ratione permotus conſenſit Imperatori; ut Athanaſii condemnatione approbatâ cùm Arianis communicaret: unde ipſe Arianus appellatur à Plurimis etiam Pontificiis. „ Et ſane (inquit Bellar. lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 9.) hujus ſen„ tentiæ graviſſimi ſunt auctores, putà Athanaſius in epiſt. ad ſoli„ tariam vitam agentes; Hieronymus in Chronico, etiam in Catalogo ſcriptorum, ad nomen Fortunatiani, & Damaſus Papa in vita Liberii, quibus & addit Hilarium in lib. adverſus Conſtantium, qui apertè tradunt Liberium ſubſcripſiſſe hæreſi Arianæ. Bellarminus tamen in eo capite, ſicut & Baronius Cardinalis ad annum Chr. 357. Art. 46. quantum poſſunt, extenuant Liberii factum, ne hæretici nota ei inuratur. Sed negare non poſſunt cum maximo Eccleſiæ ſcandalo erráſſe. Et disertè Baronius ibidem ait Liberium excuſari non poſſe, quin communionem inierit cum Arianis, & ſententiam in Athanaſium ab iis latam ratam habuerit. Id quod clariſſimum eſt ex ipſius Liberii literis, quas recitat Baronius, tum illis publicis quas ſcripſit ad orientales Epiſcopos, qui ex Oriente ad Synodum Syrmienſem convenêre, tum aliis privatis literis quas ſcripſit ad Urſatium. Valentem, atque Germinium Epiſcopos Arianos, qui gratiâ apud

apud Imperatorem maximè volebant: ubi apertè ſcribit ſe aſſentiri condemnationi Athanaſii, ſeque ipſum excommunicâſſe eum, & profitetur ſe pacem & unitatem habere cum univerſis Orientalibus Epiſcopis. Notiſſimum autem erat Liberio, & Epiſcopos quibuſcum communicaverat, unitatemque profitebatur, fuiſſe hæreticos; & Athanaſium ejectum fuiſſe ab Arianorum factione, quòd ſententiæ Concilii Niceni adhærens, eorum hæreſi reſiſteret, prout etiam agnoſcit Bellarminus.

Sed Bellarminus reſpondet, Liberium peccâſſe tantùm actu externo, non autem in doctrinâ; quòd vanum eſt. Etenim publico iſto facto hæreſin docuit & promovit in publico Eccleſiæ ſchiſmate. Et ipſe Liberius in Epiſtolis ſuis quas citavi, negat ſe externo tantum actu, ſed verè & ex amino, & coram Deo conſenſiſſe hæretico Imperatori, & Epiſcopis. Unde Platina eum immeritò numerari inter Pontifices pronunciat. Et Lyranus in Zach. 11. ait Liberium dici paſtorem ſtultum, eò quod fuerit finaliter Arianus. Sed perinde eſt, ſi concedamus Liberium tantùm actu externo & ſimulatè cum Arianis communicâſſe, licet in mente retineret veritatem. Nam ſicut Papiſtæ Papam, quantumvis hypocritam, & animo ſuo errores occulentem credunt eſſe infallibile caput Eccleſiæ, eò quòd definiat actu, ſaltem externo veritatem: ſic quamvis Liberius in mente reconditam ſervârit veritatem, nihilominus publicè hæreſin promovit, cum actu illò externo, palam hæreticæ confeſſioni ſubſcripſit, Athanaſium pium excommunicavit, quem ſciebat causâ fidei perſecutionem pati, & cum hæreticis communicavit, ac conſenſum palam profeſſus eſt. Unde Bellarm. de Pontif. Rom. lib. 4. cap. 9.
„ Tametſi (inquit) Liberius hæreticus non erat, tamen habebatur
„ hæreticus propter pacem cum Arianis factam, & ex eâ præſump-
„ tione meritò potuit ei Pontificatus abrogari; non enim homines
„ tenentur ut poſſint corda ſcrutari; ſed quem ex ejus operibus hæ-
„ reticum eſſe vident, ſimpliciter hæreticum judicant, ac ut hære-
„ ticum damnant.

4. Eodem tempore Felix II, cum manebat in exilio Liberius, in ſedem Epiſcopatus Romani intruditur à Conſtantio Imperatore, Urſatioque & Valente Epiſcopis Arianis: qui propterea cum Arianis communicavit, & Arianos etiam Epiſcopos ordinavit: ac propterea (ut teſtatur Theodoretus hiſt. lib. 2. cap. 17.) nemo civium Romanorum in ædem orationis eſt ingreſſus, cum ipſe intus foret. *Felix etiam craſſus Arianus.*

Hæc

Puerilia Bellarmini effugia. Hæc quidem vera eſſe agnoſcit Bellar. ſed, ut cauſæ ſerviat, mirum prætextum comminiſcitur. 1. Liberium fuiſſe verum Papam, cùm in exilium mitteretur, Felicem verò in ejus locum intruſum non fuiſſe initio verum Papam: poſt biennium verò, lapſo, ut dictum eſt, Liberio, Felicem cæpiſſe eſſe verum Papam, & Liberium fuiſſe Antipapam, abrogatâ ſcilicet ejus dignitate à Romano Clero: denique poſt mortem Felicis, Liberium rurſus verum Papam extitiſſe. At certè hæc commenta, quæ nullâ auctoritate probabili Bellarm. aſſerit (ut alia omittam) parùm conſentanea ſunt ipſius doctrinæ: qui in lib. 2. de Conciliis cap. 17. & 18. probare nititur ſummum Pontificem ſimpliciter & abſolutè eſſe ſupra Eccleſiam univerſam, ut à nullo in terris judicari poſſit, imò nec ſe poſſit ſubjicere ſententiæ coactivæ generalis Concilii. Quare cùm ponat Liberium initio verum Papam extitiſſe: & nunquam in hæreſin incidiſſe, quâ auctoritate agnoſcet ei in audito ac invito Pontificiam dignitatem poſſe abrogari? Deinde cùm Liberium dicat depoſitum eſſe à Clero Romano propter lapſum, neceſſe eſt ut agnoſcat eum lapſum fuiſſe, cùm legitimus erat Pontifex, & in publico munere lapſum eſſe, adeoque erràſſe ut Papam: alioqui non temerè concedet, ob privatos errores Papam poſſe deponi à Clero ſuo.

Anaſtaſius Neſtorianus. 5. Anaſtaſium II. Papam faviſſe Neſtorianis hæreticis, qui hiſtorias legerit, non dubitabit, inquit Alphonſ. de Caſtro lib. 1. adverſus hæreſes cap. 4. Nam id diſertè teſtantur Damaſi Pontificalis in vitâ Anaſtaſii, Gratianus diſtinct. 16. can. Anaſtaſius Platina, multique alii: quorum teſtimonia elidere aut eludere fruſtra conantur Bellarm. & Baronius.

Honorius Monothelita. 6. Honorium Papam fuiſſe hæreticum Monothelitam; qui in Chriſto unam tantùm voluntatem agnovit, non duas, divinam ſcilicet & humanam; mille teſtibus probari poteſt: quippe quia hoc nomine poſt mortem damnatus eſt, & hæreticus habetur in Concilio 6. generali Conſtantinopolitano, & Concilio Niceno 2. (quæ duo Concilia Pontificii agnoſcunt verè œcumenica eſſe, & irrefragabilia, quippe à Pontifice confirmata) ut videre eſt in actione 12. & 13. Concilii illius Conſtantinopolitani, & ex actione ultimâ Concilii Niceni ſecundi. Porro Leo II Papa in epiſt. ad Conſtantinum Imperatorem inſertâ actioni 18. Concilii iſtius Conſtantinopolitani, hanc ob cauſam Honorium anathematizat. Idem probatur etiam ex octavâ Synodo generali, quæ etiam Conſtantinopoli

habita

Digitized by Google

habita eſt; in cujus actione 5. legitur & probatur Epiſtola Concilii Romani ſub Hadriano II. Papâ, ubi Papa cum Concilio aſſerit Honorium fuiſſe damnatum ob hæreſin iſtam. Idem teſtantur varii ſcriptores antiqui Græci & Latini, ut Tharaſius Epiſcopus Conſtantinopolitanus in Epiſtolâ ad Patriarchas quæ habetur in Concilio Niceno 2. actione 3. Theodorus eum Synodo ſuâ Hieroſolymitanâ in Confeſſione fidei quæ habetur eadem act. 3. Epiphanius reſpondens Gregorio hæretico in conſpectu ejuſdem Concilii act. 6. Pſellus in Carmine de ſeptem Synodis, liber Pontificalis in vita Leonis II. Beda de ſex ætatibus in vitâ Conſtantini IV. Imperatoris, Nilus Archiepiſcopus Theſſalonicenſis; & ex Papiſtis recentioribus Canus in lib. 6. de locis cap. ult. Franciſcus Torrenſis in libro quem edidit contra Piggium de actis Synodi illius Conſtantinopolitanæ.

Bellarmini & Baronii reſponſiones confutata.

Contra tantas teſtium copias impudenter contendunt non nulli Pontificii, præſertim Bellarminus & Baronius, Honorium non fuiſſe omninò hæreticum, ſed orthodoxum, & in ejus defenſionem varia comminiſcuntur. 1. Reſpondent, fortaſſe Epiſtolas illas Honorii, ob quas damnatus erat, eſſe confictas & inſertas Concilio illi generali Conſtant. ab hæreticis, & proculdubio Honorii nomen fraudulenter inſertum eſſe ab æmulis Romanæ Eccleſiæ inter eos qui in Concilio damnantur: reliqua autem quæ diximus Concilia & Pontifices deceptos fuiſſe ex iſto Concilio ita corrupto. At nos utrum naſutiores exiſtimabimus novitios aliquot Papæ aſſentatores poſt tot ſæcula recens exortos, ut eorum conjecturis potiùs credamus, quàm tot Patrum in Concilio generali convocatorum, ac Pontificum Romanorum teſtimoniis, qui eodem ſæculo aut certè vicino extiterunt, ac nullam ejuſmodi fraudem olfacere potuerunt: præſertim cùm, ſiqua hîc corruptela facta eſt, craſſam & palpabilem eſſe oporteat, inſertis inter acta Concilii duabus longis epiſtolis, & toties repetitâ Honorii luculentâ condemnatione. Atque illud etiam magis mirum eſt, omnia omnino exemplaria eſſe corrupta, non minùs illa quæ Romæ aſſervata, quàm quæ Conſtantinopoli, Græca & Latina, & nullum 900. pòſt annis potuiſſe id obſervare. Certè hic Adverſariorum mos eſt, quæ illis non placent, ea corrupta & conficta eſſe dicere, quod nobis multò proclivius eſt regerere contra monumenta ex monachorum officinis ſumpta, quæ illi nobis objiciunt. Interim hoc oportet nobis concedant Pontificii, olim gene-

Digitized by Google

ralia Concilia à Papa approbata cum aliquot ſummis Pontificibus, in hoc fuiſſe errore, ut exiſtimarent Papam poſſe eſſe hæreticum.

Deinde, quia hæc reſponſio facilè rejicitur, ad aliam confugiunt, & conantur probare illas ipſas epiſtolas Honorii ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum hæreticum ſcriptas, ob quas Honorius damnatus erat hæreſeos, nullum errorem continere, & Patres in iſto Concilio aiunt damnâſſe Honorium deceptos ex falsâ informatione, & malè intellectis Honorii epiſtolis. Quamvis enim (inquiunt) generale Concilium non poſſit errare in dogmatibus fidei confirmandis, tamen errare poteſt in quæſtionibus de facto: atque ita concedunt hoc Concilium erràſſe in injuſtâ condemnatione Honorii, & auctoritate hujus Concilii Pontifices & Patres deceptos fuiſſe.

,, Sed hìc in promptu eſt objectio, cui propterea occurrit Bellar-
,, minus. Ergo ne tu meliùs Honorii epiſtolas intelligis, quàm in-
,, tellexerunt tot Patres? Reſpondeo (inquit) non quidem à me,
,, ſed à Joanne IV. Martino I. Agathone & Nicolao I. Summis
,, Pontificibus, & à toto Concilio Romano ſub Martino congre-
,, gato, eas epiſtolas meliùs eſſe intellectas quàm à Græcis in Con-
,, cilio Conſtantinopolitano.

At (inquam) primò, falſum eſt ullum horum unquam, aut interpretationem, aut cenſurari feciſſe iſtarum epiſtolarum: ſed jejunis conjecturis Bellar. nixus, vult iſtos eas literas probâſſe, quia nominatim non damnârunt; aut interdum ſedem Romanam hyperbolicè extulerunt. Imò ſi Concilium illud Conſtantinopolitanum Honorium damnavit, neceſſe eſt ut agnoſcat eundem fuiſſe etiam ab Agathone damnatum, qui Concilium illud confirmavit, prout agnoſcunt omnes Pontificii, Concilium illud fuiſſe generale à Papâ confirmatum. Imo Hadrianus Papa in epiſtolâ ſuprà dictâ, referente Bellarmino, apertè ait Orientales Epiſcopos non fuiſſe auſos ſententiam dicere in Honorium, niſi Romanæ ſedis conſenſus præceſſiſſet. Atque ita damnant adverſarii tria generalia Concilia à Papâ approbata, & tres ſummos Pontifices, ut unum Honorium abſolvant. Sed finge etiam Concilium illud Romanum particulare, & iſtos quoque Pontifices, quos nominat Bellarminus, aliter literas iſtas intellexiſſe quàm intellexerit Concilium Conſtantinopolitanum, quis tamen inter Pontificios dubitat majorem eſſe auctoritatem Papæ cum Concilio generali, quam ſingulorum Paparum

Digitized by Google

aut Papæ alicujus cum Concilio particulari.

Formoſus, Stephanus, Ioannes, Sergius ex Cathedrâ ſe mutuò condemnârunt.

7. Pontifices, Formoſus, Stephanus 6. Joannes 9. & Sergius 3. contraria acta publicè ſtatuerunt, ita ut poſterior quiſque ſuccedens prædeceſſoris ſui acta tolleret, & irrita redderet. Hæc autem eſt hiſtoriæ, prout refert Bellarminus, Formoſus Cardinalis, & Epiſcopus Portuenſis à Papâ Joanne VIII. depoſitus ac degradatus ex urbe deceſſit, & juravit, nunquam ſe ad urbem vel ad Epiſcopatum rediturum Paulò pòſt, mortuo Joanne 8. ſucceſſor ejus Martinus 2. abſolvit Formoſum à juramento & dignitati priſtinæ reſtituit. Non diu pòſt idem Formoſus Papa creatur, cui ſuccedit Stephanus 6. qui magno odio in Formoſum incenſus, publicè in Concilio decernit Formoſum nunquam fuiſſe legitimum, & ideo acta omnia ejus eſſe irrita, & qui ab illo ſacros ordines acceperant, coëgit iterum ordinari, tanquam nihil ab iſto accepiſſent. Diſplicuit hoc factum omnibus, & ideò tres Pontifices ordine ſuccedentes Romanus 1. Theodorus 2. & præcipue Joannes 9. convocato alio Concilio Epiſcopali, judicârunt Formoſum verum Pontificem fuiſſe, & Stephani 6. ſententiam irritaverunt. Succeſſit poſteà Sergius 3. & in omnibus Stephanum 6. eſt imitatus, iterumque irritavit acta Formoſi, & proinde etiam acta Joannis. Hactenus Bellarminus, qui, quàm poteſt leniſſimè, hiſtoriam narrat. Sed tantâ acerbitate rem geſtam memoriæ produnt hiſtorici,ut bis in Formoſi corpus ſævitum ſit: quod primò mandato Stephani 6. è tumulo tractum, habitu Pontificali detracto, ſepulturæ Laïcorum mandatum eſt, abſciſſis dextræ ejus duobus digitis,in Tiberimque projectis, illis nimirum quibus potiſſimum ſacerdotes in conſecratione utuntur. Deinde etiam aliquot pòſt annis mandato Sergii 3. è ſepulchro denuò tractum, capite detruncatum eſt, & in Tiberim projectum, tanquam ſepulturâ & honore humano indignum.

Frigida Bellarmini reſponſa.

Reſpondet Bellarminus, præcipuam quæſtionem fuiſſe an Formoſus fuerit Papa legitimus, necne: in quæſtionibus non negamus (inquit) poſſe errare Pontificem, & de facto errâſſe Stephanum & Sergium. At nos opponimus, Stephanum & Sergium non ſolùm judicâſſe Formoſum non fuiſſe verum Pontificem, ſed etiam ordines ſacros quos ille contulerat, non eſſe ratos. Proinde ſenſerunt ſacramentum ordinis (ut vocant) pendêre à virtute miniſtri: qui error manifeſtus eſt contra fidem, ut ait Bellarminus. Porro, etſi Formoſus non fuiſſet Papa, & ſemper manſiſſet depoſitus & degra-

Digitized by Google

datus: tamen quia (ex Pontificiorum ſententiâ) aliquando verus Epiſcopus fuerat, & quamdiu vixit, talis erat quoad characterem, & ordinis poteſtatem, quæ non poteſt ullo modo auferri; error in fide eſt dicere ordines ſacros ab illo collatos non fuiſſe veros ordines ſacros; ut diſertè colligitur ex Bellarmini doctrinâ de Sacramentis.

Reſpondet Bellarminus Stephanum & Sergium non edidiſſe aliquod decretum, quo decernerent ordinatos ab Epiſcopo degradato, vel nominatim à Formoſo tanquam degradato, iterum eſſe ordinandos: ſed ſolum de facto juſſiſſe iterum eos ordinari. Quæ juſſio ,, (inquit) non ex ignorantiâ aut hæreſi, ſed ex odio in Formoſum procedebat. Egregia quidem reſponſio, quaſi is qui publicè juſſerit Epiſcopos à Formoſo ordinatos iterum ordinari, & effecit ut iterum ordinarentur, non palàm declaraverit ipſo facto, eos ex ſuâ ſententiâ iterum eſſe ordinandos. Eſto, id fecerint Stephanus & Sergius ex odio in Formoſum, ſed quis neſcit odio & pravis affectibus corrumpi judicium. Quod ſi etiam contra conſcientiam id juſſerit, perinde eſt. Nam (ut ſuprà ex Bellarmino dictum eſt de Liberio) non tenentur homines aut poſſunt corda ſcrutari: ſed eo exiſtimanda eſt hominis ſententia, quam externâ ſignificatione ſive dicto ſive facto præ ſe fert. Addo etiam, quòd ignorare non potuerint Stephanus & Sergius Formoſum, etſi ante degradatum à Joanne 9. aut potius 10, fuiſſe reſtitutum à Martino Papâ (quod paucis antè annis publicè factum erat, adeoque omnibus notum, cùm Formoſus Papa crearetur) ita ut à Formoſo poſteà ordinati Epiſcopi, non poſſent dici ordinati ab homine degradato. Sed quâ fronte dicere poteſt Bellarminus Stephanum & Sergium non edidiſſe aliquod decretum quo decernerent ordinatos à Formoſo iterum eſſe ordinandos, cùm fatentur illos publicâ auctoritate id juſſiſſe. An juſſerunt ſcilicet id quod non decreverunt: Imò verò quia decreverunt, ideo juſſerunt decreta ſua executioni mandari.

Cœleſtinus hæreticus. 8. Cœleſtinum 3. Alphonſus de Caſtro lib. 1. de hæreſi cap. 4. affirmat non poſſe ullo modo excuſari ab hæreſi, quòd docuerit per hæreſin ita ſolvi matrimonium, ut liceat ei conjugium aliud inire, cujus prior conjunx in hæreſin lapſus ſit. Neque hic Cœleſtini error ,, talis fuit (inquit Alphonſus ibidem) qui ſoli negligentiæ imputari ,, debeat, ita ut illum erràſſe dicamus velut privatam perſonam, & ,, non ut Papam, qui in qualibet re ſeriâ definiendâ conſulere debet ,, viros doctos: quoniam hujuſmodi Cœleſtini definitio habebatur ,, in

Digitized by Google

„ in antiquis Decretalibus in capite [*Laudabilem*] titulo [*de Converſione fidelium*] quam ego ipſe vidi & legi. Eſſe autem hanc Cæliſtini ſententiam hæreticam facile contra Pontificios probatur, tum quia (ut obſervat Bellarminus) contrarium docuit Innocentius 3. Papa cap. *Quanto de Divortiis*, tum etiam Concil. Trid. Seſſ. 24. can. 5.

Reſpondet Bellar. nec Cæleſtinum nec Innocentium aliquid eâ de re certi ſtatuiſſe, ſed utrumque reſpondiſſe, quod ſibi probabilius videbatur: id quod colligitur (inquit) ex verbis Innocentii, qui cum dicit prædeceſſorem ſuum aliter ſenſiſſe, indicat in opinione rem totam adhuc fuiſſe. Quod verò Alphonſus ait, Epiſtolam illam Cæleſtini fuiſſe aliquando inter Epiſtolas decretales, verum quidem eſſe; ſed non poſſe inde colligi factum eſſe à Cæleſtini decratum planè Apoſtolicum & ex Cathedrâ. Nam conſtat multa alia eſſe in Epiſtolis decretalibus, quæ non faciunt rem aliquam eſſe de fide, ſed ſolùm opiniones Pontificum de eâ re nobis declarant. Sic pugnant inter ſe Alphonſus de Caſtro & Bellarm. Alphonſus ait Cæleſtinum illud definiviſſe, ac proinde erràſſe ut Papam, quoniam hac de re Epiſtolam decretalem ſcripſit. Bellarminus negat omnes Epiſtolas decretales de rebus fidei continere definitiones Pontificum, ſed multas continere nudas eorum opiniones tanquam privatorum Doctorum. Quod ſi ita eſt, quàm difficile nobis erit, ſententias Pontificum definitivas ab eorum privatis opinionibus ſecernere, cùm hac de re ipſi Pontificii Doctores: inter ſe digladientur, ut ſupra notavimus hoc cap. ad arg. quintum. Quanquam non deſint inter Pontificios, qui Epiſtolas decretales Pontificum, canonibus Conciliorum exæquant. Id quod apertè docet Gratianus diſt. 2. can. [*Decretales.*] Idemque (quod multò abſurdius eſt) diſt. 19. can. [*In Canonicis*] affirmat Epiſtolas Pontificum decretales numerari debere inter Scripturas Canonicas. Utrumque eſt, abſurdum eſt appellare Epiſtolam Papæ decretalem, in quâ nullum eſt ejus decretum, neque verè unquam Epiſtola privati Doctoris, Decretalis appellata eſt. Prætereo quàm ridicule probet Bellar. Cæleſtinum id non decreviſſe, quia Innocentius ſcribit eum ſic ſenſiſſe, quaſi Papa qui aliquid definit, non ſentiat quod definivit.

Pontificiorum inter ſe pugna.

Negat Bellarm. Pontificum decretales eſſe decreta.

9. Nicolaus 4. in capitulo [*Exiit*] de verborum ſignificatione, definit Chriſtum verbo & exemplo docuiſſe perfectam paupertatem, quæ conſiſtit in abdicatione omnium rerum, nullo ſibi dominio relicto, nec in particulari nec in communi; ac proinde talem paupertatem

Nicolai & Joannis in materiâ fidei irreconciliabilis pugna.

Digitized by Google

pertatem eſſe ſanctam & meritoriam. At hoc falſum eſſe & hæreticum docet Joannes 22. in Extravagantibus ſuis, titulo de verborum ſignificatione, in Extrav. [*Ad conditorem*] & in Extrav. [*Cùm inter nonnullus*] & in Extrav. [*Quia quorundam*] Pontificii nonnulli multùm laborant in his duobus Papis conciliandis: At Bellar. ingenuè fatetur, eos in omnibus conciliare non poſſe, & planè diſſentire in duabus quæſtionibus. 1. An in rebus uſu conſumptibilibus poſſit ſeparari uſus à dominio. 2. An paupertas, quæ omne dominium à ſe removet, tam in communi quàm in particulari ſolo uſu relicto, ſit ſancta ac meritoria? Partem affirmantem definit Nicolaus, partem negantem Joannes, quem propterea erráſſe credit Bellarminus.

Sed more ſuo reſpondet Bellar. Pontifices non hæc definiviſſe tanquam de fide, & proinde alterum erráſſe quidem, ſed non in re fidei. Verùm in tertiâ quæſtione (quæ, inquit, omnium gratiſſima eſt, & ad fidem pertinet) nempe, An Chriſtus talem paupertatem verbo & exemplis docuerit, ait non diſſentire eos Pontifices: nam Nicolaum ait dixiſſe Chriſtum talem paupertatem verbo & exemplis aliquando docuiſſe: non negare autem aliàs Chriſtum aliter feciſſe: Joannem autem definiviſſe eſſe hæreticum aſſerere Chriſtum nihil unquam proprii in terris habuiſſe, nec in ſpeciali nec in communi. Sed hæc conciliatio Bellarmini procul dubio falſa & inepta eſt. Etenim cum uterque Pontifex ſuas è diametro pugnantes ſententias, Chriſti auctoritate in eâdem re tueatur, neceſſe eſt ut alter Chriſti exemplo abutatur; adeoque cùm uterque contraria ſua decreta publicè Scripturæ teſtimoniis confirmet, in Scripturæ interpretatione publicâ alter ei res neceſſe eſt. Platina in vitâ Joannis 23. ait eum edictum propoſuiſſe, quo eos declaravit pertinaces & hæreticos, qui affirmarent Chriſtum ejuſque diſcipulos nihil privati vel proprii habuiſſe, & hac de re tranſmiſiſſe literas Apoſtolicas ad Gymnaſia, ne ampliùs Scholaſtici eâ de re diſputare auderent, item damnâſſe eum gloſſulam Fratris Petri Ordinis Minorum, qui Conventum quendam, tertii Ordinis ad imitandam Chriſti paupertatem animaverat: quoniam de numero multi damnati & exuſti fuere. Dicat igitur Bellarm. non eſſe rem fidei eam opinionem, ob quam multi damnati & exuſti fuerant.

Ioannes 22. de gloriâ Sanctorum hæreticus.

10. Joannes 22. docuit animas ſanctorum poſt mortem non viſuras Deum, ac proinde nec beatas fore ante diem reſurrectionis, ſed ad illud uſque tempus, in abditis receptaculis dormire, ut teſtantur

ſtantur Guilielmus Occam in opere 93 dierum, Joannes Gerſon in Sermone de Paſchate, Marſilius in quartum Sententiarum Quæſt. 13. art, 3. & Hadrianus Papa, ubi diſputat de Sacramento Confirmationis, in quartum ſententiarum.) Item Alphonſus de Paſtro adverſus hæreſes, ad titulum [*De Beatitudine*] hæreſ. 6. multique alii. Quâ de re ſic ſcripſit Hadrianus Papa, ut refert Alphonſus de „Caſtro in loco citato. Noviſſimè (inquit) fertur de Joanne 22. „ quòd publicè docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit, „ quòd animæ purgatæ antefinale judicium non habent ſtolam; quæ „ eſt clara & facialis Dei viſio, & Univerſitatem Pariſienſem ad „ hoc induxiſſe dicitur, quod nemo in eâ poterat gradum Theolo- „ giæ adipiſci, niſi primitùs juraſſet hunc errorem ſe defenſurum, & „ perdetuò ei adhæſurum. Hæc Hadrianus.

Bellarm. tria reſpondet. 1. Joannem quidem in eo errore fuiſſe, quando ſic ſentire licebat ſine periculo hæreſeos, quia nulla de iſtâ rei præceſſerat Eccleſiæ definitio. 2. Joannem non definiviſſe illam ſententiam, ſed dum adhuc in præparatione & conſultationibus verſaretur, mortuum eſſe. 3. Joannem pridie ante mortem (ut refert Joannes Villanus lib. 10. hiſt. cap. 9.) revocâſſe ſuam ſententiam, & profeſſum eſſe ſe contrariam ſententiam amplecti, ut probabiliorem, niſi aliquando aliud Eccleſia definiret. *Bellarmini exceptiones vanæ.*

Reſpondeo ad primum. 1. Falſum eſſe non fuiſſe rem priùs definitam: nam res definita eſt in S. Scripturâ, & multorum antiquorum Patrum ſententiis confirmata: ex quibus multa luculenta teſtimonia afferunt Alphonſ. de Caſtro ibidem, & ipſe Bellar. in lib. 1. de Beatitudine Sanctorum. Imo uterque tradit, rem priùs definitam fuiſſe decreto Innocentii 3. Papæ, annis circiter 100. ante Joannem 22. Deinde ſive iſta Joannis ſententia hæreſis dicatur, ſive non, certum eſt eſſe errorem in fide. Cumque hæreſis conſideretur, vel in doctrinâ vel in perſonâ, omnis error in fide dicitur hæreſis in doctrinâ, & accedens inſuper pertinacia facit hæreticam perſonam. Neque enim definitio Eccleſiæ facit ut aliqua ſententia ſit hæreſis in doctrinâ, ſed declarat eam eſſe hæreſin. Quod ſi nulla opinio dicatur hæreſis, niſi quæ priùs damnata eſt à Concilio generali, certè ſic Arius excuſari poſſet ab hæreſi: & omnes hæretici, qui ante Concilium Nicenum 300 ferè poſt Chriſtum annis vixerunt.

Reſpondeo ad ſecundum. Id diſertis verbis (ut alia teſtimonia omittam) refutari teſtimonio Hadriani Papæ tam citato, qui apertè

ſcribit

Digitized by Google

ſcribit Joannem 22. ſententiam ſuam publicè docuiſſe, declarâſſe, ac ab omnibus teneri mandâſſe. Si non hoc ſit definire, neſcio quid ſit definire; niſi fortaſſe non dicatur Papa definire, niſi quod in Concilio communi conſenſu definiat. At hoc eſt extra oleas: ſiquidem nunc eos refellimus, qui contendunt Papam ſolum ſine Concilio judicem eſſe infallibilem. Saltem hoc conſtat, falſiſſimum eſſe quod plerique Pontificii aſſerunt, & nominatim Coſterus in Enchiridio cap. 3. de ſummo Pontifice, Romanos Pontifices nunquam hæreſin docere alios poſſe, vel errorem proponere: & in tanto Pontificum numero, ne quidem unum adduci poſſe, qui hæreſin docuerit, vel in errorem lapſus ſit. Eraſmus in annotationibus ad 1. Cor. 7. ſic ſcribit Joannes 22. (ſi qua fides hiſtoriis) decernebat, ante diem judicii non eſſe puniendas animas impiorum: quem errorem publicitus exploſit ſchola Pariſiorum Pontificem adigens ad palinodiam, nec dici poteſt hunc errorem privatum fuiſſe: publicum fuiſſe oportet ſcripto aut etiam decreto vulgato, cùm res adeò totam Galliam commovit. Idem in præfatione ad lib. 5. Irenæi ex Gerſone refert, ejus errorem exploſum fuiſſe coram Galliarum Rege Philippo, non ſine buccinâ.

Eraſmus.

Reſipiſcentia non tollit hæreſin.

Reſpondeo ad tertium. Quanquam utrum revocaverit ſententiam ſuam Joannes, & quomodo revocaverit, non conſentiant hiſtorici: id tamen nihil ad noſtrum inſtitutum ſpectat, qui non quærimus, utrum Papa reſipiſcere poſſit ab errore, ſed utrum in munere ſuo errare poſſit nec ne. Cæterùm hoc notandum eſt, ex iſta confeſtione, quam Bellar. ex Villano tribuit Joanni pridie ante mortem reſipiſcenti, apertè colligi, Papam ſolum non eſſe infallibilem judicem controverſiarum Declarat enim ibi Joannes, ſe ſententiam de præſenti animarum beatitudine amplecti, niſi aliquando aliud Eccleſia definiverit. Ergo credidit aliud poſſe Eccleſiam judicare, aliud Papam. Et addidit, ſe Eccleſiæ definitioni ſuas omnes ſententias ſubjicere, Ergo agnovit judicio ſuo ſuperius eſſe Eccleſiæ judicium.

Communis Pontificiorum ſententia eſt Papam ut privatum Doctorem eſſe poſſe hæreticum.

Atque hæc pauca inter plurima exempla à noſtris allata, pro inſtitutâ noſtrâ brevitate notâſſe ſufficiat: quæ tam clara ſunt, & plurimi ex Pontificiis in noſtram pedibus eant ſententiam, utroque concedant Pontifices poſſe eſſe hæreticos; prout id agnoſcunt Concilia iſta generalia 6. 7. & 8. à Pontificibus confirmata; cum Papâ Leone 2. & Hadriano 2. reliquique illuſtres teſtes, quos ad exemplum Honorii 1. ſuprà citavimus: item Concilium generale Conſtantienſe,

ſtantienſe, & Baſileenſe, Doctores Pariſienſes; imò univerſa fere Gallica Eccleſia Pontificia, & omninò quotquot exiſtimant Concilium eſſe ſupra Papam: quam ſententiam plurimi & graviſſimi auctores in Romanâ Eccleſiâ tuentur, ut agnoſcit Bellar. l. 2. de Conciliis c. 13. & 14. idemq; in l. 2. de Pontif. Rom. c. 30. art. 2. ait, etſi probabilis ſit ſententia, Papam non poſſe eſſe hæreticum, tamen eam non poſſe eſſe certam, & communem opinionem eſſe contrariam. Verùm, cùm communis opinio Pontificiorum ſit Papam poſſe eſſe hæreticum, multi eo confugiunt, ut id intelligendum dicant de errore vel hæreſi Papæ perſonali, non autem judiciali: Papamque poſſe eſſe hæreticum, & in fide errare ut hominem & privatum doctorem, non autem ut Papam; vel quando è Cathedrâ (ut loquuntur) docet; vel quando de fide conſultus ex officio diſponit & decernit, ut ait Stapletonus de principiis doctrinalibus cap. 13.

Diſtinctio Papæ ut hominis & Papa ut Papa vana.

At certè, quotquot aſſerunt Concilium eſſe ſupra Papam, videntur etiam exiſtimare, Papam ut Papam poſſe in fide errare, ac eo nomine à Concilio judicari: id quod diſertè aſſerit Alphonſ. de Caſtro lib. 1. adverſus hæreſes cap. 4. Proinde hanc ſententiam Bellar. in l. 4. de Pontif. c. 2. tribuit Nilo Archiepiſcopo Theſſalonicenſi, Doctoribus Pariſienſibus, ut Gerſoni & Almaino, Alphonſo de Caſtro, & Hadriano 6. Papæ in quæſtione de confirmatione.

Utcunque eſt, inanis profectò diſtinctio eſt aſſerentium Papam ut hominem, & ut privatum Doctorem poſſe errare in fide, non autem ut Papam & paſtorem Eccleſiæ. Cùm enim unus idemque homo ſit Papa & hæreticus, quî fieri poteſt, ut homo ſit hæreticus, & Papa non ſit hæreticus? Et ſi non habendus ſit ut Papa, niſi cùm publicè è Cathedra docet Eccleſiam, & definit controverſias fidei, certè rarè admodum Papa ut Papa habendus & colendus eſt. Et ſi cathedra eum immunem facit ab errore, cur non Cathedram ſtatim conſcendit, ut de ſuâ ſententiâ periculum faciat, vera ne ſit an falſa; quam alii hæreticum eſſe exiſtimant, quippe ſi eam ex Cathedrâ pronunciare poſſet, utique veram eſſe oportet, licet totus mundus contradicat: ſin minus, falſam eſſe agnoſcat. Quum & ipſe Bellarminus vanitatem hujus diſtinctionis arguat lib. 4. de Pontif. ,, cap. 6. Quomodo (inquit) veram fidem ſemper prædicabit Pon- ,, tifex hæreticus: Poteſt quidem Deus ex corde hæretico extor- ,, quere veram fidei confeſſionem; ſicut verba poſuit quondam in ,, ore Aſinæ Balaam: at hoc violentum erit, & non ſecundum mo-

Digitized by Google

•, rem providentiæ Dei ſuaviter diſponentis omnia. Et exempla quædam quæ nos ſuprà attulimus abunde probant Papas ut Papas, id eſt, in publico ſuo munere graviter erràſſe. Prætereo multas falſas & ineptas S. Scripturæ interpretationes à papis confictas, cujuſmodi nonnullas, exempli causâ, recenſuimus ſuprà in calce capitis ſexti, quibus infinitæ aliæ addi poſſunt: adeò ut malè interpretando, jus interpretandi, ſaltem infallibiliter interpretandi, ſi quod unquam habuerunt, perdederunt.

CAP. XV.

Probatur Concilium generale neque ſine Papâ neque cum Papâ eſſe judicem illum infallibilem.

Concilium generale ſine Papâ ſemper poteſt errare. Bellarminus hoc fusè probat.

MULTA quidem alia argumenta afferri poterant contra hanc infallibiter judicandi poteſtatem, quam ſibi Papa in Eccleſiâ arrogat, nempe omnia quæ papæ primatum & principatum evertunt, ac tyrannidem ejus & Antichriſtianiſmum arguunt. Sed iſta in loco de Pontifice Romano commodiùs tractanda ſunt. Proinde iis omiſſis, ad alterum caput tranſimus, ut oſtendamus Concilium generale, ſive ſine Papâ ſive cum Papa non eſſe ſummum judicem infallibilem (non eſt autem quòd de Conciliis particularibus loquamur: etenim ſi hæc poteſtas non convenit generalibus Conciliis, multo minùs competit particularibus.) Cæterùm ut oſtendatur, nulli Concilio ſine Papâ hanc auctoritatem competere, ſatis multa argumenta ſuppeditat Bellarminus, qui contra alios (ipſoſque etiam Pontificios contrariam ſententiam tuentes) acerrimè pugnat. Nam in lib. 1. de Conciliis cap. 6. enumerat ſeptem aut octo generalia Concilia penitùs reprobata. Et in cap. 7. ſex Concilia partim approbata partim reprobata: in quorum pleriſque non pauciores, & in multis plures intererant Epiſcopi, quàm in Conciliis maximè approbatis. In cap. 10. probat generalia Concilia non eſſe abſolutè neceſſaria. Et in lib. 2. cap, 11. probat Concilia generalia, etiam legitima, à Papà congregata, præſidentibus & conſentientibus ipſius legatis errare poſſe, niſi Pontifex poſteà confirmaverit Concilium, aut Patres in definiendo ſecuti ſint ejus inſtructionem. Idem oſtendit in calce capitis 16. & in eodem cap. 6. probat ſummam poteſtatem Eccleſiaſticam non eſſe in Eccleſiâ vel Concilio aut formaliter aut ſuppletivè remoto Papâ.

Sed

Argumenta Proteſtantium quibus probant Concilium etiam cum Papâ non eſſe judicem infallibilem.

Sed hac de re dimicent inter ſe Pontificii. Nos ſi probaverimus Concilium generale in genere, adeoque Concilium generale etiam cum Papâ non eſſe judicem illum infallibilem, ſatis ſuperque, nemine contradicente, eos refutabimus qui hanc auctoritatem Concilio generali ſine Papâ attribuunt. Et primò quidem; Si non detur judex infallibilis in Eccleſiâ extra Concilium generale, certè hinc efficietur, multo ſæpiùs deeſſe, quàm ſuppetere Eccleſiæ judicem infallibilem. Nullum enim ante Concilium Nicenum, id eſt, 300 ferè poſt Chriſtum annis extitit generale Concilium: quo tempore non minùs quàm poſteà turbata erat Eccleſia multis hæreſibus, ſchiſmatibus, vitiis, & abuſibus, ut notat Bellar. lib. 1. de Conciliis cap. 10. Et poſteà etiam rariſſimè convocata ſunt, & brevi tempore durârunt generalia Concilia, & pleraque unam tantùm aut alteram, aut ſaltem paucas de fide controverſias attingunt. Neque verò audebunt Pontificii, decretis Conciliorum ſcriptis, judicis appellationem tribuere, quam S. Scripturæ denegant: cum judicem ſpirantem & loquentem requirant, qui poſſit litigantium querelas audire, examinare, & vivâ voce determinare. *Primum.*

Deinde, Si non detur judex extra Concilium, cùm nunquam abſolutè neceſſaria ſint Concilia generalia (ut probat Bellar. lib. 1. de Conciliis cap. 10.) tum nunquam neceſſarius erit Eccleſiæ judex ille infallibilis, atque ita nullum ſuppetit Pontificiis principium neceſſarium in quod fidem ſuam reſolvant. Atque hæc quidem ſuprà attigimus, in controverſiæ ſtatu explicando cap. 13. *Secundũ.*

3. Cùm perinde fere ſit, nullum eſſe judicem, & incertum eſſe judicem, aut incertam ejus eſſe auctoritatem, cumque non aliis quàm legitimis Conciliis hanc auctoritatem deferant Pontificii, nihil autem incertius ſit, aut magis controverſum quàm quæ ſint legitima Concilia, & quæ ſit legitimi Concilii auctoritas miſerè agetur cum Eccleſiæ membris, præſertim ſimplicioribus, ſi eorum fides omnis à Conciliorum ſententiâ & auctoritate (qua de re non poteſt convenire inter doctos) ſuſcipienda ſit. Etenim quotieſcunque in aliquâ controverſiâ objicitur auctoritas Concilii, nunquam de eâ conveniet inter partes litigantes. Nam ab alterâ ſemper parte negatur, aut eam eſſe ſententiam Concilii, aut Concilium non fuiſſe legitimum aſſeritur, aut non legitimè pronunciâſſe. Multa Concilia generalia à Pontificiis, aut omnino aut ex parte reprobata ſunt, ut dictum eſt. Non minore frequentiâ & celebritate congregata ſunt *Tertium.*

Digitized by Google

Auguſtinus. Concilio generalia Arianorum quàm Orthodoxorum. Unde Au-
„ guſtinus tomo 6. lib. de hæreſibus cap. 14. Nec ego Nicenum,
„ nec tu debes Ariminenſe tanquam præjudicaturus proferre Con-
„ cilium. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris. Scrip-
„ turarum auctoritatibus, non quorumcunq; propriis, ſed utriſq; com-
„ munibus teſtibus, res cum re, causâ cum cauſa, ratio cum ratione concertet. Non convenit inter ipſos Pontificios quæ ſint legitima Concilia, & errori non obnoxia: quæ ut talia ſint, requirit Bellarm. 1. Ut convocentur auctoritate Papæ. 2. Ut in iis præſideat Papa per ſe, vel per legatos ſuos. 3. Ut Papæ inſtructioni adhæreant, aut à Papâ confirmentur. At has conditiones non admittunt omnes Pontificii, nempe quotquot aſſerunt Papam eſſe infra Concilium: nedum ut Orientales Eccleſiæ, aut nos agnoſcamus ea Concilia pro legitimis, in quibus Papæ dominantur, aut tyrannidem ſuam exercent: præſertim cum in primis iſtis quatuor generalibus Conciliis, Niceno, Conſtantinopolitano, Epheſino, & Chalcedonenſi, nulla iſtarum conditionum requiſita aut obſervata fuerit: omnia congregata ſunt auctoritate Imperatorum: nulla autem peculiaris Epiſcoporum Romanorum auctoritas aut poteſtas tum temporis, aut diu poſteà agnita eſt in convocando, moderando, aut confirmando Concilia: quam poſtquam vi & dolo arripuerunt, non mirum eſt, antiquâ libertate Conciliis ereptâ, eorum etiam auctoritatem haud parum imminutam eſſe.

Incerti Pontificii de conditionibus legitimi Concilii.

Utcunq; eſt, ſi fidem Chriſtianam volunt reſolvi in auctoritatem Concilii generalis, neceſſe eſt ut eâdem fide divinâ credatur Concilii, tanquam judicis infallibilis auctoritas, quâ creduntur alii articuli fidei propter auctoritatem Concilii: & quia Concilium non habet auctoritatem, niſi ſit legitimum, neceſſe eſt fide pariter divinâ agnoſcatur hoc aut illud Concilium eſſe legitimum: atqui id fieri non poteſt; ſiquidem tantum humano teſtimonio, & humanis rationibus probatur hoc Concilium eſſe legitimum, illud verò non item. Et hîc quæſtiones quæ occurrunt pleræque ſunt de facto: verbi causâ, an omnes quorum intereſt legitimè vocati ſint & Concilio interfuerint; an legitimi fuerint Epiſcopi & ritè ordinati, an libera fuerint ſuffragia, an Papæ Legati ejus inſtructiones ſequuti ſint, an Papa Concilium confirmaverit, &c. In ejuſmodi autem quæſtionibus de facto errare poſſe Papam cum generali Concilio, ultrò concedunt Pontificii: Bellarm. lib. 4. de Pontif. cap. 2.

Non poteſt ſciri fide divinâ Concilium eſſe legitimum.

Quartò,

Quartum arg.

Quartò, Cùm nunc communis fere ſit ſententia Pontificiorum quam tuetur Bellarm. lib. 2. de Conciliis cap. 11. Generalia Concilia etiam legitima, ante confirmationem Papæ errare poſſe, inde fit ut tota auctoritas Concilii ſuſpendatur à confirmatione Papæ, quæ longo forte tempore Concilium ſubſequitur. At aliàs ſolent dicere legitimis Conciliis præſidere Sp. Sanctum à quo eſt iſta immunitas ab errore. Num ergo Sp. Sanctus expectat confirmationem Papæ ſubſequentem? Aut, an efficiet Papæ approbatio ut præſederit Sp. Sanctus qui non præſederat priuſquam acceſſit hæc approbatio? Imò adhuc magis ἀσύστατα ſunt, quæ hac de re tradit Bellarminus cum ſociis ſuis. Primò ponit hoc ex fide divinâ certò credendum eſſe, Concilium generale à Papâ approbatum errare non poſſe lib. 3. de Verbo Dei, cap. 3. & lib. 2. de Conciliis cap. 2. Deinde aſſerit infallibilitatem non eſſe in Concilio, ſed in ſolo Papâ, totamque firmitatem legitimorum Conciliorum eſſe à Pontifice, non partim à Pontifice, partim à Concilio, adeoque cum Papa à Concilio diſſidet, credendum eſſe Papæ non Concilio lib. 4. de Pontif. cap. 2. & 3. pag. 794. & 800. & lib. 2. de Concilis cap. 16. & 17. Tertiò docet, non eſſe contra fidem aſſerere Papam ut Papam poſſe errare in judicandis iis rebus quæ ad fidem pertinent, cum hæc ſententia teneatur à variis Catholicis, & ab Eccleſiâ toleretur lib. 2. de Conciliis cap. 5. & lib. 4. de Pontif. cap. 2. At quomodo, quæſo, poſſunt hæc conſiſtere, ut ſcilicet ex fide certò ſtatuatur Concilium à Papâ approbatum errare non poſſe, cum immunitatem ab errore non aliunde habeat quàm à Papâ, qui utrum judicialiter (ut ita loquar) errare poſſit necne, incertum eſt, nec ab Eccleſiâ definitum? Sic liberum eſt in Eccleſiâ Romanâ ſentire Concilium generale poſſe errare, niſi à Papâ confirmetur, & Papam ut Papam poſſe in judicandis & definiendis rebus fidei errare abſque Concilio generali, & infallibilitatem non eſſe in Concilio, non eſſe in Papâ, non in utroque conjunctim. Nihil enim horum adhuc definitum eſt ab Eccleſia; & hæ omnes ſententiæ tolerantur in Eccleſiâ Romanâ, & tamen de neceſſitate fidei, credendum eſt Papam cum Concilio errare non poſſe. Quaſi verò, quamdiu illa incerta ſunt, hoc certum eſſe poſſit.

An immunitas ab errore Conciliis competit à ſolo Papa.

Quintum arg.

Quintò, cum ultrò concedant Adverſarii Eccleſiæ paſtores pleroſq; poſſe deficere, ac perverti in fide & moribus, ut patet ex Iſ. 56. 10. Jer. 6. 13. & 14. 14. Ezech. 7. 26. & 22. 25. Hoſ. 6. 9. & 9. 7. 8. Mat. 24.

Iſ. 56. 10. Ier. 6. 13. & 14. 14. Ezech. 7. 26. & 22. 25. Hoſ. 6. 9. & 9. 7. 8.

Mat. 24. 11. & 24. 2. Theſſ. 2. 3. 2. Pet. 2. 1. Mat. 24. 11. & 24. 2. Theſſ. 2. 3. &c. 2. Pet. 2. 1. Cùm etiam concedant Epiſcopos pleroſque non tantùm ſeorſim, ſed etiam in Oecumenicis Conciliis frequentiſſimis convocatos, in quibus major pars vincit meliorem, poſſe turpiter errare; ut in Concilio Ariminenſi, Epheſino 2. &c. Imò etiam Concilia Oecumenica legitima poſſe errare, ut ſuprà dictum eſt, niſi à Pontifice Romano approbentur: adeoque Concilii infallibilitatem omnem à Papâ ſuſpendant; rectè cum hanc tantam, auctoritatem & poteſtatem Papæ tribuant, idoneis argumentis eam probare debent: at nullum afferunt nec afferre poſſunt teſtimonium ex totâ Scripturâ, ex universâ antiquitate, aut ex omnibus Patrum monumentis, quo oſtendatur Papam, qui alioqui ut Papa errare poſſit in fide & moribus, poſſe infallibilitatem Conciliis alioqui errori obnoxiis præſtare, & in approbandis aut reprobandis Conciliis extra omnem errandi aleam poſitum eſſe. Si hoc dogma notum fuiſſet Patribus, *Nullum Concilium habere auctoritatem, ſine approbatione Pontificis Romani,* proculdubio uſi fuiſſent hac reſponſione & exceptione, quando rem habuerunt cum hæreticis, qui Concilii Ariminenſis, Epheſino 2. & talium auctoritatem objiciebant. At nihil tale unquam eos reſpondiſſe accepimus. Imò Auguſtinus etiam Concilii Niceni auctoritatem remiſit Maximino hæretico (ut ſuprà dictum eſt) ne Ariminenſis Concilii auctoritate ipſe viciſſim premeretur.

Sextum arg. Poſtremò, his adjungi poſſent varia exempla errorum in Conciliis generalibus obſervatorum, cum aliis argumentis: quæ cùm in loco de Conciliis commodius tranctanda ſint, iis tradendis hîc ſuperſedeo.

Proteſtantes plus deferunt legitimis Conciliis quàm Pontificii. Atque hæc quidem non à nobis dicta ſunt ad Conciliorum legitimorum auctoritatem elevandam aut extenuandam: nam meritò in Eccleſiâ graviſſimam & ſaluberrimam exiſtimamus. Neque verò nos minùs Conciliis legitimis deferimus quàm Pontificii: neque illi minùs quàm nos Concilia errare poſſe dicunt, ſeclusâ Papæ auctoritate. Nos verò Papæ nihil, Conciliis autem generalibus legitimis plurimum tribuimus: quorum in Eccleſiâ miniſterialem auctoritatem agnoſcimus. Neq; verò ullum legitimum generale Concilium 600 poſt Chriſtum annis agnoſcunt Pontificii, quod nos non item agnoſcimus. Maximè autem veneramur quatuor illa prima generalia Concilia, Nicenum I. Conſtantinopolitanũ I. Epheſinum I. & Chalcedonenſe: quæ Gregorius Magnus dicit ſe ſuſcipere ſicut quatuor Evan-

Digitized by Google

Evangelia,in Epiſt. ad Patriarchas,item ad Georgium Salinum Subdiaconum, & alibi. In quâ quidem comparatione Gregorii videtur eſſe hyperbole: ſed intellexit fortaſſe quoad veritatem fidei, non quoad auctoritatem tradentis, ſe hæc pariter ut illa recipere ac venerari. Ibidem contrà ſentientes anathemate ferit. Quanquam Conſtantinopolitano & Chalcedonenſi Concilio iniquior Bellarminus tantum non hæreſin impingat; quod in iis primatus Papæ oppugnatus ſit, ob privilegia primò proxima, deinde æqualia Epiſcopo Conſtantinopolitano & Romano conceſſa Bellar. in præfat. de Pontif. Rom.& l. 2. de Conciliis c.7. Concilia autem legitima Pontificiorum non magis quàm Arianorum agnoſcimus: & ridiculè ab eis nunc generalia Concilia obtendi dicimus: in quibus non datur alius locus quàm particulari ſuæ factioni, magnâ parte Chriſtiani orbis excluſâ, non tantùm Proteſtantibus (quos vocant) ſed universâ etiam Eccleſiâ, quæ longè lateque propagata eſt per Græciam, Armeniam, Ruſſiam & Æthiopiam.

Illud autem ſeriò dolendum eſt, variis modis falſata & corrupta eſſe antiqua Concilia, non tantùm negligentiâ & incuriâ hominum, ſed deditâ operâ & ſtudio impoſtorum. Quâ de re frequentes extant ipſorum Pontificiorum querelæ, & nominatim Bellarmini lib. 4. de Pontif. cap. 11. & lib. 2. cap. 30. & lib. 1. de Concil. cap. 2. & alibi Pontificii quidem à Græcis, ſed Græci magis à Pontificiis corrupta eſſe Conciliorum exemplaria arguunt.

CAP. XVI.

Probatur Eccleſiam non eſſe judicem infallibilem, & omninò nullum dari externum judicem infallibilem.

Sæpenumerò Adverſarii judicem infallibilem controverſiarum Eccleſiam appellant; non aliam ob rationem, quàm ut, confuſe loquendo, mutuas controverſias de judice controverſiarum celent. Neque enim (ut in ſtatu controverſiæ explicando diximus) quidquam aliud nomine Eccleſiæ, cui ſummum judicium deferunt, intelligere poſſunt, aut præ ſe ferunt, quàm Papam, aut Concilium, aut utrumque, quas ſententias jam refutavimus: quanquam nobis hîc etiam facile ſit ad nomen Eccleſiæ alia argumenta adjungere: præſertim quibus oſtenditur Eccleſiam (nempe viſibilem atque externam,

Eccleſiam intelligunt Pontificii vel de Papa vel de Concilio.

Digitized by Google

ternam, de quâ ſolùm loquantur) poſſe errare, & Romanam Eccleſiam falsò ſibi Eccleſiæ Catholicæ nomen, adeoque omnem in ſua causâ judicandi poteſtatem arrogare.

Eccleſia viſibilis præpoſitorum tam in Vetere quam Nova Teſt. ſæpè erravit. Ioſ. 2. 10. & 3. 7. & 8. 32. 2. Reg. 16.

Ut erat Eccleſia illa infallibilis judex controverſiarum tempore alterius generationis quæ ſubſequuta eſt Joſuam, cum totus populus ad Idololatriam defecerat Joſ. 2. 10. &c. ac ſæpe deinceps, ut patet ex eodem libro 3. 7. & 8. 32. &c. Ubi erat tempore Ahazi Regis impii Judæorum, cujus Idololatriæ miniſter fuit ipſe ſummus ſacerdos Urias 2. Reg. 16. Ubi erat tempore paſſionis Chriſti, quo ſummus ſacerdos cum omnibus ſacerdotibus & Senioribus Populi condemnârunt Chriſtum, ut impium hominem & blaſphemum? Ubi denique fuit tempore perſecutionis Arianæ, quo Arianiſmus totum orbem pervaſit, & totus orbis condemnavit Athanaſium contrà ſentientem, ut ait Conſtantius Imperator apud Theodoretum lib. 2. cap. 16? Cùm omnes pœne toto orbe Eccleſiæ ſub nomine pacis & regis Arianorum conſortio pollucrentur, ut ait Hieronymus in Chronico an annum 364. & totus mundus ingemiſceret, & ſe factum eſſe Arianum miraretur, ut idem loquitur in dialogo contra Luciferianos: cum vix quinque in toto orbe Orthodoxi Epiſcopi noti eſſent, neque in exilium relegati: ac inter alios tandem etiam Liberius Epiſcopus Romanus defeciſſet: & Fælix ſucceſſor ejus cum Arianis communicâſſet; ut antè oſtendimus.

Hieronymus.

Semper in Eccleſiâ manet veritas ſed ſæpè latens & oppreſſa.

Non dubito equidem Deum ſuam ſemper Eccleſiam, & in eâ veritatem ſalutarem conſervâſſe; licet ſæpenumerò preſſam, afflictam, & humanâ auctoritate deſtitutam. Sed valdè ridiculus fuerit, qui in ejuſmodi tempeſtate controverſias de fide, Eccleſiæ tanquam judicis infallibilis auctoritate definiendas dixerit, cum Eccleſiæ communione Orthodoxi, ſicubi reperirentur, indigni judicarentur.

Deinde cum Adverſarii nomine Eccleſiæ, unam Romanam Eccleſiam intelligant, excluſâ (ut dictum eſt) maximâ parte orbis Chriſtiani, facile patet non convenire huic Eccleſiæ proprietates ſummi judicis, quas ſuprà cap. 11. ad argumentum quintum, pro Verbi Dei auctoritate recenſuimus. Sed his & talibus omiſſis, ſi unum aut alterum argumentum addidero de Eccleſiâ, ad ſequentia pergemus. Primum ſic habet.

Eccleſia non eſt ſummus & infallibilis judex. Primum arg.

Nullus judex reſtrictus & alligatus ad legem aut normam à ſuperiore poſitam, eſt abſolutus & infallibilis: At Eccleſia eſt reſtricta & alligata ad legem aut normam à ſuperiore poſitam, nempe Verbum Dei, Ergo &c.

Major

Major patet: nam reſtrictus & abſolutus; alligatus & liber opponuntur: proinde reſtrictus ad aliquid & alligatus judex non eſt liber & abſolutus. Item qui reſtrictus eſt ad normam non eſt infallibilis, niſi ex hypotheſi, ſi nempe obſervet normam. Nemo autem normâ opus habet, qui non poteſt aberrare à normâ. Quodſi quis objiciat, hac ratione nullum Regem aut Monarcham eſſe abſolutum judicem in terris, cum omnes judicia ſua ad normam divinam exigere debeant, Reſpondeo (ut omittam longe diverſam eſſe regiminis & judicii rationem in rebus politicis, in quibus libertas permittitur principi, modò Dei verbo non repugnet; & in rebus fidei, quæ certo Verbo Dei nituntur, in quibus peccatur, niſi omninò ad præſcriptum Verbi Dei fiant) certè nullus unquam Monarcha in terris ſibi ejuſmodi abſolutum judicium infallibile, de quo loquimur arrogare potuit. *Eccleſia ſemper eſt alligata normæ Verbi Dei.*

Minor etiam patet: ſcilicet Eccleſiam in rebus fidei (de quibus ſolùm in hac controverſiâ loquimur) reſtrictam eſſe ad Verbū Dei. Dico Verbum Dei vel ſcriptum vel non ſcriptum (neque enim hac de re nunc cum adverſariis litigabimus) quia ſatis hoc ad inſtitutum noſtrum. In confeſſo eſt enim, objectum fidei eſſe Verbum Dei, neque licere Eccleſiæ articulum fidei addere, demere, aut mutare eò quòd Verbum Dei ſit immutabile. Ac proinde nec judicare poteſt de controverſiâ fidei niſi ſecundum Verb. Dei. Neq; quidquam Eccleſia profitetur ſe credendum docere quod non eſt diſertè verb. Dei, aut ex eo deducitur & ſtabilitur. Neque aliunde ſuam ipſius auctoritatem aſſerit. Imò in Verbo Dei ipſa fundatur, ut dicitur Eph. 2. 20. *Superſtructi iſtis ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum,* id eſt, ſuper doctrinam Propheticam & Apoſtolicam quæ eſt verbum Dei. Et Deus variis in locis verbum ſuum ut normam commendat Eccleſiæ, ut ab eâ nec ad dextram nec ſiniſtram declinet, Deut. 5. 32. & 18. 14. Joſ. 23. 6. &c. Sic Iſ. 8. 20. remittit Populum ſuum in rebus dubiis ad legem & teſtimonium. Sic in omnibus legitimis Conciliis, S. Scriptura in medium proponi tanquam unica Eccleſiæ norma conſuevit. Sic in Concilio Niceno Conſtantinus Imperator. „ Evangelici (inquit) & Apoſtolici libri, nec non antiquorum Pro„ phetarum oracula perſpicuè nos docent quid de re divinâ ſentiendum ſit. Proinde poſitâ diſcordiâ, ſumamus ex verbis divinitus inſpiratis ſolutionem quæſtionum. *Eph. 2. 20. Deut. 5. 32. & 18. 14. Joſ. 23. 6. Iſ. 8. 20. Conſtantinus.*

Egregiè in hanc ſententiam Auguſtinus lib. de Unitate Eccleſiæ *Auguſtinus.*

O cap. 3.

,, cap. 3. Non audiamus [*hæc dico*, *hæc dicis*] ſed audiamus [*hæc dicit* ,, *Dominus*] ſunt libri Dominici quorum auctoritati utrique conſen- ,, timus, utrique credimus, utrique ſervimus; ibi quæramus Eccle- ,, ſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram. Et paulò pòſt. Auferan- ,, tur illa quæ adverſus nos invicem, non ex divinis Canonicis libris, ,, ſed aliunde recitamus: quia nolo humanis documentis, ſed divi- ,, nis oraculis ſanctam Eccleſiam demonſtrari. Et cap. 16. Utrum ,, ipſi (ſcilicet Donatiſtæ) Eccleſiam teneant, non niſi divinarum ,, Scripturarum Canonicis libris oſtendant: quia nec nos propterea ,, dicimus nobis credi oportere, quòd in Eccleſiâ Chriſti ſimus: ,, quia ipſam quam tenemus Eccleſiam Optatus vel Ambroſius, vel ,, alii innumerabiles noſtræ communionis Epiſcopi tenuerunt, aut ,, quia noſtrorum Collegarum Conciliis ipſa prædicata eſt, aut quia ,, tanta fiunt in eâ mirabilia. Quæcunque talia in Catholicâ Eccle- ,, ſiâ fiunt, ideo ſunt approbanda, quia in Catholicâ fiunt: non ideo ,, ipſa manifeſtatur Catholica quia hæc in eâ fiunt. Ipſe Dominus ,, Jeſus, cùm reſurrexiſſet à mortuis, & diſcipulorum oculis viden- ,, dum, manibuſque tangendum corpus ſuum offerret, ne quid falla- ,, ciæ ſe pati arbitrarentur, magis eos teſtimoniis Legis & Propheta- ,, rum & Pſalmorum confirmandos eſſe judicavit. Hæc ſunt cauſæ ,, noſtræ documenta, hæc firmamenta. Legimus in Actibus Apo- ,, ſtolorum dictum de quibuſdam credentibus quòd quotidie ſcruta- ,, rentur Scripturas, an hæc ita ſe haberent. Quas itaque Scripturas ,, niſi Canonicas Legis & Prophetarum? Huc acceſſerunt Evange- ,, lia, Apoſtolicæ Epiſtolæ, Actus Apoſtolorum, Apocalypſis Jo- ,, annis: ſcrutamini hæc omnia, & eruite aliquid manifeſtum, quo ,, demonſtretis Eccleſiam. Idem lib. 2. contra Creſconium cap. 31. ,, Non ſine cauſâ tam ſaluber vigilantiæ Canon Eccleſiaſticus con- ,, ſtitutus eſt, ad quem certi Prophetarum & Apoſtolorum libri per- ,, tinent: quos omnino judicare non audeamus, & ſecundum quos de ,, cæteris literis vel fidelium vel in fidelium liberè judicemus.

Origenes. Origenes hom. 25. in Matthæum. Debemus ad teſtimonium ,, omnium verborum quæ proferimus in doctrinâ, proferre ſenſum ,, Scripturæ, quaſi confirmantem quem exponimus ſenſum. Sicut ,, enim omne aurum extra templum non eſt ſanctificatum, ſic omnis ,, ſenſus qui fuerit extra Scripturam, quamvis admirabilis videatur, ,, non eſt ſanctus: quia continetur à ſenſu Scripturæ, quæ ſolet eum ,, ſolum ſenſum ſanctificare, quem habet in ſe, ſicut Templum pro- ,, prium aurum.

Hila-

Digitized by Google

„ Hilarius lib. 1. de Trinitate. Optimus Lector eſt, qui dictorum „ intelligentiam expectet ex dictis potiùs quàm imponat, & retule- „ rit magis quàm attulerit: neque cogat id videri dictis contineri, „ quod ante lectionem præſumpſerit intelligendum. Cùm itaque „ de rebus Dei erit ſermo, concedamus cognitionem ſui Deo, di- „ ctiſque ejus piâ veneratione famulemur. Idoneus enim ſibi teſtis „ eſt, qui niſi per ſe, cognitus non eſt. Et lib. 7. Non relictus eſt hominum eloquiis de Dei rebus alius, præterquam Dei ſermo. Sic hi Patres ſenſum Scripturæ & doctrinam omnem de rebus ſacris ad S. Scripturam exigi volunt. *Hilarius.*

Alterum argumentum: Si Eccleſia eſſet judex infallibilis in rebus Religionis, eſſet in doctrinâ & praxi Religionis immutabilis: At non eſt immutabilis &c. Ergo &c. *2. Argumentum. Eccleſia eſt mutabilis,*

Major patet: quia veritas eſt immutabilis: proinde vera doctrina & vera praxis Religionis eſt immutabilis. Minor probari poteſt exemplo communionis Euchariſtiæ, quæ in primitivâ Eccleſiâ, ſecundum inſtitutum Chriſti fidelibus dabatur in utroque elemento, panis ſcilicet & vini: quod paulatim in deſuetudinem vênit, & contrarium lege ſancitum eſt. Hæc omnia clarè conſtant ex Conſtantienſis Concilii actione 13. ubi diſertè dicitur, licet à Chriſto adminiſtratum ſit hoc ſacramentum ſub utrâque ſpecie panis & vini, & in primitivâ Eccleſiâ olim receptum fuerit à fidelibus ſub utraq; ſpecie: tamen hanc conſuetudinem rationabiliter eſſe introductam, ut à ſacerdotibus ſolis ſub utraque ſpecie, & à Laïcis tantummodò ſub ſpecie panis recipiatur: quam conſuetudinem pro lege deinceps haberi ſtatuit illud Concilium, ejuſque tranſgreſſores & hæreticos puniendos. Sed quia Adverſarii hîc nullum errorem agnoſcunt, neque hîc locus eſt eâ de re diſputandi, ideo aliud exemplum adjungemus, in quo non facile erit iis negare abuſum & errorem Eccleſiæ, cùm infantibus Euchariſtia neceſſaria haberetur: qua de re Maldo- „ natus Papiſta in Joan. 6. Miſſam (inquit) facio Auguſtini & In- „ nocentii primi Papæ ſententiam, quæ 600 circiter annos viguit „ in Eccleſiâ, Euchariſtiam etiam infantibus neceſſariam, res jam „ ab Eccleſiâ, & multorum ſæculorum uſu, & decreto Concilii „ Tridentini explicata eſt, non ſolùm neceſſarium illis non eſſe, ſed „ ne licere quidem dare. *ut videre eſt in communione Infantiū, & ſub utraque ſpecie. Concilium Conſtantienſe. Maldonatus.*

Atq; hæc de Eccleſiâ pro noſtro inſtituto ſufficiant. Nunc in communi oſtendemus nullum prorſus dari ſive hominem, ſive cœtum, *Nullus datur externus infal-*

Digitized by Google

[...]libilis judex ſenſus Scripturæ.

qui ſit ſummus & infallibilis judex ſenſûs Scripturarum, aut controverſiarum fidei.

1. Arg. Teſtimonium Eccleſiæ eſt humanum non divinum.

Bellarminus & Gregorius de Valentiâ blaſphemi.

Sic igitur primò arguimus: Si ullus homo, aut hominum cœtus nunc ſit judex infallibilis, cujus judicio ſtandum ſit in rebus fidei, tum fides noſtra penderet ab humano judicio: At poſterius eſt abſurdum: Ergo & prius. Minor patet, quia fides nititur teſtimonio divino, non humano, ut ſuprà oſtenſum eſt. Majorem negant Pontificii: Bellarminus ait verbum Eccleſiæ, id eſt, Concilii vel Pontificis, docentis ex Cathedrâ, non eſſe omnino verbum hominis, id eſt, verbum errori obnoxium, ſed aliquomodo Verbum Dei, id eſt, prolatum aſſiſtente & gubernante Sp. Sancto. Gregorius de Valentiâ ait hanc auctoritatem eſſe partim divinam, partim humanam, ſcilicet humanam divinitùs inſpiratam; in tom. 3. Commentariorum Theologic. puncto 7. quæſt. 2. ac proinde parem eſſe dicit auctoritati S. Scripturæ, ſaltem quoad rem ipſam, in eodem puncto qu. 8. At hoc eſt blaſphemum, ita enim ſtatuit parem eſſe auctoritatem Alexandri VI. Papæ flagitioſiſſimi, in Cathedrâ ſcilicet docentis, ac Apoſtolorum Petri & Pauli Canonicas Epiſtolas ſcribentium. Verum enim verò, etſi eadem ſit Verbi Dei veritas à quocunque pronuncietur, tamen nullius inſtrumenti auctoritas comparari poteſt

Auguſtinus.

„ cum ſcriptoribus Canonicis. In aliorum ſcriptis (inquit Auguſti-
„ nus lib. 11. contra Fauſtum Manichæum cap. 5.) etiamſi inveni-
„ tur eadem veritas, tamen impar eſt auctoritas. Et ideò impar au-
„ ctoritas, quia non certò conſtat eandem ſemper eſſe veritatē. Un-
„ de ad Hieronymum epiſt. 19. Ego ſolis (inquit) eis ſcriptoribus,
„ qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque
„ deferre, ut nullum eorum ſcribendo erráſſe audeam credere.

Auctoritas Prophetarum non eſt partim ſed ſimpliciter divina.

Verùm abſurdè Gregorius de Valentiâ appellat auctoritatem partim divinam, partim humanam, quæ eſt divinitùs inſpirata. Ea enim quam conſtat eſſe divinitùs inſpiratam, omninò eſt divina. Etenim cùm inſtrumenti ἐνέργεια omnis principali agenti meritò accepta referenda ſit, & Deus hominibus θεοπνεύστοις tanquam meris inſtrumentis in verbo ſuo edendo utatur, Verbum Dei tam divinum eſt, quod iis audientibus editur, quam quod ipſis immediatè communicatur. Verbi causâ, tam divinum eſt Verbum Dei quod Eſaias Deo dictante ſcripſit, quàm quod Deus Eſaiæ immediatè dictavit, cum unum idemque ſit: neque Eſaiæ auctoritas miſcetur cum auctoritate Dei, ut dicatur eſſe auctoritas partim Eſaiæ partim Dei:

imò

Digitized by Google

imò tota auctoritas eſt Dei, nulla autem Eſaiæ niſi à Deo: neque enim hîc inſtrumentum aliquid addit aut derogat auctoritati Dei. Utcunq; eſt, hîc Pontificii neceſſe habent diſtinguere inter teſtimonium ſeu Verbum Dei, & teſtimonium ſeu Verbum Eccleſiæ: ut patet ex proceſſu quo utuntur in Analyſi fidei. Etenim cum ab iis quæritur, cur hoc aut illud credant, verbi causâ, Trinitatem, Transſubſtantiationem, Purgatorium? Reſpondent, quia Deus iſta revelavit verbo ſuo. Sed hîc non ſubſiſtunt, ſed ultrà quærunt, unde id cognoſcatur Deum id revelâſſe verbo ſuo, vel unde dignoſcatur hoc eſſe Verbum Dei, aut hunc eſſe ſenſum verbi Divini: & hîc reſpondent, ob teſtificationem Eccleſiæ. Proinde cum Verbum Dei probent à teſtimonio Eccleſiæ, neceſſe eſt diſtinguant teſtimonium Eccleſiæ à Verbo Dei: itaque teſtimonium Eccleſiæ, quo probatur Verbum Dei, non eſt Verbum Dei, quod probatur teſtimonio Eccleſiæ; nullum enim agnoſcunt Verbum Dei, niſi quod probetur teſtimonio Eccleſiæ, quod ſi ergo Eccleſiæ teſtimonium ſit Verbum Dei, oportet illud probetur etiam teſtimonio Eccleſiæ, adeoq; idem probetur per idem, aut progreſſus ſit in infinitum. *Analyſis fidei Pontificia.*

Alterum argumentum huic affine ad hunc modum formari poteſt. Si ullus nunc homo aut cætus eſſet judex infallibilis ſenſûs Scripturæ, & omnium controverſiarum, in iſtius auctoritate fides fundaretur, & in eam ultimò reſolveretur: At poſterius eſt falſum. E. & prius. Majorem concedunt, & in Minorem negant nonnulli magni nominis ex Scholaſticis Pontificiis: alii verbo quidem negant majorem, ſed reverâ vim connexionis effugere nequeunt; cum & Scripturæ & traditionum, adeoque univerſi Verbi Dei, & ſcripti & non ſcripti (ut vocant) auctoritatem quoad nos, & explicationem & ſenſum omnium articulorum fidei & quæſtionum religionis ab hoc judice ſuſpendant, & apertè dicant, quæcunque credunt ſe credere ob auctoritatem hujus judicis; ut nominatim Stapleton. docet lib. 9. doctrinalium principiorum. *Secundum argumentum.* *Fides divina non poteſt reſolvi in teſtimonium humanum.*

Minor probatur: quia doctrina Prophetarum & Apoſtolorum eſt fundamentum fidei in quod ultimò fides reſolvitur; proinde non auctoritas Eccleſiæ aut Patrum: neque enim duplex poteſt eſſe unius rei fundamentum. Antecedens probatur ex Epiſt. ad Epheſ. 2. 20. *Eſtis Concives ſanctorum & domeſtici fidei, ſuperſtructi ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum*, id eſt, doctrinam Prophetarum & Apoſtolorum, ſeu, ut Ambroſius ait, ſuper Vet. & Nov. Teſtam. *Eph. 2. 20.* *Ambroſius.*

Digitized by Google

Bellarmini diſtinctio fundamenti primi & ſecundi refellitur.

Reſpondet Bellarminus, Verbum Dei miniſtratum per Prophetas & Apoſtolos eſſe primum fundamentum noſtræ fidei: ſed præter hoc fundamentum primum requiri aliud fundamentum ſecundariũ, id eſt, Eccleſiæ teſtificationem: neque enim certò conſtare quid Deus revelaverit, niſi ex teſtimonio Eccleſiæ. Reſpondeo 1. (ut dixi) abſurdum eſt, unius rei duo ponere fundamenta. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt*, (ut inquit Paul.

1. Cor. 3. 11. 1. Cor. 3. 11.) *quod eſt Jeſus Chriſtus.* Eôdem autem redit, ſive dicamus Chriſtum, ſive doctrinam Chriſti à Prophetis & Apoſtolis editam eſſe fundamentum. Nam omnes θεόπνευστοι ſcriptores ad Chriſtum tanquam metam collimârunt. 2. Poſito quòd ſit duplex fundamentum fidei, certè in reſolutione Pontificiâ prius fundamentum eſt teſtimonium Eccleſiæ: primum enim fundamentum eſt illud in quod ultimò reſolvunt: non enim ſubſiſtunt in revelatione Dei per Prophetas & Apoſtolos, ſed in teſtimonio Eccleſiæ, ut ſuprà dictum eſt, & Bellarminus hîc agnoſcit. At ex verbis Pauli patet, ipſam Eccleſiam & fideles omnes fundari in doctrinâ Propheticâ & Apoſtolicâ. Quod ſi præter doctrinam Propheticam & Apoſtolicam neceſſarium ſit ad fidem aliud fundamentum, nempe judicium hujus externi judicis, tum hic judex, ſive dicatur Papa, ſive Concilium, ſive Eccleſia, aut non habet fidem, aut ſuo ipſius judicio nititur, aut aliud eſt fundamentum fidei hujus judicis, aliud reliquorum fidelium, quæ omnia abſurdiſſima ſunt.

Atque hinc etiam patet, doctrinam Propheticam & Apoſtolicam, ſeu Verbum Dei, prius eſſe Eccleſiâ, cùm in eo fundetur Ec-

1. Pet. 1. 23. cleſia, & ſemen ſit Eccleſiæ, 1. Pet. 1. 23. proinde Eccleſiam ab eo pendêre, non contrà: imò non tantum fides quæ creditur, id eſt, doctrina fidei, ſeu doctrina Prophetica & Apoſtolica, ſed etiam fides quâ creditur, id eſt, habitus fidei, prior eſt Eccleſiâ, & priùs homini convenit, quam eſt membrum Eccleſiæ (priùs inquam naturâ, non tempore) Fides eſt forma dans eſſe Eccleſiæ & ſingulis membris Eccleſiæ quâ ſunt talia: ſiquidem Eccleſia eſt cætus fidelium, & homo eſt membrum Eccleſiæ quâ fidelis, & non aliter. Si itaque fides ſit prior Eccleſiâ & ſingulis membris Eccleſiæ, certè fides non pendet ab Eccleſiâ, eademque ratione nec à Papâ, nec à Concilio. Non negamus vocem Eccleſiæ conferre ad fidem propagandam, tanquam Dei miniſtram aut inſtrumentum, ſed fundamentum eſſe fidei, ſive primarium ſive ſecundarium, nullo modo concedimus.

Verbum Dei eſt prius Eccleſiâ, ejuſque ſemen ac fundamentum.

3. Argu-

Digitized by Google

3. Argumentum. Si fide divinâ credendum eſt dari externum judicem infallibilem (ſive is dicatur Papa, ſive Concilium, ſive Eccleſia, ut volunt Pontificii) tum id auctoritate divinâ conſtat: At non conſtat auctoritate divinâ. Ergo &c. Major conceditur à Pontificiis, & per ſe manifeſta eſt, quia fides divina nititur auctoritate & teſtimonio divino: Minor probatur, quia ſi conſtaret auctoritate divinâ, conſtaret ex Scripturis. (neque enim nunc Enthuſiaſmis aut extraordinariis revelationibus fidendum eſt.) At non conſtat ex Scripturis: Ergo &c. Majorem hujus Proſyllogiſmi etiam concedunt Pontificii: ideoque ex Scripturis judicem ſuum infallibilem conantur oſtendere. Probo igitur minorem, ſcilicet ex Scripturis non conſtare illum judicem infallibilem: quia ſecundum ipſorum principia nulla poteſt hac de re dari demonſtratio ex Scripturis, niſi Circularis, nugatoria, & ridicula. Verbi causâ, dicunt Papam eſſe judicem hunc infallibilem: id probari petimus: proferunt ex Scripturis iſta loca, Matt. 16.18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam?* Et Jo. 21. Paſce oves meas: Ex quibus locis non tantùm Papæ infallibilitatem, ſed etiam ejus Monarchiam ſupra Eccleſiam, & poteſtatem temporalem ſupra Imperatorem & Reges, aliaſque commentitias prærogativas deducunt. At illi & auctoritatem Scripturæ in genere, & ſenſum cujuſque loci Scripturæ non aliter nobis conſtare aſſerunt, quam auctoritate hujus ſummi judicis, videlicet Papæ. Sic manifeſto involvuntur Circulo & nugatione ad hunc modum. Unde conſtat auctoritas externi hujus judicis infallibilis, putà Papæ? Ex Scripturæ auctoritate. Unde conſtat auctoritas Scripturæ? Ex judicis externi auctoritate. Unde conſtat, iis locis Scripturæ quos citant, denotari illius judicis infallibilitatem? Quia judex ille dicit. Unde conſtat judicem illum verum dicere? Quia id in iis locis denotatur. Unde conſtat id in iis locis denotari? Quia ille judex dicit. Atque ita in infinitum circulariter; Ex quo Circulo nugatoria argumentatio exurgit. Etenim cùm probatur auctoritas externi judicis auctoritate Scripturæ, & auctoritas Scripturæ & ſenſus cujuſque loci Scripturæ auctoritate externi judicis, quis non videt auctoritatem externi judicis probari auctoritate externi judicis, adeoque idem per idem.

3. Arg. Non conſtat fide Divina dari judicem externum infallibilem.

Matt. 16. 18. Jo. 21.

CAP.

CAP. XVII.

De Analyſi fidei Digreſſio.

QUONIAM jam toties mentionem fecimus Analyſeos fidei: in quâ ut nos Pontificiis, ita illi viciſſim nobis Circulum objiciunt, cùm maximi ſit momenti, plurimumque ad præſentem diſputationem conducat eam rectè tenere, operæ prætium eſt, noſtram & Pontificiorum hac de re ſententiam conferre.

Proteſtantium fides ultimò reſolvitur in Dei Verbum & teſtimonium.

Nos autem breviter ſic ſtatuimus. Prout ſcientia reſolvitur in principia ſuâ luce ratione clariora, ex quibus concluſiones minus notæ clarè deducuntur: ſic fides reſolvitur in teſtimonium fide dignum: & fides quidem humana in teſtimonium humanum, quod cùm fallax interdum eſſe poſſit, fidem omninò certam & indubitatam non gignit: fides autem divina in teſtimonium divinum, quod conſtat eſſe certiſſimum, & ab omni errore & fallaciâ alieniſſimum. Hoc loco autem fidem divinam intelligimus, quæ κατ' ἐξοχὴν ſimpliciter fides appellari ſolet. Prima ergo & ſumma ratio, cur credatur tota doctrina aut quilibet articulus fidei, eſt Verbum Dei, quia ſcilicet Deus, qui eſt ipſa veritas, dixit. Deus autem olim πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως (ut eſt Heb. 1. 1.) multifariè & multimodè verbum ſuum edidit, modò vivâ voce, modò in viſionibus, modò in ſomno, modò in Urim & Thummim, modò tacito inſtinctu. Sed nunc poſtquam Deus utrumque Teſtamentum, & Vetus & Novum abſolvit, non aliunde quàm ex Sacrâ Scripturâ utriuſque Teſtamenti, certum Dei verbum petendum, aut expectandum eſt, quo fides Eccleſiæ & omnium fidelium nitatur; ut poſteà oſtendemus. Unde hoc eſt nobis certum & indubitatum fidei principium πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, *Tota Scriptura eſt divinitùs inſpirata*, 2. Tim. 3. 16. Similis locus habetur, 2. Pet. 1. 20. 21.

Heb. 1. 1.

2. Tim. 3. 16.

1. Pet. 1. 20. 22.

Fides in duos Syllogiſmos reſolvitur.

Unde hæc prima occurrit in fide demonſtratio. Omne Dei verbum, ſeu omnis Dei revelatio eſt vera: Sacra Scriptura eſt Dei Verbum, aut revelatio: Ergo eſt vera. Hic eſt primus proceſſus: alter autem proceſſus eſt, in quo ſub Concluſione iſtius Syllogiſmi ſubſumitur quilibet Articulus fidei, ad hunc modum: Quicquid Scripturâ dicit, eſt verum, & firmiter credendum: At hoc aut illud Scriptura dicit: Ergo &c. In primo proceſſu utraque propoſitio eſt prima,

Digitized by Google

prima, immediata, & indemonſtrabilis. Major eſt axioma (ut Ariſtotelis utar terminis) nempe ſententia ex ſolâ terminorũ notitiâ per ſe clara & evidens homini ſanâ mente prædito, non minùs quàm hæc, [Contradictionis altera pars eſt vera, altera falſa.] Etenim qui novit quid ſit Deus & Veritas, Deumque eſſe primam veritatem, non poteſt Dubitare quin Deus ſit verax.

Minor eſt principium ex hypotheſeôn genere, quæ, ut agnoſcatur, præter notitiam terminorum ex quibus conſtat, opus habet aliquâ inſuper declaratione aut confirmatione. Minor ſecundi proceſsûs, etſi principium proprie dici non poteſt, cum ſit propoſitio ſingularis, tamen demonſtrari non poteſt à priori, licet explicatione & declaratione interdum opus habeat. De majore primi proceſsûs nulla eſt inter nos & Pontificios controverſia. Et in morem primi proceſsûs, nempe, S. Script. eſſe Verbum Dei, illi quidem principium eſſe verbo tenus agnoſcunt (licet totum Dei Verbum Scripturâ comprehendi nolint, ei adjungentes verbum non ſcriptum & traditiones) ſed in hoc principio non ſubſiſtunt, neque illud indemonſtrabile agnoſcunt. Idemque ſentiunt & de Minore ſecundi proceſsûs: & utrumque probare volunt, ac neceſſariò pendêre ab auctoritate Eccleſiæ: neque aliter conſtare poſſe aſſerunt, aut Scripturam eſſe Verbum Dei, aut Scripturam hoc dicere, ſeu hunc eſſe ſenſum Scripturæ, niſi auctoritate & judicio Eccleſiæ.

Nos autem, etſi Eccleſiæ veræ miniſterium & teſtimonium magni faciamus, tamen neutrius propoſitionis fidem ab autoritate Eccleſiæ abſolutè pendêre aſſerimus: & utramque propoſitionem ratione infirmitatis noſtræ habere opus declaratione, aut etiam confirmatione per argumenta à poſteriori petita, aut alia indicia: fidem tamen noſtram ipſarum luce inſitâ à Sp. Sancto demonſtratâ niti, non priori ullo aut externo argumento.

Cæterùm de minore ſecundi proceſsûs non eſt quòd hic verba faciamus, quia ſuprà libri hujus cap. 1. 2. 3. 4. & 8. ſatis luculentè oſtendimus Scripturam eſſe ſuiipſius interpretem, ſeu, per ſe ipſum exponendam eſſe: & proinde hoc aut illud dici in Scripturâ, ſeu hunc eſſe ſenſum Scripturæ, ex ipsâ Scripturâ primò & per ſe conſtare; licet alia media & adminicula, quæ ibi enumeravimus, non ſint negligenda.

Major primi Syllogiſmi, omne Dei Verbũ eſt verum, eſt axioma & ex ſolâ terminorum notitiâ cuilibet ſano evidens.

Minor, Scriptura eſt Dei verbum eſt hypotheſis & principiũ, quod licet non demonſtretur, variis tamen argumentis explicatur & confirmatur.

Minor ſecundi Syllogiſmi. Hoc vel illud Scriptura dicit, nõ eſt principium, non tamen demonſtrari poteſt à priori.

Vtraq; propoſitio Pontificiis eſt demonſtrabiles per auctoritatem Eccleſiæ. Vtraque minor ob humanam infirmitatem opus habet declaratione; imò confirmatione per argumenta à poſteriori. Sed utramq; credimus ex inſitâ ipſarum luce à Sp. Sancto monſtratâ. Hoc aut illud dici in Scripturâ ex ipſa Scripturâ primò & per ſe conſtat.

Principia prima & per ſe confirmantur à poſteriori variis argumentis & indiciis.

Quod autem ad minorem primi proceſsûs attinet, quâ Scripturæ auctoritas aſſeritur, eam nempe eſſe Verbum Dei, dicimus idem uſu venire in hoc principio, atque in multis aliis ſcientiarum principiis, quæ licet naturâ ſuâ nota & prima ſint, ac proinde à priori demonſtrari nequeant, noſtræ tamen infirmitatis habitâ ratione, opus eſt ut declarentur aut confirmentur à poſteriori, aut communibus ſignis & indiciis.

Argumenta probantia Scripturam eſſe Dei Verbum.

Ejus generis argumenta nos multa pariter cum Pontificiis agnoſcimus: eaque ſunt vel artificilia vel inartificialia. Artificialia ſunt partim interna ſeu inſita Scripturæ, partim externa, ſeu extra eam petita. Interna vel petuntur à materiâ Scripturæ, vel à formâ & modo. A materiâ vel abſolutè, vel comparatè. Abſolutè, partim in genere, partim in ſpecie.

Sanctitas totius materia.

A materiâ abſolutè in genere: quia tota materia Scripturæ eſt omnino ſancta, bona, vera, pura: & quicquid in eâ dicitur, ab omni errore & vitio alienum eſt. Nuſquam alibi penitùs pura & perfecta lex ponitur, & ſalutis ratio quæ Dei gloriæ & juſtitiæ quadrat, ac conſcientiam tranquillat, exponitur.

Veritates non contra ſed ſupra naturam.

In ſpecie: quia multa ſupra humanam rationem, imò omnem creatum intellectum, docet, non tamen contra rationem, quæ humana ratio nunquam indagare, nunquam perveſtigare potuit, ſed poſtquam revelata ſunt, ea vera eſſe convincitur. Hujus generis ſunt partim myſteria Chriſtianæ fidei, ut Trinitas, Incarnatio Chriſti, &c. partim prædictiones rerum futurarum, quibus certiſſimus eventus reſpondet.

Perfecta partium harmonia.

A materiâ Scripturæ comparatè ſumitur argumentum, cùm partes ejus inter ſe conferimus, & admirabilem earum conſenſionem, & pulcherrimam harmoniam advertimus, in rebus tam variis & arduis, quæ ſcriptæ ſunt à tot variæ conditionis, tempore & loco disjunctis hominibus varias ob occaſiones, non minùs quàm ſi ab uno homine ſcriptæ eſſent: imò vix ac ne vix quidem unquam evenit, ut unus idemque homo tantum opus perfecerit, in quo ſibi per omnia conſentiret.

In ſimplicitate Divina Majeſtas.

A formâ & modo: quia mira Majeſtas Spiritûs ubique lucet in Scripturis ſub incultâ ſimplicitate & humilitate orationis ac verborum.

Odium Satana.

Hujuſmodi fuerunt interna argumenta. Externa partim ſunt diſſentanea, partim conſentanea. Ex diſſentaneis eſt. 1. Odium irreconci-

conciliabile Satanæ, & inſtrumentorum ejus adverſus Scripturæ doctrinam. 2. Ingentes calamitates & funeſti exitus eorum qui eam oppugnârunt, ut Antiochi Epiphanis, Juliani, Judæorum, &c.

Funeſti exitus inimicorum.

Ex argumentis conſentaneis quædam petuntur à circumſtantiis, quædam ab effectis. A circumſtantiis petita argumenta ſunt vel à ratione temporis, vel à conditione ſcriptorum.

Antiquitas & duratio doctrinæ. *1. Maccab. 1. 56.*

A ratione temporis: ſcilicet partim ab antiquitate, partim à duratione doctrinæ in Scripturis traditæ, & admirandâ per tot ſæcula conſervatione, adverſus omnes Diaboli machinationes, & immanitatem hoſtium veritatis, 1. Maccab. 1. 56.

Candor & pietas ſcriptorum. *Gen. 36. Num. 12. & 27. 12. Deut. 32. 49.*

A conditione Scriptorum, 1. Si eorum integritatem & candorem ſpectemus, in ſuis & ſuorum vitiis retegendis, Gen. 36. Num. 12. & 27. 12. Deut. 32. 49. &c. 2. Genus vitæ eorum qui iſta literis mandârunt, ab omni fallaciæ ſuſpicione alienum. Nam in illo numero fuerunt paſtores, piſcatores, & publicani: quorum ut ſimplex fuit vita, ità etiam ſimplex oratio. Huc ſpectat iſtud dilemma [Scriptores hi aut fuerunt boni aut mali, aut fideles, aut infideles: ſi boni & fideles, Dei auctoritatem in ſcriptis ſuis non mentiti eſſent; cum ſubinde hæc aut hujuſmodi verba inculcent [*Hæc dicit Dominus:*] Si mali & infideles, non potuerunt tam ſeriò vitia omnia & præſertim mendacia prohibere & reprehendere; virtutes verò, & præcipue fidem inprimis mandare & commendare.]

Efficacia in convertendo & conſolando.

Ab effectis: quia mira efficacia & planè divina vis, & ἐνέργεια Scripturæ apparet in convincendis, convertendis, & conſolandis animis hominum (cum ſine perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis ejuſmodi res doceat, quæ magnâ ex parte hominum ingenio & carni repugnant) ita ut tot hominum ſtudia, & doctiſſimorum & ingenioſiſſimorum ad ſe rapuerit, & plurimis gentibus perſuaſerit, ut deſertis patriis religionibus, quæ multorum ſæculorum decurſu confirmatæ erant, doctrinam S. Literarum amplecterentur: & quicunque eâ penitus imbuti ſunt, mirum in modum, accedente incredibili animi robore & virtute, in novos homines transformet.

Teſtimonia Adverſariorum.

Inartificialia argumenta ſunt teſtimonia. Teſtimonia autem hîc occurrunt divina & humana. Humanum teſtimonium eſt partim amicorum, partim hoſtium. Hoſtium teſtimonium eſt partim eorum qui tales permanſerunt, partim eorum qui vi veritatis ex hoſtibus in amicos converſi ſunt.

Tanta vis eſt Scripturæ, ut ab hoſtibus ſuis quandoque verum

P 2 teſtimo-

Digitized by Google

teſtimonium extorqueat: Ita Religioni Judæorum tyranni qui eos oppreſſerunt, ſæpe teſtimonium perhibuerunt, Dan. 3. 4. 5. &c. Et hujuſmodi teſtimonia ethnici Imperatores ſæpè pro Chriſtianâ Religione ediderunt, ut patet ex Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 4. cap. 13. & lib. 9. cap. 9. Et mirabilis quidem Dei providentia eſt, qui libros Veteris Teſt. operâ Judæorum Chriſti hoſtium juratorum conſervavit. Qui autem ex hoſtibus, nempe Idololatris converſi, Chriſtianam Religionem amplexi ſunt, hominum etiam magnæ auctoritatis & nominis, propè infinitus eſt numerus.

Dan. 3. 4. 5.

Eccleſia antiqua & nova.

Amicorum teſtimonium partim eſt generale, partim ſpeciale. Generale eſt teſtimonium totius Eccleſiæ veteris & novæ: adeoque tot populorum, gentium, & nationum conſenſus, in quibus innumerabiles viri auctoritate, ingenio, virtute, & doctrinâ præcellentes, divinam Scripturæ auctoritatem aſſeruerunt & confirmârunt, nullis humanis illecebris allecti, quas potiùs veritatis ſtudio, bona ſpiritualia affectantes, contempſerunt.

Martyrum.

Inter ſpecialia teſtimonia, luculentiſſimum eſt martyrum, in acerbiſſimis cruciatibus, ob veritatis divinæ in Scripturis propoſitæ, confeſſionem perpeſſi ſunt, conſtans profeſſio, cum eximiâ conſolatione, quâ ineffabiles dolores & hoſtium immanitatem ſuperârunt.

Dei in revelationibus & miraculis.

Hactenus fuerunt teſtimonia humana, teſtimonium divinum patet in miraculis: cujuſmodi non tantùm ſunt miraculoſæ patefactiones divinæ, quibus extra ordinem Deus doctrinam & voluntatem ſuam in Scripturâ patefeciſſe dicitur, ſed & opera miraculoſa quamplurima, omnem creatam poteſtatem ſuperantia, quibus doctrina Scripturæ confirmata eſt. Ad teſtimonium divinum referri poſſunt etiam Dei judicia manifeſta, adverſus apertos Verbi ſui hoſtes, & contemptores, de quibus ſuprà.

Præter hæc teſtimonia Dei quæ ſunt externa, conſiderandum eſt etiam (etſi prædictis argumentis non annumeramus) teſtimonium Sp. Sancti internum, Scripturæ veritatem & auctoritatem arcanâ ratione animis hominum dictantis & obſignantis: quod præcedit illuminatio mentis ejuſdem ſpiritûs beneficio facta.

Illuminatio Spiritûs.

Spiritûs ſancti illuminatio neceſſaria eſt ad res ſpirituales intelligendas. Etenim poſt primorum parentum lapſum, originalis peccati vitio, ita obtenebratum eſt lumen primævum intellectûs, ut ad naturalem cognitionem exiguas tantùm ſcintillulas reliquas habeat, ſed ad ſpiritualem & ſupernaturalem notitiam planè ineptus & cæcus

Digitized by Google

cus ſit. *Animalis homo non eſt capax eorum quæ ſunt Spiritûs Dei, ſunt enim ei ſtultitia, nec poteſt ea cognoſcere, quia ſpiritualiter dijudicantur,* 1. Cor. 2. 14. *Nam tenebris obſcuratam mentem habet, & eſt ab alienatus à vitâ Dei propter inſitam ignorantiam per cordis obdurationem.* Eph. 4. 18. Neque ullum huic malo remedium datur, niſi à Sp. Sancti illuminatione, quæ duplex eſt; ſcilicet propria renatorum, & communis etiam aliis hominibus. *1. Cor. 2. 14.* *Eph. 4. 18.*

Certè, in renatis Deus ab intellectûs inſtauratione, quem ſerpentis fraude primùm læſum eſſe conſtat, renovationem hominis orditur, cujus illuſtrationem illicò ſequitur voluntatis, perturbationum, & totius vitæ reformatio. Sed præter hanc ſalutarem illuminationem, quæ eſt propria renatorum, ut quædam dona Spiritûs ſui Deus, pro bonitate & ſapientiâ ſuâ, etiam reprobis & irregenitis, communicat, ſic iis commune aliquod lumen internum Spiritûs ſui impertit, ad rerum divinarum qualemcunque cognitionem: qualis erat in iis quos Chriſtus notat, Mat. 7. 22. & Apoſtolus ad Heb. 6. 4. &c. Etſi enim plurimùm interſit inter generalem illam, evanidam, & inertem cognitionem, quæ reprobis non negatur; & inter ſalutarem, ſolidam, & efficacem notitiam, quæ electorum propria eſt, ut illa præ hac vix cognitionis nomine digna ſit: tamen libenter accedo eorum ſententiæ, qui inſignes animi dotes etiam in Ethnicis, & inprimis rerum divinarum cognitionem, quâ aliquando pollent impii, non hominum ingenio àut naturæ, ſed peculiari Dei gratiæ & auxilio, accepta ferenda eſſe cenſent. Atque hinc rectè fides à noſtris diſtinguitur in fidem, quæ eſt piorum propria, & fides juſtificans appellatur; & eam quæ etiam impiis communicari poteſt, qualis eſt fides hiſtorica, fides miraculorum, & temporaria: quæ quidem omnes ſecundum gradus ſuos à peculiari Dei gratiâ profluunt: ſed hæ à communi illâ (quam appellamus) illa autem à propriâ renatis Sp. Sancti illuminatione. *Communis & propria regenitorum.* *Mat. 7. 22.* *Heb. 4. 6.* *Fides temporaria omnia diverſa à ſalvificâ.*

Thomas Aquinas in 2.ª 2.ª qu. 6. art. 1. & 2. docet fidem eſſe merum donum Dei interiùs moventis animum per gratiam; idque non ſolùm fidem illam excellentiorem quæ charitatem conjunctam habet, verùm etiam ſterilem & aridam fidem, quæ informis vulgò dicitur. Verum enimverò, iſta quæ eſt propria ſanctorum, ſimpliciter fides & illuminatio dicenda & cenſenda eſt: cujus ratio & modus hoc ſimili declarari poteſt. Sicut in videndo duplex requiritur claritas: una objecti manifeſtati lumine externo, altera interna in ipsâ *Thomas.* *In viſu alia eſt claritas objecti alia organi.*

Digitized by Google

In fide eſt claritas externa in verbi clarâ revelatione, & interna in Sp. Sancti illuſtratione mentis tam agentis quàm patientis.

acie oculorum: & ἀναλογῶς in Intellectu, duplex etiam in intelligendo ſpectatur claritas, una objecti, ſi obſcurum ſit, illuſtrati lumine externæ explicationis aut probationis, altera in ipſo intellectu, beneficio mentis agentis, quæ, cùm in rebus ſpiritualibus planè cæca ſit, & res iſtæ humani ingenii vires ſuperent, hîc quoque neceſſe eſt, ut duplex claritas accedat: una externa, in verbi divini clarâ revelatione, altera interna, à Sp. Sancti operatione, quâ non tantùm mens agens luce primigeniâ accedente inſtauratur, ſed luce etiam diviniore perfunditur; & prætereà intellectus patiens, alioqui ineptus, illuſtrationis ejus capax redditur, Mat. 11. 25. Luc. 10. 21. Eph. 1. 17. 18.

Mat. 11. 25. Luc. 10. 21. Eph. 1. 17. 18. 1. Cor. 2. 12.

Ut autem abſque Sp. Sancti illuſtratione nullum fidei myſterium (ſaltem ſalutariter) intelligi poteſt, ita ad Scripturæ Sacræ auctoritatem divinam agnoſcendam, Sp. Sancti illuminationem neceſſariam eſſe, nemo pius negaverit 1. Cor. 2. 12.

Spiritus eſt doctor, teſtis, ſigillũ, pignus, & arrhabo. Eſ. 54. 13. Jo. 6. 45. Jer. 31. 33. 34. Heb. 8. 10. 11. Rom. 8. 16. 1. Jo. 5. 6. 2. Cor. 1. 22 & 5. 5. Eph. 1. 13. 14. & 4. 30

Cæterùm Sp. Sanctus non tantùm mentem fidelium perficit & illuſtrat, ſed & inſuper erga eos, Doctoris, teſtis, ſigilli, pignoris, & arrhabonis munere fungitur. Quòd intus doceat, teſtimonia clara ſunt Eſ. 54. 13. Jo. 6. 45. eâdemque ratione dicitur legem ſuam indere, & inſcribere menti & cordi. Jer. 31. 33. 34. Heb. 8. 10. 11. Ita quod Scriptura aliàs dicit de teſtimonio, ſigillo, pignore & arrhabone ſpiritûs, huc accommodari poteſt. Rom. 8. 16. 1. Jo. 5. 6. 2. Cor. 1. 22. & 5. 5. Eph. 1. 13. 14. & 4. 30. Proinde Sp. Sanctus ad Scripturæ auctoritatem, & omninò res ſpirituales dignoſcendas, 1. Mentem hominis aperit, illuſtrat, perficit. 2. Ut Doctor, & teſtis, ipſam rem objectam, præter externam revelationem, arcano modo efficaciùs revelatam animo ſuggerit, imprimit, inſcribit, fidemque ejus facit. 3. Inſtar ſigilli, pignoris, & arrhabonis veritatem confirmat & obſignat, animumque ἀμετάπτωτον reddit.

Alia argumenta præparant mẽtem & confirmant ad credendum Scripturæ, non tamen fidem divinam efficiunt.

Hæc omnia Sp. Sancti opera ſynecdochicè Teſtimonii Spiritûs nomine comprehendere noſtri ſolent: quod ſolum ſufficiens & efficax eſſe dicunt, ad auctoritatem Scripturæ agnoſcendam: ſine quo prædicta, & alia quæcunque argumenta, utcunque adverſarios convincere, & piorum etiam animos præparare ac confirmare poſſunt, fidem tamen hac de re divinam & πληροφορίαν efficere nequeunt.

Media ſunt à Deo in-

Cùm autem dicimus Sp. Sancti teſtimonium & efficaciam ſufficere ad auctoritatem Scripturæ dignoſcendam, non putamus ejuſmodi media & argumenta quæ ſuprà enumeravimus, eſſe ſuper-

vacua.

vacua. Etſi enim Deus poſſit ſolo interno teſtimonio Spiritûs, ex inſitâ verbi naturâ, ejus auctoritatem demonſtrare, ſecluſis omnibus mediis, prudenter tamen ſe infirmitati humanæ accommodat, quæ requirit præparationem ac confirmationem, per ejuſmodi media. Neque verò exiſtimamus argumenta præcedentia eſſe infirma, aut merè contingentia & probabilia, ſed pleraque omnia dicimus eſſe in ſe validiſſima, & neceſſaria τεκμήρια, multò magis, ſi conjungantur omnia, quanquam ab humanâ ſtupiditate, & infirmitate minùs percipiantur. Porrò non ſeparamus Spiritum à Scripturâ, ſed Scripturæ auctoritatem ex ipſius Scripturæ naturâ & luce, Sp. Sancti beneficio, conſtare aſſerimus.

ſtituta, & in ſe validiſſima τεκμήρια.

Hîc verò nobis objiciunt Pontificii, nos, fanaticorum Enthuſiaſtarum more, omnia referre ad privatum ſpiritum: & tum in auctoritate Scripturæ aſſerendâ, tùm ejus interpretatione afferendâ, ſemper niti privato ſpiritu, cùm abſolutè nitendum ſit publico ſpiritu Eccleſiæ. Bellar. lib. 3. de Verbo Dei cap. 3. ait, Sp. Sanctum, etſi multis privatis hominibus ſæpè conceditur, tamen certò inveniri in Eccleſiâ. Proinde ſpiritum privatorum eſſe incertum, ſpiritum verò Eccleſiæ, certiſſimum, adeoque eo ſolo tutò nos niti poſſe.

Calumnia eſt niti Proteſtantes ſpiritu privato.

Reſpondeo 1. Manifeſta eſt calumnia, quòd noſtram ſententiam de Sp. Sancti teſtimonio perinde ac Anabaptiſtica enthuſiaſmata, accipiant. Illi enim, ſpreto aut poſt habito Verbo Dei ſcripto, ſpiritûs magiſterium faſtuoſiſſimè obtendunt. At nos ſemper cum Verbo Spiritum conjungimus: neque ullam doctrinam aut interpretationem quaſi dictatam à Spiritu recipimus, quæ non cum Scripturâ convenit, & hîc Sp. Sanctum, ex ipſius Scripturæ innatâ luce, ejuſdem auctoritatem nobis demonſtrare aſſerimus: adeoque cùm teſtimonium Spiritûs, quaſi adæquatam rationem fidei aſſignamus, teſtimonium intelligimus in concreto, ſeu (ut alii loquuntur) correlativè; nempe inſitam Verbi lucem demonſtratam à Spiritu; ſicut cum adæquatam rationem juſtificationis dicimus eſſe fidem; intelligimus, nomine fidei, juſtitiam Chriſti fide apprehenſam.

Teſtimonium Spiritûs quod eſt adæquata cauſa fidei intelligendũ in concreto, conjunctũ ſcilicet cum Verbo.

Deinde hîc ineptè publicum teſtimonium privato opponunt. Nam ſi teſtimonium internum Sp. Sancti dicant publicum, quia commune eſt omnium fidelium, certè nos fatemur, eodem modo, licet non pari menſurâ, Sp. Sanctum interno ſuo motu, fidem operari in uno & omnibus fidelibus, ſive privatam ſive publicam gerant perſonam; adeoque unum idemque eſſe teſtimonium Spiritûs in

Teſtimonium internũ Spiritûs tam eſt publicũ & commune, quam privatũ & ſingulare.

Teſtimonium externè prolatum de interno Spiritûs actu eſt hominis non Spir. Fides excitatur & confirmatur teſtimonio externo Eccleſia, vel etiam unius fidelis.

in uno & omnibus fidelibus. Sin publicum dicant teſtimonium, quatenus publicè profertur & indicatur ab iis, qui vim ejus arcanam intus in corde ſuo ſentiunt, hoc jam non tam eſt teſtimonium Sp. Sancti quàm hominum qui teſtantur de teſtimonio Sp. Sancti. Atque ita Adverſarii dicunt hoc publicum teſtimonium nihil aliud eſſe quàm teſtimonium Eccleſiæ. Nos verò non dubitamus, fidem hominis excitari poſſe alieno teſtimonio, & tantò magis, quò eſt communis magiſque publicum; ut, ſi quis famâ admirandi operis, ad id videndum excitetur: & fatemur fidem cujuſque fidelis magis confirmari, dum advertit idem teſtimonium Spiritûs, quod in ſe ſentit, cùm teſtimonio ejuſdem Spiritûs in aliis fidelibus (pro ut ipſi indicant) & cum universâ Eccleſiâ conſentire. Atque ita concedimus, commune fidelium, aut publicum Eccleſiæ teſtimonium, poſſe eſſe occaſionem fidei in eo qui nondum fidem habet, aut confirmationem quandam fidei in eo qui jam fide prædirus eſt: ſed negamus ejuſmodi teſtimonium ab aliis relatum, quatenus eſt tale, cauſam

Primaria tamen fidei cauſa eſt internũ & privatum Spiritûs teſtimonium. Teſtimonium publicum in Scripturis contentum authenticè & ab Eccleſiâ miniſterialiter prolatum non ſufficit ſolum ad fidem efficaciter producendam. Fides infuſa ab arcanâ Spir. operatione. Thomas. Gregorius de Valentiâ.

eſſe primariam aut fontem noſtræ fidei. Nos enim loquimur de ejuſmodi teſtimonio & operatione Spiritûs, qui efficaciter fidem operatur, quâ & auctoritas Scripturæ, & dogmata Religionis creduntur. Ejuſmodi autem teſtimonium non eſt eo modo publicum & externum, ſed privatum, arcanum, & internum, nempe, quod Deus intus ſuggerit ſingulis fidelibus. Etenim publicum teſtimonium ita ſumptum, nullum aliud eſt, quàm quod in Verbo Dei continetur αὐθεντικῶς, & ab Eccleſia Verbo adhærente profertur miniſterialiter: quod tamen ſolum non ſufficiens & efficax eſſe ad fidem gignendam aut de Scripturâ in genere, aut de articulis Religionis in ſpecie, omnes nôrunt, cùm multi illud audiant, nec credant tamen. Sed præter illud teſtimonium publicum & externum, etiam neceſſarium eſſe teſtimonium privatum & internum, patet ex iis locis Scripturæ quæ ſuprà recitavimus, nec Pontificii audent negare, cùm fateantur fidem infuſam ab hac arcanâ Spiritûs operatione effici; prout diſertè docet Thomas in ſecundâ ſecundæ qu. 6. art. 1. & 2. Gregorius de Valentiâ in parte primâ Analyſeos fidei, & in tom. 3. commentariorum Theologic. diſp. 1. quæſ. 1. puncto 4. inter argumenta quibus probat doctrinam Religionis Chriſtianæ eſſe evidenter credibilem, commemorat etiam hoc teſtimonium divinum internum, quod omnibus aliis argumentis majus & fortius eſſe dicit.

„ Bel-

Bellarminus Spiritum quem vocat privatum, primariam fidei. cauſam facit nō ſecus ac nos.

,, Bellarminus in concione de lumine fidei, Quemadmodum (inquit) omnes homines naturali quodam lumine præditi ſunt, quo ,, prima principia, ſine labore, ſine argumentis, intelligunt vera eſſe: ,, nec eſt quiſquam qui rationes & argumenta petat, cùm ejuſmodi ,, principia proponuntur, ſcilicet, bonum eſſe proſequendum, malum eſſe fugiendum, tria plura eſſe quàm duo: ſic etiam omnes ,, Chriſtiani, lumine quodam Divino & ſupernaturali, à Deo illu- ,, ſtrati, principia prima noſtra fidei, etiamſi difficilia, & rationem ,, excedentia, veriſſima eſſe confitentur. Et paulò pòſt ſubjungit, omnia alia argumenta non ſufficere, ut fidem noſtram Ethnicis aut hæreticis perſuadeamus, niſi Deus ipſe Doctor accedat, & mentem ,, eorum hoc Divino lumine illuſtret. Hoc eſt (inquam) lumen fi- ,, dei, teſtimonium quoddam Dei, quo intus in domicilio cordis dici- ,, tur nobis, *Ita eſt, Nihil hæſites.* Et mox. Hoc argumentum, hoc ,, lumen, hoc teſtimonium Dei internum, ſi cum externis illis argu- ,, mentis ac teſtimoniis conjungatur, ita manifeſtum efficiet, ut ne- ,, mo ſit, qui non exclamet, *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* Ita patet Pontificios, quod in noſtris exagitant, ac contemptim privati ſpiritûs nomine appellant, vi veritatis victos, aliàs agnoſcere & prædicare.

Proteſtantes Scripturam per Spiritum, & Spiritum per Scripturā probant.

1. Io. 4. 1.

Calvinus.

Deinde Pontificii nobis Circulum objiciunt, quòd Scripturam aſtruimus per Spiritum, & Spiritum per Scripturam. Nam, ut jam oſtendimus, ſolum Sp. Sanctum efficaciter oſtendere auctoritatem Scripturæ, ita cùm Spiritus probandus eſt, num ſit ex Deo (ut monet Joannes epiſt. 1. cap. 4. verſ. 1.) non aliter quàm ex Scripturâ probationem inſtituimus. Ut docet Calvinus Inſt. lib. 1, cap. 9. ubi oſtendit, ſiquis ſpiritus, prætеritâ Verbi Dei in Scripturâ contenti ſapientiâ, aliam doctrinam nobis ingerit, eum meritò vanitatis ac mendacii ſuſpectum eſſe debere: ac propterea Sp. Sanctum in ſua imagine quam in Scripturis impreſſit, velle à nobis recognoſci, ne ſub ejus titulo, Satanæ ſpiritus obrepat.

Verùm non noſtrâ magis quam Adverſariorum intereſt hanc objectionem ſolvere: non tantum teſtimonium Spiritûs privatum & internum, ſed etiam externum & publicum (ut vocant) id eſt, Eccleſiæ teſtimonium ex Scripturâ confirmant: & ex utroque teſtimonio Scripturæ auctoritatem oſtendunt, ut dictum eſt. Neque verò illis tam facile eſt ex ipſorum principiis, quàm nobis, Circulum vitioſum effugere.

Digitized by Google

Proteſtantes rejiciunt Circulum.

Cæterùm, ut reſpondeamus, notandum eſt Logicos diſtinguere inter Circulum & Regreſſum. Circulum dicunt argumentandi proceſſum, cùm in eodem genere Demonſtrationis ſumitur propoſitio ad demonſtrandam concluſionem; & ex iſtâ concluſione viciſſim demonſtratur illa propoſitio: nempe, ut utraque ſumatur pro causâ alterius, adeoque medium in uno proceſſu ſit cauſa majoris extremi; & illud idem majus extremum ſumatur pro medio & causâ in altero proceſſu, in quo, quod fuit antè medium, nunc eſt majus extremum. Verbi causâ, ut A ſumatur pro medio & causâ ad probandum B, & B rurſus pro medio & causâ ad probandum A, quod eſt abſurdum, cùm ſic ponatur idem reſpectu ejuſdem cauſa & effectus, prius & poſterius; notius & ignotius.

Sed admittunt Regreſſum.

Sed cum ex effectu primò demonſtramus cauſam, Demonſtratione ὅτι, cognitione confusâ, & interpoſitâ mentali conſideratione poſteà ex causâ diſtinctè cognitâ demonſtramus effectum Demonſtratione διότι. Regreſſus dicitur, cujus in ſcientiis uſus ſæpè eſt laudabilis. Atque in hac ipsâ materiâ Regreſſum quendam cernere licet: ut cùm primò ex radiis ſapientiæ & majeſtatis divinæ in Scripturâ relucentis Deum auctorem colligimus: deinde cum ex Dei auctoritate auctoritatem Scripturæ aſtruimus, ad hunc modum: **In quo Divina elucet ſapientia & Majeſtas, eſt Dei Verbum: At in Scripturâ Divinâ relucet ſapientia & Majeſtas: Ergo &c.** Hic eſt Demonſtratio ὅτι, ſeu à poſteriori; à quâ poſt mentalem conſiderationem (quò enim diutiùs & attentiùs defiguntur mentis oculi in veritate contemplandâ, eò clarior & illuſtrior apparet) fit Regreſſus ad hunc modum. **In Verbo Dei relucet ſapientia & Majeſtas, At Scriptura eſt Verbum Dei: Ergo &c.** & per conſequens irrefragabilem habet auctoritatem.

Dum probamus Scripturã per Spiritum nec eſt Circulus nec Regreſſus, nec ullus proceſſus ſyllogiſticus. Teſtimonium Spir. non eſt medium nec facit propoſitionem. Etſi mentẽ aperiat, &

Cæterùm in inſtantiâ propoſitâ nec eſt Circulus nec Regreſſus: quia, cùm dicimus, Spiritûs teſtimonio & operâ cognoſci Scripturam, nullum omninò proceſſum ſyllogiſticum denotamus. Neque dicimus Spiritûs auctoritatem eſſe argumentum, aut propoſitionem, aut medium ſyllogiſticum, quo probatur auctoritas Scripturæ: ſed cùm duplicem hîc operam Sp. Sancti diſtinguimus, unam in mente hominis, quam illuſtrat, & habilem reddit, alteram in objecto quod menti aperit, explicat, & confirmat: neutrâ ratione ſumitur pro argumento ad concluſionem probandam, ſed priori ratione vim illam ſuppeditat, quâ intellectus alioqui impotens & ineptus, perficitur, ad

Digitized by Google

ad veritatem ſupernaturalem dignoſcendam: poſteriori ratione eſt Doctor, rem declarans, explicans, & confirmans, non argumentum quo explicatur & confirmatur. Itaque ſicut in naturali cognitione diſtinguitur lumen rationis quo aliquid percipitur, & docens ac dicens ab argumentis, mediis, & motivis quibus aliquid explicatur, confirmatur, & perſuadetur: ita hîc etiam faciendum.

Proinde nos teſtimonium Sp. Sancti non numeramus inter argumenta, media & motiva quibus auctoritas Scripturæ perſuadetur: & ſi qui ſecùs faciunt, impropriè & catachreſticè loqui cenſendi ſunt: quâ καταχρήσει utuntur etiam Bellarminus, & Gregorius de Valentiâ, ut patet ex eorum teſtimoniis ſuprà citatis. Etenim cùm teſtimonium hoc Spiritûs ſit arcanum, per illud aliis, à quibus cognoſci non poteſt, auctoritas Scripturæ probari non poteſt: neque etiam eo utimur tanquam argumento ad nobis ipſis perſuadendum: neque enim intus proceſſus rationis cernitur à cognitione illius illuſtrationis, dictaminis, aut teſtimonii Spiritûs ad cognitionem Scripturæ: quaſi priùs ſentiam Spiritum dictare mihi Scripturam ut divinam eſſe credendam, deinde ut ejus auctoritate adductus credam; nihil minus; cùm ille illuſtrando & teſtificando immediatè fidem operetur: & homo aut ſimul credit Scripturæ, ac ſentit teſtimonium Spiritûs, aut potiùs prius credit quàm ſentiat. Proinde alia eſt ratio teſtimonii externi, ſive divini, ſive humani, alia hujus interni teſtimonii: illud ſuadere poteſt, non tamen neceſſariò perſuadere, hoc neceſſariò perſuadet & fidem facit. Ita etiam Doctoris externi auctoritas adhiberi poteſt ut argumentum quo doctrina perſuadetur: at hîc nullus datur proceſſus ab auctoritate Doctoris interni, quia nulla mora aut operatio intercedit inter operam docentis, & aſſenſum diſcentis: ſed ſicut dici ſolet, animam non priùs creari, deinde infundi, ſed infundendo creari, & creando infundi: ſic Spiritus Dei intus docendo creat fidem, & creando docet.

Imò ut in humanis ſcientiis principia alia dicuntur cognoſci ſolo lumine Intellectûs, ut axiomata: alia etiam docentis operam requirunt, ut theſes & hypotheſes, utraque tamen ſunt immediata & per ſe nota; quippe quæ probari non poſſint argumento à priori, aut causâ: ita Scriptura dicitur cognoſci lumine & dictamine Spiritûs:

objectum illuſtrat ut lumen non ut argumentum aut motivum. Qui teſtimonium Sp. vocant medium perſuadens auctoritatem Scripturæ, loquuntur catachreſticè cum Bellarmino & Valentia. Spiritus non priùs dictat Scripturam eſſe divinam, & poſteà ob hoc dictamen & credendum eſſe ut Divina. Sed ſimul dictat & efficit credere. Teſtimonium externum ſuadet, non perſuadet, & eſſe poteſt argumentum. Sed teſtimonium internū perſuadet etſi non ut argumentum ſed ut internus Doctor, cui ſtatim & immediatè mens credit, & præbet, aſſenſum. Axiomata cognoſcuntur ſolo lumine Intellectus. Theſes verò & hypotheſes, etſi ſint principia per ſe nota, doceri tamen poſſunt per arg. à poſterior.

cum per ſe & immediatè cognoſcatur, neque illud lumen aut dictamen ſit argumentum vel à priori vel à poſteriori.

Quomodo Spiritus probetur per Verbū.

Spiritus ſæpe per ſeipſum ſeu interna ſigna ſe certò pateſacit.

Atque ita oſtendimus, quomodò intelligendum ſit per Spiritum dignoſci Scripturam: nunc explicandum eſt, quomodò Sp. dignoſcatur per Verbum. Et primò quidem non eſt dubium ſæpenumerò Spiritum S. ipſum per ſeipſum, ſeu per interna ſigna certò & liquidò ſe pateſacere iis quos intus docet & illuſtrat. Nam ſicut olim Patriarchæ, antequam Verbum Dei ſcriptum erat, ſenſerunt & agnoverunt vim Sp. Sancti ipſos moventis & inſtruentis, ejuſque inſtinctum & dictamen ab impoſturis Diaboli diſcreverunt: ita negari non poteſt, quin adhuc animus piorum à Sp. Sancto illuſtratus & edoctus, cùm in ſe reflectitur perſpicere poſſit, ſe ſupra vires ſuas elevatum, ac vim divinam agnoſcere. Nihilominùs tamen, cùm Satanas ſe transformare ſoleat in angelum lucis, & Spiritûs Sancti operationes mentiri, atque ita hominibus imponere, ad ejus fraudes detegendas convenit ſpiritum ex ipſius effectis probare, num ea quæ facit aut ſuggerit, conſentanea ſint Sp. Sancto. Cumque nunc S. Scriptura perfecta extet à Sp. Sancto dictata, & Spiritus S. ſemper ſui ſit ſimilis, nullâ meliori ratione probari poſſunt internæ Spiritûs ſuggeſtiones, quàm ſi dictatis Sp. Sancti in S. Scripturâ reſpondeant; in quâ omnem ſuam voluntatem, quantum ad ſalutem ſpectat, abunde revelavit. Mutuo enim quodam nexu (inquit Calv. Inſtit. lib. 1. cap. 9.) Dominus verbi Spirituſque ſui certitudinem inter ſe copulavit, ut ſolida Verbi religio animis noſtris inſideat, ubi affulget Spiritus, qui nos illic Dei faciem contemplari faciat: ac ut viciſſim nullo hallucinationis timore ſpiritum amplexemur, ubi illum in ſuâ imagine, hoc eſt, in verbo recognoſcimus. Itaque Sp. Sanctus primò auctoritatem Scripturæ ſuæ ex ipsâ Scripturâ nobis inſinuat, quam cùm normam perfectam & Canonem fidei inſtituerit, ad eam exigi vult, quæcunque aut extrinſecùs docentur, aut intus à quocunque Spiritu credenda vel agenda ſuggeruntur.

Tutum tamen eſt Spiritum probare per effecta ſua certò in Verbo revelata.

Calvinus.

Spiritus ex ipſius Scripturæ luce probat Scripturam eſſe Divinam.

Atqui (inquiet aliquis) ſi omnia dictata Spiritûs ad Scripturam exigenda ſunt, etiam hoc ad Scripturam exigendum eſt, quod dictat Script. Sacram eſſe à ſe inſpiratam. Reſp. Sp. Sanctum non quidem propriè loquendo probare & demonſtrare (cùm ſit principium indemonſtrabile, ut dictum eſt) ſed oſtendere & declarare ex ipſa Scripturâ, Scripturam eſſe divinitùs inſpiratam. Cum enim Scriptura ſit αὐτόπιστος, ex ipſa ejus inſitâ innataq; luce auctoritatem ejus exponit & manifeſtat.

His

His expoſitis, quæ Adverſarii nobis objiciunt de Circulo, tanquam nebulæ, orto Sole, facilè evaneſcunt. Aiunt nos Scripturam per Spiritum, & Spiritum per Scripturam probare: adeoque duplicem nobis affingunt proceſſum diſcurſivum. 1. Quòd probemus Scripturam per Spiritum. 2. Quòd probemus Spiritum per Scripturam. At ex dictis conſtat prius membrum eſſe falſum: neque enim probamus Scripturam per Spiritum: ſed dicimus, per Spiritum conſtare nobis quidem auctoritatem Scripturæ, quo dicto nullum denotamus progreſſum ſyllogiſticum, ſed vim & facultatem, quâ, aut Doctorem ex quo cognoſcimus.

Non probamus Scripturam per Spiritum, ſed vi & luce Spiritûs conſtat nobis de Scripturâ.

Alterum membrum adhuc eget explicatione: nam cùm dicunt nos probare Spiritum per Scripturam, per [*Spiritum*] vel intelligunt habitationem Sp. Sancti in nobis, vel particularem aliquam ſuggeſtionem Spiritûs, vel generale illud teſtimonium Spiritûs, quòd Scriptura ſit à Deo. Si primo & ſecundo modo intelligant, fateor quidem fieri poſſe proceſſum ſyllogiſticum: ſed tum non eſt idem terminus qui fuit in primo membro, in quo vox *Spiritus* non eodem modo ſumitur. Proinde non poteſt eſſe Circulus, cùm in Circulo reditus ſit ab eodem termino ad eundem. Neque enim dicent nos probare Scripturam eſſe à Deo, quia habemus Sp. Sanctum, aut quia Sp. Sanctus habitat in nobis: cùm conſtet, eos in quibus Sp. Sanctus habitat (habitat autem in omnibus ſervis Chriſti Rom. 8. 9.) falli & errare poſſe. Neque dicent nos probare Scripturam eſſe veram, quia particulare aliquod dogma ſuggeſſit nobis Spiritus: nam ex particulari notum eſt non colligi neceſſariò aliud particulare aut generale.

Quomodo probatur Spiritus per Scripturam abſque Circulo.

Rom. 8. 9.

Reſtat igitur ut nomine [*Spiritus*] hîc intelligatur generale illud teſtimonium Spiritûs de ipſâ Scripturâ: & certè teſtimonium illud Sp. Sancti de Scripturâ, nempe eam eſſe ex Deo, verum eſſe, dicimus patêre ex Scripturâ. Sed hîc etiam nullum ſyllogiſticum diſcurſum denotamus, cùm Sp. Sanctum illud ex inſitâ Scripturæ luce, ſine ullo medio priore, aut causâ interveniente, oſtendere dicamus. Itaque ineptiſſimè nobis objicitur Circulus, ubi in altero membro, imò in utroque nullus ſyllogiſticus proceſſus apparet. Neque alius hîc eſt progreſſus, quàm ſi quis diceret, ſe noſſe contradictionis alteram partem eſſe veram, alteram falſam, per dictamen rationis, aut declarationem docentis Petri: Deinde ſe noſſe dictamen rationis & Petri declarationem eſſe veram, & ex ipſius rei naturâ;

Teſtimonium Spiritus de Scripturâ verum eſſe conſtat ſine ullo proceſſu ſyllogiſtico.

Digitized by Google

quâ patet contradictionis alteram partem eſſe veram, alteram falſam. Ita certè novi Scripturam eſſe à Deo, ex lumine & dictamine Sp. Sancti: & novi illud dictamen Spiritûs eſſe verum ex ipſo genio & naturâ Scripturæ.

In fide de Scripturâ & Spiritu abſque proceſſu diſcurſivo acceptâ confirmari poſſumus proceſſu diſcurſivo abſque Circulo.

Cæterùm etſi nullus hîc detur proceſſus diſcurſivus à teſtimonio Spiritûs ad fidem de Scripturâ aut ejus doctrinâ procreandam, nec à Scripturâ ad teſtimonium Spiritûs de Scripturâ probandum: tamen poſtquam operatione Spiritûs aliquis fidem nactus eſt, poteſt mentis acie in ſe reflexâ, & fidem ſuam, & Sp. Sanctum auctorem fidei perſpicere: ac argumento ducto ab auctoritate auctoris in fide ſuâ magis confirmari; idque eò magis, dum advertit idem teſtimonium Spiritûs quod in ſe ſentit, cum teſtimonio ejuſdem Spiritûs in aliis fidelibus conſentire. Neque hîc ullus eſt Circulus: 1. Quia hîc non loquimur de rei ignotæ probatione, ſed de rei jam notæ uberiore confirmatione: res autem notas, & mutuo nexu conjunctas, mutuò ſe confirmare, aut illuſtrare non eſt abſurdum. 2. Etſi hîc unâ ex parte proceſſus ſyllogiſticus concedi poteſt, cùm ex teſtimonio Spiritûs aliquis confirmatur in Scripturæ fide: tamen alterâ ex parte nullus eſt proceſſus ſyllogiſticus, cùm teſtimonium Spiritûs verum eſſe patet ex Scriptura: id enim nullo argumento demonſtratur, ſed ex ipſa rei teſtatæ luce & naturâ eluceſcit, ut dictum eſt.

Scriptura eſt αὐτόπιστος. Pſal. 119. 105. Heb. 4. 12.

Quod autem S. Scriptura ſit αὐτόπιστος, adeoque ejus auctoritas ex ipſius natura manifeſta ſit, patet ex titulo lucis quo indigitatur Pſal. 119. 105. lux enim per ſe eſt aſpectabilis: Patet ex proprietatibus quæ ei tribuuntur ab Apoſtolo Heb. 4. 12. *Vivus eſt ſermo Dei, & penetrantior quovis gladio.* Præterea, cùm idem ſit Verbum Dei, quod olim Deus Prophetis & Apoſtolis immediatè communicavit, & quod nobis per eos mediatè communicatum eſt; certè quemadmodum verbum, quo Deus eos immediatè allocutus eſt, propriâ ſuâ luce, non autem teſtimonio Eccleſiæ, nec ullo externo argumento iis innotuit: ſic poſtquam id literis mandatum eſt, nec lux ejus obſcurata, nec auctoritas imminuta eſt: ut non minùs nunc quàm olim cerni & dignoſci poſſit ab iis, qui ab eodem ſpiritu edocti & illuſtrati ſunt.

Propriâ ſua luce abſque externo argumento innoteſcens.

Quemadmodum enim Deum in operibus creationis & providentiæ ipſius recognoſcimus: ita multò magis ex divinæ ſapientiæ radiis in Verbo ſuo relucentibus, ipſe Auctor agnoſcitur. Etenim cùm duplici viâ ad Dei cognitionem perveniatur, unâ imperfectiore, per librum

librum naturæ, ſeu mundi opificium & regimen: alterâ perfectiore per librum Scripturæ, ſeu Verbum Dei, ſicut utramque deſcribit Pſaltes Pſ. 19. Certè cùm natura ſeu mundi fabrica & gubernatio ipſa per ſe Deum auctorem & conditorem indicet Pſ. 19. 1. &c. Rom. 1. 20. Act. 14. 17. ſic multò magis Scriptura, in quâ Dei ſapientia & reliqua attributa clariùs elucent, quæ à Deo inſpirata eſt, & nos ſapientes reddit ad ſalutem, 2. Tim. 3. 15. 16. ipſa per ſe Deum auctorem ſapiat & referat oportet. Etenim ſicut ex ſapientiâ humanâ homo cognoſcitur, ſic ex ſapientiâ Divinâ Deus auctor innoteſcit. Atque ut Deum eſſe mundi opificem demonſtrari non poteſt medio aliquo priori (nulla enim causâ dari poteſt à Deo diverſa cur Deus ſit mundi opifex) ſed ſuâ luce patet: licet ex effectis, indiciis, & notis conſequentibus variè declarari poſſit; eodem modo Deum eſſe Scripturæ auctorem patet & oſtenditur. Quemadmodum enim aliquis inſulam ingreſſus variis urbibus & operoſis ædificiis ornatam, ubi tamen nullum hominem videt, ſed pecudes, feras, & volucres, non exiſtimabit, ab iſtis brutis animantibus opera illa extructa eſſe, ſed inde ſtatim colliget, homines aliquando eam inſulam coluiſſe, & iſta ædificia condidiſſe. Sic mundi fabricam, & quotquot in eâ ſunt, creaturas, contemplatus homo ſapiens, facile colliget nec creaturas à ſeipſis, nec mundum cum incolis ſuis, ab ullo creaturarum, ſed à primo Ente, id eſt, ab æterno Deo, originem duxiſſe: non aliter is cui ſacræ ſapientiæ theſauros in Scripturâ reconditos perſpicere datum eſt, ſapientiæ (inquam) non ſæculi hujus, nec principum ſæculi hujus, 1. Cor. 2. 6. ſed multiformis illius ſapientiæ nihil niſi divinum ſpirantis, cujus magnam partem ne Angeli quidem ſine ſpeciali revelatione Dei cognoſcere unquam poterant, Eph. 3. 10. ſtatim inde Deum auctorem internoſcit. Cæterùm quia diviniore & perfectiore modo Deus ſeipſum in Scripturâ indicat & oſtendit: ideò tantò magis ad inſitam Scripturæ lucem percipiendam, propter innatam noſtram cæcitatem & ſtupiditatem opus eſt nobis luce & doctrinâ Sp. Sancti, ſine quâ omnis illa cognitio quæ acquiritur ex creaturis, utcunque hominem inexcuſabilem reddit, tamen ad ſalutem non ſufficit.

Pſ. 19. 1. Rom. 1. 20 Act 14. 17. 2. Tim. 3. 15. 16.

Deus non demonſtratur ex priori, licet tali ex poſteriore, variis argumentis declaretur.

Ex radiis divinæ ſapientiæ in Scriptura lucentibus Deus Scripturæ auctor apparet.

1. Cor. 2. 6.

Eph. 3. 10.

„ Origenes περὶ ἀρχῶν lib. 4. cap. 1. Si quis cum omni ſtudio & re- „ verentia quâ dignum eſt, Prophetica dicta conſideret, in eo ipſo „ dum legit, & diligentius intuetur, certum eſt, quod aliquo divi- „ niore ſpiramine mentem ſenſumque pulſatus agnoſcit, non hu- „ manitus

Origenes.

Digitized by Google

„ manitus eſſe prolatos eos quos legit, ſed Dei eſſe ſermones: & ex „ ſemetipſo ſentiet, non humanâ arte, nec mortali eloquio, ſed di-„ vino (ut ita dixerim) cothurno libros eſſe conſcriptos.

Baptiſta Mantuanus.

Baptiſta Mantuanus de patientiâ, lib. 3. cap. 32. Sæpenumerò „ mecum cogitavi, unde tam ſuadibilis hæc Scriptura: unde tam po-„ tenter influat in animos auditorum; unde tantum habeat ener-„ giæ; ut non ad opinandum tantùm, ſed ad ſolidè credendum om-„ nes inflectat. Non eſt hoc imputandum rationum evidentiæ quas „ non adducit: non artis induſtriæ, non verbis ſuavibus, & ad per-„ ſuadendum accommodatis, quibus non utitur. Sed vide an id in „ causâ ſit, quòd perſuaſi ſumus eam à primâ veritate fluxiſſe. Sed „ unde ſumus ita perſuaſi, niſi ab ipsâ? Neque enim vidimus nos „ Deum concionantem, ſcribentem, docentem: tamen, ac ſi vidiſ-„ ſemus, credimus & tenemus à Sp. Sancto fluxiſſe quæ legimus.

Fideles non dubitârunt de divinitate doctrinæ rectè intellectæ, Epiſtolæ ad Hebræos, vel cujuſvis alterius Scripturæ.

Sed hîc objicitur, Si luce inſitâ Scripturæ à Sp. Sancto demonſtratæ cognoſceretur auctoritas S. Scripturæ, tum nemo unquam fidelis (puta Spiritu Dei præditus) dubitâſſet de libro ullo Canonico Scripturæ: At olim à multis fidelibus dubitatum eſt de auctoritate nonnullarum partium Scripturæ, ut de Epiſtolâ Jacobi, Epiſtolâ ad Hebræos, ſecundâ Petri, ſecundâ & tertiâ Joannis, & Apocalypſi, ut pates ex Euſebii hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 22. & aliis. Reſp. duobus modis intelligi poſſe, dubitatum eſſe de libro aliquo Scripturæ. 1. Quòd dubitatum ſit de doctrinâ in eo contentâ, num ſit divinitùs inſpirata. 2. Deinde quod dubitetur num ſcriptor fuerit divinitùs inſpiratus. Si priore modo intelligatur, negamus Minorem: nunquam enim fideles dubitârunt de doctrinâ in iis libris traditâ, modò eam rectè intellexerint: ſi poſteriori modo intelligatur, neganda eſt connexio majoris duplicem ob rationem. 1. Quia ad eſſentiam fidei ſatis eſt ut agnoſcatur doctrinam eſſe divinam, etſi ignoretur an ſcriptor aliquis vel doctor qui eam tradit, ſit divinitùs inſpiratus. Doctrinam quidem quæ ad ſalutem neceſſaria eſt, divinam eſſe, oportet omnes fideles teneant, quia fides nititur auctoritate Dei: at num auctor vel ſcriptor qui eam nobis tradit, acceperit eam à Deo mediatè an immediatè, non eſt perinde ad ſalutem neceſſarium: neque vulgus Chriſtianorum id ita certò percipere poteſt, & ſalvâ fide doctiores aliquando de quibuſdam partibus Scripturæ eatenus dubitârunt. Cùm autem nos pro principio ponimus; Scripturam eſſe Verbum Dei, intelligimus nomine Scripturæ præcipuè doctrinam in Scripturâ contentam.

Ad eſſentiam fidei non pertinet ſcire an ſcriptor acceperit à Deo divinam ſuam doctrinam immediatè.

At

At (inquiet aliquis) idem dici poteſt de piâ aliquâ doctrinâ, ut Scripturâ Auguſtini, Chryſoſtomi, & fidelis alicujus Doctoris in Eccleſiâ. Certè ubicunque extat, aut à quocunque tradatur doctrina ſacris Literis conſentanea, ea eſt Verbum Dei, ſive prædicetur ſive ſcribatur. Sed quoniam homines qui non ſunt à Deo immediatè inſpirati, labi & errare poſſunt, ac ſua commenta miſcere cum doctrinâ Dei, ideò conſignari voluit doctrinam ſuam ab iis quos immediatè ad hanc rem inſpiravit: & hos etiam immediatè eſſe inſpiratos, ex ipſorum ſcriptis dignoſci poteſt, quæ non tantùm in materiâ doctrinæ, ſed in formâ etiam & modo nihil niſi divinum ſpirant: licet id non perinde ab omnibus fidelibus omni tempore, de omnibus S. Scripturæ auctoribus obſervatum fuerit; non ob rei ipſius obſcuritatem, ſed hominum infirmitatem.

Doctrina quæ in humanis ſcriptis eſt divina quoad materiam, eſt talis in Scripturâ etiam quoad formam & modum.

Unde hæc accedit altera ratio cur neganda ſit conſequentia Majoris. Nam ut principia naturalia ignorare, aut de iis dubitare poſſunt homines, non quia non ſunt naturâ ſuâ nota, ſed ob defectum luminis aut uſus rationis, aut quia non advertunt, aut non ſatis perpendunt, aut non ſatis accuratè indagant omnia: ita non defectus eſt in luce inſitâ Scripturæ, ſi non æquè ab omnibus, alioqui piis & fidelibus, percipiatur: ſed quia in ſtatu hoc imperfectionis, non ex æquo omnibus omni tempore lumen ſpirituale communicatur, aut eo ipſi non rectè utantur, curâ, diligentiâ, & legitimis mediis, ut oportet, adhibitis. Contrà, eorundem librorum auctoritas ex ipſo eorum genio, non dubiam vim numinis ſpirante, face Sp. Sancti prælucente, ſemper agnita eſt à multis in Eccleſiâ, & tandem ab omnibus propè fidelibus ſcrupuli hac de re eodem modo exempti.

Ex humanâ infirmitate procedit, quod innata Scripturarum lux non perſpiciatur.

Hoc igitur modo (ut breviter dicam) innotuit & agnita eſt Verbi Dei auctoritas. Cùm Deus Amanuenſibus ſuis quos ad ſcribendum inſpiravit, verbum ſuum revelavit & dictavit, effecit ut propriâ ſuâ luce, & ex inſitis notis ab eis agnoſceretur: itidem effecit ut eadem ratione piis, quibus deinde communicatum eſt, innoteſceret, qui etſi fortè primùm virorum, quibus Deus ut inſtrumentis uſus eſt, pietate, integritate, miraculis ab iis editis, aut aliis indiciis commoti ſunt: tamen proculdubio in ipſa Verbi Dei luce fidem fundârunt, cujus ſplendore etiam impii ſæpe convincuntur. Hanc Verbi Dei lucem & inſitam auctoritatem, ut agnovit hic & ille ex piorum numero; ita etiam omnes pii, qui eodem ſæculo vixerunt, quibus S. Scriptura tradita eſt; ac deinceps alii, continuâ ſæculorum ſerie agnoverunt.

Primi amanuenſes & poſteriores omnes fideles Scripturas agnoverunt divinas ex luce ipſi Verbo innatâ.

Digitized by Google

Libri Scripturæ ſe mutuò confirmant.

Libri Veteris Teſt. præcedentes confirmati ſunt à ſubſequentibus Prophetis; & tandem omnes teſtimonio Chriſti & Apoſtolorum. Novi Teſtamenti libri ab Apoſtolis & Evangeliſtis ſcripti agniti ſunt mutuò ab aliis Apoſtolis divinitus inſpiratis, aliiſque ſanctis viris Sp. Sancto repletis eâ ætate quâ editi ſunt, in quâ maximè viguerunt dona Sp. Sancti ordinaria & extraordinaria. Et ſic per tot ſæculorum decurſum, uſque ad noſtra tempora Scripturæ auctoritas in Eccleſiâ viguit & perpetuò vigebit.

Dubia quorundã de quibuſdam libris tandem ex innatâ eorum luce ſublata ſunt.

Si quando de quibuſdam libris ſacri Canonis à nonnullis dubitatum eſt, tandem tamen eâdem ratione eorum quâ reliquorum lux emicuit. Itaque ad Scripturæ auctoritatem confirmandam accedit quidem ingens graviſſimorum teſtium nubes ac cumulus, maximus ſæculorum conſenſus cum variis aliis indiciis. Sed ſi quis roget primam & ſummam rationem quâ conſtat Verbi Dei ſeu Scripturæ auctoritas, tùm in ſe, tum quoad nos, & fundamentum illud, quo fides non humana, ſed divina: non acquiſita, ſed infuſa nititur, aſſentiens S. Scripturæ auctoritati; certè cùm res ſit eadem, ita & ratio eadem, idemque ejuſdem fidei fundamentum omnibus ſæculis ſit, oportet. Neque quidem alia eſt ratio prima, aliudve fundamentum fidei meæ quâ agnoſco auctoritatem Verbi Dei, quàm fidei totius Eccleſiæ: nec alia eſt ratio fidelium hujus ſæculi, quàm præteritorum ſæculorum, adeoq; primi ſæculi, quo pars aliqua Script. edita & agnita eſt: nec alia eſt prima ratio fidei eorum qui poſteà crediderunt auctoritati Verbi Dei, quam in ejus qui primò credidit: adeo ut, ſicut primi hominis, qui Verbo Dei aut Script. credidit, fides non nititur Eccleſiæ aut hominum teſtimonio, aut externis argumentis, ſed inſitâ Scripturæ luce à Sp. Sancto demonſtratâ, ita fides mea non aliâ ratione aut fundamento nititur.

Fidei divinæ primum fundamentum in ſingulis fidelibus & totâ Eccleſiâ omnibus ſæculis unum & idem eſt. Inſita ſcilicet Scripturæ lux à Sp. Sancto demonſtrata.

Fides humana quæ divinam & infuſã ſæpè antecedit teſtimonio humano & aliis argumentis acquiritur.

Si humanam aut acquiſitam fidem reſpicias, quam Scholaſtici dicunt, ut plurimùm, præcedere tanquam præparationem præviam ad fidem infuſam, fateor iſtam effici poſſe teſtimoniis humanis aliiſque externis argumentis & motivis, qualia ſuprà enumeravimus: quorum alia apud alios magis valent, & faciliùs occurrunt, ac proinde fieri poteſt, ut alius aliis motivis, & hic uno, ille alio magis argumento adducatur ad fidem humanam aut acquiſitam: ſed de fide divinâ & infuſâ, in omnibus eadem ſit ratio neceſſe eſt. Quò plura & graviora argumenta externa concurrunt, eò magis homo convincitur & inexcuſabilis redditur niſi Scripturæ auctoritatem agnoſcat & ſequatur:

quatur: ſed niſi ab externis argumentis ad inſitam Scripturæ lucem beneficio Sp. Sancti perſpiciendam deducatur, nunquam fidelis cenſeri poteſt.

Ex dictis jam ſatis conſtat noſtra ſententia de Analyſi fidei. Verbi causâ, ſiquis roget, quare credam Deum eſſe unum & trinum, Filium Dei eſſe incarnatum: reſpondebo; quia Scriptura, quæ extra omnem errandi aleam poſita eſt, id dicit. Si roget, quomodò conſtet Scripturam id docere, cùm dubitari poſſit de ſenſu Scripturæ: reſpondebo ex Auguſtino de doctr. Chriſt. lib. 2. cap. 9. In his quæ apertè in Scripturâ poſita ſunt, inveniuntur omnia quæ continent fidem moreſq; vivendi. Si ergo apertè & perſpicuè poſita ſunt in Scripturâ, non eſt quòd quis quærat, quomodo conſtet, iſta Scripturam docere. Si verò in aliis locis Scripturæ eadem obſcuriùs tradantur, ea loca ex perſpicuis explicanda ſunt. Adeoque cùm varia ſint media interpretandi & intelligendi ſenſum Scripturæ, hæc prima eſt ratio, ut Scriptura per ſe ipſam exponatur, quemadmodum docet Chryſoſtomus in Geneſin homil. 13. Scriptura ſacra (inquit) ſeipſam exponit, & auditorem errare non ſinit. Quâ de re nos fuſiùs egimus in primo tractatu hujus libri. Si rurſus roget, quare credam Scripturam eſſe omninò veracem, omniſque erroris expertem; reſpondebo, quia eſt Verbum Dei. Unde extruitur iſta demonſtratio, quam initio hujus tractatûs poſui [Dei Verbum eſt omnino verax: Scriptura eſt Dei Verbum: Ergo &c.] Utraque propoſitio eſt immediata & indemonſtrabilis. Major eſt Axioma, quam ſine docentis operâ nemo ſanæ mentis ignorat, qui quidquam de Deo, vel naturæ inſtinctu rectè novit. Nam poëtarum fabulis, qui mendacia & alia vitia Diis attribuerunt, vix quiſquam (opinor) ſanus credidit. Utcunque eſt, ſine controverſiâ hoc eſt principium, quod aut nullâ, aut exiguâ explicatione opus habet; etiam apud hominem merè naturalem. Minor eſt hypotheſis, quæ non minus immediata eſt quam altera, & à priori demonſtrari nequit, ſed non ita evidens eſt, ut diſcentem oporteat ſecum afferre, quin requirat operam docentis ad eam explicandam aut confirmandam à poſteriore aut argumentis communibus.

Proteſtantium ſententia de Analyſi fidei.

Credo Deũ eſſe unum & trinum quia hoc Scriptura docet.

Scio Scripturam hoc docere quia in ejuſmodi Scriptura eſt aperta.

Auguſtin.

Chryſoſt.

Scriptura exponitur per ſeipsã.

Credo Scripturã quia eſt Verbum Dei.

Propoſitio hæc Dei Verbum eſt verax, eſt axioma quod ſine operâ docentis nemo ſanæ mentis ignorat.

Quod ſiquis ergo roget, unde ſciam Scripturam eſſe Verbum Dei, reſpondebo, id quidem demonſtrari non poſſe à priori, ſed ar-

Iſta verò propoſitio. Scriptura eſt Dei Verbum, eſt hypotheſis immediata & indemonſtrabilis, non tamen ita evidens quin admittat docentem qui à poſteriori eam explicet & confirmet.

Digitized by Google

gumentis communibus, aut à poſteriori ſumptis, qualia ſuprà enumeravimus: quibus, aut quorum nonnullis poſtquam præparatus eſt animus, ex ipsâ inſitâ Scripturæ luce & naturâ, accedente lumine & teſtimonio Sp. Sancti, auctoritatem ejus agnoſco. Atque hîc conſiſtit reſolutio fidei, ſeu doctrinæ Chriſtianæ, nec ultra progreſſus datur.

Cùm variis argumentis animus eſt præparatus tandem agnoscit Scripturæ auctoritatem ex inſitâ luce & teſtimonio Spiritûs: ubi fidei reſolutio ſine ulteriori progreſſu ſiſtitur.

Hinc patet quid cenſendum ſit de fidei evidentiâ aut inevidentiâ, de quâ Scholaſtici multa diſputant. Eſt quidem fides inevidens, ſi ſingulos articulos fidei reſpiciamus: qui, quà tales, non proponuntur ut luce naturali cogniti, ſicut principia ſcientiarum, nec ex principiis per ſe notis ratiocinando evidenter colliguntur, ſed teſtimonio duntaxat nituntur. Dixi [*quà tales*] nihil enim vetat, quin idem quod cognoſcitur per fidem inevidenter, alio genere cognitionis cognoſcatur evidenter. Nonnulla enim in Scripturâ credenda ex fide proponuntur, quæ naturali quoque luce & ratione demonſtrantur: ut, *Deum eſſe*, aut *Deum unum eſſe*, & *omnium cauſam eſſe*, & *fidelem eſſe*. Hujuſmodi etiam ſunt præcepta morum & regulæ morales. Alia verò in ſacris Literis occurrunt, quæ, priuſquam revelata ſunt, homines naturali luce ſcire non poterant, ſed poſt revelationem, etiam firmâ & evidenti ratione aut experientiâ ſciri poſſunt, ſaltem accedente lumine divino: cujuſmodi ſunt naturæ corruptio ſeu pravitas, originale peccatum, & neceſſitas regenerationis. Alia ſunt, quæ ſenſu & guſtu ſpirituali certò dignoſcuntur ac creduntur: ut remiſſio peccatorum, pax conſcientiæ, ac primitiæ vitæ æternæ. Denique alia ſunt credenda quæ nullâ ratione aut experientiâ cognoſcuntur, ut myſteria rationem ſuperantia, & narrationes præteritarum rerum ac prædictiones futurarum. Sed tamen ſi reſpiciamus auctoritatem teſtimonii & fidem teſtis, quæ evidenter conſtat aut probatur, & extremam reſolutionem fidei, ratione illius auctoritatis, certè nihil eſt fide evidentius homini ſpirituali. Utraque enim illa propoſitio, in quam diximus fidem reſolvi, evidenter cognoſcitur.

Fides eſt inevidens quoad particulares articulos qui quà tales nituntur teſtimonio.

Sed fides eſt evidentiſſima ratione primi ſui fundamenti, divinæ veritatis quæ homini ſpirituali eſt evidentiſſima.

Et certè, utcunque Scholaſtici diſtinguunt inter certitudinem adhærentiæ, & certitudinem evidentiæ, hanc in ſcientiis, illam in fide ſpectari dicentes, tamen cogitari non poteſt, quomodo aliquis de re ullâ verè certus eſſe poſſit, niſi aſſenſus ejus in aliquod evidens reſolvatur: adeo ut in ipsâ fide quæ teſtimonio humano adhibetur, ſi firma ſit, oportet evidenter notum eſſe & teſtem hoc dixiſſe, cujus au-

Etſi in fide ſit certitudo adhærentiæ, & in ſcientiis certitudo evidentiæ; tamen fidei aſſenſus in aliquod evidens reſolvitur.

ctoritate

ctoritate nitimur, & eum fide dignum eſſe. Imò verò plerique ex Scholaſticis qui dicunt fidem eſſe inevidentem, dicunt tamen doctrinam fidei eſſe evidenter credibilem, hoc eſt, non evidens eſſe quod creditur, quà tale, ſed evidens eſſe quòd ſit credibile, id eſt, fide dignum. Quanquam hanc evidentiam credibilitatis (ut ita loquar) dicunt niti, non neceſſariâ ſed probabili ratione, ac proinde evidentiam hanc appellant, non Mathematicam aut naturalem, ſed moralem: ut docent Gregorius de Valentia in tomo 3. Commentariorum Diſput. 1. qu. 1. puncto 4. & Fonſeca in 6. Metap. cap. 4. qu. 6. §. 6. Sed nos oſtendimus hanc evidentiam ex neceſſariis principiis evidenter cognitis pendêre. Nam evidens eſſe illud principium, Quod Dei Verbum ſit verax, nemo negaverit: Scripturam autem eſſe Dei Verbum, homo à Sp. Sancto doctus & illuſtratus evidenter agnoſcit, ut ſupra oſtendimus, & Calvinus præclarè docet Inſtit. lib. 1. cap. 7. contextu 5. Utrumque autem principium neceſſarium eſſe nemo Chriſtianus dubitat.

Doctrina fidei eſt evidenter credibilis.

Evidentia credibilitatis eſt moralis non Mathematica, neceſſaria tamen non probabilis.

Valentia.

Fonſeca.

Calvinus.

Cavendum hìc eſt ne ambiguitas vocis [*Fidei*] pariat obſcuritatem, quæ (ut alias ſignificationes omittam) modo ſumitur pro habitu aut actu quo credimus, modo pro objecto ejus habitûs & actûs, id eſt, doctrinâ fidei quam credimus. Cùm loquimur de Analyſi fidei, intelligimus fidem poſteriori modo: quam negamus reſolvi in lumen aut teſtimonium arcanum ſpiritûs, quia lumen aut teſtimonium arcanum ſpiritûs nunquam ſumitur ut argumentum aut propoſitio ad concluſionem aliquam de fide aut Scripturæ auctoritate ignotam demonſtrandam. Sed ſi ſumatur fides in priori ſenſu, certum eſt, eam reſolvi in lumen & teſtimonium Spiritûs internum, ut effectum reſolvitur in ſuam cauſam à quâ emanat. Habitus enim infuſus fidei & actus inde promanans eſt à Sp. Sancti operatione tanquam cauſæ efficientis. Eodem modo ſcientia, ſi accipiatur pro qualitate ſeu habitu aut actu ſcientiæ, reſolvitur in lucem humanæ rationis tanquam cauſam à quâ profluit: Sin autem ſumatur pro concluſione aut doctrinâ ſcitâ, tum reſolvitur in propoſitiones primas ex quibus demonſtratur. Cæterùm quia habitus & fidei & ſcientiæ oritur ex doctrinâ fidei & ſcientiæ, dicamus licet habitum ſcientiæ & fidei formaliter ſumptum reſolvi; illum quidem in lumen rationis humanæ; hunc verò in teſtificationem internam, aut illuſtrationem Sp. Sancti: at materialiter ſumptum reſolvi & hunc & illum in propoſitiones ſuas primas & immediatas ex quibus concluduntur.

Fides objectiva non reſolvitur in teſtimonium ſpiritûs.

Sed fides formaliter reſolvitur in illud ſpiritûs lumen.

Habitus ſcientiæ reſolvitur in lucem humanæ rationis.

Sed concluſio ſcita in propoſitiones ex quibus cõcluditur.

CAP. XVIII.

Sententia Pontificiorum de Analyſi fidei.

Pontificii fidem ſuâ reſolvunt in Eccleſiam & Papam.

Hæc noſtra Analyſis fidei conſentanea eſt doctrinæ noſtræ præcedenti, cùm fidem reſolvimus in ejus ſententiam quem ſolum abſolutum & infallibilem judicem controverſiarum agnoſcimus, nempe Dei Opt. Max. qui eſt prima & ipſa veritas. Sic conſentaneum eſt doctrinæ Pontificiorum, ut fidem ſuam reſolvant in ejus ſententiam, quem illi ſolum pro ſummo judice in causâ Religionis agnoſcunt: Verbi causâ, in ſententiam Papæ, qui à pleriſque eorum nunc ſolus judex cenſetur; aut in auctoritatem Eccleſiæ, quo nomine confusè loquendo, omnes Pontificiorum ſententiæ de ſummo judice comprehenduntur. Atque ita quidem Pontificii profitentur ſe credere & tenere dogmata quæcunque Religionis propter auctoritatem Eccleſiæ, cùm & Scripturæ auctoritatem quoad nos, & ſenſum Scripturæ ab Eccleſiæ auctoritate ſuſpendant.

Dum Eccleſia auctoritatem probant ex ſcripturâ involvuntur vero Circulo.

Sed alterâ ex parte, cùm quæritur unde conſtet auctoritas Eccleſiæ quam illi dicunt eſſe infallibilem, eamque pro fidei fundamento ponunt; nulla alia ſuppetit eis ratio, quàm à revelatione Scripturæ teſtimonium perhibentis de Eccleſiæ infallibilitate. Ita manifeſto involvuntur Circulo & nugatione, probantes auctoritatem Scripturæ, & ſenſum cujuſque loci Scripturæ ex auctoritate Eccleſiæ, & rurſus auctoritatem Eccleſiæ, ex auctoritate Scripturæ, ut ſuperiori capite diximus. Gregor. de Valentiâ Diſp. 1. quæſt. 1. punct. 7. contex. 43. Cauſa erroris eſt, quod parem & interdum etiam majorem tribuant auctoritatem Eccleſiæ, quàm Scripturæ, & eodem genere probationis hanc ex illâ, & illam ex hac oſtendunt.

Nos quidem magnam auctoritatem Eccleſiæ agnoſcimus, ſed non abſolutam, nec in ſe infallibilem, ſed reſtrictam ad Scripturam eique ſubordinatam, ac proinde Scripturæ auctoritate poſteriorem & inferiorem; Dicimus ex Scripturis diſtinctè demonſtrari Eccleſiam: ſed ex Eccleſiæ auctoritate confusè innoteſcere Scripturam. Itaque inter argumenta communia, aut à poſteriore ſumpta, à quibus auctoritas Scripturæ oſtenditur, teſtimonium etiam Eccleſiæ numeravimus. Sed illud argumentum ſumitur à confusâ tantum notione Eccleſiæ, quaſi à conſenſu tot hominum celebrium & populorum,

Ex Scripturis Eccleſia demonſtratur diſtinctè, ſed Scriptura ex Eccleſiâ confusè.

rum, præſertim cùm inde totius Scripturæ auctoritas oſtenditur. Nam diſtincta cognitio Eccleſiæ haberi nequit ab eo qui nequaquam Scripturæ auctoritatem agnoſcit; ſiquidem (ut ait Auguſtinus „ de unitate Eccleſiæ cap. 3.) non humanis documentis, ſed divinis oraculis ſancta Eccleſia demonſtranda eſt. *Auguſtinus.*

Sed hæc non agnoſcentes Pontificii Labyrinthum iſtum ingrediuntur, ex quo ſe expedire neutiquam poſſunt, etſi conantur ſedulò. Imò caſſibus ſuis irretiti, quantò magis reluctantur, tantò arctiùs mihi conſtringi videntur. Nos unum aut alterum ex præcipuis, exempli causâ, proferemus. *Pontificiorum Labyrinthus.*

Bellarm. de Verbo Dei lib. 3. cap. ult. in reſponſione ad 15. Ar„ gumentum ſic ait: Sciendum eſt (inquit) propoſitionem fidei con„ cludi tali ſyllogiſmo: Quicquid Deus revelavit in Scripturis, eſt „ verum: Hoc Deus revelavit in Scripturis: Ergo hoc eſt verum. „ Ex propoſitionibus hujus ſyllogiſmi prima certa eſt apud omnes; „ ſecunda apud Catholicos eſt etiam firmiſſima: nititur enim teſti„ monio Eccleſiæ, Concilii, vel Pontificis, de quibus habemus in „ Scripturis apertas promiſſiones, quòd errare non poſſint. Ut Act. „ 15. Viſum eſt Sp. Sancto & nobis. Et Luc. 22. Rogavi pro te ut „ non deficiat fides tua. At apud hæreticos nititur ſolis conjecturis, „ vel judicio proprii ſpiritûs, qui plerumque videtur bonus & eſt „ malus: & cùm concluſio ſequatur debiliorem partem, fit neceſſa„ riò, ut tota fides hæreticorum ſit conjecturalis & incerta. Hactenus Bellarminus. Laudo equidem principium illud reſolutionis quod ponit Bellar. in iſto ſyllogiſmo: atque utinam id ipſe aut alii Pontificii conſtanter tenerent, ut fidem omnem ultimò reſolverent in Dei revelationem ſacris Literis exhibitam. Sic enim traditiones omnes non ſcriptæ à principio fidei excluderentur. Deinde etiam libenter accipio, quòd ait, primam illam propoſitionem certam eſſe apud omnes. Sic enim agnoſcit eam eſſe primam & immediatam, aut nullâ opus habere probatione. Alteram propoſitionem ait eſſe firmiſſimam, non quia apud omnes certa eſt, ſed quia nititur firmâ ratione. Ideoque in eâ propoſitione non acquieſcit, neque vult reſolutionem in eâ conſiſtere, tanquam in extremo fundamento, ſed ait eam niti teſtimonio Eccleſiæ, Concilii, vel Pontificis (ſic confusè loquitur ob varias Pontificiorum ſententias) unde hic extruitur ſyllogiſmus: *Quod teſtatur Eccleſia, Concilium, aut Pontifex, verum eſt: At hoc Deum revelâſſe in Scripturis teſtatur Eccleſia, Concilium, aut Pontifex: Ergo &c.* *Bellarminus ſibi non conſtat.*

Rurſus

Digitized by Google

Pontificiorum Circulus. Rurſus major hujus proſyllogiſmi non minùs eget confirmatione: eam autem dicit probari teſtimoniis S. Scripturæ, ex quibus duo citat, unde hoc colligitur argumentum. *Quicquid S. Scriptura teſtatur, eſt verum: At S. Scriptura teſtatur Eccleſiam, Concilium, aut Pontificem teſtari verum: Ergo &c.* Ita manifeſto involvitur Circulo: nam Dei revelationem in Scripturâ probat ex teſtimonio Eccleſiæ, & teſtimonium Eccleſiæ probat ex Dei revelatione in Scripturâ. Nec ullam rationem affert Bellarminus quâ ſe expediat.

Deinde, quid opus eſt his ambagibus, ut credamus hoc Deum in Scripturâ revelâſſe, putà *Chriſtum reſurrexiſſe ex mortuis,* quia Eccleſia, Concilium, aut Pontifex hoc teſtatur: & rurſus, Eccleſiam, Pontificem, & Concilium verum teſtari, quia Deus id revelavit in Scripturis? Cur non primò credimus Chriſtum reſurrexiſſe ex mortuis, & alia omnia credenda, quia Deus iſta revelavit in Scripturâ? Et nos quidem eâdem fidei certitudine, eademque ratione credimus Chriſtum reſurrexiſſe ex mortuis, & omnia quæ ſunt credenda, qua Bellarminus dicit ſe credere Eccleſiam, Concilium, & Poncificem non poſſe errare. Illam enim fidem de auctoritate Eccleſiæ, Concilii & Pontificis reducit Bellarminus immediatè ad Scripturam: & eò nos omnem fidem reducimus: præſertim cum de aliis articulis fidei non minùs aperta ſint teſtimonia Scripturæ, quàm de Eccleſiâ, Conciliis, ac Pontifice, & præcipuè de Pontifice. Neque in ullo articulo fidei nos magis nitimur conjecturis aut judicio proprii ſpiritûs, quàm illi nituntur, cùm ob teſtimonia Scripturæ credunt Eccleſiam, Concilium, & Pontificem errare non poſſe: fidem enim de auctoritate Eccleſiæ, Concilii, & Pontificis, Bellarminus immediatè reducit ad Scripturam, nec ulteriùs progreditur: ſic nos de quocunque articulo fidem reducimus ad Scripturam immediatè, nec ultrò progredimur. Et cùm nos reducimus ad Scripturam, ad certum & indubitatum principium reducimus: at cum illi alia dogmata fidei reducunt ad auctoritatem Eccleſiæ, Concilii, vel Pontificis, reducunt ad incertum principium. Atque incertitudinem adverſariorum hac de re arguit ipſa Bellarmini forma loquendi, cùm tria nominat, Eccleſiam, Concilium, & Pontificem: non enim convenit inter adverſarios cùm infallibilem auctoritatem Eccleſiæ jactant, quid nomine Eccleſiæ intelligant, & penes quem ſit iſta infallibilitas, Pontificemne an Concilium, ut ex præcedente diſputatione patet. Noſtra autem fides eo fundamento nititur, quo fides Eccle-

Bellarmini principium fidei incertum.

Eccleſiæ, Concilii, & Pontificis, ac primorum fidelium, qui nullos habebant priores fideles, Eccleſiam, Concilium, aut Pontificem, ut fidei ſuæ rationem ſpectarent.

Gregorius de Valentiâ Bellarmino Laborioſior eſt ſed nihilo ſanior.

Sed Bellarminus fortè magis jejunus in hoc argumento videtur. At Gregorius de Valentiâ plurimùm hac in re ſudavit: qui, ut prolixum tractatum de Analyſi fidei ſcripſit, ita in Commentariorum Thomæ, tomo 3. diſp. 1. quæſt. 1. puncto 1. ſubtiliter & accuratè admodum rationem Analyſeos fidei explicare, videri vult, ac præit aliis formulam quandam hac de re reſpondendi. Eum igitur audiamus. Is in fine ejus puncti, quæ fusè diſputavit de reſolutione fidei breviter colligens, modum tradit, quo quis de fide interrogatus debeat reſpondere. Si quis (inquit) rogetur, verbi gratiâ, Quare credat, Deum eſſe unum & trinum? diſtinguat, utrum ſermo ſit de causâ ipſius fidei ſecundum ſe: cur videlicet firmiter & infallibiliter id credat, vel de causâ ob quam acceptaverit eam fidem: ſi primum, reſpondeat, *Quia Deus* revelavit: ſi rurſus interrogetur, unde cognoſcat Deum revelâſſe? Reſpondeat, ſe quidem non nôſſe id clarè, credere tamen eadem fide infallibiliter, & id quidem non ob aliam revelationem: benè tamen ob infallibilem propoſitionem Eccleſiæ, tanquam ob conditionem ad id credendum requiſitam. Si rurſus, unde cognoſcat propoſitionem Eccleſiæ eſſe infallibilem; ſimiliter dicat, ſe clarè non nôſſe, credere tamen fide infallibili ob revelationem Scripturæ teſtimonium perhibentis Eccleſiæ, cui revelationi non credit ob aliam revelationem, ſed ob ſeipſam, quamvis ad hoc ipſum opus ſit ipsâ Eccleſiæ propoſitione, ut conditione requiſitâ. Si autem quis rogetur, cùm & revelatio Scripturæ, & propoſitio infallibilis Eccleſiæ ſint obſcuræ & inevidentes, quid ipſum impulerit, ut hunc quaſi Labyrinthum rerum obſcuriſſimarum ingreſſus, ad fidem modo dicto acceptandam, hoc eſt, credendum revelationem propter Eccleſiæ propoſitionem, & hanc propter revelationem: ſeu, cur animum induxerit, velle credere, cum alioqui ipsâ ratione ſeu fundamento habitus fidei ſecundum ſe non impelleretur, tunc reſpondeat afferendo rationes atque motiva clariora, quibus & ipſe inductus fuit, & quibus prudens induci poſſit ad acceptandam ejuſmodi fidem. Cujuſmodi ſunt antiquitas, perrennitas, efficacia & harmonia doctrinæ, conſenſus inſignium virorum & populorum, conſtantia Martyrum, miraculorum confirmatio, & cætera argumenta quæ nos.

ſupra recenſuimus, cùm argumenta communia & à poſteriori ſumpta, quibus auctoritas Scripturæ confirmatur, enumeravimus.

Dicit autem non omnes eodem modo induci ad credendum, ac proinde proceſſum illum quo quæritur, quare quis acceptaverit fidem, non neceſſe eſſe ut omnes reſolvant in idem objectum: omnes tamen moveri ad fidem ſupernaturalem acceptandam per aliqualem fidem acquiſitam. Ibidem contextu 8. & 9.

Sententia Valentiana errores. 1. Malè diſtinguitur fides ob acceptatione fidei. Fides ſupernaturalis & acquiſita diverſum habẽt fundamentum.

Hic multa reprehendenda ſunt. 1. Inanis eſt ſubtilitas quòd diſtinguat inter cauſam cur aliquis credat, & cur fidem acceptet: hæc enim eodem recidunt, aut coincidunt. Nemo enim poteſt credere niſi acceptet fidem, nec acceptare fidem niſi credat. Eademque utriuſque ratio eſt: nam & divina revelatio eſt cauſa cur aliquis acceptet fidem, & motiva illa ſeu argumenta quæ enumerata ſunt, movent aliquem ad credendum. Diſtinguenda eſt potiùs diverſa conditio fidei ſupernaturalis & acquiſitæ de unâ eâdemq; ratione fundamenti divini quo nititur illa, & motivorum quibus perſuadetur iſta: prout diſtinguitur ſcientia & opinio de eâdem re ratione diverſorum mediorum, aut intellectus & ſcientia ὅτι ejuſdem principii. Motiva autem illa, cùm non ſint cauſæ fidei, non pertinent ad reſolutionem fidei. Neq; verò ulla concluſio reſolvi dicitur in argumenta communia aut à poſteriori ſumpta, ſed tantùm in principia priora & cauſas.

2. In rei revelatione fuit ſubſiſtendum, ab eâ datur regreſſus nõ progreſſus.

Secundò, poſtquam rectè Dei revelationem aſſignavit cauſam fidei, ibi ſubſiſtendum fuit; quandoquidem eâ causâ nihil prius affert, nec afferre poteſt. Nam in reſolutione ultra primam cauſam progredi ineptiſſimum eſt: neque enim tum datur progreſſus: verbi causâ, ubi prima cauſa, cùm obſcura eſt, illuſtratur à poſterioribus, ſignis & indiciis.

3. Etſi quod Deus revelat quà creditur non ſciatur clarè, tamen Dei revelatio clarè ſcitur.

Tertiò, malè docet reſpondentem dicere ſe Dei revelationem non nôſſe clarè, ſed credere eadem fide quâ rem revelatam. Nam, ut diximus ſuperiori capite, cum de evidentiâ & inevidentiâ fidei diſſerebamus, etſi id quod revelat & teſtatur Deus, quà creditur, non ſcitur clarè: quia cum credimus aliquid fide divinâ non aſſentimur ei, aut ob rei ipſius in ſe claritatem, aut ob rationem & experientiam, ſed abſolutam auctoritatem Dei teſtantis & revelantis: tamen; neceſſe eſt, ſi firmiter credamus, ut ipſam teſtificationem & revelationem Dei clarè ſciamus: ſicut in ipſa fide quæ teſtimonio humano adhibetur, ſi firma ſit, oportet evidenter notum eſſe & teſtem hoc dixiſſe, cujus auctoritate nitimur, & eum fide dignum eſſe.

Deinde

Digitized by Google

Deinde cum *Fides* & *Credere* hoc loco ſumantur pro aſſenſu qui tribuitur rei ob meram auctoritatem dicentis, certe quicquid creditur, creditur ob revelationem aut teſtificationem, & quicquid creditur fide divina, ob revelationem aut teſtificationem Dei. Igitur ut id quod revelatur à Deo, creditur ob revelationem; ſi ipſa revelatio credatur, neceſſe eſt ut credatur ob aliam revelationem: & hæc rurſus revelatio ſi credatur, oportet etiam credatur propter aliam: atque ita vel dabitur progreſſus in infinitum, vel tandem pervenietur ad revelationem quæ non creditur ſtrictè loquendo, ſed aliâ ratione cognoſcitur, idque evidenter, ſi modò firmiter cognita ſit: nam extra controverſiam eſt, omnem cognitionem firmam & certam eſſe evidentem & claram; præter eam quæ ſolo teſtimonio & auctoritate nititur: ſi itaque detur firma & certa teſtificatio ſeu revelatio, quæ non nititur alio teſtimonio & revelatione, ea oportet ut ſit clara & evidens.

Si revelatio creditur ob revelationem, proceſſus erit in infinitum.

4. *Sententia Gregorii de Valentiâ excutitur.*

Quartò, Reſpondens ad quæſtionem unde cognoſcat Deum hoc revelâſſe, perperam ait ſe credere ob infallibilem propoſitionem Eccleſiæ, tanquam ob conditionem ad id credendum requiſitam. Hîc multa vitia concurrunt: quæ ut intelligantur, priùs ſententiam ejus explicabimus, tùm animadverſiones noſtras ſubjiciemus. Ad ſententiam ejus percipiendam hæc notanda ſunt, prout ipſe ſe explicat ſuprà in hoc eodem puncto contex. 6. 1. Quòd nomine Eccleſiæ Papam denotet. 2. Quòd diſtinguat inter propoſitionem Eccleſiæ ſeu Papæ & aſſeverationem ejus. Aſſeverationem dicit, per quam Deus mediante Papâ, per ſe aut unà cum Concilio aliquam veritatem non ſatis exploratam nobis patefacit. Propoſitionem appellat, quâ veritas à Deo revelata proponitur à Pontifice vel per ſe, vel unà cum Concilio, ut à Deo revelata & ideo credenda. 3. Aſſeverationem Pontificis eodem loco habet quo aſſeverationes omnes ſcriptoris Canonici. Verbi causâ, Eſaiæ aut Petri, eodemque modo utramque pertinere ad revelationem Dei tanquam partem, vel conditionem ejus. 4. Propoſitionem illam dicit non eſſe cauſam fidei, ſed tantùm eſſe conditionem ſine quâ non aſſenſûs fidei: nihilominus vult propoſitionem iſtam eſſe ejuſdem auctoritatis, quâ aſſeverationem Papæ, adeoque quâ doctrinam ſcriptoris Canonici in S. Scripturâ poſitam: utriuſque enim auctoritatem dicit eſſe divinitùs inſpiratam. Infra punct. 7. context. 2.

His obſervatis redeamus ad reſponſionem examinandam. In quâ

Digitized by Google

1. *Nomine Eccleſia intelligit Papam.* 1. fraudulenter nomine Eccleſiæ unum Papam denotat: prout magis fraudulenter in primâ reſponſione, cum cauſam fidei Dei revelationem aſſignavit, ſub revelatione Dei complexus eſt aſſeverationem Papæ: ut eodem modo aſſeveratio Papæ habeatur verbum Dei, quo Scriptura Eſaiæ aut Petri.

2. *Cùm propoſitio Eccleſia non ſit cauſa fidei, malè in Analyſi fidei collocatur.* Secundò, cùm propoſitionem Eccleſiæ infallibilem non cauſam fidei eſſe dicat, ſed tantùm conditionem quandam ad fidem requiſitam, eam ineptè in reſolutione ponit: nam concluſio aliter reſolvi non poteſt quàm in principia & cauſas. Et certè niſi cauſam afferat, non videtur appoſitè ad quæſtionem reſpondere: neque quod reſpondet cohærere cum præcedentibus aut ſequentibus, ubi agitur perpetuò de cauſa cognitionis, fidei, aut acceptandæ fidei. Nam cùm initio propoſita fuit quæſtio, cur aliquis credat Deum eſſe unum & trinum, diſtinxit duos proceſſus; unum, in quo agitur de causâ fidei ſecundum ſe, alterum de cauſa acceptandi fidem. Itaque in utroque proceſſu causâ ſpectanda eſt. Adeoque cùm quæritur unde cognoſcat Deum hoc revelâſſe, perinde eſt, ac ſi quæreretur, quam ob cauſam cognoſcat Deum revelâſſe.

3. *Auctoritas humana divinitus inſpirata eſt cauſa fidei.* Tertiò, cùm eandem dicit eſſe auctoritatem propoſitionis Eccleſiæ, quæ eſt Scripturæ Canonicæ, ut apertè aſſerit infrà punct. 7. nempe eſſe humanam divinitùs inſpiratam, certè, ſi conſentanea ſuæ doctrinæ diceret, non poſſet negare propoſitionem Eccleſiæ eſſe cauſam fidei, prout Scriptura eſt cauſa fidei: nam negare non poteſt omnem auctoritatem divinitùs inſpiratam eſſe cauſam & fundamentum fidei.

4. *Qualis conditio eſt propoſitio Eccleſia.* Quartò, cùm dicit propoſitionem Eccleſiæ non eſſe cauſam ſed conditionem quandam, explicandum erat qualis ſit conditio, ſi non ſit cauſa; num effectū, ſubjectum, aut proprium, aut ad quem tandem locum Logicum referenda ſit. Nos quidem infallibile illud (quod jactant) magiſterium Eccleſiæ ſeu Papæ non agnoſcimus. Sed dicimus propoſitionem Eccleſiæ, id eſt, miniſtrorum Eccleſiæ legitimè proponentium, prædicantium, & exponentium verbum Dei, eſſe

Concedimus inſtrumentū eſſe nō fundamentum fidei. inſtrumentum, quo communicatur nobis & applicatur revelatio ſeu Verbum Dei. At negamus fidem noſtram niti auctoritate miniſtri ſeu inſtrumenti: ut cùm regia edicta promulgantur, non præconis ſed Regis auctoritate movemur. Et cum quis ægrotus pharmaco ſanatur, non famulo deferenti, aut vaſi in quo defertur medicina, ſed ipſi medicinæ aut medico ſanitatem aſcribit: & omnino inſtrumenti

vis

Digitized by Google

vis & ἐνέργεια omnis principali agenti accepta ferenda eſt.

Quod ſi quis auctoritate Eccleſiæ ſeu miniſtrorum Eccleſiæ moveatur ad agnoſcendum Verbum Dei, argumentum illud, non fundamentum fidei cenſendum eſt, ſed inter motiva illa recenſendum quibus homo ad divinam fidem præparatur ac diſponitur, ut ſuprà docuimus.

5. *De Valentiâ ſibi & Cano non conſtat.*

Quintò, contra duo iſta membra reſolutionis Gregorii de Valentiâ, ſic arguimus. Si ratio quare credatur Deum eſſe unum & trinum, eſſet, quia Deus ita revelavit; & ratio unde cognoſcatur Deum revelâſſe, eſſet, ob infallibilem Eccleſiæ præpoſitionem, tum revelatio divina eſſet notior nobis iſto articulo fidei, & propoſitio Eccleſiæ eſſet notior revelatione: At poſterius eſt falſum ſecundum ipſum Gregorium: Ergo & prius. Major eſt manifeſta: etenim quod eſt minùs notum aut æquè ignotum, nullam poteſt alterius rei fidem aut cognitionem parere. Minor eſt ipſius Gregorii „ in hoc eodem puncto context. 7. Revelatio (inquit) divina & „ propoſitio infallibilis Eccleſiæ non minùs obſcura nobis eſt quàm „ quilibet alius articulus fidei credendus. Et paulò poſt recitat & probat ſententiam Cani lib. 2. de locis cap. 7. ubi dicit, Si quis „ interrogetur quare credat Deum eſſe unum & trinum, aut id eſſe à „ à Deo revelatum, incommodè cum eſſe reſponſurum, [*Quia Eccleſia infallibiliter proponit*,] unum enim ex credendis eſt hoc ipſum. Atqui non video quomodò hæc Cani ſententia conveniat cum reſolutione Gregorii. Hic enim, ad quæſtionem [*Unde cognoſcatur hoc Deum revelâſſe*] ait reſpondendum eſſe [*ob infallibilem Eccleſiæ propoſitionem*] at ille dicit, incommodam eſſe ejuſmodi reſponſionem.

6. *Non ſe expedit ex Circulo.*

Sextò. Cùm ad queſtionem [*Unde cognoſcatur propoſitionem Eccleſiæ eſſe infallibilem*] reſpondet ſe noſſe, *ob revelationem Scripturæ*, in Circulum incidit. Suprà enim dixit ſe credere Dei revelationem ob infallibilem propoſitionem Eccleſiæ; & nunc ait ſe credere infallibilem propoſitionem Eccleſiæ ob revelationem Scripturæ, hoc eſt, ob Dei revelationem.

Huic uni objectioni occurrit hîc Gregorius, & ait non ſic eſſe vi„ tioſum Circulum duas ob rationes. 1. Quia revelatio propter „ quam dicitur credi infallibilitas propoſitionis, & propoſitio ob „ quam dicitur credi revelatio, non habet unum & idem objectum. „ Objectum enim propoſitionis eſt ipſa revelatio: objectum autem „ revelationis eſt ipſa veritas credita, & Deum eſſe trinum & unum,

 „ aut

„ aut propoſitionem Eccleſiæ eſſe infallibilem &c. 2. Quia cùm ex „ revelatione redditur ratio credendi propoſitionem, redditur ra-„ tio per cauſam (revelatiò enim eſt cauſa aſſensûs fidei) cum au-„ tem ex propoſitione Eccleſiæ redditur ratio credendi revelatio-„ nem, ratio redditur non per cauſam credendi, ſed per conditio-„ nem ad id requiſitam.

At (inquam) prior reſponſio inepta eſt: vis enim argumenti non pendet ab objecto, quod teſtis teſtatur, ſed ab auctoritate ipſius teſtis. Ponantur enim duo teſtes æquè ignoti, pater & filius qui de diverſis objectis teſtantur, nempe pater filium eſſe probum, & filius patrem eſſe probum: cùm auctoritas hujus teſtis probatur ex auctoritate illius, & auctoritas illius ex auctoritate hujus, quis non videt circularem & ineptam eſſe probationem? Prout hìc arguitur, Scriptura eſt verax, quia Eccleſia (quæ verax eſt) id dicit: & Eccleſia eſt verax, quia Scriptura (quæ eſt verax) id dicit. Circulus enim ineptus eſt, cùm in eodem genere probationis hoc probatur per illud, & illud viciſſim per hoc. Sic enim argumentum formatur: Quod Scriptura dicit, eſt verum: Eccleſiam eſſe veracem Scriptura dicit: Ergo eſt verum. Rurſus ex iſta concluſione probatur major ejuſdem ſyllogiſmi, ad hunc modum. Quod Eccleſia dicit eſt verum: At Eccleſia dicit Scripturam eſſe veracem. Ergo &c. Hìc licet diverſa ſint objecta, ut diverſæ ſint minores propoſitiones, tamen major propoſitio unius & concluſio alterius ſyllogiſmi coincidunt: adeoque hæc probatur per illam, & illa rurſus per hanc, idque eodem genere argumenti ſcilicet ab auctoritate ſumpti, quæ utrobique cauſa fidei ſtatuitur: ideoque poſterior etiam reſponſio falſa eſt. Etenim cùm utrobique ſumatur argumentum ab auctoritate teſtis ad fidem faciendam rei teſtatæ, par eſt ratio utriuſque argumenti, quippe auctoritas teſtis unica eſt cauſa fidei. Imò ex doctrinâ Gregorii de Valentiâ (quæ certè impia & abſurda eſt) utriuſque hic teſtis, tam Scripturæ quam Eccleſiæ, eadem eſt auctoritas, ut ſuprà dictum eſt, nempe auctoritas humana divinitùs inſpirata (quam ille ineptè appellat) auctoritatem partim divinam partim humanam) nam quæ eſt divinitùs inſpirata prorſus eſt divina (ut ſuprà docuimus cap. 16.) ac proinde hæc non minus eſt cauſa fidei, quàm illa.

7. *Qui credit revelationi Scriptura* „ *Poſtremò.* Poſtquam dixit *ſe credere propoſitionem Eccleſiæ ob reve-„ lationem Scripturæ*, addit ſe *iſti revelationi non credere ob aliam reve-„ lationem, ſed ob ſeipſam, quamvis ad hoc ipſum opus ſit ipsá Eccleſiæ pro-„ poſitione*

„ *poſitione ut conditione requiſitâ.* Hic libenter accipimus quod ait ſe credere revelationem Scripturæ ob ſeipſam : hinc enim ſequitur Scripturam eſſe αὐτόπιςον, & revelationem Scripturæ non credi ob aliud, neque fidem Scripturæ reſolvi poſſe in aliquid prius : ac cum revelatio Scripturæ ſit revelatio Dei, ineptè eum ſuprà dixiſſe ſe credere revelationē Dei ob aliud, nempe ob infallibilem propoſitionem Eccleſiæ : adeoque eum ſibi non conſtare, cùm ait ſe credere revelationem Dei ob aliud, & ſe credere revelationem Scripturæ ob ſeipſam. Sic vi veritatis victus, modò quidem veritatem attingit, modò partium ſtudio abreptus ab eâ recedit & refugit.

Propter ſeipſam, Scripturam facit αὐτόπιςον & ultimū terminum fidei.

Ex dictis non erit difficile aliorum etiam adverſariorum ſententias refellere, omneſque eorum evaſiones tollere, ac objectiones & argumenta ſolvere, quæ nos brevitatis causâ omittimus. Tantùm conſiderabimus, quod omnes perpetuò in ore habent, dictum illud Auguſtini in lib. contra Epiſtolam Fundamentalem, Manichæi c. 5. „ Ego vero Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccle„ſiæ commoveret auctoritas. Unde colligunt auctoritatem Evangelii, eâdemque ratione totius Scripturæ pendêre ab auctoritate Eccleſiæ, ideoque fidem noſtram tandem reſolvendam eſſe in auctoritatem Eccleſiæ. Ex his enim verbis hunc ſenſum colligunt, nullam eſſe rationem credendi Evangelio præter auctoritatem Eccleſiæ, aut quæ in eam reſolvitur. Id quod tùm à veritate, tum à mente Auguſtini alieniſſimum eſt. Falſum enim id eſſe ſatis patet ex præcedente doctrinâ, in quâ Scripturæ auctoritatem, tum ex ipſius inſitâ luce & naturâ, accedente lumine & teſtimonio Spiritûs Dei patêre demonſtravimus: tùm etiam ad eam confirmandam præter auctoritatem Eccleſiæ, varias alias rationes & argumenta enumeravimus: qualia multa ipſi etiam Pontificii recenſent: ut Bellar. de Verbo Dei lib. 1. cap. 2. & Gregor. de Valent. in lib. de Analyſi fidei, & in 3. tomo comment. Theologic. diſp. 1. qu. 1. puncto 4. ubi octodecim aut novendecim enumerat argumenta quibus confirmatur doctrina fidei Chriſtianæ, ac proinde auctoritas Scripturæ : *Quibus* (inquit) *quivis prudens induci poſſet ad acceptandam ejuſmodi fidem.* Cùm itaque non ſolùm inſitâ ſua luce, accedente teſtimonio Sp. Sancti, Scripturæ auctoritas pateat, ſed etiam præter auctoritatem Eccleſiæ multis aliis graviſſimis rationibus probetur, negari non poteſt, ſepoſitâ Eccleſiæ auctoritate, Evangelio eſſe credendum : ſicut adverſante & contradicente olim Eccleſiâ Judæorum,

Quomodo intelligendum πολυθρύλητον illud Auguſtini.

Non crederem Evangelio, &c. *Vid. Whyt. 1. Vol. 21.*

Nullam eſſe credendi Evangelio præter auctoritatem, contradicit tam Auguſtino quàm veritati.

Valentia.

rum, Evangelio eſſe crediderunt primi Chriſtiani & Theſſalonicenſes nullius Eccleſiæ auctoritate commoti, Evangeliū à Paulo annunciatum, non tanquam ſermonem hominum, ſed tanquam ſermonem Dei ſuſceperunt, 1. Theſſ. 2. 13. Quare non dubium eſt ſententiam illam falſam eſſe quam Adverſarii Auguſtino affingunt.

1. Theſſ. 2. 13.

Quidam Auguſtini Eccleſiam exponunt de ſolâ Apoſtolicâ. Durandus, Gerſon, Driedo.

Sed cùm verba ejus duriuſcula viderentur, ideoque ea commodâ interpretatione emollire conati ſunt olim ipſi Pontificii Doctores. Nonnulli nomine *Eccleſiæ*, cujus auctoritate ſe commotum eſſe dicit Auguſtinus, intelligunt Eccleſiam quæ fuit tempore Apoſtolorum: Durandus in Sententias lib. 3. dinſtinct. 24. quæſt. 1. Gerſon lect. 2. de Vitâ ſpirituali animæ, Driedo tom. 1. l. 4. c. 4. Alii alia afferunt, quæ longum eſſet recitare ſingula.

Loquitur Auguſtinus de ſe ut olim Manichæo.

Aliter adducuntur aliqui ad fidē quàm auctoritate Eccleſiæ. Stapletonus. De Valentiâ.

Noſtri verò communiter reſpondent, Auguſtinum non loqui de ſe, qualis tum erat Chriſtianus & Epiſcopus, ſed de ſe ut olim Manichæo, cùm ex iſta hæreſi ad orthodoxam religionem tranſiit: quo tempore agnoſcit ſe Eccleſiæ auctoritate adductum fuiſſe ad credendum Evangelio. Ac proinde non vult ut fideles ab auctoritate Eccleſiæ pendeant, ſed ut qui nondum credunt, ab eâ incipiant. Deinde non ſequitur, etſi Auguſtinus non fuit adductus ad fidem niſi motus auctoritate Eccleſiæ, ideo neminem poſſe adduci niſi eâdem ratione. Docet enim Stapletonus Controverſ. 4. qu. 1. art. 2. per ſolum habitum fidei infuſum, abſque ullo externo medio, fidem ingenerari poſſe, & ſic Petrum & Prophetas crediddiſſe. Imò non minùs ſequitur, ſi loquamur de viâ ordinariâ, quâ homines communiter ad fidem adducuntur. Notat enim Greg. de Valentiâ (qui 18. aut 19. enumerat argumenta ſeu motiva quibus homo inducitur ad acceptandam fidem, inter quæ auctoritas Eccleſiæ habenda eſt) non eodem omnes motivo induci ad credendum, ſed alium hoc moveri argumento, alium alio: Comment. Theolog. tom. 3. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 1. context. 8.

Crederem pro Credidiſſem præſens pro præterito.

At hîc opponunt adverſarii, Legi in Auguſtino [*Crederem*] & [*Commoveret*] quibus ſignificatur tempus præſens, ac proinde ſpectandum eſſe Auguſtini ſtatum præſentem, cùm in iſto ſenſu, ſi loquutus eſſet de ſe, ut olim Manichæo, dixiſſet, [*Credidiſſem*] & [*commoviſſet.*] Reſpondent noſtri eam phraſin Auguſtino eſſe frequentem, Africanorum more, ut imperfecto utatur pro pluſquam perfecto, ut in tom 1. lib. de Beatâ vitâ. Sic exarſi (inquit) ut omnes illas anchoras vellem rumpere, niſi me nonnullorum hominum exiſtimatio

matio commoveret. Hîc [*Vellem*] & [*Commoveret*] pro [*Voluiſſem*] & [*Commoviſſet.*] Plurima ſimilia exempla non tantùm apud Auguſtinum, ſed etiam apud Optatum Africanum & alios notata ſunt à noſtris, præſertim à Chamiero tom. 1. lib. 7. cap. 10.

Auguſtinus loquitur in perſonâ non ſuâ, ſed infidelis ethnici.

Sed non eſt neceſſe ut hoc loco Catachreſin iſtam tribuamus Auguſtino: ſenſus enim ſatis conſtat in præſenti tempore: Sed duo notanda ſunt. 1. Auguſtinum ibi alienam perſonam, & perſonam quidem non tam hæretici quàm infidelis ad fidem adducendi ſuſcipere: ut patet ex ipsâ ſerie verborum: hæc enim verba immediatè præcedunt. Si ergo invenires aliquem qui Evangelio nondum cre-,, dit, quid faceres dicenti tibi, *Non credo?* Tum ſtatim ipſe ſuſci-,, piens non credentis perſonam, ſubjungit. *Ego verò Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret auctoritas.* Quaſi dicat: pone ob oculos aliquem qui nondum credit, verbi causâ, finge me non credere; certè Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ commoveret auctoritas.

Initio ſtulti credunt propter auctoritatem, poſtea ſapientes propter certam notitiam veritatis.

Deinde notandum eſt, Auguſtinum hîc duo diſtinguere quibus aliquis movetur ad profeſſionem alicujus Religionis amplectendam. 1. Autoritatem profitentium. 2. Certam notitiam veritatis quam profitentur. Auguſtinus utramque rationem valere in noſtrâ Religione docet: ſed primam rationem pertinere ad incipientes, quos ſtultos appellat, & poſteriorem ad proficientes, ſeu potiùs perfectiores, quos ſapientes appellat: ideoque poſteriorem priori longè præfert. Sic in præcedenti libro quem inſcripſit *de Utilitate credendi,* ,, contra Manichæos cap. 16. Sola eſt auctoritas (inquit) quæ com-,, movet ſtultos ut ad ſapientiam feſtinent. Et paulò pòſt. Hæc au-,, tem, ſepoſitâ ratione, quam ſinceram intelligere, difficillimum ,, ſtultis eſt; dupliciter nos movet; partim miraculis, partim ſe-,, quentium multitudine. Nihil horum eſt neceſſarium ſapienti. ,, Quis negat? Sed id nunc agitur ut ſapientes eſſe poſſimus, id eſt, ,, inhærere veritati. Et mox. Homini non valenti verum intueri, ut ,, fiat ad id Idoneus, purgarique ſe ſinat, auctoritas præſto eſt, quam ,, (ut paulò antè dixi) partim miraculis partim multitudine valere ,, nemo ambigit.

Manichæi rejiciebant Eccleſiam, & jactabāt unius ipſius veritatis fidem.

Manichæi, contra quos hîc diſputat Auguſtinus, ſentientes ſe gravari auctoritate Eccleſiæ, nihil volebant auctoritati tribui, neque quidquam credi quod non poſſit probari ratione. Ideoque ſolùm veritatis demonſtrationem jactabant. Sed Auguſtinus contra

eos diſputans oſtendit eos & auctoritate & veritate deſtitui. Ac primò omiſsâ conſideratione veritatis & ſapientiæ, quæ in Eccleſiâ viget, oſtendit argumenta quibus ejus auctoritas ſtabilitur cap. 4. Tum cap. 5. ſe ad doctrinam Manichæorum convertens, primò aggreditur titulum quem Manichæus ſibi vendicabat, dicens ſe Apoſtolum Jeſu Chriſti: & quærit quomodo probent Manichæum fuiſſe Apoſtolum Jeſu Chriſti. Reſpondent id probari ex Evangelio. Regerit Auguſtinus, ſi invenires aliquem qui Evangelio nondum credit, quid faceres dicenti tibi, *Non credo?* Tum perſonam illam non credentis in ſe ſuſcipiens addit, *Ego verò Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret auctoritas.* Nam ſepoſitâ veritate, quæ licet in Evangelio, quam nondum credens non poteſt nôſſe, non crediturus aliquis videtur Evangelio qui auctoritate Eccleſiæ non movetur: Eccleſiæ autem ſi valet auctoritas, Manichæorum ſecta ut Eccleſiæ repugnans, damnanda eſt.

Auguſtini verba intelligenda ſunt, non ſimpliciter, ſed ſecundum quid.

Hinc videre eſt adverſarios abutentes verbis Auguſt. manifeſtam fallaciam admittere à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Abſolutè enim intelligi volunt verba Auguſtini, quæ ille profert duplici cum reſtrictione. 1. Seponens lucem & argumenta veritatis quæ Evangelium commendant, ſed à non credente nondum percipiuntur. Neque verò aliud ex Auguſtini verbis colligi poteſt, quàm nondum credentes, nec dum illuminatos à Deo, nec veritatis lucem aut argumenta percipientes nullâ aliâ ratione magis commoveri aut præparari ad credendum, quàm auctoritate Eccleſiæ.

Non hic loquitur de auctoritate Eccleſiæ autocraticâ & imperiali, qualem fingunt Pontificii, ſed de eâ dignitate, quæ notam probitatem, prudentiam, & alia Dei dona conſpicua conſequitur, cujus aliquot notas præcedenti capite expoſuit.

Deinde non vult auctoritatem Eccleſiæ eſſe cauſam aut fundamentum fidei, quo nituntur ſapientes, ſeu verè fideles à Deo illuminati, ſed tantùm occaſionem, & introductionem, quâ nondum credentes ad fidem Evangelii præparantur, quàm ipſe appellat opportunum quærendi exordium (lib. de utilitate credendi cap. 7.) in quâ non ſubſiſtendum aut acquieſcendum, ſed ita proficiendum ut certâ & ſolidâ veritate à Deo revelatâ unicè nitantur. Nam auctoritas Eccleſiæ non facit fidem divinam aut infuſam, ſed humanam duntaxat & acquiſitam, quæ ad illam ſternit viam. De quâ fide humanâ & præparatoriâ loquitur Auguſtinus lib. de Utilitate credendi cap. 1.

Auctoritas Eccleſiæ cauſat fidem humanam & præparatoriam non divinam.

Digitized by Google

cap. 1. cùm eorum meminit, qui Catholicæ fidei auctoritatem ſequentes, antequam illud verum, quod purâ mente conſpicitur, intueri queant, credendo præmuniuntur, & illuminaturo præparantur Deo. Fides enim illa non eſt divina ſed humana, quæ præcedit illuminationem Dei. Ita Gregorius de Valentiâ dicit omnes ad acceptandum fidem ſupernaturalem moveri per aliqualem fidem acquiſitam. tom. 3. Coment. diſp. 1. qu. 1. puncto 1. context. 9. *Valentia.*

Et certè ipſi etiam Philoſophi qui ſcientiam per demonſtrationes tradere profitentur, cum initio theſes & poſtulata ſua proponunt, volunt ut diſcipuli ſui primùm credant, quæ poſteà clarè cognituri ſunt: ut Ariſtoteles ait, *Diſcentem oportet credere:* ſic credendo paratur via ad ſcientiam: ſed poſtquam adepti ſunt ſcientiam, non ampliùs nituntur auctoritate Magiſtrorum, ſed ipſarum rerum certâ notitiâ. Multò magis in rebus Religionis ſuadendis, quæ rationem ſuperant, & ingenio noſtro parum arrident, opus eſt ut initio aliquis præparetur præviâ auctoritate docentium & profitentium eandem doctrinam; ut præclarè docet Auguſtinus in libro iſto de utilitate credendi. Sic mulier illa Samaritana, Jo. 4. plurimos è civibus ſuis commovit, & excitavit, ad credendum in Chriſtum: qui, poſtquam ipſum audiverunt, non ampliùs propter mulieris ſermonem crediderunt, ſed quia ipſi eum audiverunt & crediderunt eſſe Servatorem hominum, Jo. 4. 42. Quâ ſimilitudine utitur ipſe Auguſtinus tract. 15. in Evang. Joannis. Sic agitur (inquit) hodie cum iis qui foris ſunt & nondum Chriſtiani: Chriſtus nunciatur per Chriſtianos amicos, tanquam illâ muliere, hoc eſt, Eccleſiâ annunciante ad Chriſtum veniunt: credunt per iſtam famam: manet apud eos biduo, hoc eſt, dat eis duo præcepta charitatis, & multò plures & firmiùs in eum credunt, quoniam ipſe eſt verus Salvator mundi. *Ariſtoteles.* *Eccleſia ſimilis eſt mulieri Samaritanæ.* *Jo. 4. 42.*

Poſtremò, non ſequitur ex verbis Auguſtini auctoritatem Eccleſiæ eſſe ſolam rationem, quâ quis nondum credens præparatur ad veram fidem, ſed eſſe vel ſolam vel præcipuam. Etſi enim plures rationes occurrerent, quibus aliquis commoveretur, tamen ſiquis præcipuâ ratione non commovetur, nullâ aliâ commoveri videretur. Sepoſitâ autem conſideratione veritatis & ſapientiæ in Scripturâ relucentis, ac inſitis argumentis eam demonſtrantibus, facile concedimus auctoritatem Catholicæ Eccleſiæ præcipuam eſſe inter motiva ad fidem præparantia: præſertim ſi non præſentem duntaxat Eccleſiam, ſed quæ fideles omnium ſæculorum complectitur, intelligamus. *Eccleſiæ auctoritas eſt ratio præcipua præparans mentem ad fidem, non ſola.*

Digitized by Google

Eccleſiam intelligit Catholicam omnium ſæculorum. ligamus. De eâ enim hîc loquitur Eccleſiâ Auguſtinus, ut ex præcedente capite patet, cujus auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata eſt, in quâ fuit perpetua poſt Petrum ſucceſſio Epiſcoporum. Sic contra Fauſtum Manichæum, lib. 11. cap. 2. de eâdem aut ſimili re ſcribens, nempe explicans unde cognoſcantur genuina ſcripta Apoſtolorum, ait, Vides hac in re „ quid Eccleſiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipſis fundatiſ- „ ſimis ſedibus Apoſtolorum uſque ad hodiernum diem ſucceden- „ tium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione „ firmatur.

Atque hæc hactenus breviter & perſpicuè (opinor) de Analyſi fidei & auctoritate Scripturæ in quam fides reſolvitur: de quibus multi multa prolixè & perplexè diſputârunt.

CAP. XIX.

Reſpondetur ad argumenta Adverſariorum quibus ſtabilire nituntur externum judicem infallibilem ex Veteri Teſtamento.

His interpoſitis de Analyſi fidei & auctoritate Scripturæ, quæ cum hoc tractatu de judice dogmatum Religionis & controverſiarum fidei omninò conjungenda ſunt, quod reliquum eſt in iſtâ diſputatione proſequemur: nempe ad Adverſariorum argumenta reſpondebimus, quibus probare nituntur dari aliquem externum Magiſtrum fidei & Religionis infallibilem, ad cujus judicium in omni controverſiâ confugiendũ ſit, & in eo ſemper ac omninò acquieſcendũ.

Pontificiorum confuſio & pugna. Diximus anteà cap. 13. Pontificios, qui de neceſſitate fidei tanquam principium religionis autumant credendum eſſe, quod detur externus infallibilis judex, non convenire inter ſe quis ſit, num Papa, vel Concilium, vel Papa cum Concilio. Quanquam ſub ambiguo Eccleſiæ nomine, ut diſſenſiones ſuas tegant, illum indigitare ſolent. Ita plerunque confusè diſputant, probantes Eccleſiam eſſe judicem, cùm aliud hi, aliud illi Eccleſiæ nomine intelligant: ac proinde fit, ut argumenta quæ afferunt inter ſe pugnent. Verbi causâ, argumenta quibus probant Eccleſiam eſſe judicem, id eſt, (ut hi intelligunt) ſolum Papam qui eſt ſupra Concilium, & argumenta quibus probant Eccleſiam eſſe judicem, id eſt, Concilium, quod eſt ſupra Papam

Digitized by Google

Papam (ut alii intelligunt) ſe invicem refellunt.

His confuſionis latebris involvit omnia Bellarminus hoc loco, prout malæ cauſæ commodiſſimum videtur. Nobis verò veritatem ſequentibus, quæ (ut loquuntur) non quærit angulos, & diſtinctâ explicatione gaudet, multò commodius eſſet, ut argumenta noſtra, diſtinctè propoſuimus, & tum communi Adverſariorum ſententiæ, tum ſingulis eorum ſectis oppoſuimus, ita etiam argumenta ipſorum in eaſdem aut ſimiles claſſes, pro diverſitate problematum digeſta perpendere. Sed ne calumnientur adverſarii nos hac ratione quidquam eorum argumentis detrahere, & ut omnes ſciant nos bonâ fide cum iis agere, Bellarmini veſtigiis inſiſtemus. Et ſi quæ forte alia apud alios occurrant gravioris momenti argumenta, adjungemus. *Bellarminus.*

Diſtinguit ille argumenta ſua in ſex claſſes, quæ totidem capitibus pertractat. 1. Ponit argumenta ex V. Teſtamento. 2. ex N. Teſtamento. 3. Ex conſuetudine Eccleſiæ. 4. Ex teſtimoniis Pontificum & Imperatorum. 5. Ex teſtimoniis Patrum. 6. Ex ratione. *Sed claſſes argumentorum.*

Ex V. Teſtamento primum argumentum, Exod. 18. 13. & 26. „ Cùm cæpit (inquit) Populus Dei redigi ad quandam formam Ec- „ cleſiaſticæ Reip. ſedebat Moſes tanquam princeps & caput illius „ Eccleſiæ, & ad omnia dubia circa legem Domini exorta reſponde- „ bat, nec homines remittebat ad ſpiritum aliquem revelantem. „ Poſteà cum conſtituiſſet juxta conſilium ſoceri ſui, minores Ma- „ giſtratus, qui populum judicarent, ſemper tamen ſibi tanquam „ ſummo Pontifici reſervavit dubia circa Religionem determinan- „ da: Ergo nunc quoque debet eſſe unum commune tribunal à quo „ omnes petant divinæ legis interpretationem, & cui omnes ſimpli- „ citer acquieſcant. *Primum argumentum. Exod. 18. 13. 26.*

Reſpon. ut omittam antecedens in quo varia miſcentur falſa & inepta, ut 1. cùm ait, *Cùm capit populus Dei*, videtur innuere ante Moſen Eccleſiam non habuiſſe caput & principem externum, quem tamen Eccleſiæ abſolutè neceſſarium eſſe profitentur Pontificii. 2. Moſes, etſi princeps & caput fuit populi Iſraëlitici, malè tamen, nec ex uſu Scripturæ appellatur princeps & caput Eccleſiæ Dei, cujus ratione miniſterium non Magiſtratum geſſit. 3. Invidioſè ait, *Nec homines remittebat ad ſpiritum aliquem revelantem*, ut ſolent odioſè nobis objicere privatū ſpiritum: quam calumniam ſatis ſuprà refutavimus 4. In loco citato (ut patet ex ſerie textûs) non agitur de cauſis propriè ad religionem ſpectantibus, ſed de controverſiis potiùs civilibus, *Privilegia Moſis nihil ad Romanum Pontificem.*

quæ hîc appellantur controverſiæ inter virum & ſocium ejus, quæ ſecundum Legem judicialem determinabantur. His, inquam, omiſſis, nego conſequentiã argumenti, idq; varias ob rationes. 1. Quia Moſis munus in Eccleſiâ erat extraordinarium; ut Bellarminus hoc ipſo loco fatetur: at ab extraordinario munere ad ordinarium non valet argumentum. 2. Etſi in unâ Repub. aut regno unus fuerit ſummus judex, non ſequitur unum debere eſſe ſummum judicem in Eccleſiâ Catholicâ per univerſum mundum. Eâdem enim ratione probare poſſent debere eſſe in toto orbe terrarum unicum ſummum politicum judicem; quia Moſes in Repub. Iſraëliticâ talis fuit. 3. Etſi hinc efficeretur, unicum eſſe ſummum judicem, tamen non ſequeretur, eum eſſe infallibilem ut Moſen: nam Moſen fuiſſe Prophetam immediatè à Deo vocatum & inſpiratum, & extraordinariis donis Sp. Sancti inſtructum, in confeſſo eſt: qui etiam in rebus majoris momenti dubiis Deum conſulere, ejuſque oracula accipere ſolebat. Papæ verò nihil tale competit. 4. Cùm Jeſuitæ contendant ſummum Pontificem eſſe ſummum judicem, & conſtet Aaronem fuiſſe ſummum Pontificem, certè ſi Moſes fuit ſummus judex & ſummus Pontifex major Aarone, ut Bellarminus hîc dicit, tùm ſimul duo ſummi Judices fuerunt, & duo ſummi ſacerdotes: imò fuit tum aliquis ſummus Pontifex ſummo Pontifice major, quod fieri non poteſt, præſertim in ſenſu Pontificio. Denique hoc argumentum potiùs valet contra Pontificios. Nam ſi Moſes ſuâ auctoritate diremit omnia dubia circa Religionem, tum Aaron qui erat ordinarius ſummus Pontifex (ut loquitur Bellarminus) nulla diremit. Atque ita illud munus dirimendi controverſias Religionis aut non pertinet ad ordinarium ſummum Pontificem, aut Aaron ſuo munere non eſt functus.

2. Secundum arg. Deut. 17. 18. &c. ubi ſic legitur in vulgatâ edi-
Deut. 17. 18. tione. *Si difficile & ambiguum judicium apud te eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram: & judicum intra portas tuas videris verba variari: ſurge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus: venieſque ad ſacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quæcunque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus, & docuerit te juxta legem ejus: ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dextram neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbiêrit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto*

decreto judicis morietur. Ex hoc loco ſic argumentantur: Quam poteſtatem habuit ſummus Sacerdos in Eccleſiâ Iſraëliticâ, eandem habet Pontifex Romanus in Eccleſiâ Chriſtianâ: At in Eccleſiâ Iſraëliticâ ſummus Sacerdos habuit poteſtatem ſummi & infallibilis judicis in omnibus controverſiis Religionis: Ergo &c. Majorem gratis ſumunt Pontificii, non probant. Minorem verò probant ex dicto loco.

At nos utramque propoſitionem negamus; & primò Majorem: neque enim hîc eadem eſt ratio Eccleſiæ Iſraëliticæ & Chriſtianæ varias ob rationes; ut 1. Quia, ut unus ſummus Magiſtratus politicus iſti uni genti ſufficiebat, ita etiam unus ſummus Pontifex: At ad neutrum munus ſufficere poteſt unus homo orbi Chriſtiano. 2. In Vet. Teſtamento requirebatur unus ſummus ſacerdos qui typus eſſet Chriſti, non ita in N. Teſtamento. 3. Deus ipſe unum ſummum Pontificem in V. Teſtamento inſtituit: non ita Chriſtus in N. Teſt. Etſi enim Pontificii hanc ſummam poteſtatem uni Petro & ejus ſucceſſoribus Epiſcopis Romanis attribuant: tamen certum eſt nunquam Petrum ſolum eam ſummam poteſtatem habuiſſe; ac proinde Papam non poſſe ſibi ſoli eam jure ſucceſſionis vendicare; cùm omnes Apoſtoli immediatè à Chriſto eandem æqualem poteſtatem & juriſdictionem in Eccleſiâ acceperint, ut Bellarminus etiam fatetur in lib. 4. de Pontif. cap. 23. & luculentis argumentis probat ex Scripturâ & Patrum teſtimoniis: cumque alii Apoſtoli non minus quam Petrus, paſtores & Epiſcopos in Eccleſiâ ordinârint, & ii rurſus continuâ ſerie alios, qui ordinariam Eccleſiæ curam gererent. Denique in Vet. Teſtamento Deus à ſummo Sacerdote conſultus de rebus majoris momenti dubiis extraordinariâ revelatione per Urim & Thummim, & aliter reſpondebat: cujuſmodi revelationem ſibi arrogare non audet Pontifex Romanus.

Pontificis Iſraëlitici jura nihil ad Papam.

Deinde minorem negamus quam Pontificii probant ex verbis citatis, ex quibus tria colligunt. 1. Moſen remittere dubitantes de Religione non ad ſpiritum ſuum, ſed ad judicem vivum, id eſt, ſummum Sacerdotem. 2. Moſen præcipere omnibus ut pareant ſacerdoti non declinando ad dextram nec ad ſiniſtram, ac proinde non eſſe de eo ultra inquirendum. 3. Contumaciam adverſus auctoritatem ſummi Sacerdotis morte plectendam eſſe.

Proteſtantes non remittunt dubitantes ad ſpiritū privatum, ſed ad Dei Verbum & miniſtros.

Reſpondeo, ex his corollariis primum & tertium nihil contra nos efficere. Neque enim nos aliquem in controverſiis Religionis remittimus

timus ad ſpiritum ſuum ſed ad Sp. Dei in Scripturâ loquentem, ad cujus vocem diſcernendam ejuſdem Spiritus adminiculo opus eſſe dicimus. Porrò agnoſcimus Moſen etiam remittere dubitantes ad ſummum Sacerdotem: neque ad ſummum duntaxat, ſed etiam ad alios: nominat enim *Sacerdotes* in plurali numero. Et nos quoque legitimos Eccleſiæ paſtores ac doctores, & ſingulos, & multò magis in Synodis convocatos in rebus dubiis ad Religionem ſpectantibus conſulendos affirmamus: quanquam eorum judicium in rebus fidei non ſummum & abſolutum, ſed miniſteriale & ad S. Scripturam reſtrictum agnoſcimus. Denique nos fatemur Moſen meritò in contumaces & ſuperbos contemptores auctoritatis tum ſacerdotalis tùm politici Magiſtratus pœnam mortis indicere. Reliqua eſt ergo omnis controverſia de ſecundo corollario, cùm inde infallibilitatem ſummi Pontificis aſtruere volunt, quod ab ejus ſententiâ dicatur, non declinandum eſſe, nec ad dextram nec ad ſiniſtram.

Loquitur Moſes de ſacerdotibus inferioribus, & Magiſtratu politico non minùs quã de Pontifice maximo.

Sed ſi ex hoc loco infallibilitatem ſummi ſacerdotis rectè inferant, eâdem ratione etiam infallibilitatem politici judicis colligere licet. Verba enim Moſis ex æquo ſpectant ad Sacerdotem & Judicem politicum, ut videre eſt ex ver. 9. &12. Imò in ver. 12. non unicum ſummum Sacerdotem nominat, ſed *Sacerdotes* Levitici generis in plurali numero, ita ut aliis etiam ſacerdotibus eadem prærogativa tribuenda ſit: quanquam Bellarminus fraudulenter contra fidem non tantùm Hebraicæ veritatis, ſed etiam Latini Vulgaris contextûs pro [*Sacerdotes*] ſcripſit [*Sacerdotem*] idque tum hoc loco, tum etiam in lib. 4. de Pont. cap. 1. ubi eadem verba citat. Certè Cyprianus ex hoc ipſo loco arguit eos qui Epiſcopis in genere & ſacerdotibus non obtemperant, Epiſtolarum lib. 1. epiſt. 11. & alibi.

Ad id quod diximus hunc locum pariter ſpectare ad Sacerdotem & Judicem politicum, duo reſpondet Bellarminus. 1. Nomine *Judicis* poſſe hic intelligi, Principem ſacerdotum, quia in Hebræo eſt, *Aſcende ad ſacerdotes & ad judicem*. Quaſi diceret, ad Concilium ſacerdotum, & eorum principem ſummum Sacerdotem. 2. Ait, ſi intelligamus nomine Judicis, politicum principem, hæc eſſe diſtincta officia: nam Sacerdoti tribuitur ſententia definitiva, judici autem executio in contumaces, ut dicitur ver. 12. *Qui autem ſuperbiêrit nolens obedire ſacerdotis imperio, ex decreto judicis, moriatur.*

Sed utraque reſponſio rejicienda eſt. Nam quod ad priorem attinet, certum eſt nomine Judicis politicum Magiſtratũ intelligi cujus

erat

erat judicare inter ſanguinem & ſanguinem, (id eſt, de homicidio & effuſione ſanguinis humani ſententiam ferre) quæ verba non ſine fraude omiſiſſe, videtur Bellarminus & hîc & in lib. 4. de Pontif. c. 1. ut omittam verba illa [*inter cauſam & cauſam*] potiùs de litibus forenſibus quàm de controverſiis Religionis intelligenda eſſe: præſertim cùm meminerit cauſarum quæ in portis tractabantur: nam in portis civitatum exercebantur forenſia judicia.

Poſterior autem reſponſio eſt planè contra totam ſeriem contextûs, in quâ ſententia definitiva non minùs tribuitur judici quàm ſacerdoti. Confirmatio autem quam addit ex ver. 12. nititur, non tam pravâ verſione Interpretis quàm mendo librarii, quod ſequitur Bellarminus: ubi enim ille legit [*ex decreto judicis*] legendum eſt [*& decreto judicis*] ut patet ex libello Romanæ correctionis, edito a Luca Brugenſi: quanquam potiùs vertendum eſt [*vel decreto judicis*] ſicut tranſtulerunt Pagninus & Arias Montanus, idemque Cardinalis Cajetanus notat in hunc locum.

Bellarminus corrumpit textum.

Sed, ut rectâ occurramus argumento, duo reſpondemus: 1. dicimus, in hoc loco non agi de judicio interpretationis Scripturæ, aut dogmatum fidei, de quibus nos in hac diſputatione ſolùm agimus, ſed de controverſiis facti potiùs quàm juris, aut certè de cauſis & controverſiis externis, quæ vel ad forum politicum, vel ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectant, ut patet ex enumeratione factâ v. 8. ubi nominat lites de ſanguine & cauſis, id eſt, controverſiis civilibus quæ pertinent ad judicem politicum, & de plagâ ſeu leprâ, cujus inſpectio ſacerdotibus mandata fuit Levit. 13. 14. Replicat Bellarm. legem eſſe generalem de omnibus dubiis quæ ex lege Dei oriebantur, & ſpecialiter hîc agi de cauſis Religionis, probat ex connexione: quia ſcilicet in præcedentibus verſibus agebatur de Idololatriâ, quæ eſt cauſa Religionis. Sed quàm infirmum ſit hoc argumentum ex connexione cuivis videre eſt. Quid enim frequentiùs occurrit quam quod Moſes nunc loquatur de iis ſtatutis quæ ad primam Tabulam ſpectant ut Levit. cap. 19. & 20. Deut. 27. &c. Imò in his ipſis verbis cùm meminit judicii inter ſanguinem & ſanguinem, facilè patet hîc interſeri quæ ad politicum judicium ſpectant.

Loquitur Moſes de controverſiis facti & externis, non de quæſtionibus fidei. Levit. 13. 14.

Levit. 19. & 20. Deut. 27. &c.

Deinde, ſi concedamus Bellarmino ſub hac ſententiâ comprehendi omnia dubia quæ ex lege oriebantur, dicimus in hoc præcepto, in quo mandat Deus obtemperandum eſſe Sacerdoti & judici, eam conditionem intelligendam eſſe, quæ rarò quidem exprimitur,

Reſtringit Moſes judices ad præcepta Dei.

V ſed

Digitized by Google

ſed ſemper ſaltem ſub intelligitur, in omni præcepto quo Deus mandat obedientiam præſtandam omnibus ſuperioribus, ut Parentibus, Magiſtratibus, & Eccleſiæ miniſtris, nempe ſi mandata eorum ſint legitima, Deique præceptis non repugnantia: alioqui occurrendum eſt cum Apoſtolis, Act. 4. 19. & 5. 29. *Obedire oportet Deo potiùs quàm hominibus.* Imò verò hæc conditio hîc expreſsè ponitur. Sic enim legitur in vulgatâ editione ver. 10. *Et facies quodcunque dixerint & docuerint te juxta legem ejus.* Sed hic duplici utitur reſponſione Bellarminus. 1. ait illa verba [*docuerint juxta legem ejus*] non reperiri niſi in vulgatâ editione, quod partim falſum, partim ineptum eſt: quanquam enim in Hebraico contextu non habeantur ea verba in ver. 10. in quo apponuntur in vulgatâ editione, tamen in verſu proximè ſequenti eadem habetur ſententia ſecundum Hebraïcum contextum. *Secundum legem* (ſeu ſuper os legis) *quam docuerint te, & ſecundum judicium quod loquentur tibi, facito.* Utcunque eſt, ſatis nobis argumunti eſt ita legi in vulgatâ editione, quam Pontificii ex decreto Concilii Tridentini ſolam habent authenticam.

Act. 4. 19. & 5. 29.

Pontifices Iudæi ſæpè errârunt.

Altera reſponſio Bellarmini eſt, in iis verbis non notari conditionem, ſed promiſſionem; quaſi hoc argumento ſuaderet Deus ſecurè obediendum Sacerdoti, quia ſemper judicaturus eſt ſecundũ Legem Dei. Contrà, non eſſe promiſſionem, ſed conditionem, apertè notant Gloſſa Ordinaria; Nicolaus de Lyrâ, & Card. Cajetanus in hunc locum. Idemque patet ex eventu, cùm conſtet ſummum Sacerdotem, etiam cum aliis in publico munere ſuo & judicio erràſſe, ut Aaronem in vitulo condendo, Exod. 32. Uriam, qui idololatricum altare extruxit ad formam altaris Damaſceni, & in eo ſacrificia obtulit, 2. Reg. 16. 10. Sacerdotes & Prophetas qui Jeremiæ crimen capitale imputârunt, Jer. 26. 11. prout Paſhur ſacerdos ac præfectus domûs Dei in eum velut Pſeudoprophetam carcere & verberibus animadvertit. Jer. 20. 1. Cajapham, qui Chriſtum ut hominem blaſphemum condemnavit, Mat. 26. 65. Pontificem maximum illum cum Concilio, qui damnârunt Apoſtolorum doctrinam Act. 4. 18. & 5. 28. & 40. Et illum qui in judicio legem tranſgrediens Paulum cædi juſſit. Act. 23. 3.

Aaron. Vrias. Exod. 32. 2. Reg. 16. 10. Ier. 26. 11. Paſhur. Ier. 20. 1. Cajaphas & alii. Mat. 26. 65. Act. 4. 18. & 5. 28. & 40. & 23. 3.

Huc ſpectant & iſtæ querelæ Prophetarum de publicis ſacerdotum vitiis & erroribus, Eſ. 28. 7. Jer. 2. 26. 27. Ezech. 22. 26. Hoſ. 4. 6. &c. Certè in ſimili errore, qualem hîc tuetur Bellarminus, videntur fuiſſe Jeremiæ tempore ſacerdotes, ut legere eſt apud

Eſ. 28. 7. Ier. 2. 26. 27. Ezech. 22. 26. Hoſ. 4. 6.

apud Jeremiam cap. 18. verſ. 18. dicebant enim, *Venite & cogitemus contra Jeremiam cogitationes: non enim peribit lex à ſacerdote, neque conſilium à ſapiente, nec ſermo à Prophetâ.* Quæ verba à Domino palam damnantur in eodem loco, & apertiùs Ezech. 7. 26. *Quærent viſionem à Prophetâ, & lex peribit à ſacerdote & conſilium à ſenioribus.* *Ier.18. 18.* *Ezech. 7. 26.*

Inſtant Pontificii, ex hoc loco colligi infallibilitatem ſummi Pontificis trifariàm. Primò, diſcrimine quod erat inter ſummum Judicem & alios inferiores judices. Nam cùm inferiores judices in aliquâ controverſiâ vel diſſentiebant, vel veritatem attingere non poterant, mandavit Deus ut partes deferrent eam ad Pontificem in ſuperiori Concilio præſidentem, à quo accepturi eſſent veritatem judicii. 2. Ex interminatione Dei: nam Deus ſub pœnâ mortis præcepit omnibus ut acquieſcerent ſententiæ Pontificum. 3. Ex parte litigantium: nam ſi Pontifex quando publicè in Concilio pronunciabat ſententiam, potuiſſet falli, nunquam litigantes fuiſſent ſecuri. *Summorum judicum ſententiis non ſemper ſtandum.*

At (inquam) omnes hæ rationes æquè concurrunt in politico judice, quæ ſi valerent, ejus etiam infallibilitatem arguerent, quam Pontificii nunquam concedent. Hæ autem rationes tantùm oſtendunt majorem auctoritatem ſummi Judicis, ſive Eccleſiaſtici ſive politici, quam inferiorum, à quo non poſſit appellari ad ullum humanum judicium; ac proinde eo abſolutè acquieſcendum, ſi ſpectentur ejuſmodi cauſæ (de quibus hoc loco intelligi certum eſt) in quibus injuſtæ etiam ſententiæ parêre pium eſt & bonum: alioqui ſi quidquam præcipiatur faciendum contra Dei Verbum, ſubintelligenda iſta conditio, *Deo potiùs quàm hominibus parendum.* Nam utcunque ejuſmodi ſententia fortè rata eſt in externo foro, pii tamen, exemplo Jeremiæ, Chriſti, & Apoſtolorum, extrema quæque perpeti, quàm decretis impiis acquieſcere debent. Denique ex ver. 12. patet, non quamcunque modeſtam diſſenſionem à ſententiâ judicis, ſed ſuperbam contumaciam morte plectendam eſſe.

Tertium argumentum ex Eccleſ. 12. 11. *Verba ſapientum ſicut ſtimuli, & ſicut clavi in altum defixi, quæ per Magiſtrorum conſilium data ſunt à Paſtore uno. His amplius, fili mi, ne requiras.* Hoc loco (inquit Bellarm.) Salomon docet non eſſe ulteriùs inquirendum, ſed acquieſcendum penitus, quando ſententia data eſt à ſummo Paſtore, adjuncto præſertim conſilio ſapientum. Quod ſi hæc dicuntur de Sacerdote V. Teſtamenti, quantò magis dici poſſunt de ſacerdote N. Teſtamenti, qui longè majores promiſſiones à Deo accepit. *3. Arg. ex Eccl.12.11.* *Salomonis unus paſtor eſt Deus: ejuſque ſapientes ſũt Propheta.*

Digitized by Google

Tota vis argumenti eſt, quòd hîc intelligatur nomine Paſtoris unius ſummus Sacerdos Judæorum, cujus ſententiæ omnino acquieſcendum ſit, unde argumento à majore idem infertur de Papâ.

At 1. impudens eſt petitio quæſiti, cùm ponit Papam eandem habere auctoritatem in universâ Eccleſiâ Chriſtianâ, quam habuit ſummus Pontifex Judæorum in unâ gente Iſraëliticâ. 2. Falſum eſt, hîc unius Paſtoris nomine denotari Sacerdotem. Manifeſtum enim eſt ex ſerie contextûs, Solomonem hæc verba ſuæ doctrinæ in hoc libro traditæ accommodare: quam ineptum eſt dicere eum à ſummo Sacerdote accepiſſe. Communis autem ſententia eſt. Interpretum veterum & recentiorum, ipſorum etiam Pontificiorum, nomine *unius Paſtoris* intelligi Deum & Chriſtum. Et per verba ſapientum plerique intelligunt verba ſcriptorum θεοπνεύστων, ſeu S. Scripturam. Utcunque eſt, verba ſapientum intelligenda ſunt, quà ſunt ſapientes, & quà pendent à ſummo iſto Paſtore Deo Patre, Filio, & Sp. Sancto. Conſulantur inter Pontificios Gloſſa Ordinaria, Lyranus, Vattablus, Mercerus, Ferus, Titilmannus, & Lorinus in annotationibus ſuis in hunc locum.

Hieronymus. „ Egregiè Hieronymus in hunc locum, Ne videretur (inquit) Solomon poſt legem Dei temerarius ſubitò præceptor erumpere, & ſibi vendicare doctrinam, quam Moſes ſuſceperat, dicit verba ſua verba eſſe ſapientum, quæ in ſimilitudinem ſtimulorum corrigant delinquentes, & pigros mortalium greſſus aculeo pungente commoveant: quod ſint firma quaſi clavi in altum ſolidumque defixi: nec auctoritate unius, ſed conſilio atque conſenſu Magiſtrorum omnium proferantur. Et ne contemneretur omnium ſapientia, ait eam ab uno paſtore conceſſam, id eſt, licet plurimi doceant, tamen doctrinæ hujus auctor unus eſt Dominus, qui ſcilicet auctor eſt V. & N. Teſtamenti.

Lorinus. „ Similiter Lorinus Jeſuita. Commendat (inquit) doctrinam ſuam, quæ valeat ad corrigendos delinquentes, urgendoſque pigros; & firma ſit ac ſolida, nec ab alio quàm à Deo ipſo profecta. Quanquam hîc, poſtquam de Deo & Chriſto vocem paſtoris interpretatus eſt, violenter Romano Pontifici locum accommodat, quaſi ſcilicet Solomon etiam acceperit ſuam doctrinam à Romano Pontifice. Sed paulò pòſt, quaſi ad ſe reverſus multò ſaniùs loquitur, refellens Chaldæum Interpretem, qui nomine *unius Paſtoris* Moſen „ intellexit. Sed nos (inquit) multò meliùs, aut potiore jure de

Deo

„ Deo & Chriſto Patres ſequuti, expoſuimus: nec Moſes, tametſi „ tanti populi paſtor, omnium dici poteſt verborum auctor, quæ „ tot poſt eum ſapientes tradiderunt, nullo verò modò, quæ anteceſſores ipſius. Multò minùs ergo (inquam ego) ob eandem cauſam, intelligi poteſt vel ſummus Pontifex Judæorum, vel Pontifex Romanus.

Omitto quòd varia hîc verba Latini interpretis multùm diſcrepant ab Hebraïca veritate, ut ex collatione patet.

Quartum argumentum ex Hagg. 2. 11. *Interroga ſacerdotes legem.* Et Malach. 2. 7. *Labia ſacerdotis conſtodiant ſcientiam, & legem requirant ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum eſt.* Ex his verbis intelligimus (inquit Bellarminus) non eſſe privatorum hominum judicare de ſententiâ legis Domini, ſed Sacerdotis, qui cùm ſit Angelus, id eſt, nuncius Dei, ad eum pertinet ex officio explicare legem Dei.

4. Arg. ex Hag. 2. 11. & Malach. 2. 7.

Reſpondeo fallaciam hîc eſſe ex ignoratione Elenchi; nihil enim ad propoſitum, aut contra nos concludit Bellarminus. Ex his locis nihil probat de infallibili judice, niſi velit omnes ſacerdotes & omnes paſtores eſſe infallibiles judices (quod ipſe agnoſcit eſſe falſum) neque enim hæc verba reſtringuntur ad ſummum ſacerdotem; & nos non dicimus eſſe privatorum hominum judicare de ſententiâ legis auctoritativè (ut ita loquar) aut judicio juriſdictionis, ſed tantum judicio diſcretionis. Neque nos negamus conſulendos fuiſſe in V. Teſt. ſacerdotes, & in N. Teſt. conſulendos eſſe paſtores Eccleſiæ, ad quos pertinet ex officio explicare ſententiam Dei. Sed hoc officium non ſemper eos fideliter præſtitiſſe patet ex variis querelis Prophetarum, ſicut antè notavimus; imò ex ipſo Malachiâ qui in eodem cap. verſ. 8. poſt verba citata ſtatim ſubjungit, *Vos autem receſſiſtis de viâ, & ſcandalizâſtis plurimos in lege, irritum feciſtis pactum Levi.*

Omnes ſacerdotes nō erant infallibiles.

Quintum arg. ex 2 Paralip. 19. 11. ubi pius Rex Joſaphat, conſtituens, ſeu potiùs inſtaurans formam publici judicii in magno Concilio ſeu Synedrio Hieroſolymitano, quod Sanedrim (vocabulo ex Græco facto) poſteà appellârunt, cujus Origenem habemus, Deut. 7. 8. voluit Amariam ſummum ſacerdotem præſidere in iis quæ ad Deum pertinent, & Zebadam ducem in domo Judæ, in iis quæ ad Regem pertinent. Hinc duo corollaria deducit Bellarm. 1. Hîc clarè diſtingui officiū Pontificis ab officio Regis. 2. Soli Pontifici tribui judi-

5. Arg. ex 2. Paralip. 19. 11.

Deut. 7. 8.

In Synedrio ubi præſidebat Pōtifex multi

habebant jus ſuffragii. judicium de dubiis legis. Quorum prius quidem verum eſt, ſed nihil ad rem. Quis enim negat diſtincta eſſe officia Regis & Pontificis? Alterum eſt planè falſum & contra contextum, nec inſtitutum probat. Quod enim Amarias ſummus Pontifex præſidebat in hoc Concilio, cùm agebatur de iis rebus quæ ad Deum pertinent, id non arguit eum ſolum fuiſſe judicem, ſed contrà, plures fuiſſe judices ſedentes, quorum ille eatenùs erat Præſes. Præſes enim dicebatur ratione collegarum quibus præſidebat in communi munere. Nam Præſidis eſt in conſeſſu, ordinis externi curam habere, rem deliberandam referre; ſuffragia colligere, & ſecundum plura ſuffragia (nonnunquam contra proprium ſenſum ſuum) pronunciare.

Planum autem eſt ex hoc contextu in hoc Concilio conſtitutos fuiſſe judices, non ſolum ſummum Sacerdotem, ſed & alios ſacerdotes; nec hos modò, ſed & alios Levitas, & præter hos etiam primores ſeu principes familiarum ex aliis Tribubus: quibus omnibus in ſingulis, quæ ad eos deferebantur, controverſiis data eſt poteſtas judicandi, & jus ſuffragii (quanquam pro diverſitate cauſarum diverſi conſtituti ſunt præſides) imò Chaldæus Interpres in Jeremiam, notat Concilium hoc de ipſo Pontifice ſummo judicâſſe, cùm hodie Pontifex Rom. ſupra Concilium eſſe, & à nemine judicari, velit.

Deinde hoc judicium non fuit de dubiis Legis propriè, ſed de controverſiis particularibus lege judicandis, nec de explicatione legis in genere, ſed de applicatione Legis ad ſingulares cauſas; in cujuſmodi quæſtionibus errare poſſe Pontificem Rom. etiam cum Concilio, concedunt omnes Pontificii, ut docet Bellarm. lib. 4. de Pontif. cap. 2. Nec obſtat quòd hîc mentio fiat quæſtionum de Lege, ſeu (ut Hebraïca verba ſonant) inter legem, præceptum, ſtatuta, & judicia: nam horum nomine facta ſignificantur, de quibus quæritur, an juxta legem, præcepta, ſtatuta, & judicia facta ſint.

Sed quid ſi concederetur (quod falsò hîc colligit Bellarm.) ſoli Pontifici datum eſſe judicium de dubiis legis, non tamen hinc efficeretur, quod probandum erat, Pontificem eſſe judicem infallibilem, magis quam Ducem illum ex tribu Judæ, qui præſidebat in iis quæ ad Regem pertinent. Neque Lex præſupponit, eos nulli vitio aut errori in judicando obnoxios eſſe, quos ſeriò monet, ut in timore Domini, in fide, & corde integro ſeu perfecto, munus ſuum obeant, nec delinquant. ver. 9. & 10.

Poſtremò. Si in hoc conſeſſu juriſdictio Eccleſiaſtica exerceba- tur

Digitized by Google

tur à Pontifice de controverſiis Religionis, ut vult Bellarminus, certè hinc colligitur (quod non vult) ad Regis munus pertinere, Eccleſiaſticorum judiciorum vel conſtitutionem, vel inſtaurationem: ut ſic Regia auctoritas in rebus etiam ſacris ſupra Pontificiam emineat. Quod ſatis evidenter patet in hoc & aliis piis Regibus, Hezechiâ, Joſiâ, &c. qui collapſam Religionem, ut cuſtodes etiam primæ Tabulæ, inſtaurantes, ſacerdotibus, & ſummo etiam Pontifici, quæ ad eorum officia ſpectabant, præſcripſerunt, & in ſontes etiam animadverterunt.

Auctoritas Regia ſupra Pontificiam in ordinandis judiciis ſacris.

Addit ex Vet. Teſt. Bellarmin. lib. 4. de Pontif. cap. 3. arg. ex Exod. 28. 30. ubi jubet Dominus in Rationali ſeu Pectorali ſummi Pontificis poni Urim & Thummim, quæ duo Latinus Interpres vulgatus vertit *Doctrinam* & *Veritatem*: Ergo ſummus Pontifex Judæorum in judicando & docendo errare non potuit, proinde nec Papa Rom. At hîc multa falſa & inepta concurrunt. Nam primò non valet conſecutio (ut dictum eſt) à Pontifice Judæorum ad Pontificem Rom. ob rationes jam in ſecundo argumento dictas: inter quas hæc quoque una eſt, quòd in V. Teſtamento Deus inſtituit Urim & Thummim ut per ea à ſummo Sacerdote conſultus de rebus obſcuris extraordinariâ revelatione reſponderet. Num. 27. 21. 1. Sam. 28. 6. cujuſmodi revelationem ſibi arrogare non audet Pontifex Rom. 2. Quid ſint Urim & Thummim incertum eſſe agnoſcit hîc Bellarm. Obſervandum eſt (inquit) nondum conveniſſe inter Hebræos, aut etiam inter Chriſtianos, quid ſint iſta duo. Rabbi Salomon vult eſſe nomen Dei JEHOVA ſcriptum in Rationali, ex cujus fulgore ſacerdos cognoſcebat Divinum reſponſum cùm ab aliquo interrogaretur. Arias Montanus in ſuo apparatu docet eſſe duos lapides lucidiſſimos, à Deo ipſo immediatè productos, & datos Moſi. Joſeph. lib. 3. Antiquit. cap. 9. (alias 12.) dicit eſſe illos ipſos duodecim lapides in quibus ſcripta erant nomina duodecim filiorum Iſraël, quæ Deus juſſit poni in Rationali: & ibidem multas fabulas immiſcet. Auguſtinus quæſt. 117. in Exod. ait hæc ipſa vocabula fuiſſe ſcripta in medio Rationalis. Hæc cùm ſint incerta, ex incertis nullum certum argumentum deduci poteſt.

Arg. 6. ex Exod. 28. 30.

Quid Urim & Thummim.

Num. 27. 21.

1. Sam. 28. 6.

Tertiò. Vetus Interpres non rectè vertit Urim & Thummim *Doctrinam* & *Veritatem*. Nam ex conſenſu omnium linguæ Hebrææ peritorum; Urim ſignificat *Illuminationes* & Thummim *Perfectiones*, ut denotetur in ſummo Pontifice, adeoque in omnibus Chriſti miniſtris,

niſtris, lumen cognitionis & integritatem vitæ eſſe oportere. Cæterum Bellarminus, cùm agnoſcat aliquot Pontifices Romanos fuiſſe ſceleſtiſſimos, ideò fugit eam interpretationem, quâ vitæ perfectio, ſeu integritas denotatur: proinde, etſi notum ſit אורים derivari à radice אור lucere & תמים à radice תמם, id eſt, perficere, tamen ille, ut inſtituto ſuo inſerviat, contra omnes Hebraïcæ linguæ peritos & Grammaticæ analogiam vult אורים deduci à ירה docuit, & תמים ab אמן credidit, & interpretationem quam ſequitur, tuetur auctoritate Hieronymi quaſi auctoris Latini vulgatæ editionis, & 70. Interpretum. Sed Bellarm. ipſe docet Latinam vulgatam editionem non per omnia aſcribendam eſſe Hieronymo, lib. 2. de Verbo Dei cap. 9. & editionem quæ dicitur 70. Interpretum eſſe valde corruptam & vitiatam eodem lib. cap. 6. Nihilominus tamen in ipſa vulgatâ Latinâ editione, Deut. 33. 8. legimus Thummim reddi perfectionem.

Quartò, ſi concedamus Urim & Thummim rectè reddi Latinè *Doctrinam* & *Veritatem*, (quæ ſub genuinâ interpretatione fortè aliquo modo comprehenduntur) & has voces inſcriptas fuiſſe Rationali ſummi Pontificis non potuiſſe in doctrinâ errare, ſed admonitum fuiſſe Pontificem, quid eſſet officii ſui, ſeu quid eſſet faciendum ipſi, non quod aliter facere non poſſet: quemadmodum Laminæ quæ imminebant fronti Pontificis inſcriptum erat SANCTUM DOMINO; non tamen inde ſequitur Pontificem nunquam potuiſſe eſſe non ſanctum. Imò multiplici experientiâ compertum eſt, Pontificem potuiſſe, ut à ſanctimoniâ, ita etiam à veritate in publico munere deficere, ut ſuprà oſtendimus. Ad hæc notandum eſt Pontificem Judaïcum non habuiſſe Urim & Thummim poſt destructionem primi templi, ut apparet ex Ezr. 2. 63. Nehem. 7. 65. ſecundum enim templum caruiſſe his quinque ornamentis quæ erant in primo, nempe Arcâ fœderis, nube teſte Divinæ præſentiæ, igne cœleſti, Urim & Thummim, ac Prophetarum certâ ſucceſſione, conſtans eſt Judæorum & Chriſtianorum ſententia.

Ezr. 2. 63. Nehem. 7. 65.

CAP.

C A P. XX.

Reſpondetur ad argumenta Adverſariorum ex Novo Teſtamento & primò ex Matth. 16. 18.

PRIMUM Argumentum quod ex N. Teſtamento arripiunt, eſt ex Matth. 16. 18. ubi Chriſtus reſpondens Petro, ait, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt adverſus eam.* Ex hoc loco, ut ex verſu ſequente, in quo fit mentio clavium, & ex dicto illo Joa. 21. *Paſce oves meas*, non tantùm Papæ infallibilitatem in interpretando & definiendo, ſed etiam munus Regium, imo Monarchiam in univerſam Eccleſiam, ac poteſtatem ſpiritualem & temporalem, non tantùm in Epiſcopos, ſed etiam in omnes orbis Chriſtiani Principes, & alia portenta deducunt: his enim tribus maximè locis tanquam præcipuis firmamentis, ad immenſam Papæ poteſtatem, & dignitatem ſtabiliendam abutuntur Pontificii: quæ ita vafrè, variè ac prolixè explicant, amplificant, & detorquent, ut ad omnes quæ hîc occurrunt, eorum putidas ineptias ac futiles argutias examinandas magno opus ſit volumine; quæ multò commodiùs in loco ſeu controverſiâ de Pontifice Romano tractari poſſunt & ſolent. Ideoque nos ea tantùm argumenta quæ ex his locis ad inſtitutum noſtrum ſpectant, breviter perſtringere contenti, uberiorem eorum tractationem in proprium locum differemus, aut ad doctorum virorum lucubrationes, qui de iis accuratè egerunt, referemus. *Pontificiorum de Papa immenſá potentiâ ineptia*

Nunc, ut ex verbis citatis arguant Adverſarii, tria præſupponunt. 1. Petrum ut ſummum Rectorem Eccleſiæ hîc dici Petram & fundamentum Eccleſiæ, adverſus quam nulla vis prævalebit. 2. Quicquid hîc dici putant de Petro, idem competere ejus Succeſſori. 3. Pontifices Romanos omnes & ſolos eſſe ſucceſſores Petri. His præſuppoſitis, ex hoc loco duplex ſumit argumentum Bellar. lib. 4. de Pontif. cap. 3. Primò ex nomine *Petra*, ſic. Pontifex dicitur Petra à conſtantiâ & ſoliditate; quòd nec frangi, nec circumferri poſſit omni vento doctrinæ, ac proinde nec errare in fide quâ eſt Petra, id eſt, quà eſt Pontifex. 2. Ex ratione fundamenti ſuſtentantis ædificium ejuſmodi quod ruere non poſſit. Nam ſi tale eſt ædificium ut non poſſit ruere, certè nec ejus fundamentum ruere poteſt. *Pontificiorum de Petro & Papâ hypotheſes falſa.*

Reſpondeo falſas eſſe omnes tres illas, quas fundamenti loco ponunt, hypotheſes: ideoque non mirum eſt, ſi, fallacibus jactis fundamentis, quicquid ſuperſtruunt, ruat. Nam neque Petrus in ſenſu Pontificio, id eſt, ut ſummus Rector ſeu Monarcha Eccleſiæ, dicitur Petra: neque ſi ſic Petra diceretur, competeret ea appellatio Papæ, ut ejus ſucceſſori: negamus enim Petro in univerſali curâ Eccleſiæ quenquam ſucceſſiſſe, multò minùs Papam, qui à moribus & doctrinâ Petri maximè alienus eſt. Sed hîc omiſsâ ratione imaginariæ illius ſucceſſionis, quæ integrum tractatum alibi requirit, ſenſum verborum citatorum breviter ſpectabimus, ut inde futilitas argumenti appareat.

Verus loci ſenſus. Matth. 16. 13. quærit Jeſus à Diſcipulis, quem ſe vulgò homines eſſe dicerent. Reſponderunt, alios quidem dicere eſſe Joannem Baptiſtam, alios Eliam, alios verò Jeremiam aut unum ex Prophetis. Deinde interrogat omnes communiter Diſcipulos, quem ipſi crederent eum eſſe. Ad hanc quæſtionem ſtatim unus pro omnibus Petrus reſpondit, *Tu es Chriſtus ille Filius Dei viventis.* Ut pro omnibus Petrus eſt loquutus, ita eum unum pro omnibus (ad ſanciendam ſcilicet unitatem) Chriſtus compellat: & tam præclarâ audita confeſſione, eum beatum, & divinitus eâ de re edoctum prædicat: ſtatimque verba illa ſubjungit, *Sed & ego dico tibi, tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, ad Petri nomen alludens, quod *Jo. 1. 43.* in primâ vocatione ei impoſuit, Jo. 1. 43. Petram indicat ſuper quam ædificaturus eſt Eccleſiam. Petrus à Petrâ nomen habet. Petra frequenter metaphoricè uſurpatur, ad firmitatem & ſoliditatem denotandam. Itaque ob firmitatem & ſoliditatem fidei quam in iſtâ confeſſione declaravit, nomen Petri ei rectè convenire oſtendit: quippe brevis iſta confeſſio, quam de Jeſu luculentiſſimam Petrus edidit, totam noſtræ ſalutis ſummam in ſe continet: ac planè indicat eum eſſe lapidem vivum ædificatum in iſto lapide divino, puta Chriſto, ab hominibus quidem reprobato, apud Deum verò electo *1 Pet. 2. 4.* & pretioſo, ut ipſe Petrus loquitur, 1. epiſt. 2. 4.

Atque hæc quidem minimè dubia ſunt: ſicut etiam de hoc inter omnes convenit, Petræ vocabulum hîc uſurpari cum relatione ad ædificationem, quâ Chriſtus metaphoricè Eccleſiæ conſtitutionem deſignat; adeo ut, cùm prudens Architectus ædificium in Petrâ *Mat. 7. 24.* fundet; Mat. 7. 24. Petra ab omnibus ferè hîc intelligatur fundamentum hujus ſpiritualis ædificationis. Fundamentum autem ædificationum

Digitized by Google

cationum duplex eſt; unum, quod à naturâ datum architecti inveniunt, cujuſmodi eſt humus aut petra, quæ toti ſtructuræ ſubſternitur: alterum, quod ipſi ponunt, efficiuntque pro primâ ædificii parte, nempe lapides in imâ ſtructuræ parte collocati. Illius reſpectu quærere, deligere, & accipere fundamentum, hujus autem reſpectu jacere fundamenta dicuntur architecti.

Tres ſententiæ de Petrâ.

Tota controverſia ſupereſt, quid nomine Petræ hîc denotetur, ſuper quam Chriſtus pollicetur ſe ædificaturum Eccleſiam. Quâ de re tres ſunt celebriores ſententiæ. 1. Eorum qui Chriſtum. 2. Qui Petri fidem aut confeſſionem nuper editam de Chriſto. 3. Qui Petrum ipſum denotare volunt.

Petra denotat Chriſtum.

Quod ad primam attinet, notiſſimum eſt Deum & Chriſtum paſſim in Scripturâ & Patrum monumentis Petram appellari. In Vet. Teſtamento Deus frequentiſſimè צור, id eſt Petra, aut rupes appellatur: adeo ut hoc unum ex Dei nominibus cenſeatur: unde 70 Interpretes & Latinus Interpres ſæpe hanc vocem θεὸς Deum, interpretantur Deut. 32. v. 4. 15. 18. 30. 31. 37. 2. Sam. 22. v. 3. 22. & 47. (eadem verba habentur, Pſ. 18.) Pſ. 31. 3. & 62. 8. & 73. 26. & 78. 35. & 89. 27. Eſ. 17. 10. & 26. 4. & 44. 8. &c. Deus dicitur Petra ſeu rupes. 1. abſolutè & reſpectu ſui, nempe ob fixam ſeu immobilem ejus naturam, potentiam, robur, ac perpetuam durationem. 2. Relatè cum reſpectu ad creaturas, quia fundamentum & origo eſt omnium rerum: & firmum perfugium adverſus omnes moleſtias, inſtar rupis ſeu arcis in rupe ſitæ, omnibus ad ipſum per fidem ſe recipientibus.

Deut. 32. 4. 15. 18. 30. 31. 37. 2. Sam. 22. 3. 22. & 47. Pſ. 31. 3. & 62. 8. & 73. 16. & 78. 35. & 89. 27. Eſ. 17. 10. & 26. 4. & 44. 8. Eſ. 28. 16. & 8. 14. Pſ. 98. 22. Mat. 12. 42. Mar. 12. 10. Luc. 20. 17. 18. Act. 4. 11. Rom. 9. 33. Eph. 2. 20. 1. Cor. 3. 11. & 10. 4. 1. Pet. 2. 4. 5. 6. 7.

Eadem ratione Chriſtus, ut Deus, Petra dicitur, & peculiari etiam ratione, cum reſpectu ad ædificationem Eccleſiæ ſuæ, cujus fundamentum eſt, & angularis lapis, lapis vivus, in ſe & à ſe vitam habens, & toti ædificio, omnibuſque ejus lapidibus vitam communicans: ut & lapis offenſionis eſt adverſus inimicos ejus, Eſ. 28. 16. & S. 14. Pſal. 98. 22. Mat. 21. 42. Mar. 12. 10. Luc. 20. 17. 18. Act. 4. 11. Rom. 9. 33. Eph. 2. 20. 1. Cor. 3. 11. & 10. 4. 1. Pet. 2. verſ. 4. 5. 6. 7. Proinde nemini dubium eſt, Chriſtum veriſſimè & rectiſſimè dici Petram ſuper quam à ſeipſo ædificatur Eccleſia ipſius: eumque etiam hoc loco deſignari, graviſſimorum interpretum veterum ac recentiorum ſententia eſt: quaſi ſic Chriſtus dixiſſet, [*Tu es Petrus*, ita dictus à me vivâ & ſpirituali Petrâ, cui tu, tanquam lapis vivus firmiter inhæres, ut ex confeſſione tuâ apparet: &

ſicut tu ædificatus es ſupra hanc Petram, ita ſuper hanc Petram (memetipſum indico, quem tu nuper egregiè confeſſus es) ædificabo Eccleſiam meam adverſus omnes inimicorum fraudes invictam futuram, ac perpetuò duraturam.]

Auguſtinus. „ Auguſt. Retract. lib. 1. cap. 31. Non dictum eſt Petro, *Tu es* „ *Petra*, ſed *tu es Petrus*: Petra autem erat Chriſtus quem confeſſus „ Simon, ſicut eum tota Eccleſia confitetur, dictus eſt Petrus. Idem „ in Joa. tract. 124. Non à Petro Petra, ſed Petrus à Petrâ, ſicut „ Chriſtianus à Chriſto vocatur: ſuper hanc ergo (inquit) Petram „ quam confeſſus es, ædificabo Eccleſiam meam: Petra enim erat Chriſtus. Eadem verba repetit in lib. de verbis Domini Serm. 3. ubi inter alia addit Petrum fuiſſe typum Eccleſiæ, & Chriſti hanc fuiſſe ſententiam, quaſi dixiſſet [*Super me, Petre, ædificabo te, non me ſuper te.*]

Gregorius. Gregorius Magnus in lib. 28. expoſitionis moralis in Jobum cap. „ 9. hanc regulam tradit: Cùm in S. Scripturâ fundamentum in „ ſingulari numero occurrit, nullus alius niſi ipſe Dominus intelli- „ gatur: at cum in plurali *fundamenta* dicuntur, paſtores intelligan- „ tur, quâ ratione duodecim Apoſtolos pro primâ ſoliditate ædificii „ in ſolo, *fundamenta* appellant: Cujus regulæ memor, cùm Petra in ſingulari numero hîc occurrat (ſcilicet pro fundamento poſita) Chriſtum interpretatur; In pſalmum quintum pœnitentialem ad illa „ verba [*Imò tu Domine terram fundâſti*] ſic ſcribens. Apoſtolis di- „ cit, *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt,* „ *quod eſt Chriſtus Jeſus.* Hinc ipſe Dei & hominum Mediator ad „ Apoſtolorum principem ait, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædi-* „ *ficabo Eccleſiam meam*, ipſe enim eſt Petra, à qua Petrus nomen ac- „ cepit, & ſuper quam ſe ædificaturum Eccleſiam dixit.

Chryſoſtomus & alii. *Eandem* ſententiam probant & ſequuntur Chryſoſtomus hom. de cruce Dominicâ, circa medium. Hilarius lib. 2. de Trinitate, Gregorius Nyſſenus in poſtremo capite teſtimoniorum adverſus Judæos. Eucherius Lugdunenſis hom. de natali S. Petri, quam alii Euſebio Nyſſeno malè tribuunt. Hieronymus in Mat. cap. 7. 35. Theodoretus in Pſal. 47. & 1. Cor. 3. & Beda in Evangelium ſecundum Joannem cap. 21. prope finem. His accedunt ex ipſis Pontificiis, Anſelmus, auctor gloſſæ interlinearis & ordinariæ, Lyranus, Hugo Cardinalis & Ferus in hunc locum. Joannes Arboreus Philoſophiæ lib. 5. cap. 17. Cardinalis Cuſanus Concordantiæ Catho-

Digitized by Google

Catholicæ ad Concilium Baſilienſe lib. 2. cap. 13. Pererius in 2. Dan. in ea verba [*Lapis abſciſſus.*]

Altera ſententia eſt eorum qui nomine Petræ intelligunt Petri fidem aut confeſſionem nuper de Chriſto editam, quaſi Chriſtus dixiſſet, *Tu es Petrus*, quia firmitate & ſoliditate fidei quam in confeſſione declaràſti, Petram refers, & ſuper hanc Petram (nempe eandem fidem, aut confeſſionem fidei quam tu edidiſti, quippe quæ ſummam totius Religionis Chriſtianæ continet) ædificabo Eccleſiam meam. *Secunda ſententia de Petri fide & cõfeſſione coincidit cũ primâ.*

Hæc ſententia à priori non tam re quàm ratione differt, itaque fit ut iiſdem auctores modò hanc, modò illam, nonnunquam etiam in eodem loco profiteantur: eôdem enim recidit dicere Petram eſſe Chriſtum quem Petrus credidit & confeſſus eſt, & Petram eſſe Petri fidem de Chriſto tali confeſſione editam, ſeu doctrinam Chriſti, cujus ſummam in iſta confeſſione complexus eſt Petrus.

Etenim quia Chriſtus fundamentum eſt in quo fundantur lapides vivi, cùm Chriſti verbum, id eſt, Evangelium creditur, ipſe etiam per Evangelium fide recipitur, quam ſequitur oris confeſſio; ita fit ut hæc divelli non debeant, & uno momento reliqua intelligantur, adeoque Petra ſeu fundamentum Eccleſiæ fit Chriſtus Evangelio annunciatus, fide cordis receptus, & confeſſione oris celebratus. Proinde, cum doctrinam Chriſti, fidem aut confeſſionem fidei dicimus eſſe fundamentum aut Petram, non intelligimus ea per ſe ſumpta, ſeu formaliter & in abſtracto, quatenus ſunt talia inſtrumenta, ſed objective & in concreto prout Chriſtum denotant his inſtrumentis declaratum, & apprehenſum.

In hoc ſenſu fidem & confeſſionem Petri hîc Petræ nomine deſignari tradiderunt Auguſtinus lib. 2. de Trinit. cap. 17. & in epiſt. 1. Joa. tractat. 10. Chryſoſtomus in hunc locum hom. 55. in Mat. & Ser. de Pentecoſte paulo ante finem. Theophylactus in hunc locum. Cyrillus lib. 4. de Trinit. Ambroſius lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento, cap. 5. & in epiſt. ad Epheſ. cap. 2. prope finem. Baſilius Seleucenſis Serm. in hunc locum. Hilarius lib. 6. de Trinit. Epiphanius contra Catharos, Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 235. Theodoretus lib. 2. in Cantic. Eucherius in eodem loco ſuprà citato. Gregorius Nyſſenus etiam in loco ſuprà citato, cum variis aliis. Sic inter Pontificios Thomas opuſculo 6. & in Joa. cap. 6. ſectione 15. Item Dionyſius Carthuſianus, Ferus & Titelmanus in *Auguſtinus, Chryſoſtomus, Cyrillus, Ambroſius & alii.*

Digitized by Google

hunc locum. Et hoc eodem ſenſu Arias Montanus in annotationibus in hunc locum per Petram intelligit teſtimonium Petri.

Hæ duæ ſententiæ (ſi modò duæ appellandæ ſunt) ſi recipiantur, prout orthodoxam procul dubio & contextui omninò congruam explicationem omninò continent, corruit maximum Pontificiæ cauſæ propugnaculum, & argumenta omnia evaneſcunt, quæ hinc colliguntur ad Papæ Monarchiam aut infallibilitatem probandam.

Malè reſtringit Bellarm. Petri confeſſionem ad perſonam Petri.

Sed excipit Bellarm. ſecundam ſententiam coincidere cum tertiâ, quam ipſe defendit: nam fidem ſeu confeſſionem Petri ait duobus modis poſſe conſiderari: primo modo abſolutè ſecundum ſe ac ſine relatione ad perſonam Petri, quo ſenſu negat hîc eam nomine Petræ intelligi, altero modo, cum relatione ad Petrum (voluit dicere cum reſtrictione ad Petrum) ita ut non quælibet fides, ſed Petri fides, & Petri non ut privati hominis, ſed ut paſtoris Eccleſiæ univerſæ, intelligatur hîc eſſe Petra & fundamentum: quem ſenſum accipit Bellar. & ait coincidere cum eo quod dicitur Petrum eſſe fundamentum: At hic ſenſus Bellarmini repugnat planè eorum ſententiæ qui Petri fidem, aut confeſſionem ſtatuunt Petram hîc deſignari & fundamentum Eccleſiæ: cùm, qui hunc ſenſum tuentur, Petrum à ratione fundamenti excludant, & per fidem ac confeſſionem Petri ſe intelligere rem ipſam quam Petrus credidit ac confeſſus eſt, profiteantur; ut diſertè Chryſoſtomus Serm. de Pentecoſte. Super

Chryſoſtomus.

„ hanc petram, non dixit *ſuper Petrum*: non enim ſuper hominem, „ ſed ſuper fidem ædificavit Eccleſiam ſuam. Quid enim erat fides? „ *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Sic Hilarius lib. 2. de Trinitate. Unum „ ergo hoc eſt immobile fundamentum, una hæc felix fidei petra, Petri ore confeſſa, *Tu es Filius Dei vivi.*

Tertia ſententia de perſonâ Petri.

Tertiam ſententiam avidè nunc arripiunt Pontificii, quam omnibus modis confirmare, reliquaſque refutare conantur, maximè autem hoc argumento, quod cùm Chriſtus Syriacè loquutus ſit, in eâ linguâ, tum temporis Judæis vulgari, *Petrus* & *Petra*, uno eodemque vocabulo *Cepha* denotantur, *Tu es Cepha*, & *ſuper hoc Cepha* ædificabo Eccleſiam. In Græcâ autem linguâ aiunt πέτρος Atticè idem ſignificare quod πέτρα communiter; vocem autem πέτρος in priore membro potius elegiſſe interpretem, quia cùm ſit maſculini generis, aptiùs de viro prædicatur: ſed cum idem ſignificet utraque vox Græcè, & eadem ſit vox Syriacè, eòdem referri volunt in poſteriori membro ſententiæ, quò in priori ſpectabat, præſertim cum in po-

Quid vox Syriaca Cepha ſignificat.

ſteriori

ſteriori membro particula relativa [*hanc*] referri debeat ad petram, cujus priùs mentio facta eſt: Petri autem facta eſt mentio ſtatim in priori membro ſententiæ, cùm idem ſint πέτρος & πέτρα Græcè, & utrobiq; Syriacè, ac etiam Hebraïcè (in quâ linguâ Matthæus ſcripſit Evangelium) occurrat eadem vox Cepha aut Cipha.

Sed ad hæc facilè reſpondent qui alteram ſententiam tuentur, Simonem dictum eſſe Cepha Syriacè, à Cepha, quod ſignificat ſaxum, non variatâ terminatione prout linguæ proprietas poſtulat, ſed ſub diverſis generibus, quæ in hoc eodem textu (mutatâ etiam perſonâ) clarè diſtinguuntur: cum Cepha, pro cognomine Simonis, ſit maſculini generis; in ſenſu autem appellativo pro petrâ, ſit fæminini generis; & cum vir aliquis Latinè dicitur Aquila, Merula, aut Muræna: Græcos autem ex conſuetudine Græcæ linguæ, denominationem expreſſiſſe, mutatâ etiam terminatione, ut à petrâ dicatur *Petrus*, ſicut à cicere Cicero, vel ſicut à Chriſto Chriſtianus, quemadmodum notat Auguſtinus.

Quod autem dicunt πέτρος idem ſignificare Attice quod πέτρα communiter, id partim falſum eſſe, partim adverſariorum ſententiam refellere. Falſum eſſe 1. quia illud diſcrimen ex probatis auctoribus oſtendi non poteſt, cum utrumque vocabulum πέτρος & πέτρα in communi uſu reperiatur, & neutrum Atticè aſpernentur. Deinde cum Cepha Syriacè, ſaxum Latinè ſignificet, & rupem immobilem & lapidem qui moveri, projici, aut volvi non poſſit, πέτρος nunquam in priori ſenſu, ſed ſemper in poſteriori; πέτρα autem, ut plurimum in priore ſenſu uſurpatur (quod oſtendunt Rainoldus adverſus Hartum, & Caſaubonus in Baronium Exercitatione 15. art. 12.) adeoque hîc pulchra cernitur analogia inter Chriſtum, petram ſeu rupem immobilem & Petrum lapidem de rupe exciſum, & in eâ fundatum.

Quid Græco πέτρος & πέτρα.

Ex diverſâ parte, ſi ponamus quòd πέτρος appellativum, & πέτρα ſemper idem ſignificent, hoc eorum ſententiæ maximè adverſari videtur, quia Græcus textus eandem vocem non retinet, cùm tamen facilè dixiſſe potuerit, Σὺ εἶ πέτρος, ϗ ἐπὶ τούτῳ τῷ πέτρῳ, nunc cum vocem variaverit, quæ in linguâ Syriacâ, quâ Chriſtus uſus eſt, una reperitur, non leve eſt indicium, eum diſcrimine terminationis voluiſſe Homonymiam Syriaci vocabuli explicare, & Petrum, qui eſt pars ædificii, à petrâ fundamento ædificii diſcernere. Neque verò hîc licet Græci contextûs auctoritatem in dubium vocare; nam licet Matthæum Hebraïcè Evangelium primùm ſcripſiſſe conceda-

mus,

Digitized by Google

mus, tamen, ſive ipſe Græcè vertit, ſive Jacobus Apoſtolus (ut Athanaſius in Synopſi ſcribit) ſive alius Apoſtolus aut vir Apoſtolicus, non minor eſt auctoritas Græcæ tranſlationis, quàm ipſius prototypi, ſi extaret; quod etiam fatetur Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 7. Huc accedit quod in vulgatâ Latinâ editione, quam Pontificii volunt eſſe authenticam Petrus & petra in hoc verſiculo apertè diſtinguantur, cùm tamen apud Latinos Petrus & petra nunquam idem ſignificent.

Quid Pronomē hanc *denotet.* Quod autem dicunt pronomen [*hanc*] demonſtrare petram, cujus paulò antè facta eſt mentio; proximè autem Simonem Petrum dictum eſſe Cepha, id eſt, Petram, certè ſi pronomen [*hanc*] ſolum poſitum fuiſſet, neceſſe eſſet ut aliquod antecedens repeteret fœminini generis: ſed cùm hîc addatur ſubſtantivum [*hanc Petram*] nihil neceſſe eſt ut nomen *Petræ* priùs occurreret, ſed ſatis eſt rem ipſam *Petræ* nomine denotatam priùs occurriſſe in illâ Petri confeſſione. Quin etiam cum Chriſtus dixit, *hanc Petram*, ea verba referri poſſunt ad nomen *Petræ*, non expreſsè quidem ſuprà poſitum, ſed in Petri voce latens: quaſi dixiſſet, *Tu es Petrus à Petrá dictus, & ſuper hanc*
Caſaubonus. *Petram, &c.* ut Caſaubonus egregiè dicto loco demonſtrat variis exemplis, inter quæ citat illud Joa. 8. 44. ubi de Diabolo dicitur,
Jo. 8. 44. ὅτι ψεύστης ἐστὶ καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ, quod ſit mendax & Pater ejus. Cujus verò pater? nempe τοῦ ψεύδους mendacii, quod repetitur ex voce ψεύστης mendax in quâ latebat. At hic multò faciliùs repetitio intelligitur; quia vox ipſa quæ includebatur in nomine πέτρος diſertè expreſſa eſt:
Luc. 2. 1. 2. cujuſmodi phraſis occurrit Luc. 2. 1. 2. in verbis ἀπογράφεσθαι, & ἀπογραφή. Quanquam (ut dictum eſt) ſatis conſtat ſententia, licet vox πέτρα neque tacitè neque expreſsè anteceſſiſſet: ſufficit enim rem *Petræ* nomine denotatam priùs occurriſſe in illâ Petri confeſſione:
Mat. 26. 29. prout ſimilis phraſis habetur Mat. 26. 29. *Non bibam ex hoc fructu vitis*, ubi vox *fructus vitis*, nullo modo anteceſſerat, ſed tantùm res ſignificata.

Præterea, ex nonnullorum ſententiâ, Pronomen [*hanc*] demonſtrativè hîc potiùs accipi quàm relativè, ita ut Chriſtus ad ſeipſum,
Jo. 2. 19. quaſi digitum intenderit, cùm hanc *Petram* nominavit, ſicut Jo. 2. 19. cum dixit, *Solvite templum hoc*, corpus ſuum indicavit: Sed nihil vetat, utramque rationem hîc concurrere, ut & demonſtrativè & relativè accipiatur.

Reliqua argumenta quæ adverſus primam & ſecundam ſententiam

tiam afferuntur, leviora ſunt, & facilè cùm ſolvi poſſint, iis enarrandis ſuperſedeo. Sed Pontificii, duabus illis ſententiis rejectis, tertiam, tanquam uſibus ſuis commodiorem, mordicùs tenent: quam Bellarm. lib. 1. de Pontif. Rom. cap. 10. ait eſſe communem Catholicorum ſententiam, reliquas autem ſententias eſſe Calvini & Lutheri, & omnes Patres docere ſuper Petrum fundatam eſſe Eccleſiam, & hæreticos Petrum per petram intelligi nolle: quaſi tot Patres doctiſſimi quos citavimus, ex Catholicorum albo expungendi, hæreticis accenſendi, ac à Luthero ſcilicet & Calvino edocti eſſent: ex quibus nonnullos etiam pro tertiâ ſententiâ citat, plures autem & doctiores citari non poterant. Nos non negamus Patres aliquot, & recentiores quoque Orthodoxos hanc ſententiam probâſſe: quanquam Pontificii hîc ſuppoſititia & aliena teſtimonia veris ac propriis admiſcent, & pleriſque omnibus in alienum ſenſum detortis, contra mentem auctorum, ad Papæ tyrannidem ſtabiliendam abutuntur.

Qui Petram de Petri perſonâ exponunt, nihil inde tribuunt Romano Pontifici.

Qui petram hanc de ipſo Petro interpretantur, eas plerique omnes afferunt rationes, cur ille petra appelletur, quæ Pontifici Romano nullo modo, aut non magis illi quàm aliis conveniunt. Atqui in hoc ferè omnes conſentiunt, Petrum dici Petram ratione fidei, cujus nuper inſignem confeſſionem edidit, ſicut disertè docet Epiphanius ad hæreſin 59. contra Catharos. Petrus (inquit) factus eſt ,, nobis firma petra, fundans fidem Domini, ſuper quam ædificata ,, eſt Eccleſia per omnes modos, primum quidem, quia confeſſus eſt ,, Filium Dei viventis, &c. Sic Hilarius lib. 6. de Trinit. poſtquam dixit Simonem Petrum ædificationi Eccleſiæ ſubjacêre, mox in eodem libro prolixè docet fidem ac confeſſionem Petri eſſe petram & fundamentum Eccleſiæ. Similiter Theophylactus in hunc locum. Proinde hæc ſententia videtur aliquo modo revocari poſſe ad ſecundam, contrà quàm putavit Bellar. ut non fides, quatenus eſt reſtricta ad Petrum, ſed Petrus homo ſingularis dicatur petra ob communem fidei rationem, cujus objectum eſt Chriſtus.

Epiphanius. *Hilarius.* *Theophylactus.*

At (inquiet aliquis) ſic quilibet fidelis dici poſſet petra non minùs quàm Petrus. Certè Origenes id concedere videtur tract. 2. in ,, Matthæum. Petra eſt (inquit) quiſquis Chriſti diſcipulus eſt, ex ,, quo bibêrunt de ſpirituali petrâ & ſuper talem petram conſtruitur ,, omnis Eccleſiaſtica doctrina. In unoquoque enim perfecto habente ,, congregationem eorum, qui compleat beatitudinem, ver-

Quemlibet fidelem vocat Origenes Petram.

Digitized by Google

,, borum, factorum, & ſenſuum, eſt quæ à Deo ædificatur Eccleſia.
,, Quod ſi ſuper unum illum Petrum tantùm exiſtimamus ædificari
,, totam Eccleſiam, quid dicturus eſt de Ioanne filio tonitrui, &
,, Apoſtolorum unoquoque,&c. ubi & *Petra* & *Petri* nomen ſingulis fidelibus, maximè autem Apoſtolis convenire oſtendit, nomine ſumpto à ſpirituali *Petrâ*, id eſt Chriſto, prout *Petri* nomen (quod lapidem ſignificat) ipſe *Petrus* omnibus fidelibus accommodat epiſt. 1. cap. 2. ver. 5.

Primatus ordinis in Petro, nullam importat in cæteros Apoſtolos jurisdictionem.

Cæterùm non eſt dubium in hac communi ratione aliquid eſſe peculiare *Petro*, quem Dominus hîc ſingulariter compellat, eique quaſi vicem rependens ob tam ſingularem confeſſionem, ſicut ille dixit, *Tu es Chriſtus, &c.* ita hic, *Tu es Petrus, &c.* nimirum etſi appellatio *Petræ* & πέτρου, id eſt, lapidis, ſingulis Apoſtolis, aut etiam fidelibus, accommodari poſſit, tamen *Petro* ut inter Apoſtolos & fideles eximio, peculiariter tribuitur; adeò ut, quemadmodum Abrahamus in Vet. Teſtamento ob eximiam fidem, præſertim cum in eo, tanquam radice Deus inſtauraverit Eccleſiam, dicitur *Pater credentium*, Rom. 4. 11. 16. 17. Ita in Novo Teſt. *Petrus*, qui inter Apoſtolos primus luculentiſſimam fidei confeſſionem edidit, inter omnes lapides qui ad vivum lapidem accedunt, peculiariter πέτρος, id eſt, Lapis appelletur, & ratione fidei ipſius πέτρα & fundamentum Eccleſiæ dicatur, quippe cujus membrum nullus eſſe poteſt, niſi per communionem fidei, quam Petrus nuper ante alios luculentiſſimè confeſſus eſt. Nam etiam in peculiari appellatione ſumptâ ab honorifico attributo licet communi, non levis honos cenſetur: ſicut patet ex iis titulis, quos regibus tribuerunt Pontifices Romani, ut cum Rex Angliæ dicitur, *Defenſor fidei*, Rex Hiſpaniæ, *Catholicus*, Rex Galliæ, *Chriſtianiſſimus*, non ſignificatur alios Reges, minùs Chriſtianos, Catholicos, aut defenſores fidei eſſe; aut eſſe debere. Sic Ambroſius de Sp. Sancto lib. 2. cap. ult. Paulo peculiariter accommodat titulum Architecti ex 1. Cor. 3. 10. & *Petro* titulum fundamenti Eccleſiæ, cùm tamen neutram appellationem ab
,, altero alienam agnoſceret. Nec Paulus (inquit) inferior Petro,
,, quamvis ille Eccleſiæ fundamentum, & hic ſapiens Architectus.

Rom. 4. 11. 16. 17.

Ambroſius.

Primus Petrus jecit Eccleſiæ tam inter Iudæos quàm gentes fundamenta.

Huc accedit alia ratio, eaque præcipua, cur Petrum nomine Petræ intelligat, à ratione fundamenti ſumpta, quia ſcilicet Petrus primus poſt Chriſtum jecit fundamenta Eccleſiæ Novi Teſtamenti, quæ dicitur Eccleſia Chriſtiana & Apoſtolica. Etenim cum fundamentum

Digitized by Google

mentum ſit origo domûs, metaphoricè transfertur ad cauſam & originem alterius rei indicandam: adeoque ipſi fundatores metonymicè fundamenta appellantur: ut ſi quis Romulum appellet *fundamentum imperii Romani*. Quod multò magis in hac allegoriâ conſentaneum; in quâ illi qui alios fundant, ipſi etiam lapides dicuntur, in primo fundamento collocati. Ita Gregorius Magnus expoſitione morali in Job. lib. 28. cap. 9. ait, paſtores dici fundamenta Eccleſiæ, & maximè primos paſtores, id eſt Apoſtolos. In Scripturâ Sacrâ ,, (inquit) quid aliud fundamenta quàm prædicatores accipimus? ,, quos dum primos Dominus in S. Eccleſiâ poſuit, tota in eis ſe- ,, quentis fabricæ ſtructura ſurrexit. Et paulò pòſt. Sancti itaque ,, Apoſtoli pro primâ ſoliditate ædificii in ſolo, ſunt fundamenta. Sic allegoricè interpretatur illud ex Pſal. 87. 1. *Fundamenta ejus in Montibus ſanctis*, id eſt, in Apoſtolis. Ita aliqui accipi volunt illud Apoſtoli, Eph. 2. 20. *Ædificati eſtis ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum*, & quod dicitur Apoc. 21. 24. de duodecim muri fundamentis, in quibus inſcripta erant duodecim nomina Apoſtolorum (quanquam alii aliò ſpectare allegatos Scripturæ locos putant.) Utcunque eſt, cum omnes Apoſtoli hoc ſenſu Eccleſiæ fundamenta appellentur, etiam hîc aliquid peculiare eſt Petro, propter quod eum in hoc textu peculiariter petram ſeu fundamentum appellari volunt: nimirum, quia Petrus omnium Apoſtolorum primus Jeſu Chriſti Deitatem diſtinctè, eumque æqualem Patri ὁμοούσιον filium cognovit, ſicut hic promptiſſimè profitetur. Etſi in hoc tempore myſterium illud non videtur prorſus ignotum reliquis, prout Petrus hanc eſſe communem Apoſtolorum fidem profitetur, Jo. 6. 69. Nihil tamen vetat, illud prius Petro divinitùs revelatum fuiſſe quàm aliis (ut hîc inſinuari videtur) adeo ut Petrus ex Chriſti diſcipulis primus vivus Lapis in Chriſto petrâ fundatus fuerit: qui & ipſe primus poſt Chriſtum Eccleſiæ Apoſtolicæ fundamenta jecit, tum inter Judæos, quibus primus poſt ſolennem Sp. Sancti miſſionem die Pentecoſtes Evangelium publicè prædicavit, Act. 2. tum inter Gentiles, cum in ecſtaſi de vocatione gentium edoctus, Cornelium & ejus familiares inſtituit, & Baptizavit Act. 10. Quâ de re ipſi Act. 15. in Synodo iſtâ primâ Hieroſolymis celebratâ verba faciens, *Viri fratres* (inquit) *vos ſcitis Deum jampridem inter vos elegiſſe me, ut per os meum audirent gentes, ſermonem Evangelii & crederent.*

Gregorius. *Eph. 2. 20.* *Apoc. 21. 24.* *Jo. 6. 69.* *Act. 2. & 10. & 15.*

Lucas Brugenſis inter ſcriptores Pontificios non ignobilis in com- *Lucas Brugenſis.*

commentariis ſuis in hunc locum has ipſas rationes attingit, cur Petrus hîc Petra appelletur, atque ita textum de Petro interpretatur, ut Romæ Pontifici neutiquam accommodari poſſit.

Hinc patet neque tertiam ſententiam quidquam juvare cauſam Pontificiam, quod petræ nomine *Petrus* intelligatur, ſive ob rationem reliquis Apoſtolis communem ei peculiariter accommodatam, ſicut ei Claves hîc tribuit Chriſtus reliquis Apoſtolis etiam communes: ſive ob rationem propriam, quâ ille reliquis præibat. Nam quis non videt, nihil eſſe Papæ Rom. cum eo commune, niſi quilibet Papa ſit Petrus redivivus, novæ ſcilicet Eccleſiæ origo & fundator?

Diſtinctio Bellarmini Vana.

Bellarm. in lib. 1. de Pontif. cap. 11. ait tribus modis Apoſtolos omnes fuiſſe Eccleſiæ fundamenta. 1. Quia ipſi primi Eccleſias ubique fundârunt: neque enim Petrus omnes gentes convertit. 2. Ob doctrinam eis à Deo immediatè revelatam, quoniam fides Eccleſiæ nititur revelatione quam habuerunt à Deo Apoſtoli & Prophetæ: neque enim ſemper revelantur Eccleſiæ novi articuli, ſed in eâ doctrinâ acquieſcit Eccleſia, quam Prophetæ & Apoſtoli à Deo revelatam tradiderunt. Atque his duobus modis ait omnes ex equo Apoſtolos eſſe fundamenta. Addit, tertio modo Apoſtolos dici fundamenta, ratione gubernationis: quia omnes fuerunt Capita, Rectores, & paſtores Eccleſiæ univerſæ. Sed in hoc tertio modo ait duplex eſſe diſcrimen Petri & reliquorum Apoſtolorum. 1. Quia illi habuerunt ſummam & ampliſſimam poteſtatem ut Apoſtoli & legati, Petrus autem ut paſtor ordinarius; adeo ut hic habuerit ſucceſſores, non autem illi. Deinde, quia illi ita habuerunt plenitudinem poteſtatis, ut tamen Petrus eſſet caput eorum, & ab illo pendêrent, non è contrario.

Omnes Apoſtoli habebant pleniſſimam poteſtatem tamquam Petrus.

Accipimus quod dat Bellarminus, Apoſtolos ex æquo fuiſſe fundamenta duobus primis modis, in quibus à naturâ fundamenti ſumptam Analogiam videmus cur fundamenta appellentur metaphoricè aut metonymicè. At tertius modus nullam habet ſimilitudinem aut affinitatem cum fundamento: neque enim caput, rectorem, & paſtorem, quà eſt talis, quiſquam appoſitè appellârit fundamentum corporis, populi, aut gregis. Ideoque in hoc tertio modo nulla apparet ratio denominationis fundamenti: & quidem, ſi ulla appareret, eatenus pares ſunt etiam omnes Apoſtoli: quia Bellarminus hîc ait eos habuiſſe plenitudinem ampliſſimæ poteſtatis in univer-

ſam

Digitized by Google

ſam Eccleſiam: majorem enim poteſtatem Petrus habere non potuit. Adde quòd eandem poteſtatem ampliſſimam, & univerſam juriſdictionem in totam Eccleſiam æquè immediatè acceperunt à Chriſto, ac Petrus: ut luculentè probat Bellarminus contra alios Pontificios, lib. 4. de Pontif. cap. 23. idque variis rationibus, quarum prima ſumitur ex verbis Chriſti ad Apoſtolos Jo. 20. 21. *Sicut „ miſit, me Pater, ita & ego mitto vos.* Quem locum (inquit Bellar.) „ ſic exponunt Patres Chryſoſtomus, & Theophylactus, ut apertè „ dicant factos eſſe his verbis Apoſtolos Chriſti vicarios, imò ip-„ ſum Chriſti officium & auctoritatem accepiſſe. Addit Cyrillus in „ hunc locum, his verbis Apoſtolos propriè creatos eſſe Apoſto-„ los, & orbis totius Doctores, & ut intelligeremus, in Apoſtolicâ „ auctoritate contineri omnem poteſtatem Eccleſiaſticam, ideo ad-„ jeciſſe Chriſtum; *Sicut me miſit Pater, ita & ego mitto vos.* Si qui-„ dem Pater Filium miſit ſummâ poteſtate præditum. Cyprianus „ lib. de Unitate Eccleſiæ: Loquitur (inquit) Dominus ad Pe-„ trum, *Tibi dabo claves regni Cœlorum:* & eidem poſt reſurrectio-„ nem ſuam dicit, *Paſce oves meas;* Et quamvis Apoſtolis omnibus „ poſt reſurrectionem ſuam, parem poteſtatem tribuit, dicendo, *Si-„ cut me miſit Pater, & ego mitto vos:* tamen ut unitatem manifeſta-„ ret, unam Cathedram conſtituit, &c. Ubi vides (inquit Bellar.) „ idem dari Apoſtolis per illa verba [*ego mitto vos*] quod Petro fue-„ rat promiſſum per illud [*tibi dabo claves*] & poſteà exhibitum per „ illud [*Paſce oves meas.*] Conſtat autem, per illa verba [*Tibi dabo „ claves*] & per illa [*Paſce oves*] intelligi juriſdictionem pleniſſimam, etiam exteriorem. Hactenus Bellarminus. Ex verbis hiſce planè evertitur poſterius illud diſcrimen, quod aſſignavit Bellarminus inter Petrum & reliquos Apoſtolos, quòd Petrus eſſet illorum caput (intelligit eminentem gradum poteſtatis) & ab illo pendêrent. Quomodo enim in munere ſuo pendebant à Petro, cum omnem poteſtatem Eccleſiaſticam, & ſummam auctoritatem pariter cum Petro immediatè habuerint à Chriſto, nullam autem ejus partem à Petro. In imperio Romano, cùm Imperator ultro aſciſceret ſibi collegam, non pendebat alter ab altero: multò minus Apoſtoli alii à Petro, à quo nullam partem muneris aut poteſtatis, quam cum eo habuerunt æqualem, acceperunt.

A Petro cæteri Apoſtoli non pendebant.

Cæterum, cum in omni collegio ordo ſpectetur, qui ad aliquod primum, unitatis ſanciendæ gratiâ refertur, concedimus quidem libenter

Puerit Collegii Apoſtolici proloquutor.

benter Petro in collegio Apoſtolorum primatum ordinis, non autem poteſtatis. Ille quidem forte ætate aut nonnullis animi dotibus præſidebat reliquis Apoſtolis: ob quas aut alias rationes ejuſmodi, in æquali communione muneris & poteſtatis, primus ordine cenſebatur. Ita fit ut præſentibus reliquis, aut primus, aut communi nomine ſolus loquatur, aut ſolus etiam compelletur, ut hoc loco. Et in hoc ſenſu nonnunquam à piis Patribus appellatur προήγορος q. d. Prælocutor & os Apoſtolorum: item Coryphæus, Exarchus, ἀρχηγὸς, πρόκριτος, caput, & princeps, id eſt, primus Apoſtolorum: qui tamen Patres, nihil unquam de Monarchico Petri imperio cogitârunt; ut præclarè docet inter alios Caſaubonus ad Baronii annales exerc. 15. §. 12. Verbi causâ, in Hieronymi Dialogorum adverſus Pelagium lib. 1. dicitur Petrum fuiſſe principem Apoſtolorum, ut Plato fuit princeps Philoſophorum. Sic Hieronymus in Jovinianum ,, lib. 1. At dicis (inquit) ſuper Petrum fundatur Eccleſia, licet id ,, ipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & ex æquo ſuper ,, eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur; tamen propterea inter duodecim ,, unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio. Hæc verba citat Bellarminus, ut probet Petrum fuiſſe caput Apoſtolorum, (Caput intelligit, ut dixi, ratione eminentis poteſtatis) à quo alii pendêrent. At contrà luce meridianâ clarius eſt, Hieronymum æqualem poteſtatem omnibus Apoſtolis tribuere, & Petrum appellare Caput ob primatum ordinis, non poteſtatis: quem ei delatum eſſe dicit ibidem potius quam Joanni, quia ætate ſenior erat, licet alioqui Joannem præferat Petro.

Caſaubonus pag. 267. Hieronymus.

Alterum autem diſcrimen, quod Bellar. ponit inter Petrum & reliquos Apoſtolos, quòd illi habuerint ſummam & ampliſſimam poteſtatem ut Apoſtoli & Legati, Petrus autem ut paſtor ordinarius, vaniſſimum eſt commentum, atque ita novum, ut nullâ probari potuerit auctoritate: ac impudentiſſima eſt petitio quæſiti: nam id gratis ſumit, quod præcipuè probandum erat, ut inde colligat, Petrum habuiſſe ſucceſſores, reliquos verò non item. At ex falsâ hypotheſi non mirum eſt falſa deduci. Nunquid autem Petrus fuit etiam Apoſtolus aut legatus Chriſti? Jam dictum eſt, aſſentiente Bellarmino, in Apoſtolicâ auctoritate contineri omnem poteſtatem Eccleſiaſticam: ac proinde in Eccleſiâ ſub Chriſto, nulla major dari poteſt poteſtas Apoſtolicâ. Porro in hoc derogat Petro, cùm poteſtatem ejus appellat ordinariam, reliquorum verò Apo-

ſtolorum

ſtolorum extraordinariam: quippe extraordinaria poteſtas à Deo data majorem certitudinem directionis divinæ ſolet ſemper habere, quàm ordinaria, ut patet: ſi conferas Moſen cum Aarone, Prophetas cum Sacerdotibus, & omnes omninò in eodem munere miniſtros extraordinarios cum ordinariis.

CAP. XXI.

Reſpondetur ad argumentum ex Matth. 16. 19.

Secundum argumentum quo utuntur ad Papæ infallibilitatem probandam ex Novo Teſt. ſumunt ex verſu proximo, ſcilicet Matth. 16. 19. *Tibi dabo claves regni Cælorum, & quicquid ligaveris in terrá, erit ligatum in Cælis, &c.* Ad ſententiam & vim argumenti ex hoc loco petiti ſpectandam duo explicanda ſunt. 1. Num ſoli Petro, & ejus (quos appellant) ſucceſſoribus, claves promiſſæ & datæ ſint, aut aliqua peculiaris poteſtas nomine clavium deſignata. 2. Quid nomine clavium ac poteſtatis ligandi & ſolvendi intelligatur.

Quòd ad prius attinet, conſtat hîc Petrum ſolum nominari & compellari: nec dubitamus Chriſtum ipſi Petro in ſuâ perſonâ & pollicitum eſſe, & dediſſe claves regni cælorum, ſed non ita tamen ut ab iſto dono excluderet alios, variè probari poteſt.

Eadem claves datæ ſunt cæteris Apoſtolis quæ Petro.

1. Quia cùm idem ſint claves regni cælorum, & poteſtas ligandi ac ſolvendi; ſicut Chriſtus ipſe explicat prius membrum hujus verſûs in poſteriori membro; quod agnoſcit Bellar. lib. 1. de Pontif. cap. 12. Manifeſtum eſt, Matth. 18. 18. idem prorſus reliquis Apoſtolis attribui, quod hîc attribuitur Petro: eadem enim verba utrobique occurrunt, quæ non tantum ad Apoſtolos reſtringuntur, ſed ad alios Eccleſiæ miniſtros in omnibus ſæculis ſpectant: cum in verſu præcedente tradatur perpetua regula in Eccleſiâ obſervanda, ut qui non paret Eccleſiæ, habeatur pro Ethnico & Publicano; ad quam confirmandam immediatè hæc promiſſio ſubjungitur, *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis, &c.*

Cajetanus abſurdus.

Bellarminus, refutatâ reſponſione Cajetani, qui inſolenti commento dixit, claves latiùs patere quàm poteſtatem ligandi & ſolvendi, duo reſpondet. 1. In iſto loco Mat. 18. non datam ſed promiſſam eſſe Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus (ſucceſſores autem appel-

appellat Prælatos Eccleſiæ) poteſtatem ligandi & ſolvendi. Sed hoc nihil eſt ad rem: certum enim eſt, Chriſtum, quicquid promiſerat, præſtitiſſe. 2. Ait, ſummam poteſtatem collatam Apoſtolis omnibus ut legatis, non ut paſtoribus ordinariis, & cum quâdam ſubjectione ad Petrum, quia ſoli Petro dicitur, Jo. 21. *Paſce oves meas*; quemadmodum ſoli illi dictum erat, *tibi dabo claves*: Petro autem claves regni in altero loco promiſſas, in altero datas, ut principali & ordinario præfecto. Atqui, ut nunc omittã, quod ſupra attigi, vaniſſimum illud commentum, quo Bellar. ad incitas redactus, diſtinguit inter Petrum & reliquos Apoſtolos, tanquam inter ordinarios & extraordinarios paſtores, certè nullo modò cohærent, neque conveniunt inter ſe, quæ hic reſpondet Bellar. Fatetur enim, quod promittitur Petro & ejus Succeſſoribus, Mat. 16. 19. idem reliquis Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus promitti Mat. 18. 18. cum eadem utrobique ſint verba & ſententia illi & his accommodata. Quomodo ergo priora verba denotabunt ordinariam poteſtatem, poſteriora autem ſummam extraordinariam poteſtatem, cum quâdam ſubjectione ad Petrum? Et quomodo intelligi poteſt ſumma poteſtas cum ſubjectione ad alium? Et cur non explicat quænam aut qualis ſit illa ſubjectio, quam ut individuum vagum, appellat ſubjectionem quandam? Certè in lib. 4. de Pontif. cap. 23. apertè dicit, idem dari Apoſtolis per illa verba, Jo. 20. *Sicut Pater miſit me, & ego mitto vos*, quod Petro fuerat promiſſum per illud, *Tibi dabo claves.* Proinde in illis verbis nulla ſignificatur ſubjectio ad Petrum, ſicut nec in his.

Vana Bellarmini diſtinctio de Petri poteſtate ordinariâ & cæterorum extraordinariâ.

Atque hinc aliud ſe offert argumentum: Si non ſoli Petro Chriſtus dedit claves, nec ſe ſoli Petro daturum promiſit: At non ſoli dedit: Ergo &c. Dedit enim claves poſt reſurrectionem, Jo. 20. 23. cum dixit, *Si quorum remiſeritis peccata, remittuntur iis; ſi quorum retinueritis, retenta ſunt.* (vel erunt) Negat Bellarminus in his verbis contineri omnem poteſtatem clavium, ſed tantùm poteſtatem ordinis ad remittenda peccata. Veruntamen ipſe fatetur, in verbis paulò antè præcedentibus, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, datam illis etiam eſſe poteſtatem juriſdictionis; adeoque in eodem loco, nempe Jo. 20. 21. & 23. datam eſſe omnem poteſtatem clavium, quod ſatis eſt ad noſtrum argumentum.

Jo. 20. 23.

At quærat aliquis, cur Petrum ſolum compellans, & ob confeſſionem quaſi præmio afficiens, ait, *Tibi dabo claves*, ſi quod promittit, aliis

Digitized by Google

aliis ſit commune. Reſponſio ex ante dictis patet, quia ſicut Petrus tanquam os Apoſtolorum (ut loquitur Chryſoſtomus) unus pro omnibus reſpondit; ita eum unum pro omnibus, præſertim cum in collegio Apoſtolorum primus ordine eſſet, Chriſtus compellat, ut unitatem manifeſtaret, quemadmodum docet Cyprianus in verbis ſuprà citatis; adeoque quia Petrus cum Apoſtolorum perſonam, tum totius, Eccleſiæ figuram gerebat, ut docet Auguſtinus.

Non negamus, Petro ipſi datas & promiſſas eſſe Claves, ſed ita dicimus eum accepiſſe Claves, ut unus ex communitate aut ſocietate aliquâ accipit donum, quod ipſi cum reliquis eſt commune. Sic Mat. ult. cum Chriſtus dicebat Apoſtolis, *Ecce ego ſum vobiſcum*, illi accipiebant hanc promiſſionem tanquam ad ſe pertinentem, & ſimul etiam nomine Eccleſiæ, quod patet ex ſequentibus verbis, *uſque ad conſummationem ſæculi.*

In Eccleſiâ riſtat poteſtas clavium, vacante ſede Pontificiâ.

Neque propterea tam honorificum & eximium præmium vilius cenſendum eſt, quòd aliis communicetur. Porrò ſi illa quoque Petri confeſſio aliis communis fuit, quid vetat quò minus præmium etiam fuerit commune?

Et certè niſi dicamus, cùm Petro datæ ſunt claves, pariter Eccleſiæ, vel Eccleſiæ miniſtris in communi datas eſſe Claves, nulla ratio dari poteſt idonea, quomodò à Petro poſt ejus mortem, aut etiam, ſi libet, à Papâ aliquo ad ejus ſucceſſores tranſeant Claves, ſi non tempore interjecto inter decedentem, & ſuccedentem maneant in Eccleſia claves. Idem nobiſcum docent Patres, Cyprianus in verbis antè citatis, Hieronymus in Jovinianum lib. 1. in verbis ſupra citatis, Origenes in Mat. 16. tract. 1. An verò ſoli Petro „ dantur à Chriſto claves Regni Cælorum, nec alius beatorum quiſ- „ quam eas accepturus eſt? Quod ſi dictum hoc, *Tibi dabo claves* „ *regni Cælorum*, cæteris commune eſt, cur non ſimul omnia, & quæ „ prius dicta ſunt, & quæ ſequuntur, ad Petrum dicta ſunt cunctis „ communia?

Patres omnibus Apoſtolis claves communicant. Cyprianus, Hieronymus, Origenes.

Hilarius.

„ Hilarius lib. 6. de Trinit. Vos, ô ſancti & beati viri, ob fidei „ veſtræ meritum claves Regni cælorum ſortiti, &c. Hîc planè dicit, fidem, cujus confeſſionem hîc edidit Petrus, communem fuiſſe reliquis Apoſtolis, ac propterea etiam Claves promiſſas fuiſſe iis communes. Neminem hic offendat *vox meriti*, quam longè alio ſenſu uſurpârunt Patres, quàm hodie Pontificii.

Ambroſius.

Ambroſius in Pſal. 38. circa finem, de his verbis, [*tibi dabo claves*]

 verba

„ verba faciens. Quod Petro (inquit) dicitur, Apoſtolis dicitur.

Leo. Leo in Serm. 3. de anniverſario aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum, explicans hæc ipſa verba, Tranſivit (inquit) in alios Apoſtolos vis poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ principes decreti hujus conſtitutio commeavit.

Hieronymus. Hieronymus in hunc locum hanc poteſtatem communem facit Epiſcopis & Presbyteris.

Auguſtinus. „ Auguſtinus tract. 50. in 10. Si in Petro non eſſet Eccleſiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus, *Tibi dabo claves, &c.* Si hoc Petro tantùm dictum eſt, non facit hoc Eccleſia; ſi autem hoc in Eccleſiâ fit, Petrus, quando claves accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificavit.

Idem tract. ult. in Joa. ait Petrum ſignificâſſe univerſam Eccleſiam, cum ei dictum erat, [*Tibi dabo claves.*] Similia habet in Pſ. 108. & lib. 1. doctr. Chriſt. cap. 18. & lib. de agone Chriſti cap. 20.

Theophylactus, Beda. Theophylactus & Beda in hunc locum, docent, etſi ſoli Petro dictum eſt, [*dabo tibi claves*] tamen omnibus Apoſtolis datas eſſe.

Lyranus. „ Lyranus in hæc verba, Sicut (inquit) confeſſio Petri, fuit confeſſio aliorum; ita poteſtas hæc data Petro, intelligitur dari aliis.

Ferus. Ferus in hæc verba affirmat claves Eccleſiæ, ut Dominæ & ſponſæ, Petro ut miniſtro datas eſſe, ſeque velle ſequi Auguſtinum.

Plurâ aliâ teſtimonia ex Veteribus & recentioribus cumulari poſſunt: ſed nolo in re manifeſtâ immorari, nec in miſeris adverſariorum effugiis refellendis, tempus terere: quæ partim ex dictis, partim ex dicendis, tanquam nebulæ, orto Sole, evaneſcent.

His itaque omiſſis, tranſeamus ad alterum caput, quid per Claves intelligatur, unde & iſtud quoque clarius evadet, quibus datæ ſint claves.

Quid ſint Claves. Clavis notum eſt inſtrumentum, quo aperitur aut clauditur oſtium, aut aditus quilibet, v.c. urbis, domûs, arcæ. Hinc tranſlatione factâ claves regni Cælorum dicuntur, quibus aperitur aut clauditur aditus Regni cæleſtis. Clavium poteſtas duplex eſt. 1. Abſoluta, quæ ſpectat ad Dominum. 2. Subordinata, quæ ſpectat ad miniſtrum Domini. Qui enim Dominus eſt urbis, domûs, arcæ, dominus etiam eſt clavium, quibus iſta aperiuntur aut clauduntur. Cui autem dominus earum rerum, aut rerum in iis contentarum, curam aut adminiſtrationem credit, eidem etiam claves committit, ut urbis cuſtodi, janitori, œconomo. Itaque pro geminâ iſtâ relatione,

Clavium poteſtas abſoluta & ſubordinata: prior in domino, poſterior in ſervo.

tradi-

traditio clavium geminæ iſtius poteſtatis ſymbolum eſt. Priore ratione principibus claves portarum urbis tradunt, qui ſe illis dedunt, aut eorum imperio ſubjiciunt: poſteriore modo œconomis & diſpenſatoribus claves traduntur ob curam & diſpenſationem quæ eis credita eſt. Priore modo Chriſtus, Eccleſiæ ac regni cælorum abſolutus dominus claves habet, Apoc. 3. 7. & 1. 18. poſteriore modo Eccleſiæ ſeu miniſtris Eccleſiæ datæ ſunt claves regni cælorum, prout hoc loco ſignificatur. Sic miniſtri appellantur œconomi ſeu diſpenſatores, Luc. 12. 42. 1. Cor. 4. 1. Tit. 1. 7.

Apoc. 3. 7. & 1. 18.

Luc. 12. 42. 1. Cor. 4. 1. Tit. 1. 7.

Fieri quidem poteſt ut hominum miniſtri hos excludant, alios admittant, multaque alia in diſpenſatione ſuâ agant invitis ac inſciis Dominis ſuis. Sed Chriſti miniſtri non poſſunt admittere in regnum cælorum, aut inde excludere ullum niſi ex conſilio, voluntate, & mandato domini ſui; ut præclarè in hunc locum notat Hieronymus. „ Illum locum (inquit) Epiſcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, ut vel damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur: cum apud Deum non ſententia ſacerdotum, ſed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leproſis, ubi jubentur ut oſtendant ſe ſacerdotibus; & ſi lepram habuerint, tunc à ſacerdote immundi fiant: non quod ſacerdotes, leproſos faciant & immundos, ſed quòd habeant notitiam leproſi & non leproſi, & poſſint diſcernere, qui mundus, quíve immundus ſit. Quomodo ergo ibi leproſum ſacerdos mundum vel immundum facit: ſic & hic alligat & ſolvit Epiſcopus & Presbyter, non eos qui inſontes ſunt vel noxii: ſed pro officio ſuo, cùm peccatorum audierit varietates, ſcit qui ligandus ſit, quive ſolvendus. Similia habet Beda in hunc locum.

Irrita eſt miniſtri ſententia, qua contra Domini mentem pronunciatur.

Hieronymus.

Miniſtri ergo ſic aperiunt & claudunt regnum cælorum, cum pro munere ſibi à Chriſto mandato, ſecundum ipſius verbum declarant, qui ſint in regnum cælorum admittendi, qui excludendi: quorum ſententiam ita demum ratam habet Chriſtus in cælis.

Petrus & reliqui ſancti Apoſtoli in hoc univerſo miniſterio, ex peculiari privilegio, aſſiſtente Sp. Sancto, ab omni errore immunes erant: quod privilegium eorum ſucceſſores arrogare non audent, ne ipſi quidem Pontifices Rom. ut poſteà dicetur.

Circa ſolum peccatum exercentur claves.

Certum eſt nihil aliud quàm peccatum, quamdiu retinetur, hominem à communione cum Deo & regno cælorum excludere: ac proinde peccatorum remiſſione & expiatione aditum ad regnum

Digitized by Google

cælorum patefieri. Cùm itaque peccata ſolâ Chriſti ſatisfactione & merito remittantur, hæc una eſt clavis, quâ regnum cælorum aperitur, non quidem quibuſlibet peccatoribus, ſed credentibus & reſipiſcentibus; qui verò non credunt & reſipiſcunt, iis non aperitur Cælum, id eſt occluditur, ſeu occluſum manet.

Penes Deũ eſt poteſtas remittendi peccata effectiva, penes miniſtrum declarativa. Mar. 2. 7. Io. 20. 23.

Hæc poteſtas remittendi & retinendi peccata pro imperio ac effectivè, eſt penes unum Deum Mar. 2. 7. at ex miniſterio & declarativè, competit Chriſti miniſtris ſecundum verbum Dei procedentibus, nempe, ut Chriſti ſententiam declarent, & pronuncient Jo. 20. 23. Idem docet Lombardus lib. 4. Sententiarum diſtinct. 18. & varii ex Scholaſticis in eum locum commentantes.

Eadem eſt poteſtas aperiendi & ſolvendi. Mat. 16. 19. Bellarminus.

Deinde obſervandum eſt, idem eſſe claves regni cælorum, id eſt, poteſtatem aperiendi & claudendi cælos, ac poteſtatem ligandi & ſolvendi; ſicut Chriſtus Mat. 16. 19. explicat prius membrum verſûs in poſteriore membro: quod veteres omnes Interpretes docent, & contra quoſdam Pontificios novatores defendit Bellarminus lib. 1. de Pontif. cap. 12. Planus (inquit) ſenſus illorum verborum [*Tibi dabo claves, & quodcunque ſolveris ſuper terram*] iſte eſt, ut primò promittatur auctoritas ſeu poteſtas deſignata per claves; deinde earum actiones ſeu officium explicetur per illa vocabula [*Solvere & Ligare*] ita ut omninò ſit idem ſolvere & aperire, claudere & ligare: expreſſit vero Dominus clavium actiones per [*Solvere & Ligare*] non per [*claudere & aperire*,] ut intelligeremus eſſe omnes illas metaphoricas locutiones, & tum demum Cælum hominibus aperiri, cum homines ſolvuntur à peccatis, quæ ingreſſum in cælum prohibebant.

Apertio cæli remiſſio peccati, ſolutio peccatoris eódem recidunt.

Tria ergo iſta [*aperire, ſolvere, remittere*] eôdem recidunt, quanquam ad diverſa referuntur: nam aperitur Cælum, remittuntur peccata, ſolvitur peccator aut peccatum (ſolutio enim referri poteſt, tùm ad vinctum, tùm ad vinculum.) Eadem eſt ratio contrariorum [*claudere, ligare, retinere.*] Ubi Chriſtus claves promiſit, Matth. 16. & 18. duabus prioribus metaphoris uſus, obſcuriùs locutus eſt, ubi autem dedit, Jo. 20. 23. tertiâ phraſi utitur, quæ magis propria & plana eſt, per remiſſionem & retentionem peccatorum, vim omnem clavium exprimens.

Miniſtri declarativè ligant, communi-

Miniſtri ſuo modo, id eſt, miniſterialiter ac declarativè remittunt & retinent peccata duplici ratione. 1. Communiter, per prædicationem Evangelii & adminiſtrationem Sacramentorum credentibus,

tibus, reſipiſcentibus, & digne participantibus, remiſſionem peccatorum, & ſalutem annunciando: infidelibus autem, contumacibus, & indigne participantibus, aut contemnentibus Sacramenta, damnationem denunciando. 2. Singulariter per cenſuram Eccleſiaſticam, ac præcipuè excommunicationem, peccata eorum retenta eſſe, declarando, quoad reſipuerint, adeoque eos à communione Eccleſiæ arcendo: rurſus, fide ac pænitentiâ eorum animadverſâ, à peccatis, aut certo peccato abſolvendo. *ter per Verbum & Sacramenta ſingulariter per cenſuras ſeu diſciplinam.*

Hinc Orthodoxi duas dicunt eſſe claves Regni Cælorum: unam, miniſterium Verbi ac Sacramentorum; alteram, diſciplinam Eccleſiaſticam, cujus ſumma cenſura eſt excommunicatio. Diſciplinam Eccleſiaſticam nomine clavium deſignari non eſt dubium: ſed prædicationem Verbi clavem appellari, ægrè ferunt, ut plurimùm, Pontificii: quanquam Chriſtus ipſe non obſcurè id innuere videatur: Luc. 11. 52. cùm negligentiam & errores interpretum legis in docendo damnaret. *Væ vobis* (inquit) *legis interpretibus, quoniam ſuſtuliſtis clavem cognitionis, ipſi non introîſtis, & eos qui introibant, excluſiſtis.* *Luc. 11. 52*
„ Idem ſentiunt Patres. Hieronymus in Eſ. lib. 6. cap. 14. *Funibus* *Hieronymus.*
„ *peccatorum ſuorum* unuſquiſq; conſtringitur: quos funes atque vin-
„ cula ſolvere poſſunt & Apoſtoli, imitantes Magiſtrum ſuum, qui
„ eis dixerat [*Quacunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta in Cælo*]
„ ſolvunt autem eos Apoſtoli ſermone Dei & teſtimonio Scriptura-
„ rum, & exercitatione virtutis. Ambroſius de Cain & Abel lib. 2. *Ambroſius.*
„ cap. 4. Remittuntur peccata per Verbum Dei, cujus Levitæ ſunt
„ interpretes: Tertullianus contra Marcionem. Quam verò clavem *Tertullianus.*
„ habebant legis Doctores, niſi interpretationem Legis? Idem de
„ Pudicitiâ circa finem. Ipſe, ſcilicet Petrus, clavem imbuit, vides
„ quam (viri Iſraëlitæ, auribus mandate quæ dico, *Jeſum Nazarenum, &c.* Act. 2. 22.) nempe ait Petrum, concione illâ primâ poſt publicum illud donum Sp. Sancti in die Pentecoſtes clavem imbuiſſe.

Cæterùm illud notandum eſt, Evangelii prædicationem per ſe quidem, id eſt, ex propriâ vi & efficaciâ, aperire Regnum Cælorum, cùm ſit potentia Dei ad ſalutem cuivis credenti Rom. 1. 16. ex accidente verè occludere, nempe ob hominum malitiam & infidelitatem, quibus Miniſterium ſuâ naturâ ſalutare, eſt odor mortis ad mortem, 2. Cor. 2. 16. quemadmodum divinus ſermo lucerna eſt ad illuminandum, & vera ſapientia ad erudiendum comparata: accidit tamen, hominum impiorum culpâ, ut ejus fulgore magis occæ- *Rom. 1. 16.* *2. Cor. 2. 16.*

 centur,

Digitized by Google

centur, infatuentur, & eorum damnatio obſignetur, ut dicitur, Eſ. 6. 9. Audiendo audite, & ne intelligite, &c.

Eſ. 6. 9.

Scholaſtici juniores ſenioribus magis corrupti.

Atque hæc eſt ſimplex & germana clavium ac muneris ſeu poteſtatis eo nomine deſignatæ explicatio, ex S. Scripturâ & ſanctis Patribus petita. Quod ſi libeat, inter Pontificios Scholaſticorum paulò antiquorũ & recentiorum ſcriptorũ doctrinam conferre, facilè apparebit illorum argutiis ejuſmodi nupera & inſulſa commenta ab his eſſe addita, ut ad Pontif. omnipotentiam ſtabiliendum, hi in immenſum poteſtatem clavium auxerint, qualis illis nunquam in mentem venit.

Definitio clavis in Scholis olim recepta.

Recepta in ſcholis fuit hæc definitio clavis, quòd ſit poteſtas ligandi & ſolvendi, quâ Eccleſiaſticus judex dignos recipere, & indignos excludere debet à regno. Per dignos intelligunt reſipiſcentes, per indignos impænitentes. Hæc definitio colligitur ex Magiſtro ſententiarum, lib. 4. diſtinct. 18. & defenditur à Thomâ & Durando in iſtum locum, & ab aliis ſcholaſticis; & communis definitio Doctorum dicitur à Greg. Valen. in tom. 4. Comment. diſp. 7. quæſt. 16. punct. 1.

Retinetur peccatum ratione culpæ & pœnæ.

Effectum clavium dicunt eſſe remiſſionem vel retentionem peccatorum ratione culpæ & pænæ: nec alia vincula liganda vel ſolvenda intelligunt.

Lombardus.

Sacerdos remittit.

1. Dum à Deo remiſſa peccata declarat.

2. Dum de ſatisfactione aliquid remittit.

3 Cùm laxat à cenſuris.

Hinc tres modos ligandi & ſolvendi notat Lombardus. Primò ,, (inquit) ſacerdotes peccata dimittunt vel retinent, dum dimiſſa à ,, Deo, vel retenta, judicant & oſtendunt. 2. Ligant, dum ſatisfa- ,, ctionem pænitentiæ, confitentibus imponunt; ſolvunt, cùm de eâ ,, aliquid dimittunt. Nam hoc etiam modo (inquit) ſacerdotes di- ,, cuntur dimittere vel retinere peccata, quia opus juſtitiæ exercent ,, in peccatores, cum eos juſtâ pænâ ligant, & opus miſericordiæ, ,, cùm de eâ aliquid relaxant, vel Sacramentorum communione ,, conciliant. 3. Ligant per excommunicationem, & ſolvunt, cùm ,, excommunicatum rurſum in communionem admittunt.

Errans clavis nec claudit, nec ligat.

Origenes.

Omnibus his tribus modis ſententiam ſacerdotum ita demum ratam eſſe, at, ſi jure & ex merito proferatur: alioqui nec obeſſe ligationem, nec prodeſſe ſolutionem. Unde citat illud Origenis, in ,, 24. cap. Levitici. Exiit quis à veritate, à fide, à charitate: per hoc ,, exit è caſtris Eccleſiæ, etiamſi Epiſcopi voce non abjiciatur. Si- ,, cut contrà aliquis non recto judicio foras mittitur: ſed ſi non egit ,, ut mereretur exire, nihil læditur. Interdum enim qui foras mitti- ,, tur, intus eſt, & qui foris eſt intus videtur retineri.

Claves

Digitized by Google

Claves duas diſtinguunt Lombardus & ejus interpretes, nempe clavem ſcientiæ & clavem poteſtatis. Clavem ſcientiæ dicunt auctoritatem diſcernendi utrum aliquis jure ſit ligandus vel ſolvendus. Poteſtatis autem clavem dicunt, auctoritatem illud ipſum reipsâ exequendi quod judicatum eſt, nempe recipiendi dignum, aut excludendi indignum à regno.

Alia eſt clavis ſcientiæ alia poteſtatis, licet utraque eſſentialiter ſit eadem.

Cæterum cùm nonnulli qui non ſunt ſacerdotes habeant ſcientiam diſcernendi, & contrà, multi ſint imperiti ſacerdotes, qui non habent iſtam ſcientiam, nec ſuſceptio ſacerdotii confert eis novam ſcientiam: ideò Bonaventura in 4. ſententiarum diſtinct. 18. qu. 1. [E] ait ſcientiam non eſſe clavem principalem per ſe, ſed prout eſt juncta poteſtati ligandi & ſolvendi. Durandus in eum locum ait, eſſe unam tantum clavem quoad eſſentiam, licet ſint duæ quoad actus & officia ſubordinata: nam poteſtas ligandi & ſolvendi præſupponit ſcientiam diſcernendi. Thomas ait, has duas claves non diſtingui in eſſentiâ auctoritatis quia utraque ad officium idem competit, ſed diſtingui comparatione ad actus quorum unus alium præſupponit. Deinde diſtinguit inter ſcientiæ habitum vel actum, & auctoritatem actum ſcientiæ exercendi: non illum, ſed hanc dicit eſſe propriè clavem & ſequi munus ſacerdotale: ſicut aliquis judex civilis habet auctoritatem judicandi, qui non habet juris ſcientiam, & aliquis è contrario habet juris ſcientiam qui non habet auctoritatem judicandi. Vide ſupplementum tertiæ partis ſummæ Thomæ qu. 17. art. 3.

Bonaventura.

Durandus.

Thomas.

Poſteà alii addiderunt aliam diviſionem clavium, in clavem ordinis & clavem juriſdictionis. Sed hæc diviſio repugnare videtur definitioni ſuprà traditæ, in quâ clavis dicitur eſſe poteſtas Eccleſiaſtici judicis: judex autem ſine juriſdictione conſiderari nequit. Itaque ſi illa definitio recipienda ſit, nulla dabitur clavis quæ non ſit clavis juriſdictionis. Per clavem ordinis intelligunt poteſtatem muneris ſacerdotalis. Etenim cum in Eccleſiâ ſeptem conſtituunt ordines, videlicet, Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acoluthorum, Exorciſtarum, Lectorum, & Oſtiariorum (ex quibus ordo Sacerdotum ſubdividitur in majorem, qui eſt Epiſcoporum, & minorem, qui eſt Presbyterorum, ut ait Bellarm. de Sacram. ordinis cap. 5.) ſoli ordini Sacerdotali attribuunt claves. In ordinatione Presbyterorum duæ conferuntur poteſtates (inquit Bellarm. in eod. lib. cap. 9.) una conſecrandi Euchariſtiam, quam dicunt poteſtatem in corpus Chriſti verum; altera abſolvendi à peccatis, quam-

Poteſtas ordinis & juriſdictionis malè diſtinguuntur.

Soli Sacerdotes habent claves Sacerdos in ſuâ or-

dinatione accepit poteſtatem ſacrificandi & abſolvendi.

quam dicunt poteſtatem in Chriſti corpus myſticum. Propter has duas poteſtates, ait duas eſſe in ordinatione Presbyterorum cæremonias; unam, quâ Epiſcopus porrigit futuro presbytero patinam cum hoſtiâ, & calicem cum vino, ac dicit, *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium, &c.* Alteram, cùm poſt Miſſam Epiſcopus manus imponit, & dicit, *Accipe Sp. Sanctum, quorum remiſeritis peccata, &c.* Ergo clavis Ordinis erit poteſtas quâ Sacerdos abſolvit pœnitentes & confitentes in Sacramento Pœnitentiæ (ut vocant.)

Exercet validè poteſtatem abſolvendi Sacerdos ſolùm in eos qui per juriſdictionem ejus ſubditi ſunt.

At pro certo ſtatuunt, Sacerdotem non poſſe validè audire ullum confitentem & abſolvere, niſi qui ſibi ſubditus ſit ratione juriſdictionis ordinariæ vel delegatæ, ut ſtatuit Concilium Tridentinum Seſſ. 14. cap. 7. Ideoque cum creantur ſacerdotes ſine aliquo peculiari grege ſibi commiſſo, non poſſunt exercere illud munus, donec habuerint ſubditos. Unde in ſupplem. Thomæ qu. 17. art. 2. ad ſecun-„ dum dicitur. Clavis cum ordine datur, ſed executio clavis indiget „ materiâ debitâ, quæ eſt plebs ſubdita per juriſdictionem: & ideo „ ſacerdos antequam juriſdictionem habeat, habet Claves, ſed non „ habet actum clavium: & quia clavis per actum definitur, ideo in „ definitione clavis ponitur aliquid ad juriſdictionem pertinens. Unde iterum patet, Clavem ordinis non eſſe ſine juriſdictione: nam ſi ad actum ligandi & ſolvendi requiritur actu juriſdictio, etiam ad poteſtatem ligandi & ſolvendi requiritur poteſtate juriſdictio.

Forum internum & externum.

Juriſdictionem rurſus duplicem diſtinguunt, unam, quæ reſpicit forum internum conſcientiæ in abſolvendo & ligando peccatorem pro ratione pœnitentiæ aut impœnitentiæ: alteram quæ reſpicit forum externum (quod appellant etiam forum contentioſum, & forum cauſarum) in ligando per excommunicationem vel abſolvendo ab eâ.

Iuriſdictio interna à poteſtate ordinis inſeparabilis. Durãdus, Valentiã.

Cùm itaque Clavem juriſdictionis à Clave ordinis diſtinguant, rectiùs faciunt qui juriſdictionem poſteriori modo, id eſt, externam duntaxat intelligunt, cum juriſdictio illa interna à clavi ordinis ex eorum hypotheſibus, ſeparari nequeat. Sic Durandus ſuper ſententias lib. 4. diſt. 19. quæſt. 2. num. 5. At contra Gregorius de Valentiâ, tom. 4 comment. diſp. 7. qu. 16. punct. 2.

Alii præter ſacerdotes excommunicant.

Sed hîc ſe ſatis explicare non valent Scholaſtici, quomodò Juriſdictio externa, quæ ſpectat ad excommunicationem, ſit clavis; cùm dicant alios, præter ſacerdotes in N. Teſtamento non habere claves; multos autem qui non ſunt ſacerdotes, ut electos & confirmatos,

Digitized by Google

tos, qui nondum ſunt initiati Sacerdotes, Officiales, & Archidiaconos, habere poteſtatem excommunicandi & abſolvendi; Thomæ ſententia eſt, clavem juriſdictionis non eſſe clavem Cæli, ſed diſpoſitionem quandam ad ipſam. Vide ſupplem. qu. 19. art. 3. Durandus in ſententiar. lib. 4. diſt. 19. qu. 1. ait ligare & ſolverè à ſententiâ excommunicationis antecedere quidem & diſponere ad uſum Clavium, ſed non eſſe per ſe & directè actus Clavium, ſed ſolùm ligare & ſolvere in foro pœnitentiæ.

Thomas.

Durandus.

Ex hac explicatione clavium qualicunque ex ipſis Scholaſticis petitâ tria deducimus corollaria.

Primò inde colligimus, nullam nomine Clavium poteſtatem deſignatam peculiarem fuiſſe Petro, quæ non aliis etiam Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus competit: præſertim cum clavem ordinis aut ſolam aut præcipuam eſſe clavem dicant, quæ ex æquo communis eſt omnibus Presbyteris, aut ſaltem Epiſcopis: & certum eſt apud omnes, illam æquè immediatè habere à Deo omnes Epiſcopos, ac ipſum ſummum Pontificem (inquit Bellar. lib. 4. de Pontif. cap. 22.) juriſdictionem autem in inferiori gradu conſtituunt, quam dicunt non eſſe propriè Clavem Cæli, ſed diſpoſitionem quandam ad ipſam, & propterea etiam convenire poſſe non presbyteris. Et licet prærogativam quandam tribuant Petro in uſu utriuſque poteſtatis (ut loquitur Durandus diſtinct. 19. qu. 2.) tamen nullam in Petro ſingularem poteſtatem notant, quæ ejus & ſucceſſorum ejus, Monarchiam aut infallibilem judicandi poteſtatem arguat: quam nunc ex his verbis, [*Tibi dabo claves*] mirè aſtruunt Pontificii.

Clavis ordinis omni Presbytero communis.

Durandus.

Gregor. de Valent. in tom. 4. comment. Theol. diſp. 7. punct. 5. agnoſcit omnem poteſtatem Clavium immediatè à Chriſto datam eſſe omnibus Apoſtolis, excepto, quod non habuerint auctoritatem regendi ipſum S. Petrum: item excepto, quòd in uſu ejuſmodi auctoritatis, potuit illis modus præſcribi à Petro. Sed inanis eſt utraque exceptio: nuſquam enim legitur magis Petrum potuiſſe eos, quàm eos potuiſſe Petrum regere. Et quid opus eſſet uti à Petro regerentur, aut à Petro iis modus præſcriberetur, quibus perpetuò immediatè aſſiſtebat Sp. Sanctus?

Valentia vanitas.

Secundò colligitur, idem eſſe Claves & poteſtatem ligandi ac ſolvendi, & omnem poteſtatem clavium verſari in remittendo ac retinendo peccata ratione culpæ & pœnæ: ut videre eſt ex definitione, diviſione, & effecto ſeu uſu Clavium ſuprà explicatis. Hinc eſt quod

Omnis poteſtas clavium eſt in remittendis & retinendis peccatis.

A a

Digitized by Google

quod in loco de remiſſione peccatorum & pœnitentiâ, Clavium doctrinam explicent: & Thomas ait unam eſſe ſeram (ſcilicet peccatum) ad quam amovendam ordinantur Eccleſiæ claves, ut dicitur in ſupplemento qu. 17. art. 3. Sic Ferus in iſta verba [*tibi dabo claves.*] ,, In futurum (inquit) pollicetur ſe daturum claves: non hoc loco ,, dedit. Quæramus igitur, ubi Claves ipſas dederit in præſenti, & ,, non occurrit alius locus niſi is qui in Joannis cap. 20. [*Accipite Sp.* ,, *Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur iis, & quorum reti-* ,, *nueritis, erunt retenta.*] Claves ergo regni Cælorum ſunt poteſtas ,, remittendi & retinendi peccata, id quod etiam ex hoc loco probatur. &c. Sic Bellarminus lib. 1. de Pontif. cap. 12. art. 36. docet omnem poteſtatem Clavium eſſe poteſtatem ligandi & ſolvendi, & omnino idem eſſe ligare peccata & claudere Cælum, nec non ſolvere à peccatis & aperire Cælum: tum demum enim cælum hominibus aperiri, cùm ſolvuntur à peccatis. Atqui aliàs ſui immemor negat poteſtatem ligandi & ſolvendi determinari ad peccatum in eodem ,, cap. art. 31. Ligantur enim (inquit) homines non ſolùm peccatis, ſed etiam legibus. Et in lib. 3. de Verbo Dei cap. 5. art. 1. ait, per iſtas Claves intelligi, non ſolùm poteſtatem ſolvendi à peccatis, ſed etiam ab aliis vinculis & impedimentis: adeoque nodos omnes, ſeu legum diſpenſando, ſeu peccatorum & pœnarum relaxando, ſeu dogmatum & controverſiarum explicando, à Petro ejuſque ſucceſſoribus ſolvi poſſe. Sic Rhemenſes in Matth. 16. 19. explicant Claves, auctoritatem vel Cathedram doctrinæ, judicium & ſcientiam diſcernendi veram & falſam doctrinam, ſupremum faſtigium gubernationis, poteſtatem ferendi leges, convocandi Concilia, definiendi dicendique principalem ſententiam in Conciliis, confirmandi Concilia, ſanciendi canones & ſana decreta, ac contraria abrogandi, ordinandi & abdicandi Epiſcopos, denique diſpenſandi bona Eccleſiæ aut ſpiritualia aut temporalia.

Thomas. *Ferus.* *Bellarminus ſibi nō conſtat.* *Rhemenſes.*

Novi Doctores extendunt clavium poteſtatem ad omnem Papæ libidinem.

Sic illi novi Doctores, abſque ullâ auctoritate S. Scripturæ, Patrum, aut etiam antiquiorum Scholaſticorum, poteſtatem clavium in infinitum extenderunt; eo nomine complectentes quicquid adulandi libidine magnificum aut αὐτοκρατορικὸν Papæ affingere poterant.

Lombardi & Veteris Schola de clavibus

Tertium Corollarium. Manifeſta eſt ſententia Lombardi Magiſtri Scholaſticorum, peccata ratione culpæ & pœnæ æternæ non aliter à Presbyteris vel Epiſcopis dimitti vel retineri, quàm ut dimiſſa à Deo vel retenta indicent & oſtendant: ac proinde nunquam efficax

efficax eſſe eorum in miniſterium ad abſolvendum peccatorem, niſi quando poſt reſipiſcentiâ abſolutus eſt à Deo, quia tunc ſolùm verè & efficaciter abſolutus oſtenditur. Hanc ſententiam Magiſtri ſecuti ſunt multi ex Scholaſticis, ut notat Gregor. de Valent. tom. 4. comment. diſp. 7. qu. 1. punct. 3. ſicut Magiſter ſequutus eſt Hieronymum in Matth. 16. 19. cujus verba ſuprà citavimus: quæ Petrus Pariſiorum Epiſcopus explanat & defendit ad lib. 4. Sent. diſt. 18. eandemque ſententiam tuetur Joannes Ferus in Mat. 9. 8. & Mat. 11. 28. Quorum propterea Sixtus Senenſis meminit in cenſuris ſuis Biblioth. lib. 6. Annotat. 45. & 71.

ſententia in Concilio Tridentino damnatur.

Sed nunc hæc ſententia damnata eſt à Concilio Tridentino ſeſſ. 14. de Sacrament. Pœnitentiæ cap. 6. Canone. 9. & contraria ſententia à Pontificiis recepta eſt, ſcilicet reipsâ à ſacerdote remitti culpam & pænam æternam peccatorum miniſterialiter, & tanquam ab inſtrumento Dei: quod fit ex ſententiâ Durandi lib. 4. diſt. 18. qu. 2. per modum pactionis: ita videlicet, ut miniſter exhibeat quod exterius geritur, Deus autem faciat quicquid interiùs agitur. At recentiores multò abſurdiùs dicunt, per verba abſolutionis ſacerdotum ex opere operato conferri gratiam: quam vim omnibus ſuis Sacramentis tribuunt ex decreto Concilii Tridentini.

Docent hodie Pontificii ſacerdotes non tantùm declarativè, ſed reipſa miniſterialiter abſolvere à culpâ & pœnâ æternâ.

Nos autem cùm dicimus miniſtros miniſterialiter ac inſtrumentaliter remittere peccata, nihil aliud intelligimus, quàm eos eſſe miniſtros & inſtrumenta declarationis & confirmationis Voluntatis divinæ, prædicando verbum ipſius de remiſſione peccatorum.

His præmiſſis quæ non tantùm ad præſens inſtitutum, ſed ad varia alia argumenta, quæ ex hoc loco Pontificii ſumunt diſcutienda, & omnium ad univerſam eorum impoſturam in doctrinâ Clavium detegendam valent (nam hæc nunc ſemel explicâſſe nobis alia aggreſſuris, poſteà compendio erunt) accedimus ad Bellarmini argumentum explicandum, id quod ſic formandum videtur; Cui datæ ſunt claves Regni Cælorum, ut quodcunque ligaverit in terrâ, ſit ligatum in Cælis, & quodcunque ſolverit in terrâ, ſit ſolutum in Cælis, is eſt abſolutus & infallibilis judex dogmatum & controverſiarum fidei. At Petro & ejus ſucceſſoribus, id eſt, Pontificibus Romanis, &c. Ergo &c. Minore omiſsâ majorem probat Bellarminus: quia in iſtis verbis intelligitur poteſtas ſolvendi omnes nodos ſpirituales, ac proinde explicandi omnia dogmata & controverſias fidei: ſiquidem promiſſio generalis eſt, nec dicitur [*quemcunque ſolveris*] ſed [*quæcunque ſolveris.*]

Bellarmini argumentum pro Papa omnipotentiâ frivolum.

Hîc primò reſpondere licet, minorem eſſe falſam; nam negandum eſt Pontifices Romanos eſſe Petri ſucceſſores, à cujus doctrinâ & moribus maximè abhorrent. Cæterùm quia nobis non opportunum eſt hoc loco de iſta re diſſerere, ſatis erit nunc majorem negare, quam falſam eſſe hinc conſtat, quia alioqui inde ſequeretur, omnes Epiſcopos eſſe judices infallibiles, quibus omnibus Claves communicatas eſſe concedunt ipſi Pontificii. Et ſi claves neceſſariò infallibilitatem inferant, certè communicatio Clavium, etiam communicationem infallibilitatis arguit.

Ergo neceſſe eſt reſtringant majorem propoſitionem, ut ad hunc modum formetur argumentum: Cui ſumma & univerſa poteſtas clavium data eſt, is eſt abſolutus & infallibilis judex dogmatum & controverſiarum fidei. At Petro & ejus Succeſſoribus Pontificibus Romanis, &c. Ergo &c. Sed adhuc major erit falſa: alioqui concedant oportet, omnes Apoſtolos & eorum ſucceſſores, id eſt, Epiſcopos, eſſe abſolutos judices infallibiles. Nam omnes Apoſtolos habuiſſe ſummam & univerſam poteſtatem clavium etiam immediatè ab ipſo Chriſto, fatetur Bellar. de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 23. Et quid vetat quominùs reliquorum poteſtas itidem tranſeat ad eorum ſucceſſores, ut Petri poteſtas ad ipſius ſucceſſores? Aut, quod eòdem recidit, cur Petrus in ſuâ poteſtate habuit ſucceſſores, non autem reliqui?

Hîc ad incitas redacti Adverſarii communiſcuntur, Petro datas fuiſſe claves, ut ordinario paſtori, cujus jus in ſucceſſores tranſiret; reliquis autem Apoſtolis, ut Legatis extraordinariis, quibus nemo ſuccederet. At hæc eſt manifeſta petitio quæſiti, nullâ ratione aut auctoritate fulta. Nam unde hoc conſtat, aut ubi & quando ea poteſtas ordinaria promiſſa aut data eſt Petro, quæ aliis negata eſt? Nam quicquid hoc loco promiſit, id præſtitit, cùm dixit Jo. 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, ut fatetur Bellarm. ibid. at hoc donum (ut ipſe etiam ibi concedit) commune fuit ex æquo omnibus Apoſtolis, ergo & illud etiam promiſſum. Et unâ voce dicunt Pontificii, non ante datam fuiſſe Petro ordinariam iſtam, quam fingunt, poteſtatem, antequam audivit [*Paſce oves meas*,] id quod poſteà dictum eſt ei Jo. 21. Prius ergo Petrus accepit, unà cum reliquis omnibus Apoſtolis, ſummam & univerſam poteſtatem clavium. Proinde nulla Petro peculiaris poteſtas ex hoc loco [*tibi dabo claves*] colligi poteſt magis quàm ex illo loco [*Sicut me miſit Pater, &c.*]

Nulla peculiaris poteſtas nedum Monarchia ex clavibus poteſt deduci.

Eadem

Eadem eſt ratio Monarchiæ Petri quam hinc ſtabiliunt. Nunquid enim clavium traditio fecit eum Monarcham? Si fecit, tum Monarcha Eccleſiæ fuit, cùm primùm Claves accepit: accepit autem unà cum reliquis Jo. 20. 21. Ergo pariter omnes Monarchæ conſtituti erant Eccleſiæ, quod eſt repugnans in adjecto, & ſententiam adverſariorum deſtruit. Si non accepit Monarchiam cum datæ ſunt claves, neque tùm promiſſa eſt ei Monarchia cùm promiſſæ ſunt claves, ac proinde fruſtra urgent iſtum locum [*tibi dabo claves*] ſive ad Monarchiam, ſive ad infallibilitatem Papæ probandam.

Leges non ſunt vincula ſolvenda.

Quod autem attinet ad confirmationem Bellarmini, cùm dicit per iſtas claves intelligi, non ſolùm poteſtatem ſolvendi à peccatis, ſed ſolvendi alia vincula ac nodos inter quæ recenſet vincula legum ac nodos dogmatum & controverſiarum fidei, ſuprà oſtendimus, iſtam novam & inſolentem eſſe explicationem clavium, ignotam Patribus, & ipſis etiam Scholaſticis: addo, abſurdam & ineptam eſſe. „ Per iſtas claves (inquit) intelligitur, non ſolùm poteſtas ſolvendi „ à peccatis, ſed etiam ab omnibus aliis vinculis & impedimentis, „ quæ niſi tollantur, non poteſt intrari in Regnum Cælorum. At certè ſi tollantur peccata, tolluntur omnia vincula quæ impediunt aditum in Regnum Cælorum. Et abſurdum eſt inter iſta vincula recenſeri leges, quaſi non poſſet intrari in Regnum Cælorum, niſi leges tollantur. Et cùm ſolvere omninò idem ſit quod aperire cælum, & ligare idem quod claudere cælum (ut docuit Bellarminus) tum ſolvendo à legibus aperietur cælum, & obligando homines legibus claudetur cælum ſcilicet. Etenim per [*Ligare*] hîc aliquid triſte & metuendum ſignificatur, & contrarium per [*Solvere.*]

Bellarminus Novator.

Quòd autem arguit vocem [*Ligandi*] pertinere ad leges quia Mat. 23. 4. refertur ad leges hominum, cum ait, *Alligant pondera gravia, &c.* ineptum eſt: quis enim neſcit vocem ligandi, pro diverſo ſcopo verborum ad varia poſſe referri? Denique, ſi per iſta verba [*Quicquid ſolveris*] explicatio Scripturæ & dogmatum fidei, ac enodatio controverſiarum ſignificetur; tum per [*Quicquid ligaveris*] contrarium intelligatur oportet, quaſi obſcurare Scripturas & involvere controverſias ac dogmata fidei, pertineret etiam ad officium Petri.

Mat. 23. 4.

Sed eſto: extendatur poteſtas Clavium quantùm volunt: nunquam tamen inde infallibilitatem efficient: claves enim diſtinguunt Scholaſtici in clavem ſcientiæ ſeu diſcretionis, & clavem poteſtatis: adeò ut ad poteſtatem, quæcunque tandem ea ſit, legitimè exercendam,

A clave poteſtatis abeſſe poteſt clavis diſcretionis in ipſo Pontifice.

 dam,

dam, præſupponatur Clavis quam appellant diſcretionis, (nempe ut ſecundum Dei verbum ligent & ſolvant) quam deeſſe poſſe in iis qui poteſtatem habent, ultro agnoſcunt.

Imò licet fingamus iſtam omnem poteſtatem, quam nomine clavium comprehendunt, ſoli Petro & ejus Succeſſoribus competere, tamen infirmum erit argumentum. Etenim Pontifices Romanos, quos ſucceſſores Petri indigitant, errare poſſe in uſu clavium, extra controverſiam eſt; videlicet in remittendo ac retinendo peccata, cùm in interno foro conſcientiæ, tùm in externo foro cauſarum, ubi de excommunicatione agitur: ſiquidem in quæſtionibus facti particularibus errare poſſe Papam omnes concedunt. Maldonatus Jeſuita in Mat. 16. 19. ait, Quæ Pontifex ligat in terris, ligata ſunt in „ cælis: hoc intelligendum eſt de Clave non errante. Et Lucas Bru- „ genſis in eundem locum ait, Inſontem ligare non eſſe mentem Chriſti, idque ratum in cælis non fore. Sic Lombardus lib. 4. diſt. 18. F & H fusè docet, aliquando Eccleſiam oſtendere ligatos & ſolutos qui non ita ſunt apud Deum. Atqui hic, ſi non ſolus, ſaltem præcipuus uſus eſt Clavium (ſcilicet remittere ac retinere peccata) cujus Chriſtus diſertè meminit cùm dedit claves Joh. 20. Cæteros uſus, ſi qui ſunt, generali ſummâ comprehendere contentus. Utcunque eſt, ſi in unâ quâlibet re errare poteſt Pontifex in uſu clavium, certè ex poteſtate Clavium nunquam poteſt concludi infallibilitas. Si enim ex poteſtate clavium penderet & infallibilitas, non magis errari poſſet in hoc quàm in illo: cùm hoc non minùs quàm illud ſpectet ad poteſtatem clavium.

Maldonatus. Lucas Brugenſis. Lombardus.

Papa fallibilitas.

Præterea quàm ineptè Bellarminus arguit, ſummam poteſtatem Eccleſiaſticam, quam Monarchiam appellat, tanquam nomine Clavium deſignatam ad Papam pertinere ex Eſ. 22. 22. Eſ. 9. 6. & Apoc. 3. 7. cum in duobus poſterioribus locis de ſolo Chriſto agatur: & ipſi Scholaſtici diſtinguunt inter clavem auctoritatis, quæ Deo uni & trino, clavem excellentiæ, quæ Chriſto ut homini, & clavem miniſterii, quam Petro reliquiſque Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus tribuunt: in primo autem loco manifeſta fiat mentio, non ſummæ poteſtatis, ſed miniſterii in textu vulgato; & miniſterii non Eccleſiaſtici, ſed politici. Schebna enim & Eliakim non erant præpoſiti templi, ut malè vertit vulgatus Interpres: nec erant ſummi Pontifices, ut falſo aſſerit Bellarminus, cùm in Catalogo ſacerdotum non numerentur, 1. Chron. 6. ſed præfecti erant domûs

Clavis auctoritatis eſt Dei excellentia Chriſti, miniſterii Petri. Eſ. 4. 6. & 22. 22. Apoc. 3. 7.

Schebna Eſ. 22. erat præſes politicus non Eccleſiaſticus.

domûs ſeu aulæ regiæ: nam in textu Hebraïco Schebna dicitur, הַכּוֹבֵן אֲשֶׁר עַל־הַבָּיִת, id eſt, Theſaurarius qui eſt ſupra domum, ut vertunt Pagninus & Arias Montanus. Septuaginta interpretati ταμίαν, id eſt, diſpenſatorem aut quæſtorem. Eadem phraſis occurrit, 1. Reg. 4. 6. ubi Achizar dicitur, עַל־הַבָּיִת ſupra domum, *1. Reg. 4. 6.* nempe præpoſitus domui regis Solomonis & 2. Reg. 18. 18. & Eſ. *2. Reg. 18. 18. Eſ. 36. 3.* 36. 3. ubi idem Elia enim ab eodem munere denominatur; quõd hic ei promittitur.

CAP. XXII.

Reſpondetur ad tertium argumenttum Adverſariorum ex N. Teſtamento, Ioa. 21. verſ. 15. 16. 18.

Tertium Argumentum ex N. Teſtamento ſumunt ex Joa. 21. verſ. 15. 16. 18. ubi Chriſtus Petro ter paſcendi munus mandat. *Paſce agnos meos, Paſce oves meas.* Hic Pontificiis præcipuus eſt locus quo maximè nituntur, ut inde non tantùm Papæ abſolutam & infallibilem in rebus fidei judicandi poteſtatem, ſed & ejus Monarchiam, & univerſum dominium in Eccleſiam & orbis Chriſtiani Principes confirment. Nam in præcedentibus teſtimoniis promiſſam quidem, ſed in his ſolis vocibus datam eſſe ſummam illam poteſtatem Petro & Pontificibus Romanis dicunt. Ideoque hunc etiam locum, Deo favente, ſic explicabimus, & ab eorum ſtrophis vindicabimus, ut non tantùm quod ad præſens inſtitutum ſpectat argumentum diluatur, ſed etiam ut quæcunque alia ex hoc loco eruunt, ad immenſam Papæ poteſtatem ſtabiliendam ita expediantur, ut non neceſſe fuerit poſteà in hoc loco multùm laborare. 1. Autem genuinam verborum ſententiam exponemus. 2. Hypotheſes & aſſertiones Adverſariorum in hoc loco explicando, examinabimus. 3. Argumentum ipſum, quod ad hanc controverſiam ſpectat, diſcutiemus. *Hic locus præcipua Pontificiorum ſpes.*

Scopus autem & ſententia loci hujus plana & germana hæc eſt: *Scopus loci.* cùm Petrus, ter negato & abjurato Chriſto, à ſuâ dignitate excidiſſe videretur, tùm ad ipſius, tùm ad Eccleſiæ confirmationem plurimùm intererat, ejus reſtitutionem certam & manifeſtam fieri. Ideoque Chriſtus, poſt reſurrectionem, Petrum in priſtinum gradum,

dum, unde ternâ abnegatione exciderat, palam reſtituturus, aut reſtitutum declaraturus, ternam ab eo confeſſionem elicit, & ternâ vice mandatum paſcendi Gregem ſuum inculcat. Hinc Cyrillus, Jure „nunc ab eo terna dilectionis confeſſio petitur: ut terna negatio „æquali confeſſionis numero compenſetur. Sic Auguſtinus in hæc „verba. Redditur (inquit) negationi trinæ trina confeſſio, ne mi-„nùs amori lingua ſerviat quàm timori, & plus vocis eliciuiſſe vi-„deatur mors imminens, quàm vita præſens. Sit amoris officium „paſcere dominicum gregem, ſi fuit timoris indicium negare Pa-„ſtorem. Idem Serm. 149. de Tempore. Implevit (inquit) numerum dilectionis ut deleat numerum negationis. Similia habet in libro de Utilitate Pœnitentiæ, cap. 1. & alibi. Idemque varii alii Patres notant.

Cyrillus,

Auguſtinus.

Hæc itaque præcipua eſt ratio cur hîc Petro præ reliquis ad iſtum modum commune officium paſcendi Gregem ſuum inculcet.

Huc accedit, quòd Dominus Petri fragilitatis memor, opus cenſebat eum confirmare in munere exequendo adverſus pericula imminentia, præſcius eum propterea in majori diſcrimine futurum poſteà, quàm tùm cùm ipſum negaverat. Ideoque primò Petrum præmunit, triplici interrogatione triplicem confeſſionem amoris eliciens, & toties mandatum paſcendi oves ſuas ſubjiciens, eâ ſcilicet curâ amorem quem profitetur in Chriſtum demonſtrandum innuens. Deinde prædicit quæ olim paſſurus ſit ob profeſſionem nominis Chriſti, & executionem muneris iſtius à Chriſto mandati.

Poſtremò, etſi pleraque alia quæ hîc dicuntur, ſint Petro peculiaria, tamen hoc præceptum paſcendi gregem Chriſti hoc ipſo in loco pariter ad omnes Apoſtolos dirigi ſub perſonâ Petri varii Patres dicunt: quamvis ad ſanciendam unitatem ille unus compelletur ut os Apoſtolorum, & ordine primus inter eos: prout Chryſoſtomus notat in hunc ipſum locum; & Cyprianus de ſimplicitate Prælatorum. Sic Auguſtinus de paſtoribus cap. 13. In ipſo (inquit) Petro „unitatem commendavit. Multi erant Apoſtoli, & uni dicitur. „[*Paſce oves meas*] abſit ut deſint tunc boni paſtores, &c. Et agone „Chriſtiano cap. 30. Non ſine cauſâ inter omnes Apoſtolos hujus „Eccleſiæ Catholicæ perſonam ſuſtinet Petrus. Huic enim Eccleſiæ claves regni cælorum datæ ſunt, cum Petro datæ ſunt, & cum ei dicitur, ad omnes dicitur, *Amas me? Paſce oves meas.*

Chryſoſtomus, Cyprianus, Auguſtinus.

Neque ullus Patrum hîc aliquid Petro proprium, quod ab aliis alie-

alienum eſſet, mandari aut commendari ſomniavit. Imò Gregorius primus Papa, de paſtorali curâ, part. 1. cap. 5. hanc curam paſcendi oves Chriſti commendat omnibus qui dotibus inſtructi ſunt, ſic ex „ loco arguens: Petro ait Chriſtus [*Simon Jona amas me?*] qui „ cùm amare ſe protinùs reſpondiſſet, audivit [*Si diligis me, Paſce* „ *oves meas.*] Si ergo dilectionis teſtimonium eſt cura paſtionis: „ quiſquis virtutibus pollens, gregem Dei paſcere renuit, paſtorem „ ſuum convincitur non amare. Similiter arguit Chryſoſtomus de „ Sacerdotio lib. 2. *Gregorius.*

Neque verò hîc aliud Petro mandatur, quàm quod ipſe Petrus mandat Presbyteris epiſt. 1. cap. 5. principio; & Paulus Act. 20. 28. præterquam quod hoc Petro cum reliquis Apoſtolis commune fuit, quòd non fuerit alligatus ad certum gregem: ſed non aliter Petro aliter illis mandatum eſt paſcere gregem ſibi commiſſum: ſed ſub notâ metaphorâ commune omnium paſtorum ſub Chriſto ſummo Paſtore officium indicatur, ſcilicet Chriſti Eccleſiam, & ſingula ejus membra Verbi Divini doctrinâ, morum diſciplinâ, Sacramentis & vitæ exemplo ædificare, infirmos fovere, curare, corroborare, errantes in viam reducere, alienos lucri facere, lupos arcere, & omnes res noxias, quantum in iis eſt, à grege amovere. *1. Pet. 5. 1. Act. 20. 28.*

Sic verbis explicatis, accedimus ad hypotheſes & aſſertiones adverſariorum examinandas, quæ à Bellarmino quinque enumerantur lib. 3. de Verbo Dei, cap. 5. & lib. 1. de Pontif. cap. 14. I. Soli Petro dictum eſſe, *Paſce oves meas.* II. Verbo [*Paſce*] traditam eſſe ſummam Poteſtatem Eccleſiaſticam. III. Verbo [*Paſce*] intelligi præcipuè doctrinam: ſic enim paſcuntur oves rationales. IV. Illis vocibus [*oves meas*] univerſam Chriſti Eccleſiam, & omes Chriſtianos deſignari. V. Quod dicitur Petro, dici etiam ejus Succeſſoribus Pontificibus Romanis. *Pontificiorum hypotheſes prima.*

Quod ad primam aſſertionem attinet, Soli Perro dictum eſſe [*Paſce oves meas,*] id tribus modis intelligi poteſt. 1. Ut ſit ſenſus, Chriſtum in his verbis ſolum Petrum compellare & alloqui nominatim. 2. Verba iſta ad ſolum Petrum dirigi, non autem ſub ejus nomine ad reliquos etiam Apoſtolos præſentes. 3. Verba iſta, ſeu officium in iſtis verbis mandatum, ſpectare ad ſolum Petrum, & aliena eſſe à reliquis Apoſtolis. In primo ſenſu concedimus verba illa dicta eſſe ſoli Petro: ſed hòc nihil juvat Pontificiorum cauſam. In ſecundo ſenſu negant ſoli Petro dicta eſſe illa verba Patres à no- *Quomodo ad ſolum Petrum locus ſpectet, quomodo non.*

Digitized by Google

bis ſuprà nominati, qui afferunt in Petri perſonâ, tanquam unius è communitate reliquos repræſentantis, idem omnibus eſſe dictum: quanquam quædam circumſtantiæ ad ſolum Petrum referuntur. Sed neque nos adverſariis gravabimur concedere ſermonem hîc ad ſolum Petrum dirigi, qui ob lapſum egebat ſingulari reſtitutione aut confirmatione. Reliqua eſt ergo omnis controverſia de tertio ſenſu, ut qui ſuprà oſtendimus hæc verba non ad ſolum Petrum pertinere. Argumenta autem pleraque omnia quibus Bellarminus oſtendit ſoli Petro dicta eſſe illa verba, ad primum & ſecundum ſenſum ſpectant, quæ nihil ad ejus inſtitutum faciunt. Unam tantùm rationem affert, quæ ad tertium ſenſum ſpectare videtur, arguens ex verbis ſequentibus Jo. 21. 21. & 22. ubi Petrus Chriſtum de Joanne interrogans [*hic autem quid?*] reſponſum hoc tulit [*Quid ad te, tu me ſequere.*] Nunquam enim (inquit Bellarminus) Petrus interrogâſſet quid Joannes acturus eſſet, ſi intellexiſſet dictum omnibus [*Paſce oves meas*] neque Dominus dixiſſet, [*Quid ad te? tu me ſequere*] ſed dixiſſet [*idem faciet quod tu,*] Quo novo commento nihil poteſt eſſe inſulſius: neque enim hæc Petri interrogatio cohæret cum iſtis verbis [*Paſce oves meas*] neque inde interrogandi occaſionem arripuit Petrus: ſed ex verbis interjectis verſ. 18. & 19. in quibus Dominus prædixit quâ morte glorificaturus eſſet Deum, ut patet ex ſerie contextûs & conſenſu omnium Interpretum.

Jo. 21. 21. 22.

Inſulſum Bellarmini argumentum.

Secundam aſſertionem verbo [*Paſce*] traditam eſſe Petro ſummam poteſtatem probare nititur Bellarminus ad hunc modum. Primum (inquit) non propriè dicitur paſcere aliquem qui cibum quacunque ratione miniſtrat: ſed qui procurat ac providet alteri cibum, quod eſt præpoſiti ac gubernatoris. Unde Luc. 12. 42. [*Quis eſt fidelis diſpenſator ac prudens, quem conſtituet Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici ſuam menſuram?*] Deinde per verbum [*Paſce*] intelligitur, ex uſu communi loquentium, omnis actus paſtoralis. Actus autem paſtoralis non tantùm eſt præbere cibum, ſed etiam ducere, tueri, præeſſe, regere, caſtigare; Hinc in Scripturis paſſim [*paſcere*] accipitur pro [*regere*] ut Pſal. 2. 9. ubi legimus [*reges eos in virgâ ferreâ*] in Hebræo eſt תְרֹעֵם, id eſt, paſces eos & Eſ. 44. 28. Cyrus vocatur à Domino [*Paſtor meus*] cum ampliſſimum ejus regnum deſignat. Porrò verbum ποιμαίνειν, quo hîc Johannes utitur, ſignificat paſcere regendo & præſidendo. Nam & Homerus Iliad. ς. frequenter vocat regem

Verbum [paſcere] non probat ſummam poteſtatem.

,, regem Agamemnonem ποιμένα λαῶν, id eſt, paſtorem populorum.
,, Et in Scripturâ, ubi legimus Mat. 2. 6. [*Exibit dux qui regat popu-*
,, *lum meum Iſraël,*] vox quam vulgatus Interpres reddit [*regat*] in
,, Græco eſt ποιμανεῖ: at in textu Hebræo apud Micham, unde Mat-
,, thæus verba deſumpſit, non eſt verbum רָעָה quod paſcere ſigni-
,, ficat, ſed verbum מָשַׁל, quod eſt [*dominari.*] Denique Apocal.
,, 19. 15. ubi legitur [*ipſe reget eos in virgâ ferreâ*] Græce pro [*reget*]
,, eſt ποιμανεῖ. Huc accedunt teſtimonia Patrum. Chryſoſtomus
,, lib. 2. de Sacerdotio non ſemel vocat [*Præfecturam*] officium Pe-
,, tro commiſſum per illam vocem [*Paſce*] Auguſtinus in hunc lo-
,, cum. Oves ipſas (inquit) paſcendas, id eſt docendas, regendaſque
,, committit. Gregorius in lib. de curâ paſtorali paſſim paſtores
,, vocat, rectores, & curam paſtoralem, regimen: imò & culmen
,, regiminis: & ipſum paſcere, regere, ac præeſſe interpretatur.

Hactenus Bellarminus. In quibus verbis multa in ſpeciem congerere argumenta videtur: quorum tamen ſumma omnis ad duo capita refertur. 1. Verbum [*paſcere* & ποιμαίνειν] non tantùm ſignificat cibum miniſtrare, ſed etiam præeſſe & regere. Ergo hoc loco per verbum [*Paſcere*] intelligitur ſumma poteſtas data Petro & ejus ſucceſſoribus. Nos negamus conſequentiam; quam ineptiſſimam eſſe cuivis videre eſt: eſt enim aperta fallacia ex conſequente: quaſi cui conveniret genus, aut aliquid generale, eidem neceſſariò conveniret quælibet ejus ſpecies aut ſpeciale. Sic quia [*Paſcere*] poteſtatem & regimen innuit, concludit hîc ſignificare ſummam poteſtatem & regimen. Bellarminus neglectâ conſequentiâ, quam negamus, prolixè verſatur in probando antecedente, quod non negamus, nec controverſum eſt. Nos enim facilè concedimus, verbo paſcendi innui regimen, & paſtorum eſſe præeſſe ac regere gregem ſuum: ita fallit Bellarminus aut fallitur ob ignorationem Elenchi.

Deinde ſic arguit: Vox ποιμαίνειν paſcere, dicitur de ſummo regimine: adeoque ſummi rectores, id eſt, Reges & principes dicuntur paſtores & paſcere: Ergo hoc loco per verbum [*Paſce*] intelligitur ſumma poteſtas. Bellarminus fruſtra laborat in probando antecedente, quod nemo negat: ſed conſequentia etiam hîc apertè eſt vitioſa, quam non conatur probare, nec probare poteſt. Neque enim in argumentando datur tranſitus à ſingulari aut particulari ad aliud ſingulare aut particulare, niſi per medium univerſale. Sic enim for-

mandum eſt argumentum. Vox ποιμαίνειν paſcere dicitur aliquando de ſummâ poteſtate & regimine. Ergo ubicunque occurrit ea vox, denotat ſummam poteſtatem & regimen: proinde etiam hîc. Ita rurſus fallacia eſt à conſequente: ut ſiquis argueret, Omnis Rex regit E. quicunque regit eſt Rex. Porrò, hæc argumentandi ratio non minùs adverſatur ipſis Pontificiis quàm nobis: nam ſi ubicunque occúrrit vox ποιμαίνειν paſcere, & ποίμην paſtor, ſumma poteſtas denotetur, certe, cùm Presbyteri & Epoſcopi omnes ſint ποίμενες paſtores Eph. 4. 11. eiſque mandetur ποιμαίνειν paſcere gregem & Eccleſiam Dei, Act. 20. 28. 1. Pet. 5. 2. illi ſcilicet omnes erunt principes & reges quibus ſumma poteſtas mandata eſt. Bellarminus vi veritatis & argumentis noſtris convictus fateri cogitur, lib. 1. de Pontif. cap. 14. omnium Epiſcoporum eſſe, paſcere oves Chriſti: ſed in hoc ait eſſe diſcrimen, quòd illi paſcant gregem particularem, Petrus autem & ejus ſucceſſores, univerſalem. At ſi rectè arguat Bellarminus, ut ſtatuatur, vocem ποιμαίνειν paſcere, ſignificare ſummam poteſtatem; hinc ſequetur ſingulos Epiſcopos & paſtores in ſuâ quidem diœceſi, & proprio grege habere ſummam poteſtatem: ac propterea eſſe omnes reges, & principes nulli homini ſubordinatos, ac proinde non dari paſtorem & Epiſcopum univerſalem cui ſubjiciuntur.

Eph. 4. 11. Act. 20. 28. 1. Pet. 5. 2.

At longè aliter Petrus Apoſtolus, qui epiſt. 1. cap. 5. ubi mandat ſympresbyteris ſuis, ut paſcant Dei gregem, ibidem dominationem eis interdicit. Regimen enim illud ſpirituale quod verbo paſcendi innuitur, non dominium, ſed miniſterium dicendum eſt: quâ de re præclarè Bernardus ad Eugenium Papam lib. 2. de Condera-„ tione. Nos (inquit) ne multùm ſentiamus de nobis, impoſitum „ ſenſerimus miniſterium, non dominium datum. Et paulò pòſt. „ Non tibi Petrus dare potuit, quod non habuit. Quod non habuit, „ hoc dedit; ſolicitudinem ſuper Eccleſiam. Nunquid dominatio-„ nem? Audi ipſum: *Non dominantes* (ait) *in clero, ſed forma facti* „ *gregis*. Et ne dictum ſolâ humilitate putes, non etiam veritate, vox „ Domini eſt in Evangelio, *Reges gentium dominantur eis, &c.* Vos „ autem non ſic. Planum eſt; Apoſtolis interdicitur dominatus. „ I ergo tu, & tibi uſurpare aude aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis. Si utrumque ſimiliter habere voles, perdes utrumq;. Sic enim lib. 3. non procul ab „ initio diſtinguit inter præeſſe & dominari. Nonne (inquit) & villa „ villi-

Dominatus interdicitur Presbyteris & Papa. Bernardus.

,, villico, & parvus dominus ſubjectus eſt Pædagogo? Nec tamen ,, villæ ille, nec is ſui domini dominus eſt. Ita & tu præſis & provi- ,, deas, ut conſulas, ut procures, ut ſerves. Præſis ut proſis, præſis ,, ut fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper fami- ,, liam ſuam: Ad quid? Ut des illis eſcam in tempore, hoc eſt, ut ,, diſpenſes, non imperes.

Hinc & illud obſervandum eſt, præcipuum munus quod verbo *Quid ſit* paſcendi denotatur, eſſe alere, aut pabulum præbere, non regere *Paſcere.* aut præeſſe. Neque enim munus ejus eſt alere ut regat, ſed regere ut alat. Ideo enim Dominus conſtituit ſervum fidelem & prudentem ſuper familiam, ut det illis eſcam in tempore Luc. 12. 42. Ideoque *Luc. 12.* in hoc trino mandato bis utitur verbo βόσκε quod ſignificat alere, & *42.* ſemel verbo ποίμαινε in eodem (procul dubio) ſenſu; quanquam hæc vox viſa eſt commodior adverſariis in quâ myſteria quærerent, quia regendi etiam munus innuere videtur, aut ad aliquod regimen transfertur; quod non ita uſu venit in verbo βόσκε. Non enim contendunt, Petri & ejus ſucceſſorum munus eſſe ut alant & nutriant Eccleſiam Dei, ſed ut in eâ regnent & dominentur. Imò vero priori muneri Pontifices Romani planè renunciâſſe videntur, cùm nunc non ampliùs verbum Dei, quod proprium eſt animorum pabulum, prædicent, ſed gubernandi & dominandi partes ſibi ſolas vendicent. At prædicant (inquiunt) verbum Dei per alios, quos præcones verbi conſtituunt. Certè ſic puer aut muliercula prædicare poſſet: non ita Petrus qui ipſe per ſe verbi doctrinâ Eccleſiam alere nunquam deſtitit.

Prætereo alia falſa aut inepta, quæ in hac diſputatione Bellarmini occurrunt, cùm non ſint ad rem: ut cùm ait in Pſalmo 2. 9. legi תִּרְעֵם paſces, quod non ibi legitur, ſed תְּרוֹעֵם conteres. Et quòd teſtimonia citet Chryſoſtomi, Auguſtini, Gregorii; in quibus iſti nihil proprium Pontifici Romano ſed quod omnibus Epiſcopis commune eſt, enunciant: quibus omnibus ob dignitatem & difficultatem muneris ſpiritualis ad curam animarum ſpectantis eximium regimen, ſeu culmen regiminis attribui poteſt. Nam ars artium eſt regimen animarum, ut ait Gregorius in cap. 1. libri paſtoralis.

Tertiam hypotheſin adverſariorum, nempe verbum [*Paſce*] præ- *Hypotheſis* cipuè intelligendum eſſe de doctrinâ, non gravatè concedimus, ſi *tertia.* intelligatur doctrina Verbi Dei ex S. Literis petita, quæ verè eſt pabulum ovis rationalis: ac propterea, qui quod eſt præcipuum

 paſto-

paſtoris munus non exercet, id eſt, qui non docet verbum Dei, paſtoris nomine indignus eſt. Sed hanc partem non attingunt Pontifices Romani; ut omittam corruptelam doctrinæ maximam eorum auctoritate confirmari; ac propterea ex paſtorum albo meritò expungendi ſunt.

Papa non ſunt paſtores nec doctores.

Quarta hypotheſis.

Quartam hypotheſin, nempe, illis vocibus [*oves meas*] univerſam Chriſti Eccleſiam, & omnes omnino Chriſtianos, etiam Apoſtolos ipſos, Petro, tanquam oviculas, commendatos eſſe, variè ſed futiliter probat Bellarminus. 1. Diſtinctione vocum [*agni & oves*] quaſi Chriſtus per *agnos* denotâſſet populum Chriſtianum, ſeu laïcos, ut, vocant: per *oves* verò Apoſtolos & Epiſcopos, & alios, quos appellant Clericos. At hæc, ut inſolens, ita inepta eſt interpretatio: quaſi ſcilicet, cura ovium, ad nullum alium Apoſtolum & Epiſcopum ſpectaret: At Bellarminus infra ait, nullum eſſe in Eccleſiâ qui ſe Chriſti ovem eſſe non glorietur. Deinde hinc ſequetur verbum ποίμαινε, ex cujus vi ſolum, aut præcipuè ſummam poteſtatem arguunt, non referri ad oves, ſed tantùm ad agnos ſeu oviculas. Nam ubi uſurpatur vox ποίμαινε à Chriſto, nempe ubi ſecundâ vice mandatum dat Petro, ibi vulgatus interpres reddit [*paſce agnos meos.*] Et Bellarm. contra omnium Græcorum exemplarium fidem, ut defendat vulgatam editionem (quam unam authenticam agnoſcunt, negat legendum ποίμαινε τὰ πρόβατά μου ſed προβάτια, id eſt, agnos aut oviculas. Porrò, diſtinctionis illius vanitas arguitur etiam à Maldonato Jeſuitâ, in commentario in hæc verba. Non ſubtiliter (inquit) „ diſputandum eſt, cur Chriſtus agnos potiùs quàm oves appellâ„ rit: quod qui fecerit, videat ne doctis riſum præbeat: ſatis enim „ conſtat, eoſdem nunc agnos nunc oves appellari: quod ſi quid „ diſcriminis eſt inter oves & agnos, id non in re, ſed in voce eſt; „ quod cùm idem ſint, tamen vocabulum *Agni* blandius eſt, & majo„ rem amorem præ ſe fert. Idem ſentit & docet Lucas Brugenſis, & Janſenius in hunc locum. Sic Matth. 10.16. ubi legitur. *Mitto vos tanquam* πρόβατα *oves in medio luporum*, Lucas habet ὡς ἄρνας, tanquam agnos 10.3. Item pro eodem accipitur agnus & ovis, Eſ. 53. 7. Act. 8. 32. Ambroſius autem, Theophylactus & alii, non diſtinctionem paſtorum à populo, ſed Chriſtianorum diverſos gradus iſtis vocibus notari putant: prout diſtinguuntur infantes, ſeu rudiores, & adulti ſeu perfectiores. 1. Cor. 3. 1. 2. Heb. 5. 12. &c. cujuſmodi differentiâ in omni grege cuivis paſtori commiſiſſe videre eſt.

An oves diſtinguântur ab agnis.

Maldonatus.

Lucas Brugenſis Janſenius.

Mat. 10. 16. Luc. 10. 3. Eſ. 53. 7. Act. 8. 32. 1. Cor. 3. 1. 2. Heb. 5. 12.

Secun-

Digitized by Google

Secundum argumentum Bellarmini eſt à voce [*meas.*] Nam cùm *Bellarmini*
,, (inquit) abſque ullâ reſtrictione addatur ad nomen [*oves*] prono- *inepta.*
,, men [*meas*] manifeſte ſignificatur, eas omnes S. Petro commen-
,, dari, ad quas extenditur pronomen [*meas:*] certum eſt autem illud
,, [*meas*] extendi ad omnes oves ſimpliciter, &c.

Reſpondeo, ineptè poſtulatur, ut, quod indefinite dicitur, univerſaliter accipiatur: alioqui ſequetur, neminem paſcere oves Chriſti qui non omnes paſcat, nullâ prorſus exceptâ: ac proinde nec Petrum, nec ullum unquam hominem prædicatione verbi Dei paviſſe oves Chriſti, quia nemo ſic unquam omnes pavit. At contrà, qui vel duas, vel tres Chriſti oves paverit, Chriſti oves paviſſe firmiter concluditur; v. c. Timotheus & Titus ſunt oves Chriſti: Paulus pavit Timotheum & Titum: Ergo pavit oves Chriſti. In 34. capite Ezechielis, ſæpè legimus [*Oves meas, & gregem meum:*] licet non omnes omninò oves & univerſus grex, nullo ex grege excepto, intelligantur. Sunt qui confirmationem hujus argumenti petunt ab articulo addito, quaſi articulus inferret univerſalitatem, cum dicitur τὰ ἀρνία, τὰ πρόβατα. At mille contrà inſtantiæ afferri poſſunt; ut in hoc ipſo cap. Jo. 21. verſ. 1. Mat. 23. 37. Act. 4. 26. *Turrianus lib. 1. de Eccleſiâ. Jo. 21. 1.*

Bellarm. autem confirmat à ſimili: ut qui dicit [*Relinquo bona mea filiis meis*] nihil ex ſuis bonis, nec ullum ex filiis ſuis excludit: at hoc ipſum exemplum contra Bellarminum militat: nam ſi utraque vox [*mea*] & [*meis*] ſumatur univerſaliter & diſtributivè, quaſi dictum eſſet [*Relinquo omnia bona mea meis filiis*] tum ſignificaretur, unicuique filiorum relicta eſſe omnia paterna bona, quod abſurdum eſt. Cæterùm cùm indefinitæ enunciationes rarò intelligantur univerſaliter, niſi in materiâ neceſſariâ, ideo in Logicâ comparantur particularibus. Et omnino ratione materiæ intelligendæ ſunt, vel univerſaliùs vel particulariùs. v. c. Si quis plures habens liberos, quorum aliqui ſunt adulti & provecti ætate, alii parvuli & impuberes, dicat [*Conſtituo te tutorem aut Magiſtrum liberis meis*] nemo hic intelligeret ſe præpoſitum eſſe omnibus liberis, ſed tantum junioribus. *Mat. 23. 37. Act. 4. 26.*

Ejuſdem farinæ eſt quod ſubjicit Bellar. Quid aliud eſt (inquit) *Paſce oves meas* quàm, habe curam ovilis mei? Eſt autem unum tantùm Chriſti ovile; igitur univerſum gregem ſuum Petro Chriſtus commiſit. Reſp. Multiplex eſt hîc inconſequentia, poteſt enim paſcere oves qui non habet curam ovilis. Nam 1. paſcit oves qui vel duas paſcit: at hîc ovile ſumitur pro grege, in quo multitudo eſt

Digitized by Google

eſt ovium. 2. Ut multæ ſunt Eccleſiæ particulares ex quibus conſtat una Eccleſia Catholica; ita multa ſunt ovilia & greges particulares, ex quibus oritur unum ovile & grex generalis. Ita poteſt aliquis habere curam unius ovilis, qui non habet alterius. 3. Unius particularis ovilis, nedum generalis, plures poſſint eſſe paſtores: & tum non unus ita præeſt uni iſti ovili ut excludat reliquos. 4. Etſi in relatione ad Chriſtum ἀρχιποίμενα, ſummum & principem paſtorem, omnes Chriſtiani ſint oves & pars ovilis ſeu gregis; tamen ratione habitâ inferiorum paſtorum ſub Chriſto, contra diſtingui ſolent paſtores ab ovibus ſeu ovili & grege & Eccleſiâ, ſive ſpectetur particularis Eccleſia, ſive univerſalis. Hac ratione fatemur, univerſum gregem, univerſum ovile & Eccleſiam Chriſti Petro & unicuique Apoſtolorum eſſe commiſſam, quatenus univerſæ Eccleſiæ paſtores erant, & ad nullum certum gregem alligati.

Eph. 4. 11. 12. *Act.* 20. 28.

,, Pergit Bellarminus, Cùm Deus ait [*Paſce oves meas*] vel commendavit Petro oves ſuas omnes, vel nullas, vel aliquas certas & definitas, vel aliquas indefinitas. At nemo dixerit nullas, aut aliquas certas eſſe commendatas: nec dicendum eſt aliquas indefinitas eſſe commendatas; quia non eſt ſapientis proviſoris relinquere indefinitam curam (inde enim oritur confuſio) cùm poſſit eam definire. Reſtat ergo ut omnes omninò ſuas oves Petro commendârit. Sed reſponſio in promptu eſt: nam fatemur omnes oves Petro commendatas eſſe, ſi ſumantur oves in generali Eccleſiâ, quatenus diſtinguuntur à paſtoribus generalis Eccleſiæ, quales erant Apoſtoli. Deinde nihil incommodi eſt, ſi dicamus hîc aliquas oves indefinitas intelligi, quatenus non alligatus erat ad certum gregem, neque hîc ulla inſipientia proviſoris arguitur, aut confuſio miniſterii ſequitur, cùm Apoſtolis omnibus immediatè aſſiſteret in munere ſuo Sp. Sanctus.

Retorquentur in Pontificios ipſorum argumenta.

Porrò hæc argumenta facile retorqueri poſſunt contra ipſos Adverſarios. Eodem enim modo inferri poteſt, vel Petrum excludendum eſſe ex numero ovium Chriſti, vel Petrum, & oviculam ſibiipſi ut paſtori fuiſſe ſubjectum, itidem ut reliquos Apoſtolos. Deinde quis negare auſit Paulum & Jacobum & reliquos Apoſtolos paviſſe oves Chriſti? Eiſdem ergo rationibus concludere licet, Petrum & reliquos omnes Apoſtolos Paulo & Jacobo fuiſſe ſubjectos: idque multò ſpecioſiùs probari poſſet ex mandatis Chriſti, quæ omnibus Apoſtolis communiter dedit, quæ multò luculentiora apparent

quàm

Digitized by Google

quàm hoc in quo verſamur: ut cum dixit Jo. 20. 21. *Sicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos.* *Jo. 20. 21.* Quem locum ſic exponunt Patres, Chryſoſtomus, Theophylactus & Cyrillus (referente Bellarmino lib. 4. de Pontif. cap. 23.) ut apertè dicant Apoſtolos ipſum Chriſti officium & auctoritatem, ac proinde ſummam poteſtatem accepiſſe: ſiquidem Pater Filium miſit ſummâ poteſtate præditum. Si hæc verba ſoli Petro dicta eſſent, quantùm exultarent Pontificii? Ita Mat. 28. 19. *Ite & docete omnes gentes, &c.* Atque hîc non indefinite loquitur; ut cùm dixit [*Paſce oves meas*] ſed univerſaliter, adjectâ notâ univerſali [*Docete omnes gentes, &c.*] ſicut & Marc. 16. 15. *Profecti in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* *Mat. 28. 19.* An non hæc eòdem recidunt, ac ſi dixiſſet iis [*Paſcite omnes gentes & omnem creaturam?*] Etenim ut docet Bellar. l. 3. de Verbo Dei c. 5. Paſcendi verbo præcipuè ſignificatur doctrina, quia doctrinâ paſcuntur oves rationales: in iſtis autem locis ait Chriſtus μαθητεύσατε διδάσκοντες κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον. Quid ergo? Si more Bellarmini arguere liceat, concludemus ſcilicet mandatum eſſe Apoſtolis ut Petrum paſcerent, diſcipulum facerent, docerent, eique Evangelium prædicarent: ſiquidem Petrus etiam nomine omnium gentium & omnis creaturæ comprehenditur. Et cùm Chriſtus mandavit ut docerent omnes gentes, & prædicarent omni craturæ, cùm ſinguli non poſſent docere omnes, & prædicare unicuique creaturæ, an propterea Chriſtum cum Bellarmino dicemus inſipientem proviſorem, qui reliquit indefinitam curam inter omnes, cùm potuiſſet definire ſingulis propriam curam: quaſi confuſio & perturbatio ex illâ indeterminatione orieretur. Itidem cùm Paulo dixit, *Ego te longè ad gentes mittam.* *Act. 22. 21.* Act 22. 21. An aut omnes gentes intellexit, aut, quia non indicavit quas gentes, incommodè locutus eſt?

Teſtimonia Patrum à Bellarmino citata non eſt quòd moremur. Nam aut nihil ad rem faciunt, aut parum auctoritatis habent, utpote prolata à Pontificibus Romanis, in ſede & dignitate ſuâ extollendâ ambitioſis; vel à recentioribus communi errore invaleſcente abreptis. Sed ſi quis reſponſionem ad ſingula deſideret, conſulat Lutherum, Calvinum, Wittakerum, Chamierum, & alios Orthodoxos, qui doctè hac de re ſcripſerunt, & plurimis luculentis argumentis oſtenderunt, Petro in his verbis nullam poteſtatem ſupra reliquos aſſignatam eſſe.

Quod ad quintam hypotheſin attinet, nempe quod hîc dicitur *Quinta hypotheſis.*

Petro [*Paſce oves meas*] pertinere etiam ad ejus ſucceſſores, nos quidem agnoſcimus in Eccleſiâ Chriſtianâ perpetuam ſucceſſionem paſtorum à Chriſto & ejus Apoſtolis: & hoc mandatum paſcendi oves Chriſti ad omnes paſtores, ſpectare aſſerimus: quanquam aliis major, aliis minor grex commiſſus ſit. Sed negamus. 1. hoc mandatum ad Petrum & ejus ſucceſſores ſolùm pertinere. 2. Solos Pontifices Romanos eſſe ſucceſſores Petri in munere paſcendi oves Chriſti. 3. Ullum dari ſucceſſorem Petri magis quàm aliorum Apoſtolorum, cui univerſæ Eccleſiæ præfectura competit: quorum omnium ut ratio conſtet, pauca de munere Apoſtolico & ſucceſſione diſſeremus.

De ſucceſſione & Apoſtolatu.

Succeſſio propagationis & ſubſtitutionis.

Et in primis notandum eſt, duplicem ſpectari ſucceſſionem; unam, propagationis, quâ aliud ex alio propagatur; alteram, ſubſtitutionis, ubi aliud in locum alterius decedentis ſubſtituitur. In priore ſpectatur ſeries cauſandi; nam præcedens eſt cauſa & origo ſuccedentis: in poſteriore ſpectatur viciſſitudo locum occupandi; nam ſuccedens occupat locum, ſeu ſubit vicem decedentis. Itaque in poſteriore ſucceſſione, neceſſe eſt recedere unum ut ſuccedat alterum: quia duo non poſſunt eſſe ſimul in eodem loco proprio, ſive propriè loquamur de loco, ſive metaphoricè: In priori neceſſe eſt quidem ut propagans præcedat, ſed non ut recedat cùm ſimul poſſit conſiſtere cum propagato. Priore modo, continuâ ſucceſſione dirivantur homines à parentibus; adeoque à primis parentibus Adamo & Evâ: Sic ex vite propagines, ubi cernitur propagatio ſubſtantialis. Sic derivatur doctrina à docente in diſcentem, contagio ab uno infecto in alium, ubi cernitur propagatio accidentalis. Eodem modo conſideratur ſucceſſio doctrinæ Chriſtianæ, atque etiam vocationis ordinariæ miniſtrorum in Eccleſiâ: in quâ utraque ſpiritualis propagatio locum habet. Nam & docentibus ſuccedunt diſcentes: & ſicut Pater miſit Chriſtum, ita Chriſtus Apoſtolos & diſcipulos, quibus poteſtatem dedit ordinandi paſtores & Epiſcopos, & illis rurſum continuâ ſucceſſione alios: ita ut ſicut uni Patri plures ſuccedere poſſunt liberi, ac deinceps numeroſa propago, ita etiam hîc uſu venerit.

Propagatio ſubſtantialis & accidentalis.

Poſteriori modo alteri ſuccedit, qui recedente altero ejus locum, dignitatem, munus aut officium ſubit: & hujuſmodi quidem ſucceſſio aliquando ex alterâ ſequitur, ut cùm filius ſuccedit in dignitatem muneris aut hæreditatem patris: aliquando fit nullâ habitâ ratione alte-

alterius generis: idque vel jure, ut cum ſuccedit aliquis in munus alterius electione, & in agros alterius venditione; vel injuriâ, ut cum fraude aut vi aliquis occupat locum alterius: vel naturâ, caſu, aut aliâ ratione, ut cùm mors ſuccedit vitæ, morbus ſanitati, divitiæ paupertati.

Succeſſio juſta & injuſta.

In V. Teſtamento ſucceſſio fuit Sacerdotum hæreditario jure ratione naturalis propagationis: in Novo nulla ratio habetur ſanguinis, ſed electionis & ordinationis. Atque hîc quoque duplex ratio & ſeries ſucceſſionis ſpectatur. 1. Ab ordinante ad ordinatum, quâ poteſtas miniſterii propagatur. 2. A decedente ad ſubſtitutum, quâ hic illius locum ſubit.

Naturalis, caſualis.

Alia eſt ſeries ab ordinante ad ordinatum, alia à decedente ad ſubſtitutum.

Unde obiter notandum eſt quàm parum ſibi conſentanea ſint dogmata Pontificiorum, qui ſucceſſionem Epiſcoporum continuam ab Apoſtolis deductam dicunt eſſe notam Eccleſiæ: & ejuſmodi ſucceſſionem à Petro in Pontificibus ſuis jactant: vim autem omnem ſucceſſionis in ordinatione collocant: quâ ſcilicet ſacra poteſtas derivatur continuâ ſerie ab Apoſtolis: & ordinationem volunt eſſe Sacramentum, & pendêre ab intentione ordinantis. Veruntamen ad oſtendendam ſucceſſionem, de quâ gloriantur, non ſeriem ordinantium & ordinatorum, quæ ſola ad rem facit, ſecundum ipſorum principia, ſed ſucceſſionem ſubſtitutorum tantùm recenſent, aut recenſere poſſunt: quomodo ſuccedere poteſt morbus ſanitati, & oppreſſor ac impoſtor locum alterius vi aut dolo occupare. Quanquam reverâ neutra ſucceſſio ſatis firmum eſt argumentum (cùm ſuccedere poſſit hæreticus orthodoxo) niſi accedat ſucceſſio doctrinæ, ut præclarè docet Nazianzenus de laudibus Athanaſii. Succeſ-„ ſio ſedis (inquit) eſt nomine tenus: ſcceſſio fidei rem habet ip-„ ſam, & veritatem.

Rurſus utraque ſucceſſio, tam propagationis quàm ſubſtitutionis, vel eſt ex aſſe, vel ex parte. Propagatio quidem ſubſtantialis ſolet eſſe integra, quia ſubſtantia non recipit magis & minùs: at propagatio accidentalis poteſt eſſe ſecundum quaſdam partes & gradus. Sic in ſucceſſione ſubſtitutionis poteſt aliquis ſurrogari in totam dignitatem, hæreditatem, aut munus alterius, & poteſt aliquis in aliquam ejus partem, adeóque quod uni competebat, poteſt in plures per partes dividi.

Succeſſio alia ex aſſe, alia ex parte.

Atque hæc de ſucceſſione, nunc de Apoſtolico munere non nihil dicemus; quo nullum majus in Eccleſiâ miniſterium notatur in ſacris Literis.

Digitized by Google

In Apoſtolatu extraordinario non admittunt ſucceſsionem. In munere Apoſtolico facile apud omnes conſtat, nonnihil fuiſſe extraordinarium, illis perſonis & temporibus peculiare, in quibus fundata fuit Eccleſia, cujus ratione nulla datur ſucceſſio: alia autem fuiſſe perpetui usûs in Eccleſiâ, in quibus ſucceſſio requiritur. Quod ut meliùs intelligatur, ſciendum eſt, Apoſtolos in ſuo munere & perſonâ complexos eſſe omnes partes & omnia officia miniſterii Eccleſiaſtici, tam ordinarii quàm extraordinarii. V. c. cùm Apo-*Eph. 4. 11.* ſtolus Eph. 4. 11. quatuor aut quinque ordines miniſtrorum enumeret, nempe, Apoſtolos, Prophetas, Evangeliſtas, Paſtores, & Doctores; certum eſt doctores & paſtores ordinarios eſſe ac perpetui usûs in Eccefiâ; reliquos autem tres, prout ab iis diſtinguebantur, fuiſſe extraordinarios: quibus tribus hoc commune fuit, quòd vocationem haberent extraordinariam, & dona extraordinaria, neque ad certum locum aut gregem alligarentur. Evangeliſtarum nomen contendunt nonnulli fuiſſe proprium 70 diſcipulis, quos Chriſtus ipſe Apoſtolis adjunxit. Utcunque, certum eſt Evangeliſtas fuiſſe comites Apoſtolorum, ex quorum mandato ſcribebant aut annunciabant Evangelium. Prophetæ erant qui non humano ſtudio & induſtria, ſed divino inſtinctu Dei myſteria & voluntatem aut ex Scripturâ ſacrâ, aut ex ſingulari revelatione explicabant. Apoſtoli autem iiſdem extraordinariis donis ac muneribus prædìti ſunt, quibus Evangeliſtæ & Prophetæ: & præter ea quæ dicta ſunt, accedebant etiam dona linguarum & miraculorum, quæ Apoſtolis etiam cum aliis erant communia. Denique præter iſta omnia, quædam propria fuerant Apoſtolorum quibus reliquos antecellebant: utpote quod à Chriſto immediatè vocati ſunt ad Eccleſiæ fundamenta jacienda, ſummâ cum auctoritate & mandatis ampliſſimis, & abſolutâ infallibilitate prædìti in omni doctrinâ, adeò ut eorum ſcripta planè divina eſſent: item quod Sp. Sanctum & dona ejus miraculoſa conferre poterant per impoſitionem manuum. Sed cùm hæc omnia fuerunt extraordinaria, iſtorum ratione non dantur ſucceſſores Apoſtolorum.

Omnes miniſtri Apoſtolorum ſucceſſores. Cæterum ordinarii miniſtri Eccleſiæ rectè dici poſſunt ſucceſſores Apoſtolorum: quia tùm ordinarii miniſterii partes omnes in Apoſtolico munere comprehendebantur, tum ab Apoſtolis poſt Chriſtum derivata eſt omnis functio Eccleſiaſtica ordinaria. Et nominatim Epiſcopi paſſim ſucceſſores Apoſtolorum appellantur: ut docet Hieronymus in epiſt. ad Marcellum & in epiſt. ad Euagrium.

Sic

„ Sic Irenæus lib. 4. cap. 43. Eos qui in Eccleſia ſunt Presbyteris *Irenæus.*
„ obedire oportet, his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, qui
„ cum Epiſcopatûs ſucceſſione chariſma veritatis ſecundum placitum Patris acceperunt. Cyprianus lib. 4. Epiſtolarum in epiſt. 9. ad Oupianum. Chriſtus dicit ad Apoſtolos, ac per hos ad omnes præpoſitos, qui Apoſtolis vicariâ ordinatione ſuccedunt, *Qui vos audit,*
„ *me audit.* Et Auguſt. in Pſal. 44. Quid eſt (inquit) pro patribus
„ tuis nati ſunt tibi filii? Patres miſſi ſunt Apoſtoli: pro Apoſtolis filii nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi. Idem Bellarminus docet lib. de confirmatione, cap. 12.

Cyprianus.

Ambroſius.

Præter hanc communem ſucceſſionem, quâ omnes Eccleſiæ præpoſiti dicuntur Apoſtolis ſuccedere ratione muneris Eccleſiaſtici, conſideratur & ſucceſſio accedentalis ratione loci: quâ ii Epiſcopi peculiariter ſucceſſores Apoſtolorum indigitantur, qui iis Eccleſiis præfuerunt, quas ipſi Apoſtoli docuerunt aut fundârunt. Sic Eccleſiæ Romanorum, Corinthiorum, &c. peculiari ratione dicebantur Apoſtolicæ; & Epiſcopi earum hujus aut illius Apoſtoli ſucceſſores, aut in ſede Apoſtolicâ, aut in hujus aut illius Apoſtoli Cathedrâ ſedere. Neque tamen propterea iis Eccleſiis aut earum Epiſcopis plus poteſtatis aut dignitatis conceſſum eſt: imò ob celebritatem, factum eſt ut nonnullæ poſteriores Eccleſiæ multis prærogativis ordinis poſitivi priores antecellerent: nam licet Conſtantinopolis non extaret multis annis poſt Apoſtolorum tempora, tamen ejus Eccleſia celebritate & aliis privilegiis ſuperavit pleraſque omnes ab Apoſtolis fundatas & ædificatas.

Succeſſio accidentalis in Apoſtolorum Cathedris.

Ex dictis patet, nullum dari qui Petro aut cuivis Apoſtolo ex aſſe ſuccedat, ſed tantum ex parte, & inferiore gradu, ordine, poteſtate, & titulo. Bellarminus ipſe fatetur, proprium fuiſſe Apoſtolis quod à Deo immediatè vocati & edocti eſſent cum auctoritate Canonicam Scripturam ſcribendi, atque eatenùs nec Papam, nec ullum alium eſſe ſucceſſorem Petri aut Apoſtolorum. Stultum autem eſt contendere de ſucceſſione Petri in munere quod ei nunquam competebat, nempe in Monarchiâ Eccleſiæ. Petrus enim ſolus nunquam præerat univerſæ Eccleſiæ; ſiquidem omnes Apoſtoli fuerunt capita, rectores, & paſtores univerſæ Eccleſiæ, ut docet Bellar. l. 1. de Pontif. c. 11. Petro igitur communis fuit cum reliquis Apoſtolis poteſtas & auctoritas illimitata in univerſam Eccleſiam. Sed hæc (ut dixi) ſingularis fuit eorum proprietas, & extraordinaria, in quâ neminem habent

Nullus Petri ſucceſſor ex aſſe.

Digitized by Google

ſucceſſorem. Pontificii dicunt extraordinariam fuiſſe quidem in reliquis Apoſtolis, ſed in Petro ordinariam: proinde reliquos Apoſtolos eatenus non habere ſucceſſores, ſed ſolum Petrum. Atque hic illis eſt primarius fidei articulus, unde tota Papæ autoritas & Pontificia Religio dependet: cujus tamen in toto Verbo Dei nullum veſtigium aut indicium apparet, nec alioqui ulla probabilis ratio afferri poteſt.

Pontifex Romanus nunquam Petri ſucceſſor.

Bellarm. in lib. 2. de Pontif. Rom. cap. 12. duas ponit propoſitiones. 1. Petro in Pontificatu univerſæ Eccleſiæ aliquem oportere ſuccedere. 2. Illum non eſſe alium quàm Pontificem Romanum. Priorem propoſitionem ait niti jure divino & Chriſti inſtituto: attamen nullum nec jus divinum nec Chriſti inſtitutum oſtendit aut oſtendere poteſt. Poſteriorem autem propoſitionem ait pendere, non ex Chriſti inſtitutione; ſed ex Petri facto, nempe quia Petrus tranſtulit ſedem Epiſcopatùs ſui ex Antiochiâ Romam & ibidem „ mortuus eſt. Etenim (inquit) potuiſſet Petrus nullam particula„ rem ſedem ſibi unquam eligere, ſicut fecit primis quinque annis, „ & tunc moriente Petro, non Epiſcopus Romanus, neque Antio„ chenus ſucceſſiſſet, ſed is quem Eccleſia ſibi elegiſſet: potuiſſet „ quoque ſemper manere Antiochiæ, & tunc Antiochenus Epiſco„ pus ſine dubio ſucceſſiſſet: quia verò Romæ ſedem fixit, & tenuit „ uſque ad mortem, inde factum eſt, ut Romanus Pontifex ei ſuc„ cedat, non tantùm in Epiſcopatu Romano, ſed in Eccleſiæ uni„ verſæ præfecturâ.

„ At licet (inquit Bellarminus) non ſit de jure divino, Pontifi„ cem Romanum, ut Pontificem Romanum Petro ſuccedere, ta„ men id ad fidem Catholicam pertinet. Poteſt enim aliquid eſſe de „ fide,quod non eſt de jure divino: non enim eſt de jure divino,Pau„ lum habere penulam, at eſt ex fide, quia ejus mentio fit in Scripturis. 2. Tim. 4. 13. Verùm hæc ambiguè dicuntur: etſi enim quicquid in Scripturis dicitur, ut veritas divina, firmâ fide credendum eſt, abſolutè tamen id dicitur res fidei quod ad ſalutem eſt neceſſarium. Cæterùm ſi poſſit tam firmiter oſtendere ex ſacris Literis, Papæ ſucceſſionem ac Pauli penulam, nos non gravabimur utramque fide amplecti: Atqui id non poteſt: tantum dicit, licet non expreſsè habetur in Scripturis, Pontificem Romanum Petro ſuccedere; tamen quod aliquis Petro ſuccedat, deduci per conſequentiam ex Scripturis. At nullâ argumenti ſpecie id deducere poteſt ex Scripturis.

Dein-

Papæ ſucceſſio Petro non eſt traditio Apoſtolica.

Deinde Pontificem Romanum eſſe illum qui ſuccedat Petro, dicit haberi ex traditione. At nulla traditio (ex ipſorum doctrinâ) fundamentum eſt fidei quæ non eſt Apoſtolica; ſiquidem fides Eccleſiæ nititur eâ doctrinâ quam Prophetæ & Apoſtoli prædicatione & literis ad poſteros mandaverunt, ut docet Bellarm. lib. 1. de Pontif. cap. 11. Cujuſnam igitur Apoſtoli erat hæc traditio? Bellarminus ait eſſe Apoſtolicam traditionem Petri. At verò ita ſibi ipſe contradicit. Dixit enim Papæ jus pendêre inde, quòd Petrus Romæ mortuus ſit: non pendet igitur ex Petri verbo aut doctrinâ, ſed ex facto, imò extremo facto, aut potius paſſione & morte, poſtquam nullam potuit communicare traditionem. Ecce quàm tenui ex filo Papæ poteſtas dependeat! Nam, ut omittam incertum eſſe, an Petrus unquam Romæ vixerit aut mortuus fuerit (ſaltem ex ſacris Literis non conſtat) quis exiſtimaret crucifixione Petri Romam ad ſummam dignitatem evectam eſſe, & Petri morte aliquam mutationem in fide introductam fuiſſe. Nam ante Petri mortem non erat articulus fidei, ſucceſſionis jus Pontifici Romano futuro competere: quod nunc putant ex neceſſitate ſalutis ſcilicet credendum.

Bellarmini argumentum in formâ.

His præmiſſis quæ valent ad omnes Pontificiorum fraudes explicandas, quibus hunc locum vafrè & variè torquent, accedimus ad argumentum quod ad præſens inſtitutum hinc deducit Bellarminus: id ita optimè formari poteſt: Cui mandatum eſt à Chriſto, ut doceat omnes Chriſtianos, quid circa doctrinam fidei tenendum ſit, is eſt ſummus & abſolutus judex dogmatum & controverſiarum fidei: At Petro & ejus ſucceſſoribus Pontificibus Romanis mandatum eſt à Chriſto, ut doceant omnes Chriſtianos quid circa doctrinam fidei tenendum ſit. Ergo &c. Majore omiſsâ minorem probat Bellarminus, ſic: Cui mandatum eſt ut doceat omnes Chriſtianos, ei mandatum eſt ut doceat omnes quid circa doctrinam fidei tenendum ſit, ſeu ut determinet quæſtiones fidei: At Petro & ejus ſucceſſoribus Pontificibus Romanis, mandatum eſt ut doceant omnes Chriſtianos. Ergo &c. Majorem hujus proſyllogiſmi probat, ſic: Cui mandatum eſt ut doceat omnes Chriſtianos, vel mandatum eſt ut doceat eos concionando, vel etiam ſcribendo commentaria in ſanctas Literas; vel determinando quid ab omnibus credendum ſit: At non concionando: quia unus homo non poteſt omnibus Chriſtianis concionari: non ſcribendo commentaria, quia alioqui reprehendendi ſunt plurimi ſanctiſſimi Pòntifices, qui nihil tale fecerunt. Ergo loquitur Domi-

Dominus de ſingulari officio docendi totam Eccleſiam, conſtituendo & decernendo quid ab omnibus credendum ſit. Minorem proſyllogiſmi ſic oſtendit: Cui mandatum eſt ut paſcat omnes Chriſtianos, ei mandatum eſt ut doceat omnes Chriſtianos: At Petro & ejus ſucceſſoribus Papis mandatum eſt ut paſcant omnes Chriſtianos: Ergo &c. Majorem probat ex tertiâ hypotheſi; minorem ex quartâ & quintâ hypotheſi.

Refellitur. Reſpondeo 1. infirmam eſſe majorem principalis ſyllogiſmi: neque enim ſi cui mandâſſet Chriſtus ut doceret omnes Chriſtianos quid circa fidem tenendum eſſet, ſequetur eum nunquam errare poſſe in munere exequendo: alioqui eâdem ratione ſequeretur, eum cui mandatum eſt à Chriſto docere aliquem particularem gregem, quid circa fidem tenendum eſſet: id eſt, unumquemque paſtorem, errare non poſſe in ſuo munere. Sed cùm nullius cura tam latè pateat, præteritâ majore, negamus minorem. Nam ne Petro quidem aliquid hîc mandatum eſt quod non erat commune reliquis Apoſtolis: nec in univerſali præfecturâ Eccleſiæ, aut in prærogativâ infallibilitatis doctrinæ Petrus aut ullus Apoſtolorum ullum ſucceſſorem habet, ut ex dictis conſtat; unde etiam quid ad proſyllogiſmos reſpondendum ſit, facilè colligitur.

CAP. XXIII.

Reſpondetur ad reliqua argumenta Adverſariorum ex Novo Teſtamento.

Sic paulò fuſiùs conſideravimus tria iſta loca quibus Pontificii ad Papæ omni-potentiam confirmandam abutuntur. Reliqua quæ hujus inſtituti propria ſunt percurremus ocyùs.

Quartum Pontificiorum argumentum ex Matt. 18.17. Quartum argumentum ex Novo Teſtamento ſumunt ex Mat. 18. 17. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut Ethnicus & Publicanus.* Hîc duo præſupponit Bellarm. 1. Etſi hîc Dominus loquatur de injuriis quas unus ab aliquo patitur, tamen à majori locum tamen intelligi poſſe de injuriis quæ fiunt in totam Eccleſiam & in Deum, qualis eſt hæreſis. 2. Nomine Eccleſiæ hîc intelligendam non eſſe congregationem omnium fidelium, ſed Prælatorum, ut exponit Chryſoſtomus, vel, ut alii malunt, Prælatorum congregationem. Unde ſic arguit: *Si qui Eccleſiam*, id eſt, Eccleſiæ paſtores, non audit, debet

debet eſſe ut Ethnicus & Publicanus, ſequitur judicium paſtorum eſſe ultimum judicium: At verum prius: Ergo poſterius.

Reſp. Ad primam hypotheſin; Dominus ibi loquitur de privatis injuriis & offenſis inter fratres, prout & ipſe Petrus intellexit, ſubjungens verſ. 21. *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & remittetur ei?* Non diffiteor tamen analogicè verba hæc transferri poſſe ad alia peccata clandeſtina, aut non publicè nota, (alioqui ubi eſt publicum ſcandalum non ſufficit privata ſatisfactio & reprehenſio) utcunque certum eſt, illic ſermonem eſſe de cenſurâ peccati & peccatoris, non de interpretatione Scripturæ & controverſiis fidei, & inſtitui ordinem peccata corrigendi, non controverſias de fide decîdendi. *Locus eſt de privatis offenſis non de controverſiis fidei.*

Reſp. Ad ſecundam hypotheſin. Fatemur nomine Eccleſiæ non intelligi totam congregationem, ſed negamus nomine Eccleſiæ unum Prælatum intelligi: inauditum enim eſt ante Jeſuitas, & in ſe abſurdiſſimum, unum hominem nomine Eccleſiæ denotari: & falsò ait hîc Chryſoſtomum Eccleſiam exponere Prælatum, quin apertè Eccleſiam interpretatur *Præſules ac Præſidentes.* Sed nunquid audet dicere hic nomine Eccleſiæ unum Pontificem Romanum intelligi? Ita ſenſus eſſet, in omnibus privatis injuriis, ſi frater privatim ſatisfacere nollet, recurrendum eſſe ſcilicet ad Pontificem Romanum. Quod ſi quilibet alius Prælatus intelligatur, tum hoc argumento æquè quilibet prælatus infallibilis, & abſolutus judex controverſiarum ſtatuetur. Quod autem ait intelligi poſſe Prælatorum congregationem, non audet eam reſtringere ad generale Concilium, nec ad Concilium aliquod Romani Pontificis, quaſi ob tales cauſas ejuſmodi Concilia cogenda eſſent ſemper. Itaque neceſſe eſt fateatur hîc nomine Eccleſiæ denotari quamlibet congregationem paſtorum, & nominatim Presbyterium (de quo fit mentio, 1. Tim. 4. 14.) ſeu Concilium aut collegium Presbyterorum, in quo dijudicari poſſunt ejuſmodi injuriæ, & à quo diſciplina Eccleſiaſtica exerceri poteſt in contumaces: cujuſmodi ſynodum aut presbyterium nunquam concedit Bellarm. eſſe infallibilem & abſolutum judicem controverſiarum fidei. *Eccleſia eſt Presbyterium.* *1. Tim. 4. 14.*

Reſp. Ad argumentum. Fallit ob ignorationem Elenchi: neque enim idem eſt, paſtorum judicium eſſe ultimum, & dari externum judicem abſolutum & infallibilem dogmatum & controverſiarum fidei. In rebus civilibus Regis judicium eſt ultimum, neque tamen *Ultimum judicium non eſt abſolutum nec infallibile.*

eſt infallibile; etſi in cenſurâ diſciplinæ Eccleſiaſticæ judicium Presbyterii aut Synodi ſit ultimum, non ſequitur tamen eſſe etiam ultimum in rebus fidei: aut etſi eſſet in rebus quoque fidei, quoad homines, ultimum, non ſequitur tamen eſſe abſolutum ac infallibile, & non reſtringendum & examinandum ad Verbum Dei. 3. Si paſtores, ad quos deferendæ ſunt iſtiuſmodi injuriæ, & qui exercere poſſunt cenſuram Eccleſiaſticam ſint judices abſoluti & infallibiles, multos nobis dabit ſummos judices infallibiles, quot nullus Pontificiorum audebit agnoſcere. 4. Si paſtorum iſtorum judicium ſit ultimum & ſi ultimum judicium ſit à quo non licet provocare, tum ab illis paſtoribus, nequidem ad Papam provocare fas erit: contra quàm docet Bellarm. qui omnia omnium paſtorum Concilia errare poſſe ſine approbatione Papæ, adeoque ab omnibus Conciliis ad Papam provocari poſſe contendit lib. 2. de Conciliis cap. 10. 11. 16. 17. 5. Diſtinguendum eſt inter veros paſtores Eccleſiæ, & impoſtores, id eſt, vulpes & lupos qui paſtorum perſonam mentiuntur, quales ſunt adverſarii noſtri.

Impoſtores non ſunt paſtores.

Denique audienda eſt Eccleſia non ſimpliciter in omnibus quicquid dixerit, aut quicquid ſcripſerit, ſed tum demum cum Verbo Dei conſentanea dicit aut præſcribit. Et planè hîc ſupponitur fratrem reverâ peccâſſe, *Si peccaverit* (inquit) *in te frater*, & concluditur, multandum eſſe qui juſtam admonitionem & cenſuram Eccleſiæ contempſerit. Quod ſi frater non peccavit in fratrem: Eccleſia autem judicavit eum peccâſſe, hæc hypotheſis non pertinet ad hunc locum: nam Chriſtus diſertè ait, *Si peccaverit, &c.*

Omnis humana obedientia eſt conditionata.

Imò verò cum maximè abſolutè Deus mandat ut pareamus parentibus, Magiſtratibus & præpoſitis noſtris ſive in Repub. ſive in Eccleſiâ: & pronunciat execrabiles & damnandos qui non parent. Hæc conditio ſemper ſubintelligitur, etſi raro exprimitur, ut nihil contra Deum præcipiatur aut præſcribatur: alioqui regula Apoſtoli perpetuò obtinet, *Obedire oportet Deo potius quàm hominibus.*

Eccleſia poteſt errare.

Et conſtat in dijudicando peccato & peccatorum cenſurâ errare poſſe Eccleſiam: quippe in rebus facti errare poſſe docent ipſi Pontificii: & oſtendere ligatos & ſolutos qui non ſunt apud Deum docet Lombardus lib. 4. diſtinct. 18. F & H & clave errante injuſtam Eccleſiæ ſententiam eſſe omnes afferunt, ut ſuprà dictum eſt. Innocentius 3. (ut legitur in Decretalibus lib. 5. tit. 39. cap. 28.) Ju-
„ dicium Dei (inquit) veritati, quæ non fallit nec fallitur, ſemper
„ niti-

Innocentius.

Digitized by Google

,, nititur: judicium autem Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequi-
,, tur, quam & fallere ſæpè contingit & falli: propter quod contin-
,, git interdum, ut, qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit
,, ſolutus; & qui liber eſt apud Deum, Eccleſiaſticâ ſententiâ ſit innodatus. Cùm itaque in ejuſmodi rebus de quibus hîc ſolum aut præcipuè agitur, id eſt, in cauſis particularibus offenſarum inter fratres, & ſimilibus delictis examinandis & corrigendis errare poſſit Eccleſia, ex hoc loco nunquam deducetur judicium, abſolutum & infallibile Eccleſiæ in rebus fidei, de quibus hîc non agitur directè.

Quintum argumentum ex Mat. 23. 2.

Quintum teſtimonium in Matth. 23. 2. *Super Cathedram Moſis ſederunt Scribæ, & Phariſæi: quæcunque dixerint vobis, ſervate & facite: ſecundum opera eorum nolite facere.* Ex hoc loco ſic arguunt. Cuicunque debetur obſequium in omnibus quæ dixerit aut docuerit, is eſt ſummus & infallibilis judex interpretationis Scripturæ, dogmatum fidei, & controverſiarum Religionis: At Pontifici Romano debetur ejuſmodi obſequium. Ergo &c. Minorem probant. Scribis & Phariſæis ſedentibus in Cathedrâ Moſis debetur obſequium in universâ eorundem doctrinâ & præceptis (ut patet ex textu) E. multò magis Pontifici Romano ſedenti in Cathedrâ Petri.

Vnuſquiſque Phariſæus nõ fuit infallibilis judex veritatis.

At hoc argumento quis non videt æquè firmiter, & quidem prius, concludi, Scribas & Phariſæos, etiam ſingulos (ſinguli enim ſedebant in Cathedrâ Moſis) eſſe ſummos, abſolutos & infallibiles judices dogmatum fidei & religionis: quorum judicio ſi acquieſcendum eſſet, procul dubio exploſa fuiſſet Chriſtiana Religio. Eodem enim tempore quo Chriſtus hæc verba protulit, iſti in eum minimè credebant, ſed doctrinæ ejus maximè adverſabantur. Porrò ſi Scribæ & Phariſæi ſinguli ſint judices infallibiles controverſiarum, cur non etiam eodem jure gaudebunt omnes miniſtri & paſtores Novi Teſtamenti, qui amplioribus donis & privilegiis ornati ſunt à Deo: ergo non noſtrâ magis, quam adverſariorum intereſt hoc argumentum ſolvere: quaſi hoc argumento aliquis fanaticus inſtitueret, omnibus miniſtris infallibile judicium tribuere.

Nos autem reſpondemus breviter. 1. Diſtinguimus majorem primi ſyllogiſmi: Cuicunque debetur obſequium in omnibus quæcunque dixerit aut docuerit (nempè abſolutè & ſine exceptione) is eſt ſummus & infallibilis judex. Sic concedimus majorem: & tum negamus minorem, id eſt, Pontifici Romano aut ulli homini aut

cætui poſt Apoſtolos deberi ejuſmodi obſequium: At cui debetur obſequium in omnibus quæ dixerit aut fecerit ex hypotheſi (nempe quatenus verbo Dei conſentanea dicit aut docet) quòd is ſit abſolutè ſummus & infallibilis judex, negamus. Etenim cui debetur abſolutum obſequium, is eſt abſolutus judex: cui autem debetur obſequium ex hypotheſi, is eſt judex reſtrictus ad hypotheſin illam.

Iudex infallibilis ex hypotheſi eſt reſtrictus ad hypotheſin.

Quod ad probationem minoris, eadem diſtinctio applicanda eſt: neq; enim ſenſus verborum Chriſti eſt, ut omnia abſolutè quæ dixerint Scribæ & Phariſæi, obſerventur & fiant: ſed ipſe præmiſit rationem, quæ ſimul eſt norma & conditio obedientiæ: *In Cathedrâ Moſis ſedent Scribæ & Phariſæi*: intelligens, eis adeò & eatenùs obediendũ, quia & quatenus in Cathedrâ Moſis ſedent, id eſt, doctrinam Moſi conſentaneam doceant & annunciant (nam per Cathedram Moſis, doctrinam Legis oſtendit, inquit Hieronymus in hunc locum) alioqui Chriſtus ſæpè exagitat doctrinam Phariſæorum: oſtendit enim eos malè Legem Dei interpretatos eſſe Matt. 5. 21. uſque ad finem & cap. 23. 16. 17. ac tranſgreſſos ac irritum feciſſe præceptum Dei per traditionem ſuam, Deumque fruſtrà colere docentes doctrinas quæ ſunt præcepta hominum. Mat. 15. verſ. 6. & 9. jubet diſcipulos ſuos cavere à fermento Phariſæorum, id eſt, à doctrinâ eorum; ut explicatur in textu. Mat. 16. 6. & 12. appellat eos duces cæcos cæcorum, Mat. 15. 14. & 23. 16. & væ iis denunciat, quia ſuſtulerunt clavem cognitionis, præcluſerunt Regnum Cælorum hominibus, ipſi non introiêrunt, & eos qui introibant, prohibebant. Mat. 13. 13. Luc. 11. 52. Item & Apoſtoli recusârunt obedire ſummo Synedrio Judæorum, in quo cum Pontifice maximo aderant primores, ſeniores, & ſcribæ & quotquot erant ex genere Pontificio Act. 4. verſ. 5. 6. 18. 19. &c. & cap. 5. verſ. 27. 28. 29.

Sedenti in Cathedrâ Moſis obediendum in quantũ docet conſentanea Moſi.
Mat. 5. 21. & 23. 16. 17.
Mat. 15. 6, 9.
Mat. 16. 6. & 12.
Mat. 15. 14 & 23. 16.
Mat. 13. 13
Luc. 11. 52.
Act. 4. 5. 6. 18. 19. & 5. 27. 28. 29.

Unde Auguſtinus tract. 46. in Joannem locum hunc allegans ſic ,, exponit. Sedendo (inquit) ſuper Cathedram Moyſis legem Dei ,, docent: Ergo per illos Deus docet: ſua verò illi ſi velint docere, ,, nolite audire, nolite facere.

Auguſtinus.

Sic etiam aliquot ex Pontificiis interpretibus: ut Lucas Brugen- ,, ſis in hunc locum, [*Quæcunque dixerint, facite*] intellige non adver- ,, ſantia Cathedræ Moſis, non contraria legi, ſed *omnia* licita & ho- ,, neſta. Sic Apoſtolus Col. 3. 20. *Filii obedite parentibus per omnia*: ,, fit autem ut parentes præcipiant quæ Legi Divinæ adverſantur: ,, ſed integra & perfecta obedientia declaratur his ſignis univerſali- ,, bus

Lucas Brugenſis.

„ bus, ejuſmodi tamen quæ ponat Deo Magis obediendum eſſe „ quam hominibus: nam ſi Phariſæis ideò obediendum eſt quia in „ Cathedrâ Moſis ſedent, igitur ſi quid doceant aut jubeant adver-„ ſus Cathedram Moſis, id eſt, adverſus Moſen, ſeu adverſus eam, „ quam Moſes promulgavit Dei legem, non eſt iis obediendum. Item in Luc. 12. exponens hæc verba [*Sedens ſuper Cathedram Moſis.*] Cùm „ (inquit) bona docebant, hoc eſt, ea quæ Moſes prædixerat & do-„ cuerat tum audiendi erant: ſed à falsâ doctrinâ Phariſæorum cavendum erat. Similia docent Janſenius, Arias Montanus, Maldonatus in hunc locum, & Joannes Altenſteg in Dictionario agens de Cathedrâ. *Alii.*

Hîc Bellarm. tria notat 1. Dominum toto illo capite 23. Matthæi reprehendere mores Phariſæorum non doctrinam: ſed hoc falſum eſſe patet ex locis jam ex iſto capite citatis & ex aliis pluribus. *Chriſtus reprehendit tam doctrinam Phariſæorum quàm mores.*

2. Falsò citans Cyprianum notat, nunquam Dominum nec Apoſtolos in totâ Scripturâ reprehendiſſe Pontifices & Sacerdotes Judæorum nominando eos Pontifices vel ſacerdotes, ſed ſolùm ſub nomine Scribarum & Phariſæorum, ne videretur reprehendere Cathedram & Sacerdotium. Sed hæc inepta eſt obſervatio: nam etſi Cathedra & Sacerdotium erant à Deo, tamen Sacerdotes qui abutebantur Cathedrâ & ſacerdotio poterant nominatim reprehendi: & quidem in V. Teſtamento paſſim Sacerdotes ſub nomine Sacerdotum reprehenduntur & errare arguuntur. Evangeliſta autem oſtendit, non tantum nominatim, ſed coram & palam principes Sacerdotum à Chriſto eſſe reprehenſos, quòd doctrinæ Joannis non crederent, & ipſum Meſſiam rejicerent Mat. 21. 23. uſque ad finem capitis, Luc. 20. à principio ad verſ. 20. Quia autem Scribæ & Phariſæi nomina fuerunt maximæ perfectionis, & in maximo honore apud populum tempore Chriſti, ideo eo nomine potiſſimum eos perſtringit, ne titulis fallacibus populo Dei imponerent. *Sacerdotes & Pontifex maximus à Prophetis & Apoſtolis reprehenſi.* *Mat. 21. 23. Luc. 20.*

Sed ratio quam affert Bellarm. ſeipſum jugulat, cùm ait Chriſtum non nominare Sacerdotes dum illos reprehendit, ſed ſolùm Scribas & Phariſæos, ne videretur Cathedram reprehendere: ob hanc enim rationem ne Phariſæos quidem aut Scribas & Legis interpretes nominare debuit: quæ nomina, eos in Cathedrâ Moſis ſedere, non minus quàm [*Sacerdotis*] nomen, innuebant, ut ex hoc ipſo textu apparet.

Notandum eſt autem multos fuiſſe Scribas & Phariſæos qui non

fuerunt Sacerdotes, & ex aliis etiam tribubus quàm ex tribu Levi. Paulus fuerat Phariſæus ex tribu Benjamin Act. 23. 6. Phil. 3. 5. quo inſulſius eſt argumentum Bellarmini, qui cum ſoli Summo Pontifici infallibilitatem vendicet, tamen imprudens idem privilegium ex hoc loco commune faciat & ſacerdotibus & non ſacerdotibus.

Act. 23. 6. Phil. 3. 5.

Si Cathedra Petri ſimilis Cathedra Moſis, tum Pontifex & Clerus Romanus nihilo meliores Phariſæis.

3. Notat Bellarminus, quod Dominus dicit de Cathedrâ Moſis illud intelligendum eſſe à fortiori de Cathedrâ Petri: & nos quidem fatemur eandem quidem eſſe rationem Cathedræ Petri, & Cathedræ Moſis; & facilè concedimus, ſacerdotes & Epiſcopos Pontificios ejuſdem eſſe notæ & formæ cum Phariſæis & Scribis: & licet non minùs graves hoſtes Chriſti ſint quam hi fuerunt, non negamus eos in Cathedrâ Moſis, Prophetarum, Petri, & Apoſtolorum etiam ſedere, quatenus aliquâ ex parte doctrinam eorum prædicant: & hoc pacto inter alias rationes corruptiſſimis etiam temporibus Eccleſiam conſervatam fuiſſe credimus: neque tamen ſequitur, doctrinam quam tradiderunt non fuiſſe fermento proprio mixtam, prout iſtorum fuit; aut in naſcente luce Evangelii hos corruptos doctores non fuiſſe fugiendos & bonos paſtores ſequendos, qui multò rectiùs in Cathedrâ Petri, ſeu potius Chriſti, ſedere dicuntur, quando quidem meliore fide & majore integritate doctrinam ejus prædicant: & certè licet in Judæâ maxima fuerit multitudo Scribarum & Phariſæorum, Chriſtus tamen cenſuit Judæos velut oves paſtore deſtitutos, & propterea admonuit, Deum rogandum eſſe ut operarios mittat in meſſem ſuam, Mat. 9. 36. &c. ita ſub maximâ multitudine ſacerdotum Pontificiorum, maxima fuit inopia paſtorum, donec Deus populi ſui miſertus fidos paſtores extra ordinem excitaverit.

Matth. 9. 36.

Quid eſt ſedere in Cathedrâ.

Hîc obſervandum eſt, ſedere in Cathedrâ alicujus non notare ſucceſſionem unius duntaxat hominis ſingularis, aut ſucceſſionem ex aſſe, aut etiam in eodem loco aut ordine, quaſi eum, qui ſedere in eâdem Cathedrâ dicitur, oporteret ſuccedere in eodem loco, gradu, ordine poteſtate & titulo: ſiquidem Scribæ & Phariſæi hîc dicuntur ſedere in Cathedrâ Moſis, proinde plures uno eodemque tempore & in diverſis locis Moſi ſucceſſerunt, eo longè inferiores gradu, ordine, poteſtate, & titulo; eatenùs audiendi, quatenus Moſis doctrinæ adhærebant, cavendi autem cûm fermentum ſuum admiſcebant.

Talem nos ſucceſſionem agnoſcimus à Petro & reliquis Apoſtolis ad

Digitized by Google

Cathedra Moſis & Petri nulli loco alligabantur.

lis ad omnes paſtores & præpoſitos Eccleſiæ; ut ſedere dicantur in Cathedrâ Petri & reliquorum Apoſtolorum, qui eorum doctrinam ritè prædicant, etſi in diverſo gradu & loco, eaque de causâ, & eatenus à fidelibus audiantur. Et certè ſi Cathedra Moſis ad nullum certum locum alligata erat, (neque enim Moſes ſedit unquam Hieroſolymis, aut uſquam in terrâ Judææ) ſed ibi Cathedra Moſis habetur, ubi doctrina ejus vigebat ſive in deſerto, ſive Hieroſolymis, ſive Babylone; multò minùs Cathedra Petri aut Apoſtolica ad aliquem locum alligata eſt; præſertim cùm poſt Chriſti mortem nullis regionum finibus, aut populorum conditionibus Eccleſia determinata ſit.

Cathedra Apoſtolorū aliis locis, ubi Apoſtolica doctrina vigebat, non præferebantur. Tertullianus.

Cæterùm qui in eodem loco quo aliquis Apoſtolus docuit, eandem doctrinam prædicat, peculiari quâdam ratione in Cathedrâ ejus Apoſtoli ſedere dicitur: ſed non ob eam rationem præfertur aliis qui in diverſo loco eandem docuerunt, ut ſuprà dictum eſt. De his Cathedris Tertullianus de præſcriptionibus cap. 36. Percurre „ (inquit) Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ nunc Cathedræ „ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur. Et paulò antè cap. 32. dixe- „ rat Eccleſias illas, quæ licet nullum ex Apoſtolis vel Apoſtolicis „ authorem ſuum proferant, tamen in eâdem fide conſpirantes non „ minùs Apoſtolicas deputari pro conſanguinitate doctrinæ.

In Eccleſiâ Catholicâ una tantùm Cathedra & unus Epiſcopatus à Romano longè diverſus. Cyprianus.

Sic in Eccleſiâ plures diſtinguuntur Cathedræ ratione plurimum fundatorum, aut etiam pro multitudine Epiſcoporum & Eccleſiarum particularium; alioqui reſpiciendo Eccleſiæ univerſalis unitatem, & in eâ unitatem fidei & doctrinæ, una dicitur Cathedra & Epiſcopatus unus, cujus à ſingulis in ſolidùm pars tenetur, ut loquitur Cyprianus in lib. de unitate Eccleſiæ: quo ex loco & aliis ſimilibus clarum eſt unam Cathedram & unum Epiſcopatum dici, non de Romano Epiſcopo, ſed de univerſo corpore Epiſcoporum per univerſam Eccleſiam diffuſo. Sic Cathedra Apoſtolica una eſt, quæ viget ubicunque doctrina Apoſtolica ritè prædicatur.

Sextum argumentum ex Luc. 22. 31.

Sextum teſtimonium Luc. 22. ubi Dominus ait Petro, *Simon, Simon: ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum. Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua; & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Hinc colligunt Pontificem Romanum ex Cathedrâ docentem non poſſe errare, ac propterea eſſe infallibilem judicem.

Loci paraphraſis & verus ſenſus.

Quoniam autem in hoc etiam loco pervertendo multùm laborant Pontificii, ideo operæ pretium erit primò ſenſum loci explicare,

care, deinde argumentum adverſariorum, quod hinc eruunt, examinare.

Sententia loci non eſt obſcura ſine præjudicio conſiderantibus. Cum Dominus Jeſus Chriſtus in verbis præcedentibus fidem & conſtantiam Apoſtolorum laudâſſet, quòd in tentationibus ſuis ſecum permanſiſſent, utcunque ab aliis deſertus eſſet, ac propterea iis ampliſſimum præmium promiſiſſet, ne tamen (ut fit) aut viribus ſuis ſecurè confiderent, aut imbecillitatem ſuam in periculo imminenti mox experturi animum deſponderent, monet eos de futuro periculo, & præ aliis Petrum (quem ut aliis confidentiorem, ita graviùs lapſurum, & ſingulari conſolatione opus habiturum prævideràt) Petrum itaque inprimis monet, quàm graviter à Satanâ concutiendus eſſet, quòd ſolâ gratiâ Divinâ ſuis precibus exoratâ futurum eſſet ut fides ejus tantopere agitanda & labefactanda non penitus deficeret: & proinde eum officii admonet, ut poſtquam ex tam fœdo lapſu converteretur, fratres ſuos in Chriſto tam doctrinâ quàm exemplo confirmaret. Et licet peculiariter ad Petrum ſermonem dirigat Chriſtus, tamen in ejus perſonâ reliquos etiam admonitos eſſe voluit, qui ſimiliter, etſi non æqualiter tentati, infirmitatem ſuam prodiderunt.

Secundum Bedam.

„ Sic Beda in hunc locum. Ne gloriarentur undecim Apoſtoli, „ ſuiſve viribus tribuerent, quòd ſoli penè inter tot millia Judæo-„ rum, dicerentur in tentationibus permanſiſſe cum Domino, oſten-„ dit hîc eos, ſi non juvantis ſe Domini eſſent opitulatione protecti, „ eâdem procella cum cæteris potuiſſe conteri. Et mox. Pro Petro „ rogat Salvator non ut non tentetur, ſed ut non deficiat fides ejus, „ hoc eſt, ut poſt lapſum negationis ad ſtatum priſtinum pænitendo reſurgat. Et poſteà exponens illa verba, [*tu aliquando converſus con-„ firma fratres tuos*] ſubjicit: Sicut ipſe tuam (inquit) fidem, ne Sa-„ tanâ tentante deficiat, orando protexi; ita & tu infirmiores, quoſ-„ que fratres exemplo tuæ pænitentiæ, ne de veniâ fortè deſperent, „ erigere & confortare memento. Quod idem & poſt reſurrectio-„ nem exhortatur, cum ei tertio ſe amare profitenti (decebat enim „ ut timorem ternæ negationis ternâ confeſſione elueret) tertiò paſcendas oves ſuas commendat. Similia ex Beda habet Gloſſa interlinearis & ordinaria in hunc locum,

Chryſoſtomum.

„ Chryſoſtomus in Mat. 26. 33. hom. 83. Petrus (inquit) cùm „ verbis Chriſti non crederet, à rebus ipſis eruditur. Ut autem cre-

„ das

,, das hac de cauſâ Chriſtum permiſiſſe (ſcilicet Petri lapſum) ut ,, iſtud in eo corrigeret (nempe αὐθαδίαν & arrogantiam ejus.) Audi ,, quidnam dicat: [*Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua*] hoc enim ,, ut vehementiùs eum tangeret, dicebat; ſignificans ejus caſum ,, multò pejorem eſſe caſu aliorum diſcipulorum, ac ideò etiam ma- ,, jore patrocinio indigere: duplex enim crimen erat, tùm quia re- ,, pugnavit ac reſtitit, tùm quia cæteris ſeipſum præpoſuit, imò verò ,, quia totum ſibi impoſuit. His mederi volens cadere illum permi- ,, ſit, ac ideò cæteris prætermiſſis, ad eum orationem direxit, dicens: ,, [*Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos cribrare ut triticum* (id eſt ,, tentare, perturbare vexare) *ego autem rogavi pro te ut non deficiat* ,, *fides tua.*] Cur, ſi omnes expetiit Satanas, non dixit [*pro omnibus* ,, *rogavi?*] Patet hinc quod paulò ante dicebat, quia vehementiùs ,, eum tangens, & oſtendens, multò pejorem ejus quàm aliorum ,, lapſum eſſe, ad eum convertit orationem.

,, Sic Theophylactus. Hæc in Petrum intendens dixit: quia & ,, audacior reliquis eſſet, & veriſimiliter elatus, ob ea quæ promiſit ,, Chriſtus. Propterea jam cohibens eum, multum quidem (inquit) ,, Satanæ ſtudium eſt contra vos? At ego rogavi pro te ne deficiat ,, fides tua: quamvis enim parumper commovendus es, habes ta- ,, men intus repoſita fidei ſemina; quamvis folia dejecerit inſultan- ,, tis procella, radix tamen vivit, nec deficiet fides tua.

Theophylactum.

Bellarm. lib. 4. de Pontif. Rom. ait tres afferri ſolere expoſitiones hujus loci: primam ait eſſe Pariſienſium, ut Gerſonis, Almaini, &c. quòd Dominus in iis verbis oraverit pro Eccleſiâ univerſali, ſive pro Petro, qui totius Eccleſiæ figuram gerebat. Alteram eſſe ait quorundam qui hoc tempore vivunt (ſed revera eſt communis expoſitio interpretum & veterum Patrum quos citavi) qui docent Dominum orâſſe pro perſeverantiâ ſolius Petri in gratiâ Dei uſque ad finem: quibus duabus expoſitionibus rejectis, tertiam hanc docet eſſe veram, quòd Dominus duo privilegia Petro impetraverit; unum, ut ipſe non poſſet unquam veram fidem amittere, quantumvis tentaretur à Diabolo: alterum, ut ipſe tanquam Pontifex non poſſet unquam docere aliquid contra fidem, ſive ut in ſede ejus nunquam inveniretur qui doceret contra veram fidem.

Bellarminiana loci expoſitio confutata.

Hinc patet ſaltem locum hunc non eſſe evidentem (ut nonnulli falſo jactant) ad probandum Pontificiorum inſtitutum. Nam ſecundum primam & ſecundam expoſitionem, & primum etiam mem-

Digitized by Google

brum tertiæ expoſitionis, nullum argumentum afferri poteſt pro dignitate aliquâ aut privilegio Pontificis Romani. At negare non poteſt Bellar. iſtas eſſe expoſitiones variorũ Pontificiorum doctorum.

Quod ad primam expoſitionem attinet, non dubitamus locum illum de Petro graviter tentando & lapſuro (ſi hypotheſin ſpectes) accipiendum eſſe: etſi quoad uſum generalem ad omnes verè fideles accommodari poſſit, pro quibus omnibus Chriſtus Patrem rogavit ne fides ipſorum in tentationibus deficeret. Et forte non aliud voluerunt Pariſienſes illi doctores.

Bellarminus rejicit Auguſtinũ & reliquos Patres.

Secundam expoſitionem amplectuntur Patres quos citavi & omninò veteres omnes in commentariis ſuis in hunc locum. Auguſtinus de corruptione & gratiâ cap. 6. ſic ſcribit: Cùm Dominus ait ,, Petro [*Rogavi pro te ne deficiat fides tua*,] quid ei rogavit niſi perſe- ,, verantiam uſque ad finem? At certè perſeverantiæ donum non pertinet ad omnes Petri ſucceſſores (inquit Bellar. hoc loco.)

Notandum autem eſt, ſecundam expoſitionem, & prius membrum tertiæ (ſi in eo ſubſtitiſſet Bellarminus) reverâ non differre, etſi in iis diſtinguendis ineptè laboret. Ideoque nobis perinde eſt, ſive illa ſive hoc ſumatur, ſi ſano modo intelligatur.

Poſterius autem membrum tertiæ expoſitionis nullam prorſus habet affinitatem cum verbis aut mente Domini: nihil enim hìc dicitur de Pontificatu Petri, aut de Papâ, aut de ſede Petri, aut de docendâ Eccleſiâ. Deinde non cohæret hoc membrum cum priori. ,, Nam prius privilegium (inquit Bellarminus) fortaſſe non mana- ,, vit ad ſucceſſores Petri: poſterius autem manavit ad ejus ſucceſſores. Imò certum eſt, neutrum pertinere ad ſucceſſores Petri. Sed cùm prius non pertineat ad Petri ſucceſſores, ut vult Bellarminus, quomodo ex hoc loco poteſt colligi, poſterius ad Papam pertinere magis quàm prius?

Bellarminus ita conſtrictus ut non poſſit effugere.

Prætereà, cùm fides duobus modis ſumatur, nempe pro habitu fidei in corde, & pro doctrinâ fidei in ore, quæro quomodo hìc accipiatur; num hoc an illo, an utroque an neutro modo? Si priori ſolum modo accipiatur, tum non intelligitur hic poſterius privilegium: ſi ſolum poſteriori, tum non intelligitur hìc prius privilegium, & ſententia Chriſti planè evertitur: nam Petrus negavit Chriſtum ore, ſi neutro modo, tum neutrum privilegium hic intelligitur: ſi utroque modo, tum aut non pertinent hæc verba ad Pontificem Romanum, cùm priorem modum & prius privilegium fateantur

teantur

teantur non pertinere ad Petri ſucceſſores; aut æquivocè & ſophiſticè loquitur Chriſtus (quod blaſphemum dictu eſt) imò & abſurdè, ut nulla uſquam ſimilis ſententia occurrat, quaſi hic eſſet ſenſus [Rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides in corde tuo, & in doctrinâ tuâ, & pro te ô Papa ſucceſſor Petri, ne deficiat fides tantùm in ore tuo, idque non ut es privatus doctor, ſed cum publicè doces Eccleſiam,] neque poſſunt ullo modo Pontificii pro inſtituto ſuo hujus ſimplicis enunciationis ullum ſimplicem ſenſum afferre.

Poſtremò. Dominus pro illo rogat cui ait, [*Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.*] Converſionem autem intelligit à trinâ illâ abnegatione Chriſti: proinde hæc verba non ſpectant ad Pontifices Romanos, niſi velint eos oportere etiam abnegare Chriſtum. Bellarminus hoc ipſo argumento utitur contra primam expoſitionem: ſed objiciens id contra ſuam ſententiam, duplici utitur effugio. 1. Quòd vox [*Converſus*] non intelligatur de reſipiſcentiâ Petri, ſed de converſione ejus ad alios, quos viderit nutantes & vacillantes; quaſi dixiſſet [*ad eos converſus illos confirma.*] Sed hæc vox, ut evertit Bellarmini argumentum, quo uſus eſt adverſus alios, ita adverſatur omnibus interpretibus, & ipſi textui, in quo Petri converſio opponitur cribrationi Satanæ, & ad certum tempus reſtringitur: dicitur enim ποτὲ ἐπιστρέψας: & ex verbis ſequentibus apparet, Petrum ipſum intellexiſſe hanc converſionem præſupponere ipſius averſionem.

Alterum effugium eſt: etſi exponamus (inquit) converſus à negatione, tamen non neceſſariò convenit ſucceſſoribus Petri converti à peccato negandi, cùm neceſſariò eis conveniat confirmare fratres, quia prius convenit Petro ut privatæ perſonæ, & ideò eſt perſonale donum; poſterius convenit Petro ut Capiti & principi aliorum, & ideo tranſit ad ſucceſſores.

Alterum Bellarmini effugiũ evacuatur.

Atqui non eſt dubium, etiam privatas perſonas poſſe & debere confirmare fratres ſuos, 1. Teſſ. 5. 11. 14. Heb. 3. 13. Sed ſive perſona Petri hîc ſpectetur privata ſive publica, certum eſt; cùm dicitur [*Converſus confirma fratres,*] non alii perſonæ iis verbis mandari confirmationem fratrum, quàm quæ converſa denotatur.

1. Theſſ. 5. 11. 14. Heb. 3. 13.

Unde etiam notandum eſt obiter quàm ineptè ex his quoque verbis [*Converſus confirma fratres tuos*] Pontificii dignitatem Petri ſupra Apoſtolos, & Pontificum Romanorum ſupra omnes Chriſtianos aſtruant, cùm à nullo fratre alienum ſit fratres confirmare, & hîc non dignitas, ſed infirmitas Petri & lapſus ejus præ aliis Apoſtolis, ac

In loco nulla Petri dignitas, ſed magna confirmitas inſinuatur.

Digitized by Google

ac officium poſt reſtitutionem, à tam turpi caſu inſinuetur.

Quæ Bellarminus contra ſententiam noſtram ſeu genuinam loci interpretationem objicit, ita levia ſunt & ex dictis facilè diluuntur, ut in iis ſigillatim examinandis, tempus terere non ſit operæ pretium.

Ad Pontificiorum argumentum in forma reſpondetur.

His expoſitis facile erit ſolvere argumentum Adverſariorum, quod ſic commodiſſimè formari poteſt: Pro quo oravit Chriſtus ne fides ejus deficeret, is eſt abſolutus & infallibilis judex controverſiarum: At pro Petro & Papis ejus ſucceſſoribus, &c. Ergo, &c. Totum argumentum confirmat auctoritate Theophylacti, Petri Chryſologi, Bernardi, & teſtimoniis aliquot Pontificum Romanorum, magnâ ex parte ex libris Decretalium petitis.

Reſp. Quanquam Adverſarii ludunt in ambiguitate vocis [*Fidei*] modò intelligentes habitum fidei, modò doctrinam fidei, modò utrumque: certum eſt tamen, cùm ſermo ſit de fide tuâ, intelligi fidem quam tu habes, non doctrinam quam tradis aut doces; ut cum dicitur [*Fides tua te ſervavit.*] Idque magis perſpicuum eſt ex circumſtantiis textûs, ubi fides ejuſmodi denotatur, quæ in tentationibus Satanæ hominem ſuſtineat, quæ concuſſa non deficiat, quæ à peccato convertit, & pèr charitatem operetur, ut alios confirmet. Ideo ſimpliciter reſponderi poteſt ad argumentum ſine diſtinctione 1. negando Majorem: nam ut Petri fides deficere non potuit, ita nullius hominis electi fides deficere poteſt: & ut Chriſtus oravit ne fides Petri deficeret, ita idem oravit pro omnibus Apoſtolis & pro omnibus electis Jo. 17. verſ. 11. 15. 20. & 17. 21. Adeoque hac ratione non unus, ſed plurimi dabuntur judices infallibiles. Pro quibus enim Chriſtus oravit ut ſint unum, ſicut Pater & Filius ſunt unum, ut conſerventur à maligno, ut ſanctificentur veritate divinâ, ut unum ſint in Patre & Filio, ſicut Pater eſt in Filio, & Filius in Patre, illi procul dubio in fide deficere nequeunt. Deinde negando Minorem, quatenus ad Pontificem Romanum ſpectat quem carere poſſe fide juſtificante patet, cùm fieri poſſe ut ſit ſceleratus & reprobus, ipſi adverſarii fateantur.

Falſa eſt Major, nã pro omniũ electorum fide precatus eſt Chriſtus, non pro Petri tantùm.

Jo. 17. 11. 15. 20. 21.

Falſa minor de Pontifice qui poteſt errare fide & perire.

Quòd ſi contendant non deſiderc in fide ſignificare immunitatem ab omni errore in doctrinâ, præterquam quod ille ſenſus ſit alienus ab inſtituto Chriſti, certe Minor ne vera quidem eſſet in Petro, qui poſt hoc tempus non modò falſum profeſſus eſt, cum negavit Chriſtum, ſed falſum opinatus eſt, cùm regnum Chriſti mundanum fore putavit, Act. 1. 6. Nec videtur privilegium, non errandi cum reliquis

Act. 1. 6.

quis Apoſtolis accepiſſe ante inſignem illum deſcenſum Sp. Sancti in eos die Pentecoſtes. Act. 2. Sed de Romano Pontifice falſiſſima eſt Minor, quem errare poſſe ut privatum doctorem concedunt omnes Pontificii: imò & hæreticum eſſe poſſe, & hæreſin publicè docere ſentiunt ex iis doctiſſimi, & nos ſuprà fusè oſtendimus.

Sed videte, obſecro, quàm bellè arguant ex hoc loco à Petro ad Papam. Dicunt hac Chriſti precatione effectum eſſe ut Petrus, licet externâ fidei profeſſione defecerit, internâ tamen perſuaſione non defecerit. At de Papâ contrà aſſerunt, fieri poſſe ut animo & corde fidem neget aut ab eâ deficiat, ſed non ut contrà publicè profiteatur. Quomodo ergo à Petri exemplo planè contrarium inferent de Papâ?

Ab inerrabilitate nō oris ſed cordis Petri malè concluditur inerrabilitas non cordis ſed oris Papæ.

Confirmatio argumenti quam affert Bellarminus ex teſtimoniis infirma eſt admodum, teſtimonia enim illa partim nihil ad inſtitutum faciunt, partim ſunt ſuppoſititia, partim ſunt Pontificum non admodum antiquorum in ſuâ ſede evehendâ nimis ambitioſorum, quibus propterea in propriâ causâ minus fidendum eſt, partim ſunt aliorum recentiorum poſt confirmatam Romani Pontificis tyrannidem ſcribentium. Quod dixi de ſuppoſititiis teſtimoniis, ejuſmodi ſunt quæ afferuntur ex epiſtolis veterum Pontificum Romanorum, in libris decretalium deſcriptis. Bellarminus ipſe in lib. 2. de Pontif. Romano cap. 14. fatetur epiſtolas, quæ dicuntur eſſe Pontificum qui ſederunt uſque ad annum Chriſti 300 non eſſe indubitatas, & aliquos errores in eas irrepſiſſe: ac inter eas ſunt epiſtolæ Lucii primi, Fælicis primi quas hîc citat Bellarminus, quorum ille floruit anno 223 hic anno 271. Cuſanus de Concordantiâ Catholicâ, Contius Canoniſta in decreti primæ partis diſtinct. 16. cap. Septuaginta, & alii docti Pontificii planius dicunt & probant veterum Pontificum epiſtolas, quæ circumferuntur, eſſe ſuppoſititias. Sic Marci epiſtolam ad Athanaſium, quam citat Bellarminus, ſuppoſititiam eſſe docet Cardinalis Baronius ad annum 336. num. 59. & 60. Reliqua quæ dixi facilè conſideratus lector per ſe advertet.

Teſtimonia Bellarmini vel ſunt ſuppoſititia vel impertinentia.

Propterea alia falſa & abſurda quæ hîc addit Bellarm. ut cum ait Petri charitatem & gratiam defeciſſe quando negavit Dominum, fidem autem non defeciſſe, proinde non rogâſſe Dominum ne deficeret ejus charitas aut gratia ſed fides. Enimverò cum fides ſit gratia, quomodo potuit vacare gratiâ quamdiu habuit fidem? Deinde cùm Pontificii dicant fidem charitate eſſe formatam, dicantque cha-

Alia Bellarmini abſurda.

 ritatem

Digitized by Google

ritatem defeciſſe in Petro, & multò magis deficere poſſe in ejus ſucceſſoribus, ſequitur Dominum tantùm oráſſe pro informi fide, at ejuſmodi fides non poteſt ſuſtinere hominem in cribratione Satanæ: ſiquidem homo in cribro Satanæ perire poteſt qui talem fidem habet. Fides enim quæ mundum aut Satanam vincit à charitate ſeparari nequit: proinde ut fidei, ſic charitatis ſemina in Petro reliqua fuerunt interim dum Chriſtum ore negaret, etſi in officiis & fidei & charitatis lapſus ſit.

Septimum argumentum ex Act. 15, 28.

Septimum teſtimonium Act. 15. Ibi enim legimus (inquit Bellar-,, minus) cùm orta eſſet quæſtio gravis de fide, an ſervanda eſſet lex ,, Moſis à gentibus converſis, non fuiſſe remiſſos unumquemque ad ,, ſpiritum ſuum ſed ad Concilium Hieroſolymæ habitum cui Petrus ,, præerat, & Petrum omnium primum in Concilio loquutum, de-,, inde Jacobum ſententiam Petri confirmáſſe, & ſic quæſtionem ſo-,, lutam illis verbis, *Viſum eſt Spiritui S. & nobis, &c.* Quibus oſten-,, dunt ſententiam Concilii cui præeſt Petrus eſſe ſententiam Sp. ,, Sancti, & ibidem in fine capitis legimus Paulum, quocunque ibat, ,, præcipere ſolitum ut ſervarent illius Concilii decreta: id eſt, ut ,, acquieſcerent, & non vellent ipſi de ſententiâ Concilii judicare.

Concilia Pontificũ non habent eadem privilegia cũ Conciliis Apoſtolorum.

Reſpondeo hæc omnia nihil ad theſin, nihil contra noſtram ſententiam in hac diſputatione facere: neque enim nos quenquam remittimus ad ſpiritum ſuum ſed ad Sp. Sanctum in Scripturis publicè loquentem: & in rebus dubiis & obſcuris conſulendos eſſe paſtores & Doctores Eccleſiæ, eorumque Concilia dicimus, non ut ex propriâ ſententia, ſed ſecundum Verbum Dei ſcriptum determinent, prout in hoc Concilio factum eſt, & in omnibus legitimis conciliis fieri debet. Atque ita Conſtanſtinus Magnus Concilii Niceni Patres adhortabatur ut è Sacris Scripturis controverſiarum inquirerent deciſionem: & libenter agnoſcimus ſententiam Petri aut cujusvis Apoſtoli nedum Concilii cui præ erat aut intererat Petrus & reliqui Apoſtoli idem unanimi conſenſu concludentes, eſſe ſententiam Sp. Sancti; omnibuſque in ea ſententia (quæ proculdubio Verbum Dei eſt & Sacræ Scripturæ pars) acquieſcendum eſſe. Sed Bellarminus reticet concluſionem quam primariò intendit, nempe eandem eſſe rationem Concilii cui præeſt Pontifex Romanus; id quod eſt falſiſſimum: illud enim Concilium fuit Apoſtolorum, quorum ſinguli Spiritu Sancto repleti erant ut ſcribendo & docendo nec privatim nec publicè errare potuerint, eorumque doctrina & ſcripta ejuſdem aucto-

auctoritatis cum Scripturâ fuerint, cujuſmodi prærogativam & auctoritatem nec Pontifici, nec Concilio aſcribere audet ipſe Bellarminus.

Petrus non fuit præſes Conſilii Hieroſolymitani.

Interim varia falſa aut dubia pro certis hîc admiſcet Bellarminus. 1. Etenim in iſto capite nullum apparet argumentum quo oſtendatur Petrum præfuiſſe iſti Concilio: neque enim apparet Petrum ullas partes præſidis egiſſe, & vel primò vel ultimò loquutum eſſe. Petrus enim verſ. 7. dicitur in Concilio loquutus poſtquàm multa diſceptatio facta fuiſſet, proinde ante verba Petri hîc poſita, alii procul dubio loquuti ſunt: Jacobi autem verba poſtremò occurrunt; neque in verba Petri ſed in verba Jacobi decretum factum eſt, qui verſ. 19. verbo judiciali utitur Ἐγὼ κρίνω. Egò judico: ut veriſimilius ſit Jacobum quàm Petrum præfuiſſe, quæ eſt ſententia Chryſoſtomi in Acta hom. 33. quanquam hîc nihil temerè affirmare volo; neque multùm intereſt ad inſtitutum noſtrum quis Apoſtolorum præfuerit. Deinde nihil in fine capitis legitur quo apparet Paulum interdixiſſe cuiquam judicium diſcretionis etiam de ſententiâ Concilii, qui non ægrè tulit ſuam doctrinam à Beræenſibus ad Sacram Scripturam examinari Act. 17.

Chryſoſtomus.

Argumentum octavum, ex Gal. 2. verſ. 1. 2.

Octavum teſtimonium ex Epiſtolæ ad Galatas capitis ſecundi principio, ubi Paulus ſcribit ſe aſcendiſſe Hieroſolymam cum Barnabâ & contuliſſe cum Apoſtolis Evangelium ſuum quod prædicavit inter gentes, ſeorſum autem cum his qui videbantur eſſe aliquid ne fortè in vanum curreret aut cucurriſſet; quinam autem eſſent illi (inquit Bellarminus) quibuſcum contulerat, inferiùs explicat, dicens fuiſſe Petrum, Jacobum, & Joannem, quem locum (inquit) explicantes Tertullianus lib. 4. in Marcionem, Hieronymus in Epiſt. 89. ad Auguſtinum quæ eſt undecima inter Epiſtolas Auguſtini, & Auguſtinus lib. 29. contra Fauſtum cap. 4. diſertè affirmant Eccleſiam non fuiſſe Paulo credituram niſi ejus Evangelium à Petro confirmatum fuiſſet, ergo Petri erat tunc, & proinde ſucceſſoris ejus nunc de doctrinâ fidei judicare. Hactenus Bellarminus.

Nihil concludit de Petro præter alios Apoſtolos.

Reſpondeo, ex his verbis nullo unquam Logicæ artificio formari poteſt argumentum quo probetur inſtitutum, nempe, Pontificem Romanum eſſe abſolutum & infallibilem judicem controverſiarum, ideoque mavult Bellarminus confusè diſputare quàm diſtinctè argumentari. Nihil hîc occurrit de juriſdictione Petri, nihil hoc loco dicitur de Petro, quod non pariter tribuitur Jacobo & Joanni, neque

licet

Digitized by Google

licet argumentari à Petro ad ejus ſuppoſititium ſucceſſorem Papam: aut ſi à Petro ad ejus ſucceſſorem arguère liceat, itidem à Jacobo & Joanne ad eorum ſucceſſores arguendum eſt.

Tertullianus. Teſtimonia autem Patrum falsò citat Bellarminus. In locis enim „ citatis ſic ſcribunt. Tertullianus. Propterea Paulus Hieroſoly- „ mam aſcendit ad cognoſcendos Apoſtolos & conſultandos, ne „ fortè in vanum cucurriſſet, id eſt, ne non ſecundum illos credidiſ- „ ſet, & non ſecundum illos Evangelizaret. *Hieronymus.* Hieronymus. Oſtendit „ non habuiſſe ſecuritatem Evangelii prædicandi, niſi Petri & eo- „ rum qui cum eo erant, fuiſſet ſententiâ corroboratus. *Auguſtinus.* Auguſtinus. „ Ipſe Apoſtolus Paulus poſt aſcenſionem Domini de Cælo voca- „ tus; ſi non inveniret Apoſtolos quibus communicando, & cum „ quibus conferendo, Evangelium ejuſdem ſocietatis eſſe appare- ret, Eccleſia omnino ei non crederet. Falſo itaque Bellarminus non auſus verba eorum recitare, ad ſolum Petrum refert, quæ illi communiter de aliis quoque Apoſtolis dixerunt.

Paulus contulit cũ Apoſtolis, ſed nihil ab iis didicit. Porrò Paulus cum Apoſtolis contulit non ut ab iis diſceret, nec quaſi ab eorum auctoritate penderet (nam planè contrarium hîc docet cap. 1. verſ. 1. 11. 12. & cæteris, & cap. 2. verſ. 6. cæteris) ſed ut adverſariorum calumniis occurreret: qui Pauli doctrinam ab Apoſtolorum doctrinâ alienam & diſſentaneam eſſe criminati ſunt, & ut infirmitati tenuiorum ſuccurreret, adeoque Eccleſiam confirmaret ſummâ Pauli & reliquorum Apoſtolorum conſenſione perſpectâ, ut luculenter docet Chryſoſtomus. *Chryſoſtomus.* Sic Paulus ipſe disertè, verſ. 9. *Dextras ſocietatis dederunt mihi & Barnabæ*, & 2. Cor. 11. 5. *2. Cor. 11. 5 & 12. 11. Gal. 1. 18. & 2. 1.* & 12. 11. ait ſe nulla re inferiorem fuiſſe principibus Apoſtolis. Et ne videretur ullo modo ab aliis Apoſtolis pendêre, ideò Gal. 1. 18. docet ſe totum triennium prædicâſſe Evangelium antequam ullum Apoſtolum vidiſſet, & deinde cap. 2. 1. pòſt 14. demum omnes cum Apoſtolis contuliſſe, ubi ait Hieronymus aliud eſſe conferre *Hieronymus.* aliud diſcere; inter conferentes æqualitas eſt, inter docentem & diſcentem minor eſt ille qui diſcit. Et ſpeciatim ne Petro inferior videretur in hoc ipſo capite ſubjungit quàm liberè & apertè Petrum reprehenderit.

Ne in vanum currerem *intelligendũ κῇ τὶ non ſimpliciter. 1 Cor. 9. 26.* Quod autem dicit Apoſtolus, *Ne in vanum currerem aut cucurriſſem*, non ſimpliciter accipiendum eſt, quaſi omnis ejus labor irritus futurus fuiſſet (nam 14. aut 17. antè annis magno cum fructu prædicavit Evangelium, & 1. Cor. 9. 26. *Ego ita curro, non ut in incertum,*)

ſed

ſed κατά τι, nempe ratione aliquorum infirmorum, quibus calumniæ adverſariorum injecerunt aut injicere potuerunt ſcrupulum: idque indicat particula μήπως, id eſt, *ne aliquo modo*, aut *ne fortè*. Eodemque modo intelligenda ſunt dicta Patrum ſuprà citata. Sed fingamus etiam Paulum cum ſolo Petro contuliſſe, & hinc factum ut ejus doctrina confirmaretur, non tamen ſequeretur Petrum in Paulum jus aut poteſtatem habuiſſe, niſi fortè dicamus Johannem Baptiſtam fuiſſe majorem Chriſto, quia teſtimonio ſuo doctrinam Chriſti confirmavit, & multos ad Chriſtum adduxit.

CAP. XXIV.

In quo Reſpondetur ad alia argumenta ex Novo Teſtamento quibus probant Eccleſiam aut Concilia non poſſe errare.

His adjungimus alia argumenta quibus adverſarii probant Eccleſiam aut Concilium errare non poſſe: unde effici volunt iis ſummi & abſoluti judicis auctoritatem competere, ad hunc modum arguentes. Qui non poteſt errare, eſt abſolutus judex: At Eccleſia vel Concilium non poteſt errare: Ergo. Hîc quidem Major non ſatis firma eſt, nam boni Angeli ſunt infallibiles, nec tamē ſunt judices controverſiarum fidei: & Eccleſiam Catholicam, id eſt, univerſitatem ſanctorum & fidelium etſi concedamus non poſſe errare, tamen ad eam ut judicem recurrere nemo poteſt. Sed nos, omiſsâ Majore, ea teſtimonia expendemus, quæ anteà non attigimus, quibus Minorem probant, ut à Bellarmino citantur lib. 2. de Conciliis cap. 2. & lib. 3. de Eccleſiâ cap. 14.

Primum argumentum ex Mat. 18. 20.

Primum teſtimonium, Matt. 18. 20. *Ubi duo vel tres ſunt congregati in nomine meo ibi ſum in medio eorum:* quorum verborum ſententia hæc eſt, inquit Bellarminus. Si duo vel tres congregati in nomine meo obtinent ſemper quod petunt à Deo, nimirum ſapientiam & lumen quod ſufficit eis ad cognoſcenda ea quæ ipſis neceſſaria ſunt: quantò magis omnes congregati in nomine meo ſemper obtinebunt quod juſtè petunt, id eſt, ſapientiam & lumen ad judicanda ea quæ ad totam Eccleſiam dirigendam pertinent? Et per conſequens Concilia generalia à Pontifice confirmata errare non poſſunt.

 Reſpon-

Digitized by Google

Omnes Chriſtianorum conventus non ſunt inerrabiles. Reſpondeo, ex hoc argumento nunquam concludetur Concilia generalia errare non poſſe, niſi concedatur duos vel tres quoſcunque in nomine Chriſti congregatos errare non poſſe, quod nunquam dabunt adverſarii qui aſſerunt Concilia legitima non tantùm particularia ſed etiam generalia & œcumenica, niſi Pontificis Romani conſenſus accedat, errare poſſe & ſæpè erraſſe: non ſequitur igitur, etſi Chriſtus ſit in medio eorum qui in nomine ipſius congregantur illos errare non poſſe: ut enim Chriſtus in hac vitâ ſuos quibuſcum eſt, non ab omni vitio, ita nec ab omni errore liberat.

Quod autem dicitur in præcedenti verſu, *Si duo ex vobis conſenſerint in terrâ de omni re quam petiérint, fiet iis à Patre meo qui eſt in Celis*, id intelligendum eſt, ſi quod rectum eſt & rectè petiérint, quæ conditio ſemper intelligenda eſt in omnibus ejuſmodi promiſſionibus *Mat. 7. 7. Luc. 11. 9. Jo. 14. 13. 14. & 13. 23. 24.* quibus ad precandum incitamur, ut Mat. 7. 7. Luc. 11. 9. Joan. 14. 13. 14. & 13. verſ. 23. 24. & cæteris. Quoniam autem ſæpè multi defectus ſunt in precibus noſtris, non mirum ſi non ſemper & ſtatim impetremus quod petimus.

Deinde non omnes qui Chriſti nomen præ ſe ferunt in nomine *Mat. 7. 22.* Chriſti congregantur. Nam ut multi in extremo die dicent, *Domine Domine per nomen tuum prophetavimus, &c.* quibus Chriſtus reſpondebit, *Nunquam novi vos, abſcedite à me qui operam datis iniquitati*, ita multi in nomine Chriſti ſe convenire ſimulantes contra Chriſtum ad promovendum Antichriſti regnum operam ſuam contulerunt. De *Cyprianus.* „ his & talibus rectè Cyprianus de ſimplicit. Prælat. Quomodo „ poſſunt duo aut tres in nomine Chriſti colligi quos conſtat à Chri- „ ſto & ejus Evangelio ſeparari? In nomine autem Chriſti convenire, eſt Chriſti auctoritate, ductu, & auxilio ſubnixos convenire.

Secundum argumentum ex Mat. 28. ult. Secundum teſtimonium Mat. ult. verſ. ult. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.* Ergo Eccleſia non poteſt errare. Reſp. Non dubium eſt hunc locum primò ad Apoſtolos pertinere, & omnes eorum fidos ſucceſſores, ac deinde etiam ad omnes electos extendi, unde ſi hinc infallibilitas argueretur, ſequeretur neminem bonum paſtorem imò nec quenquam electum & ſanctificatum errare poſſe, ſed, ut dictum eſt, Chriſti præſentia in hac ſtatu imperfectionis ut non ab omni vitio aut defectu, *Quæſtio nō eſt de inerrabilitate univerſi-* ita nec ab omni errore liberat: quanquam nos non dicimus errare Eccleſiam, prout ipſe Bellarminus hanc theſin explicat, lib. 3. de Eccleſiâ cap. 14. id eſt, ſive ſumatur Eccleſia pro univerſitate fidelium,

lium, ſive pro univerſitate Epiſcoporum & paſtorum. Et facilè concedimus, quod ipſe ait Bellarminus, id quod tenent omnes fideles tanquam de fide, & quod docent omnes Epiſcopi ſeu paſtores tanquam ad fidem pertinens eſſe verum & de fide, quia Deus in Eccleſiâ ſuâ veritatem in doctrinâ fidei & morum ita conſervari vult, ut in nullo capite aut articulo (licet latere poſſit apud paucos) ab omnibus reſpuatur: imò nullum electorum in exitiali errore perſeverare ſinat: Sed nihil hoc ad præſentem controverſiam, cùm nemo poſſit ad univerſitatem ſive fidelium ſive Epiſcoporum tanquam ad judicem irrefragabilem recurrere. *tatis vel electorum, vel fidelium, vel paſtorum, ad hos enim ut judicem non poteſt recurri.*

Tertium teſtimonium Joannis 16. 13. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*: ne putemus (inquit Bellar.) hoc dici de ſolis Apo-„ſtolis, & non etiam de ſucceſſoribus, Dominus apertè cap. 14. „teſtatur Spiritum Sanctum cum Apoſtolis manſurum in æternum: „id eſt, cum eis & ſucceſſoribus perpetuo: At Epiſcopos ſeorsùm „exiſtentes non docet Spiritus S. omnem veritatem: E. ſaltem Epi-„ſcopos omnes in unum congregatos docebit omnem veritatem; & „ſanè cùm non ſit in Eccleſiâ Major aliqua Cathedra per quam „Deus nos doceat, quàm ſummi Pontificis Cathedra adjuncto con-„ſenſu generalis Concilii, ſi hæc etiam Cathedra falli poteſt cum „univerſam Eccleſiam docet, neſcio quomodò vera ſit illa promiſ-„ſio, *Docebit vos omnem veritatem*. Hactenus Bellarm. ſcopas nobis diſſolutas exhibens ſine ullo nexu argumenti. *Tertium argumentum ex Ioa. 16. 13.* *Bellarmini rationes diſſoluta ſcopa.*

At reſpondeo primò, manifeſtum eſt ex ſerie contextûs hæc verba propriè de ſolis Apoſtolis intelligenda eſſe, & de extraordinario ac miraculoſo illo dono Spiritûs S. quod acceperunt die Pentecoſtes Act. 2. loquitur enim de ſpiritu venturo, id eſt, uberiore illâ menſurâ Spiritûs S. quâ donandi erant: nam alioqui nefas eſt dicere eos jam caruiſſe Spiritu Sancto, ſi quis enim Spiritum Chriſti non habet „non eſt ejus Rom. 8. 9. Non ſolum non habenti Sp. Sanctus pro-„mittitur: (inquit Auguſtinus in hunc locum) verùm etiam ha-„benti Sp. Sanctus promittitur: non habenti quidem, ut habeatur; „habenti autem ut ampliùs habeatur. Prætereà in textu dicitur, Spiritum hunc cum venerit, renunciaturum iis quæ futûra ſunt: ita beneficio Spiritûs futuro eam ſcientiam eis pollicetur quam nec Pontifici ſuo nec Conciliis arrogare audent Pontificii. Tertullianus „de Præſcriptionibus diſtict. 7. Chriſtus adjiciens (inquit) deducet „vos in omnem veritatem, oſtendit illos nihil ignorâſſe quos om- *Loquitur locus de ſolis Apoſtolis & extraordinario dono Sp. Sancti. Rom. 8. 9. Auguſtinus.* *Tertullianus.*

 nem

Digitized by Google

„ nem veritatem conſequuturos per Spiritum veritatis repromiſe-
„ rat: & utique replevit repromiſſum, probantibus actis Apoſtolo-
„ rum deſcenſum Sp. Sancti.

Auguſtinus.

Auguſtinus in hunc locum hæc verba, eo quo dixi modo, intelligit., ſed promiſſionem hanc, *Docebit vos omnem veritatem*, putat non poſſe in hac vitâ in cujuſquam mente compleri. Quis enim vivens „ (inquit) in hoc corpore quod corrumpitur & aggravat animā, poſ-
„ ſet omnem cognoſcere veritatem, cùm dicat Apoſtolus. *Ex parte*
„ *ſcimus?* Sed quia per Sp. Sanctum fit, unde nunc pignus accepi-
„ mus, ut ad ipſam quoque plenitudinem veniamus, de quâ idem
„ dicit Apoſtolus, *Tunc autem facie ad faciem, nunc ſcio ex parte, tunc*
„ *autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.* Non quòd in hac tantùm
„ vitâ ſed totum quod uſque ad illam perfectionem futurum eſt no-
„ bis Dominus promiſit per charitatem Spiritus, dicens: *Docebit vos*
„ *omnem veritatem* vel *deducet vos in omni veritate.*

Apoſtoli non ſimul ſed paulatim edocti ſunt omnē veritatem neceſſariā. Lucas Brugenſis.

Qui autem in hac vitâ hanc promiſſionem impletam dicunt, omnem veritatem eos edoctos eſſe hic intelligunt non abſolutè ſed reſtrictè, nempe omnem veritatem quæ ad ſalutem & ad ipſorum munus & conditionem ſpectat, idque non ſimul & ſemel, ſed paulatim, ut inter alios etiam notat Lucas Brugenſis, id quod indicat vox Græca hîc uſurpata ὁδηγεῖν, quod eſt deducere ſeu ducem eſſe viæ.
„ Nimirum (inquit) quod non mox ut advenerit Spiritus Sanctus
„ die Feſto Pentecoſtes docebit Apoſtolos ſimul omnia, ſed quod
„ primùm docebit eos quæ imprimis neceſſaria erunt: in reliquo-
„ rum deinde cognitionem paulatim ſemper nova veteribus adjun-
„ gens, quod ait Didymus; deducet pro perſonarum & temporum
„ neceſſitate.

Objectio Bellarmini frivola.

Sed objicit Bellarm. verba hæc non pertinere ad ſolos Apoſtolos, quia cap. 14. verſ. 16. Dominus ait Sp. Sanctum manſurum cum iis in æternum: ideoque cum Apoſtoli non perpetuò vixerint, ait, hîc unà ſucceſſores eorum intelligi: At hæc objectio frivola eſt: nam neque tota ſucceſſio Apoſtolorum in hoc mundo æterna eſt.

Spiritus manſit cū ſingulis Apoſtolis in totâ ſuâ vitâ & poſt mortem in æternum. Chryſoſt. Luc. Brug.

Cæterum vox *Æternum* duobus modis accipi poteſt, vel abſolutè, atque ita verum eſt Sp. Sanctum qui perpetuò Apoſtolis adfuit in hac vitâ ita etiam in vitâ futurâ eis perpetuò adeſſe. Hoc ſignificat (inquit Chryſoſtomus) quod neque poſt mortem abiit; vel *Æternum* accipi poteſt κατά τι, id eſt, ut intelligatur Spiritum nunquam eos deſurturum in totâ hac vitâ. Sic interpretatur Lucas Brugenſis.

„ In

„ In æternum (inquit) id eſt, non tantum ut ego ad tres quatuorvè „ annos, ſed quamdiu vixeritis in hoc ſæculo, non enim temporaria erit ejus conſuetudo vobiſcum ut mea, ſicut Theophylactus notat. Sic 1. Tim. ult. verſ. 14. Paulus monet Timotheum ut ſervet mandatum uſque ad illuſtrem illum adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, non quod Timotheus tamdiu victurus eſſet, ſed ex hypotheſi, ſi vivere eò uſque poſſit tantiſper ſibi mandatum ſervandum ſtatueret. *Theophylactus.*

Deinde nulla eſt cohæſio iſtorum locorum, nam etſi cap. 14. dicatur Sp. Sanctum manſurum cum Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus, non eſt neceſſe tamen, ut verba illa in cap. 16. *Docebit vos omnem veritatem*, pertineant ex æquo ad Apoſtolos, & eorum ſucceſſores, neque enim omnes quibuſcum manet Sp. Sanctus æqualiter docet.

Porrò ſi concedamus hæc verba ſpectare etiam ad Apoſtolorum ſucceſſores, tum ſucceſſores eorum vel conſiderandi ſunt ſimul & conjunctim cum Apoſtolis, vel ſeorſum ab iis. Si ſpectentur ſimul & conjunctim cum eis, tum non eſt dubium cum Spiritus docuerit Apoſtolos omnem veritatem neceſſariam quam illi tranſmiſerunt ad poſteros, non dubium, inquam, eſt Spiritum hos ſimul cum illis ſpectatos docuiſſe omnem veritatem neceſſariam. Sed hoc nihil ad Pontificiorum rationem. Si autem ſucceſſores Apoſtolorum conſiderentur ſeorſum ab Apoſtolis, tum vel conſiderantur ſinguli diſtributivè & ſeparatim, vel univerſi collectivè & ſimul, vel aliqui convocati in Concilio ſive generali ſive particulari. Si conſiderentur univerſi collectivè, nos jam conceſſimus univerſitatem paſtorum Eccleſiæ non errare in fide ſi ſcilicet omnes ſimul conſideremus vel in uno ſæculo degentes & multò magis ſi conſideremus omnes in totâ ſucceſſione ſæculorum poſt Apoſtolorum tempora. *Succeſſores Apoſtolorum conſiderantur, vel conjunctim cum Apoſtolis, vel ſeorſum. Seorſum conſiderãtur vel univerſi collectivè.*

Si ſpectentur ſinguli diſtributivè & ſeparatim, ait Bellarm. Sp. Sanctum non docere Epiſcopos ſeorſum exiſtentes omnem veritatem, cùm errare poſſint. Eâdem ratione nec intelligi poſſunt Epiſcopi congregati in particulari Concilio, nec etiam in generali Concilio legitimo, niſi accedat Pontificis Romani approbatio, ſine quâ aiunt Concilia omnia errare poſſe tam generalia quam particularia. Cùm ergo Chriſtus ait, *Docebit vos omnem veritatem*, quid intelligit per *Vos?* Apoſtolos, inquiunt, & eorum ſucceſſores. At utrum intelligit eos ſingulos ſeorſum exiſtentes an congregatos in Concilio? Procul dubio ſpectat hæc promiſſio ad ſingulos Apoſtolos ſeorſum *Vel ſinguli diſtributivè idque vel ſeorſum, vel congregati in Synodo.*

Digitized by Google

exiſtentes, & ſi ab Apoſtolis ad eorum ſucceſſores arguere liceret, ſequeretur ſpectare ad eorum ſucceſſores etiam ſeorſum exiſtentes. At non pertinet, inquiunt, ad eorum ſucceſſores ſeorſum exiſtentes, ſed congregatos in Concilio generali, approbante Pontifice Romano. Verum quis ſanus ferre poteſt tam ſophiſticum ſermonem, id eſt, tam varium, ambiguum, & multiplicem ſub unâ voce latentem Chriſto attribui, ut hac voculâ *Vos* ſignificent Apoſtolos ſeorſum exiſtentes & eorum ſucceſſores Epiſcopos non ſeorſum ſed ſimul congregatos in generali Concilio, accedente ad ſingula decreta approbatione Pontificis Romani?

Succeſſores Apoſtolorũ interpretari tantùm de congregatis in Synodo generali approbante Romano Pontifice eſt inſigne ſophiſma, Bellarminus per ſucceſſores Apoſtolorũ intelligit ſolos Pontifices Romanos.

Et tamen cùm his ambagibus utuntur, revera nullum ſucceſſorum Apoſtolorum præter unum Pontificem Romanum intelligunt Jeſuitæ aſſerentes infallibilitatem non eſſe in Concilio Epiſcoporum, nec partim in Concilio partim in Pontifice, ſed in ſolo Pontifice, ut docet Bellarm. lib. 4. de Pontif. cap. 2. & 3. Verùm cùm omnes Apoſtolos hîc Chriſtus pariter alloquatur, ſi hæc promiſſio de eorum ſucceſſoribus intelligenda eſt, certè ut ex æquo ad omnes pertinet Apoſtolos, ita etiam ex æquo ſpectat ad eorum omnium ſucceſſores, nec magis ad ſucceſſores Petri quàm reliquorum. Sed nec ad ſucceſſores omnes Petri, quales fingunt Pontificii, pertinere poteſt hæc promiſſio: fatentur enim viros peſſimos & reprobos poſſe eſſe ſucceſſores Petri: at hæc promiſſio tantùm ſpectat ad pios, impii enim non poſſunt accipere Spiritum hunc veritatis ut Chriſtus ipſe teſtatur, Jo. 1. 4. 17. Spiritum enim veritatis quem pollicetur Apoſtolis ait mundum non poſſe accipere. Mundum in hoc loco in alos appellat, inquit Chryſoſtomus. Mundum dicit hoc loco mundi dilectores, quæ dilectio non eſt à Deo, inquit Auguſtinus, id eſt, per mundum intelligit homines mundo addictos qui ea ſola amant & magnifaciunt, quæ ſunt in hoc mundo inferiore, concupiſcentiam carnis atque oculorum & ſuperbiam vitæ: ut interpretatur Lucas Brugenſis. Sic mundus accipitur, Jo. 15. 18. 19. & 16. 20. & 17. 9. & alibi.

Impii non habent Sp. veritatis.

Io. 1. 4. 17.

Chryſoſtomus.

Auguſtinus.

Luc. Brug.

Cæterùm etſi verba hæc propriè & ad literam de ſolis Apoſtolis intelligenda ſunt, tamen facilè concedimus ea analogicè accommodari poſſe omnibus & ſingulis fidis paſtoribus, imò omnibus verè piis & fidelibus, ſed non in eodem gradu qui convenit Apoſtolis: omnes enim Chriſto per veram fidem inſiti Spiritum ejus habent, Rom. 8. 9. qui & docet eos omnem veritatem ad ſalutem neceſſariam,

Singuli fideles ſpiritum in eo gradu habent ut in exitiali errore perſeverare non poſſint.

riam, alioqui ſervari non poſſent, quod eſt ἀδύνατον. Neque enim omnis veritas abſolutè hîc intelligenda eſt. Ut Paulus Act. 20. 27. ait ſe non ſubterfugiſſe quò minùs annunciaret presbyteris Epheſi omne Dei conſilium, intelligit non omne Dei conſilium abſolutè, ſed quantùm eorum intererat ſcire. Atqui hinc non ſequitur eos errare non poſſe in rebus ad ſalutem neceſſariis, imò nec in rebus non neceſſariis, ſed tantùm eos in exitiali errore non poſſe ad finem perſeverare. Nam ne ipſos quidem Apoſtolos ſimul & ſemel docuit Spiritus omnem veritatem, ut dictum eſt, multò minus alios, quos dum paulatim docet, fieri poteſt ut interim errent, antequam veritatem totam conſequantur.

4. Arg. ex 1. Tim 3., 15.

Quartum arg. ex 1. Tim. 3. 15. *Eccleſia eſt Columna & Firmamentum veritatis*: Ergo veritas fidei quoad nos nititur Eccleſiæ auctoritate: & quicquid Eccleſia probat, verum eſt; & quicquid improbat, falſum. Reſp. 1. quod ad antecedens attinet, non eſt improbabilis eorum ſententia qui diverſam interpunctionem hîc ſtatuunt: Nempe, ut verba illa *Columna & Firmamentum veritatis*, non referantur ad Eccleſiam, ſed ad verba ſequentia; nempe ut ſic legantur; *Columna ac Firmamentum veritatis, & ſine controverſia magnum pietatis myſterium, eſt Deus manifeſtatus in carne, &c.* Ut Apoſtolus ſummam Evangelii quam ſubjungit, vocet Columnam & Firmamentum veritatis, magnumque myſterium.

Reſponſio prima, textus poteſt aliter interpungi.

Deinde, ut non recedamus à receptâ lectione ſeu verborum diſtinctione, neganda eſt conſequentia: cujus infirmitas variis rationibus à noſtris oſtenditur. 1. Quia hæc verba, licet extendi poſſint ad Catholicam Eccleſiam, hic tamen uſurpantur de particulari Eccleſiâ, nempe Epheſinâ, in quâ gubernandâ Timotheus tum verſabatur, ut patet ex textu: loquitur enim de Eccleſiâ ſeu domo Dei in quâ verſabatur Timotheus. At particularem quamque Eccleſiam errare poſſe concedunt Pontificii: & hæc ipſa Eccleſiâ Epheſina jam pridem erravit, imò interiit.

Secunda, locus eſt de particulari Eccleſiâ Epheſinâ qua erravit.

Tertiò. Quia hoc præconium, ſicut pleraque alia, attribuitur Eccleſiæ non ratione piorum & hypocritarum, qui in externâ Eccleſiâ cum piis commiſcentur, nec ratione confuſæ turbæ piorum & hypocritarum, ſed tantum ratione piorum qui propriè Eccleſiam conſtituunt, ut Hieronymus in Jobum cap. 26. Eccleſia (inquit) quæ ,, eſt ſanctorum omnium congregatio pro æternâ ſuâ in Domino ,, ſtabilitate, Columna & Firmamentum dicitur veritatis. At impii, qui

Tertia, locus eſt de Eccleſiâ tantùm reſpecta piorum.

Hieronymus.

qui ſunt inſtabiles nec veritatem firmiter aut amant aut amplectuntur, non pertinent ad hanc columnam aut ſtabilimentum veritatis, ſicut nec ad domum Dei: cujus hîc fit mentio; *Domus enim Chriſti*
Heb. 3, 6. *ſumus nos*, (inquit Apoſtolus Heb.3. 6.) *ſi modò fiduciam & ſpem illam de quâ gloriamur ad finem uſque firmam retinuerimus:* quod non faciunt impii & hypocritæ, ideoque nihil hæc verba juvant Pontificiorum cauſam, qui tantùm externam Eccleſiam reſpiciunt ex malis pariter & bonis conflatam.

Eccleſia externa judicio charitatis æſtimatur pia. *1.Theſſ.5. 5.* *Rom. 8. 9.*

At, inquiunt, Eccleſia illa in quâ verſabatur Timotheus fuit externa. Concedimus eam fuiſſe quidem externam Eccleſiam, & dicimus in externâ Eccleſiâ ſecundum judicium charitatis omnes æſtimari pios qui pietatem profitentur, nec palàm re ipsâ negant, ut 1. Theſſ. 5. 5. Apoſtolus totam Eccleſiam Theſſalonicenſem compellans ait. *Omnes vos filii Lucis eſtis*. Sic Rom. 8. 9. & Eph. 5. 8. Sed cum in viſibili Eccleſiâ hædi cum ovibus, palea cum grano, zizania cum tritico commiſceantur, nemo neſcit ejuſmodi præconia toti cætui attribui tantùm ratione ſanctorum, quibus ſolis propria ſunt; ſicut & hoc loco impios cenſeri domum Dei aut columnam veritatis abſurdiſſimum eſt, in quibus nec Deus habitat, nec veritas ejus ſedem fixam habet.

Quarta. Eccleſia eſt columna veritatis paſſivè ut ſuſtentata à veritate. *2.Tim. 2. 19.* *Eph.3. 19.* *Contarenus.* *Chryſoſtomus.*

Quartò, quia Eccleſia dicitur *Columna & Firmamentum veritatis*, non activè quia ſuſtinet & firmat veritatem, ſed paſſivè quia ſuſtinetur & firmatur à veritate. Sic defenſio & auxilium Petri dicitur, non tantùm quo Petrus defendit & juvat, ſed quo defenditur & juvatur. Sic fundamentum domûs eſt in quo domus fundatur, & fundamentum Dei, 2. Timoth. 2. 19. eſt quod Deus fundavit & poſuit. Sic πλήρωμα τȣ̃ Θεȣ̃, Eph. 3. 19. non quod Deum complet, ſed quod à Deo completur. Et ſic Contarenus Cardinalis in hæc verba. Non „ dicitur (inquit) Columna quòd Eccleſia firmet & ſuſtineat veri- „ tatem, ſed quoniam firmatur à veritate. Et ante eum Chryſoſto- „ mus in hunc ipſum locum. Quippe (inquit) Veritas Eccleſiæ co- „ lumna & firmamentum eſt.

Quinta. Eccleſia eſt Columna veritatis ratione Forenſi Architectonicâ.

Quintò. Etiamſi verba activè ſumantur, intelligi poteſt Eccleſia columna & firmamentum veritatis non Architectonicâ, ſed forenſi ratione; quia, ut pro roſtris vel in cippis proſtant dicta Principum, ſic omnis vera Eccleſia eſt ſtylus & columna, in quâ divina veritas per prædicationem verbi proſtat: quam ſi omninò aut ex parte amittat, ita omninò aut ex parte vera eſſe deſinit Eccleſia: Licet

hæc

Digitized by Google

hæc metaphora etiam ab Architectura ſumatur, tamen cum omnis metaphora ſimilitudinem indicet, notandum eſt infirmum eſſe omne argumentum à ſimili niſi ſumatur quatenus eſt ſimile. Nihil enim eſt tam ſimile: quin etiam ſit diſſimile, ita fit ut rebus oppoſitis aptentur eædem metaphoræ & ſimilitudines & κατ' ἀντίθεσιν convertantur. Sic Chriſtus in nobis habitat, & nos rurſus in Chriſto habitamus: ille eſt nobis habitaculum & nos illi, Jo. 6. 56. 1. Cor. 3. 16. Eph. 3. 17. Atque ut hîc Eccleſia dicitur, *Columna & Firmamentum veritatis*, ſic veritas dicitur, *Columna & Firmamentum* Eccleſiæ à Patribus: verbi gratiâ, à Chryſoſtomo in loco citato, item ab Irenæo ,, lib. 3. cap. 11. Columna (inquit) & firmamentum Eccleſiæ eſt ,, Evangelium & ſpiritus vitæ; & in eodem lib. cap. 1. ait ſcripta ,, Apoſtolorum eſſe Columnam & firmamentum fidei noſtræ. At hæc ſunt ἀντίστροφα ut Chriſtus ſit noſtrum habitaculum & nos illius: ut Eccleſia ſit columna veritatis & veritas Eccleſiæ, niſi diverſa ratione ſimilitudo accommodetur. Et veritas quidem rectè dicitur, columna & firmamentum Eccleſiæ, quia vera fides quæ dat eſſe Eccleſiæ, nititur divinâ veritate Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis comprehensâ: unde Epheſ. 2. 20. dicimur *Superſtructi ſuper fundamenta Prophetarum & Apoſtolorum*, hoc eſt, ſuper Vetus & Novum Teſtamentum, ut interpretatur Ambroſius in hunc locum.

Sexta. Similia κατ' ἀντίθεσιν convertuntur, veritas eſt firmamentum & columna Eccleſiæ. *Io. 6. 56. 1. Cor. 3. 16. Eph. 3. 17. Chryſoſtomus. Irenæus.* *Eph. 2. 20.* *Ambroſius.*

Rurſus optimè dicitur Eccleſia columna & firmamentum veritatis, non quia veritas aut fides noſtra auctoritate Eccleſiæ nititur, aut quia nuſquam labi aut errare poſſit: ſed quia nullus alius cætus aut ſecta in hoc mundo, ſed ſola vera Eccleſia divinam veritatem tenet, conſervat, oſtendit, erigit, confirmat & tuetur adverſus omnes Satanæ & ejus miniſtrorum inſultus: alioqui in terris nuſquam appareret aut deſpecta jaceret. Similia Gloſſa Ordinaria & Lyranus in hunc locum notant: Sic Theodoretus. Domum Dei (inquit) & ,, Eccleſiam appellavit cætum eorum qui crediderunt, eos dixit, *Fir-* ,, *mamentum & Columnam veritatis*: ſupra Petram enim fundati ſta- ,, biles & immobiles permanent, & rebus ipſis prædicant dogma- ,, tum veritatem. Itidem Hieronymus in hæc verba. Eccleſia dici- ,, tur *Columna & Firmamentum veritatis*, in quâ ſola veritas ſtat firma- ,, ta quæ ſola ſuſtinet ædificium.

Septima. Nullus alius in terrâ cætus habet veritatem niſi ſola Eccleſia. *Lyranus.* *Hieronymus.*

Quod ſi hæc verba accommodemus non tantum Eccleſiæ internæ ſed etiam externæ, certè Eccleſiam oportet intelligamus veram & puram, quæ nunquam prorſus deſtituitur veritate ad ſalutem neceſſariâ,

Octava. Locus eſt de Eccleſiâ purâ & in quantum purâ.

Digitized by Google

ceſſariâ, non falſam & impuram, qualis eſt Pontificiorum: imò hac tanquam eſſentiali notâ, quod ſit columna & firmamentum veritatis, diſtinguitur vera & pura Eccleſia à falſa & impurâ, & ab omni profano cætu & ſectâ.

Et quanquam una Eccleſia reſpectu alterius comparatè pura dicatur; tamen in hoc ſtatu imperfectionis, ut nullam tantam ſanctitatem, ita nec tantam puritatem Eccleſiæ agnoſcimus, quin aliquando in quibuſdam ſaltem levioribus labi poſſit & errare: etſi in ſacris Literis Eccleſia non ſolùm verax ſed etiam ſancta prædicetur. Deſcribi enim ſolet Eccleſia, qualis eſſe debeat, non qualis ſit, quum pro miſericordiâ ſuâ in Chriſto Deus infirmitates & imperfectiones ſuorum tegat, adeoque ex hoc titulo illud ſolum colligi poteſt eſſe officium Eccleſiæ, ſuſtentare atque ſuffulcire veritatem ſuo miniſterio ac profeſſione: atque id etiam à piis præſtari, licet pro infirmitate humanâ nonnihil aliquando erroris admittant, id quod ab hac metaphorâ non abhorret: ſiquidem fieri poteſt ut columna domûs non tantùm ſuſtineat neceſſarias ædificii partes, ſed etiam lutum, cænum, ſordes, aut aliquid inutile materiæ admiſtum. Ita Petrus erat columna Gal. 2. 9. & tamen in aliquâ re erravit & reprehendendus fuit, ut in eodem capite oſtenditur. Et ſiquis Ariſtotelem aut Platonem appellet columen aut columnam ſapientiæ humanæ, non propterea tamen omnis erroris exortem dixerit. Baſilius in „ epiſt. 70. primarios Epiſcopos Orthodoxos qui Arianam hæreſin „ oppugnabant, appellat columnas & ſtabilimentum veritatis. Co- „ lumnæ (inquit) & ſtabilimenta veritatis diſſipantur: nos, qui „ tenuitatis causâ deſpicimur, fiduciâ loquendi deſtituti ſumus.

Gal. 2. 9.
Baſilius.
Quintum arg. ab Eph. 1. 23. 4. 4. & 5. 23.
Reſp. 1. Eccleſia electorum interna regitur à ſpiritu ut corpus ab anima.
2. Qui reguntur à Spiritu in multis poſſunt errare.
2. Cor. 11. 2. Rom 8. 9. Eſ. 54. 13. Ier. 31. 34. Io. 6. 45.

Quintum argumentum ſumitur ex iis locis Scripturæ in quibus oſtenditur Eccleſiam gubernari à Chriſto tanquam ſponſo & capite ſuo & à Spiritu Sancto tanquam ab animâ. Eph. 1. 23. 4. 4. & 5. 23. Ergo ſi Eccleſia in dogmatibus fidei vel morum erraret, Chriſto & Sp. Sancto error tribueretur. Reſp. 1. Quod ad antecedens attinet, iſta privilegia ſunt propria Eccleſiæ internæ ſeu Eccleſiæ ſanctorum, qui ſoli à ſpiritu reguntur, ut animâ, & à Chriſto ut ſponſo & capite. Deinde neganda eſt conſequentia, primò, quia alioqui eâdem ratione concludi poſſet, nec particularem Eccleſiam nec ſingulos fideles errare poſſe qui à Chriſto ut capite & ſponſo & à Spiritu ejus reguntur, 2. Cor. 11. 2. Rom. 8. 9. & θεοδίδακτοι à Prophetis & Chriſto appellantur, Eſ. 54. 13. Jer. 31. 34. Jo. 6. 45.

Deinde

Deinde non ſequitur propterea tribui Chriſto aut Sp. Sancto errorem, ſicuti iis non tribuuntur vitia & ignorantiæ quæ in Eccleſiâ ſunt. Reſpondet Bellarm. de ignorantiâ, & ait diſparem eſſe ratio-,, nem. Sicut enim (inquit) vir qui eſt caput mulieris non tenetur ,, removere ab uxore omnem ignorantiam, tenetur tamen removere ,, omnem errorem ex quo magnũ aliquod malum oriatur: ita etiam ,, Chriſtus tenetur ab Eccleſiâ removere omnem errorem ex quo ,, magnum oritur malum, qualis eſt error circa fidem. At, inquam, nunquid mortale (ut vocant) peccatum eſt etiam magnum malum? At multa mortalia peccata reperiuntur in viſibili Eccleſiâ (de quâ ſolâ loquuntur) in quâ impii & hypocritæ numero ſuperant pios, Neque etiam Eccleſia ſanctorum ab ejuſmodi peccatis libera eſt in hac vitâ, quibus perpetuò orandum eſt, *Remitte nobis debita noſtra:* quanquam Deus neminem ſuorum ſinat mori in peccatis ſuis, ita nec in ullo exitiali errore perſeverare: quod ex gratuitâ ſuâ miſericordiâ præſtat, non quia ullâ obligatione tenetur id facere (ut abſurdè, ſi modò abſolutè, loquitur Bellarm.) niſi quatenus mutuo fœdere ſe ſponte ex merâ ſua bonitate obligavit: in quo cùm conditiones ex parte noſtrâ violantur, Deo imputari non poteſt quicquid boni nobis interim deeſt aut mali adeſt.

Bellarmini objectio frivola.

Propterea nævi, qui neceſſariò aliqui ſuperſunt in Eccleſiâ militante & ſingulis piis, non Chriſto aut Sp. Sancto tribuendi ſunt. Quicquid in eis veri boni eſt, à Chriſto & ſpiritu ejus oritur: malum verò à reliquiis corruptæ naturæ (accedente fraude Satanæ) contra quas in hac vitâ iis perpetuò dimicandum eſt in certamine Spiritûs adverſus carnem. Sicut animæ tribuitur oculi viſus, aurium auditus; at cæcitas & ſurditas non animæ, ſed organis corporeis ineptis aut vitiatis. Neque verò Chriſtus ſponſus, nec Spiritus ejus doctor Eccleſiæ in hoc ſtatu imperfectionis vim ſuam perfectè exerunt in ipſis fidelibus & regenitis. Præclarè Auguſt. de Civitate Dei ,, lib. 7. cap. 30. Deus (inquit) ſic adminiſtrat omnia quæ creavit, ,, ut etiam ipſa proprios exercere & agere motus ſinat.

Sanctorum nævi non à Spiritu, ſed à reliquiis carnis ſunt.

Auguſtinus.

Eadem reſponderi poſſunt ad argumenta Angloremenſium quæ congerunt in annotationibus in 1. Tim. 3. 15. cùm probant Eccle-,, ſiam non poſſe errare, quia eſt Chriſti domus, ſors, regnum, hæ-,, reditas, adverſus quam portæ Inferorum non prævalebunt: in eâ ,, Chriſtus manet, ei Chriſtus dedit Apoſtolos, doctores, &c. Eph. 4. ,, ei dedit Scripturam, Teſtamentum Novum, & Sacramenta tan-

Angloremenſes confutati.

,, quam dotem inſeparabilem, pro eâ precatus eſt ut veritate ſan-
,, ctificaretur, Jo. 10. 7. eam amat, fovet, & nutrit ut carnem ſuam,
,, nec ea poteſt ab illo ſeparari.

Sextum arg. ab Eccleſia ſanctitate. Sextum arg. ſumitur ex Symbolo & iis locis Scripturæ, in quibus Eccleſia ſancta prædicatur: iſta autem ſanctitas (inquit Bellarm.) propriè in profeſſione dogmatum, conſiſtit, ergo Chriſtiana profeſſio nihil continet niſi ſanctum, id eſt verum quoad fidei doctrinam, & juſtum quoad præcepta morum.

Reſp. 1. Sanctitas tribuitur Eccleſiæ tantùm ratione piorum, nec profanis hypocritis competit, nec in externâ profeſſione dogmatum propriè, ſed in verâ juſtitiâ & pietate conſiſtit: alioqui in externâ Eccleſiâ, ubi omnes ſanctam doctrinam profitentur, nemo non eſſet ſanctus, etſi minimè ſanctificatus, & omni ſanctimoniâ deſtitutus. Proinde ab Eccleſiæ ſanctitate multò probabiliùs concludere poſſent Eccleſiam non peccare quàm non errare, & non minus Eccleſiam particularem, aut quemlibet ſanctum ſingularem, quàm Eccleſiam univerſalem. Sed nemo neſcit Eccleſiæ & piorum omnium ſanctitatem in hac vitâ imperfectam eſſe, adeo ut in iis, quod ſanctitati adverſatur, plurimum reperiatur.

Septimum arg. ab officio dubito paſtoribus. Eph. 23. 7. Mat. ult. 16. Luc. 10. 16 Act. 20. 28 Eph. 4. 14. Heb. 13. 7. Gal. 4. 19. 1. Jo. 2. 1.

Poſtremò congerunt adverſarii ea loca ex ſacris Litteris quibus docetur Epiſcopos & presbyteros habendos eſſe ut paſtores, doctores, ſpeculatores, & patres, audiendos ut magiſtros, ſequendos ut duces Ezech. 23. 7. Mat. ult. 19. Luc. 10. 16. Act. 20. 28. Eph. 4. 14. Heb. 13. 17. Gal. 4. 19. 1. Jo. 2. 1. & cæteris. Ex his locis
,, ſic ratiocinatur Bellarminus. Si nos jubemur à Deo audire & ſe-
,, qui Epiſcopos, ut præpoſitos, paſtores, doctores, ſpeculatores &
,, patres, certè vel illi nos fallere non poterunt, vel nos poterimus
,, culpam in Deum rejicere.

Etſi paſtores nos fallant eorum tamẽ culpa non eſt rejicienda in Deum. Reſp. Sine dubio ſinguli Epiſcopi errare poſſunt, & errant; & inter ſe quandoque diſſentiunt, ut neſciamus quiſnam eorum ſequendus ſit: ac propterea fallere nos poterunt. Ex his præmiſſis quid aliud concludi poteſt, quàm fallaciæ & erroris Epiſcoporum culpam in Deum eſſe rejiciendam: quæ concluſio cùm ſit blaſphema & abſurda, neceſſe eſt ut propoſitio ſit falſa unde deducitur, quæ non alia eſt quàm prima illa propoſitio ſeu connexio, quæ fundamentum eſt argumenti Adverſariorum.

Bellarmini ſophiſtica. At Bellarminus, diſſimulatâ propriâ concluſione, infert aliam & alienam, quæ nullo modo ſequitur ex præmiſſis. Ergo (inquit) fal-
,, tem

,, tem omnes ſimul, præſertim in nomine Dei congregati, quando ,, uno ore nos docent errare non poterunt.

Reſp. Ut omittam nunquam fore ut omnes ſimul Epiſcopi conveniant, qualis, quæſo, hæc eſt conſequentia? Singuli Epiſcopi poſſunt errare, Ergo omnes ſimul congregati non poſſunt errare. Multò firmiùs ex iſto antecedente deduci poſſet contradictoria concluſio: ſi ſinguli non poſſunt errare, certè congregati non poſſunt errare: & ſi ſinguli poſſunt errare, veriſimile ſimul congregatos poſſe errare (neque enim qui ſeorſum ægrotant, congregari valent.) Fateor multò majorem & firmiorem eſſe auctoritatem congregatorum quàm ſingulorum; ſed nihil hoc ad inſtitutum.

Neque verò ullam ſpeciem rationis habet argumentum Bellarmini, niſi dicat loca iſta Scripturæ citata non pertinere ad Epiſcopos ſingulos & ſeorſum exiſtentes, ſed ad collectos & congregatos in Conciliis univerſalibus: id quod falſiſſimum apparebit omnibus ſingula iſta loca perpendentibus. Et quàm inſulſum eſſet iſta loca reſtringere ad univerſalia Concilia, quæ Bellarm. ipſe agnoſcit non eſſe ſimpliciter neceſſaria in Eccleſiâ: quippe quibus caruit Eccleſia primis trecentis annis: quaſi verò toto iſto tempore Epiſcopi & Presbyteri non habendi eſſent ut paſtores, doctores, præpoſiti, ſpeculatores, patres, duces, eiſque aures præbendæ, & obſequium præſtandum.

Locus non reſtringendus ad Concilia univerſalia.

Lib. 1. de Concil. cap. 10.

Non minùs efficaciter probare poſſunt adverſarii, reges, magiſtratus & parentes errare non poſſe, quibus ex mandato Dei auſcultandum & obediendum eſt. At quis neſcit in omnibus ejuſmodi mandatis ſemper intelligendam eſſe tacitam conditionem; modò ſuperiores nihil præcipiant Dei verbo contrarium, alioqui ſecundum regulam Apoſtoli, *Deo oportet obedire potiùs quàm hominibus*, Act. 5. 29. Et quidem Deum non juſſiſſe ſimpliciter & abſolutè audire & ſequi Epiſcopos, hinc patet, quia juſſit etiam probare ſpiritus an ex Deo ſint, & non cuivis ſpiritui credere, 1. Jo. 4. 1. omnem doctrinam ad legem & teſtimonium examinare. Eſ. 8. 20. & neminem audire qui tradit aliud Evangelium præter id quod traditum eſt. Gal. 1. 8. 9. Subditi præconis voci obedire debent, qui domini ſui edicta promulgat; ſed non cùm de ſuo loquitur. Servi ex patrisfamilias præſcripto parere debent diſpenſatori, quem ille ſupra familiam ſuam conſtituit, ſed non ubi nôrunt eum domini ſui voluntati & commodis adverſari.

Parentibus & Magiſtratibus Deus præcipit obedientiam illis tamen poſſibile eſt errare.

Act. 5. 29.
1. Io. 4. 1.
Eſ. 8. 20.
Gal. 1. 8. 9.

CAP. XXV.

Reſpondetur ad argumentum ex conſuetudine Eccleſiæ.

Bellarmini arg.

SIC reſpondimus ad teſtimonia Adverſariorum petita ex Veteri & Novo Teſtamento. Proximè examinandum eſt eorum argumentum ſumptum ex praxi ſeu conſuetudine Eccleſiæ quod proponit Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei cap. 6. Nam in omnibus (in-„ quit) ſæculis in Eccleſiâ exorta ſunt nova dubia, & ſemper eodem „ modò terminata ſunt, nimirum judicio Pontificis Romani & „ Epiſcoporum qui tunc erant: dicere autem aut ſcribere non rectè „ fieri quod univerſa Eccleſia ſemper fecit aut facit, inſolentiſſimæ „ inſaniæ eſt, ut Auguſtinus ait in Epiſtola 128. Reſp. Infirmitas hujus argumenti multis modis patebit ſi revocetur ad formam ſyllogiſticam ad hunc modum. Quod univerſa Eccleſia ſemper fecit aut facit, rectè fit: At univerſa Eccleſia terminavit dubia de Religione ex judicio Pontificis Romani & Epiſcoporum pro tempore exiſtentium: Ergo id rectè fit.

Reſponſio.

Eſt ignoratio Elenchi.

Reſpondeo. Hìc eſt ignoratia Elenchi, etenim hoc ſyllogiſmo non concluditur inſtitutum; id eſt, dari ullum externum abſolutum judicem infallibilem: nam etſi concederemus rectè fieri, ut dubia determinentur judicio Pontificis Romani, & communi conſenſu Epiſcoporum viventium, non tamen hinc ſequitur eos ſemper verè & rectè determinare. Rectè quidem fit, & laudabilis eſt conſuetudo, ut Reges & Magiſtratus lites civiles dirimant: ſed hinc non ſequitur eos nunquam in judicando errare. Nos quidem valdè ſalutarem uſum in Eccleſia Conciliorum agnoſcimus tum univerſalium tum particularium; & laudabilem Eccleſiæ morem, ut, quæ oriuntur lites & dubia de Religione, cum componi non poſſunt à ſingulis paſtoribus, referantur ad Presbyteria & Synodos particulares & generales ordine ſuo ut ſecundum Dei verbum determinentur: & maximam quidem in terris auctoritatem eſſe œcumenici Concilii legitimè in nomine Dei congregati: cujus tamen judicium non αὐτοκρατορικὸν & abſolutum ſed miniſteriale & reſtrictum ad Dei Verbum cenſendum eſt. Nos verò non minùs honorificè quàm Pontificios de legitimis Conciliis, ſeclusâ Papæ auctoritate, ſentire ſuprà oſtendimus in calce capitis 15. Imò verò multo iniquiores Conciliis illi ſunt

Vſus Conciliorum eſt maximus, etſi nõ ſint infallibilia.

Digitized by Google

ſunt quàm nos, qui uni Chriſto θεανθρώπῳ iſta ſubjicimus, cum illi Papæ quantumlibet homini nequiſſimo ſubjiciant Concilia, quibus, niſi à Papâ confirmentur, nullam auctoritatem tribuunt.

Nos ſubjicimus Concilia univerſalia uni Chriſto, ſed Pontifices ea Papa etiã ſubjiciunt.

Deinde (ut omittamus quàm ineptè major illa quam ex Auguſtino ſumunt, accommodetur præſenti inſtituto) reſpondemus Minorem eſſe ambiguam & falſam. Ambigua eſt, cùm dicitur dubia determinata eſſe judicio Pontificis Romani & Epiſcoporum qui tunc erant, num intelligat Epiſcopos congregatos tantum in univerſali Concilio, an in Concilio etiam particulari. Si intelligat tantum univerſale Concilium, quomodo poteſt dici factum ſemper, quod rariſſimè fit? Et quis neſcit multa dubia terminata eſſe in particularibus Conciliis? Si intelligat etiam particularia Concilia, tum ſequetur ex hoc argumento non minus particulare Concilium quàm Pontificem, & quàm univerſale cum eo Concilium eſſe ſummum hunc & abſolutum judicem: quod negant varii ex Catholicis ut oſtendit Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 5. Item fruſtra convocabuntur univerſalia Concilia, ſi eadem ſit poteſtas particularis Concilii quæ univerſalis, & utrovis modo intelligant Epiſcopos. Falſum eſt quod dicitur, ſemper eodem modo terminata ſunt dubia, nempe judicio Pontificis Romani & Epiſcoporum qui tunc erant: nam ipſi aſſerunt multa dubia terminata eſſe ſine Concilio Epiſcoporum auctoritate ſolius Pontificis, quem unum ſummum judicem in controverſiis fidei & morum eſſe dicunt, eumque in Cathedrâ errare non poſſe, & ejus judicio ſtandum eſſe adverſus omne judicium hominum, etiam œcumenici Concilii. Bellarm. de Pontif. lib. 2. cap. 21. & 26. & lib. 4. cap. 1. 2. 3. & de Conciliis lib. 2. cap. 11.

Falſa minor Dubia ſemper in Eccleſiâ determinata per Romanum Pontificem.

Deinde nobis eſt in promptu oſtendere, multa dubia terminata eſſe ab Apoſtolis & paſtoribus Eccleſiæ ſine Conciliis, ſaltem univerſalibus, & ſine Pontifice Romano. Multas quæſtiones determinavit Paulus, 1. Cor. Cap. 7. 8. 9. 15. 2. Tim. 2. 17. & alibi non conſulto Petro, vel aliis Apoſtolis & Epiſcopis. Auguſtinus ad Bonifacium lib. 4. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. ultimo. „ An verò (inquit) congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? Quaſi nulla hæreſis aliquando niſi Synodi „ congregatione damnata ſit, cùm potiùs rariſſimè inveniantur, „ propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit; multoque ſint „ atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illinc improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devi-

1. Cor. 7. 8. 9. 15.
2. Tim. 2. 17.
Auguſtinus.

tandæ

tandæ innoteſcere potuerunt. Trecentis Circiter pòſt Chriſtum annis nullum univerſale Concilium celebratum eſt, & pauca etiam particularia: quo tempore plurimæ & graviſſimæ hæreſes exortæ ſunt, multa ſchiſmata, multa vitia atque abuſus, quæ tamen omnia Eccleſiam Catholicam, tametſi Conciliorum generalium præſidio deſtitutam, opprimere non potuerunt, ut loquitur Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 10.

Ad minorem probandam affert Bellarm. inductionem Conciliorum quorundam in ſingulis ſæculis poſt Chriſtum: in quo falsò Romano Pontifici ſummam poteſtatem arrogat, quaſi omnia ab ejus arbitrio penderent.

In Conciliis ſuis Diœceſanis nullum habuit Papa peculiare privilegium.

Concilia quæ enumerat alia ſunt particularia, ex Romanâ tantùm Diœceſi; alia univerſalia ex orbe Chriſtiano convocata. Rurſus, alia ſunt antiqua, ut quæ ſex aut ſeptem ſæculis poſt Chriſtum celebrata ſunt; alia recentiora quæ poſteà contigerunt. In particularibus Synodis ad Romanam Diœceſin ſpectantibus, ſi præſederit Romanus Epiſcopus, nullum hinc aliud privilegium collegi poteſt quod ei magis competat, quàm aliis Archiepiſcopis & Patriarchis. Hujuſmodi ſunt Concilia quæ Bellarm. dicit celebrata eſſe ante annum ducenteſimum à Victore Epiſcopo Romano qui omnes Aſiæ Eccleſias excommunicavit, quod decimoquarto die primi menſis Paſcha celebrabant, ſive eſſet dies Dominicus ſive non: & pòſt annum ducenteſimum à Cornelio Papâ qui hæreſin *Novatianorum* & *Anabaptiſtarum* damnavit. Interim hìc notandum eſt *Victorem* ob acerbitatem illam in Eccleſias Aſiæ acriter reprehenſum eſſe ab Irenæo Epiſcopo *Lugdunenſi* nomine Eccleſiæ Gallicanæ, & à multis aliis piis Epiſcopis, ut docet Euſebius lib. 5. hiſtoriæ cap. 23. & Socrates, lib. 5. cap. 21.

Univerſalia Concilia dicunt adverſarii 1. Convocanda eſſe auctoritate Pontificis Romani. 2. Oportere ut in iis ille præſideat per ſe aut legatos ſuos. 3. Ut rata ſint, opus habere ejus confirmatione: atque hæc tria in omnibus bonis & legitimis Conciliis obſervata eſſe.

Univerſalia Cōcilia ab Imperatore convocabantur.

Quod ad primum attinet, ex veteri Hiſtoriâ manifeſtiſſimum eſt antiqua Concilia convocata eſſe auctoritate ſolius Imperatoris, ut Nicænum primum à Conſtantino Magno, Conſtantinopolitanum primum à Theodoſio ſeniore, Epheſinum primum & ſecundum à Theodoſio juniore, Chalcedonenſe à Martiano, Conſtantinopolitanum

tanum ſecundum à Juſtiniano ſermone, &c. Unde Socrates in proœmio lib. 5. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Imperatorum (inquit) mentionem propterea fecimus quòd ex illo tempore quo Chriſtiani eſſe cœperunt, Eccleſiæ negotia ab iis pependerunt, adeoque maxima Concilia de eorum ſententiâ convocata fuerunt & adhuc convocantur. Hæc cùm negari non poſſint, Bellarm. in lib. 1. de Concil. cap. 12. ubi diſputat de munere congregandi Concilia, quod ad ſolum Papam ſpectare vult, callidè tamen ſtatum controverſiæ interpolando hanc dicit eſſe ſententiam Pontificiorum, ſcilicet munus convocandi Concilia generalia ad Romanum Pontificem propriè pertinere, ſic tamen ut poſſit alius Pontifice conſentiente Concilia indicere: quin etiam ſatis ſit ſi indictionem factam ipſe poſteà ratam habeat & confirmet. Scilicet ita ſervatur Papæ auctoritas in veteribus Conciliis convocandis, quia cum ea ſuo ſolùm nomine Imperator indiceret, Papa non diſſentiebat. At nunc Cælum Terræ miſcent, ſi Imperator, non dico Papâ non conſulto, ſed ſi quantulumcunque poteſtatis ſibi in convocandis Conciliis aſſumeret. *Socrates.*

Deinde, quod dicunt in omnibus Conciliis generalibus Papam per ſe aut ſuos legatos præſediſſe, frivolum & commentitium eſt. Id enim nullo jure, lege, aut Canone, aut idoneis veterum teſtimoniis confirmare poſſunt, imò ex actis & monumentis Conciliorum contrarium potius apparet. Bellarm. ipſe fatetur in Concilio generali Conſtantinopolitano primo, non Romanum Epiſcopum aut ejus legatos ſed Nectarium Epiſcopum Conſtantinopolitanum præfuiſſe lib. 1. de Concil. cap. 19. Neque verò ſi præſediſſet Papa Conciliis; ſequeretur ejus auctoritatem majorem eſſe Concilio, cùm contrà præſes cujuſcunq; Senatûs ſeu Concilii, ſi ſit ex reliquorum ordine & numero, à Concilio & ſenatu, cujus os eſt, auctoritatẽ accipiat. *Legati Pontificis non præſidebant Conciliis.*

Denique, nuſquam legitur apud ullum probatum auctorem Concilia antiqua confirmationem à Papâ, quaſi ab eo penderent, petiiſſe aut expectâſſe. Certè, cum Epiſcopus aliquis magni nominis præſertim Patriarcha, ſive Romanus, ſive ullus alius abfuit à generali Concilio, conſentaneum fuit, ut ſententiam Concilii approbaret, non quò auctoritatem Concilio daret, ſed ut conſenſum ſuum oſtenderet. Cùm itaque Romanus Epiſcopus unus ex quatuor aut quinque Patriarchis, nullis unquam Orientalibus Conciliis ipſe interfuerit (ut ait Bellarm. lib. 1. de Conciliis cap. 19.) meritò interdum Concilia poſtulârunt ubi acta & conſtituta erant, ut ea ſe confirmare *Confirmatio antiqua Pontificum ſignificabat conſenſum non addebat auctoritatem.*

 firmare

Digitized by Google

firmare ſeu approbare profiteretur, non quòd alioqui irrita futura fuiſſent, ſed quò ipſe meliùs ea obſervaret, aut in ſuâ diœceſi obſervanda curaret, & cum iis qui convenerunt, concordiam & conſenſum oſtenderet. Neque aliud probat Epiſtola iſta cujus hîc meminit Bellarminus, in quâ dicitur Nicænum Concilium aut potiùs quatuor patres in iſto Concilio confirmationem petiiſſe à Sylveſtro Epiſcopo Romano. Etſi hanc Epiſtolam ex ſtylo ſuppoſititiam eſſe apparet, quæ non ita pridem reperta, poſtremis demum Conciliorum editionibus ex Colonienſium Monachorum Bibliothecâ ſuit edita.

Sic & alii Epiſcopi Concilia confirmârunt. Apud Sozomenum lib. 2. cap. 15. Euſebius Nicomediæ, & Theognis Nicææ Epiſcopus profitentur ſe confirmare quæ decreta ſunt in Nicæna Synodo. Idem lib. 4. cap. 1. ſcribit Athanaſium curâſſe Concilium Epiſcoporum Ægypti cogendum, qui decreta tum Sardicæ de ſeipſo, tum in Paleſtinâ ſancita, ſuffragiis ſuis quoque confirmarent. Hujuſmodi eſt confirmatio aſſenſus: at confirmationem poteſtatis ab imperatore acceperunt antiqua Concilia, qui edicto promulgato, & lege ſancitâ juſſit ab omnibus obſervari Conciliorum acta, ut paſſim teſtatur hiſtoria Eccleſiaſtica.

Sed hæc fuſiùs & accuratiùs perſequi alterius eſt diſputationis.

Concilium Conſtantienſe & Baſilienſe Pontifices Romanos condemnârunt.

Concilia recentiora, poſtquam Epiſcopus Romanus, labante Imperio Romano, tyrannidem occupavit & exercuit in Eccleſiam, nihil moramur; quanquam inter hæc quoque Concilia, Conſtantienſe anno 1418. & Baſilienſe an. 1431. Pontifices Romanos hæreſeos & ſchiſmatis convictos damnare auſa ſunt, & Conciliorum auctoritatem ſupra Papam ſanxerunt.

CAP. XXVI.

Reſpondetur ad teſtimonia Pontificum & Imperatorum.

Bellarmini teſtimonia ex decretalibus.

Sequuntur argumenta ſumpta ex teſtimoniis Pontificum & Imperatorum, ex Bellarm. lib. 3. de Verbo Dei cap. 7. Et primò quidem quod ad Pontifices inquit, Damaſus in epiſtolâ tertiâ „ ad Stephanum, Innocentius I. in epiſtolis ad Concilium Cartha„ ginenſe & Milevitanum quæ ſunt apud Auguſtinum epiſt. 91. & „ 93. Leo I. in epiſt. 84. ad Anaſtaſium, & 89. ad Epiſcopos „ Vien-

Digitized by Google

„ Viennenſis Provinciæ, Gelaſius in epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ, „ Gregorius lib. 4. epiſt. 52. ad Epiſcopos Galliæ (ut etiam poſte„ riores) docent cauſas graviores & præſertim fidei ad judicium ſe„ dis Apoſtolicæ, id eſt, Romanæ pertinere, & ad hoc citat Julius „ in epiſtolâ ſecundâ decretum Nicæni Concilii. Plura teſtimonia hujus generis congerit ex decretalibus Pontificum epiſtolis in lib. 2. de Pontif. cap. 14.

Reſpondeo 1. his teſtimoniis non probatur inſtitutum: nihil enim in his omnibus teſtimoniis dicitur de infallibili & abſolutâ poteſtate quam Papæ tribuunt judicandi omnes Controverſias. *Non probant negatum.*

2. Pleraſque epiſtolas decretales antiquiores ex quibus ejuſmodi teſtimonia deprompta ſunt ſuppoſititias eſſe noſtri ſatis demonſtrârunt, ut Magdeburgenſes centur. 2. 3. 4. & 5. earumque cap. 7. Calvinus inſtit. lib. 4. cap. 7. contextu 11. Reinoldus in cenſurâ Librorum Apocryphorum prælect. 25. Witakerus de Pontif. Rom. quæſt. 4. cap. 2. Junius in animad. in hoc caput, & cap. 14. de Pontif. Rom. Chamierus de Canone fidei lib. 3. cap. 5. & lib. 9. cap. 16. Item de œcumenico Pontifice lib. 13. cap. 8. 21. &c. Robertus Cocus & Thomas Jameſius in cenſuris, Rivetus in Critico ſacro, & multi alii. Et ipſe quidem Bellarm. epiſtolas decretales quæ dicuntur ſcriptæ ante annum Domini 300. ait non audere ſe affirmare indubitatas, nec negare aliquid erroris in eas irrepſiſſe lib. 2. de Pontif. cap. 14. *Pleraque ſunt ſuppoſititia.*

Poſtremò Pontificum in ſuâ causâ teſtimonia nullam prorſus auctoritatem habent. Verum quidem eſt ob celebritatem ſedis & urbis Romæ, quæ caput erat imperii, in quâ vigebat olim Chriſtiana Religio, multorum Martyrum ſanguine confirmata, & poſteà pace Eccleſiæ à piis Imperatoribus conceſsâ, Chriſtiana profeſſio in honore erat, per magnam fuiſſe auctoritatem Epiſcoporum Romanorum, præſertim poſtquam inter Patriarchas primum locum obtinuerant; nec defuiſſe inter eos viros alioqui bonos, qui immodicè ſedis ſuæ prærogativam extollere ſatagebant. Et cùm primùm ex condicto, varii in aliis regionibus aut provinciis Epiſcopi, graviores cauſas, de quibus magnæ erant controverſiæ, ad Eccleſiam Romanam, utpote tum temporis illuſtriſſimam, deferrent, quò meliùs paci Eccleſiæ conſuleretur, & conſenſus doctrinæ ſtabiliretur, progreſſu temporis Epiſcopi Romani iſtam prærogativam tanquam rem ſedi ſuæ debitam arrogare cæperunt, quanquam per mille an- *Priſca Romanorum Pontificum auctoritas nihil ad hodiernas controverſias.*

nos & ampliùs à Chriſto nato nihil de infallibiiltate Papæ auditum eſt: utcunque verba auctorum præter ipſorum mentem ad amplificandam Papæ poteſtatem ab ejus aſſeclis recentioribus ſæpe detorquentur.

Quod autem dicit Bellarm. Julium in epiſtolâ 3. quam ſcilicet ad orientales Epiſcopos ſcripſit) citare ad hanc rem decretum Concilii Nicæni, id ipſum inter alia multa, argumento eſt epiſtolam iſtam eſſe ſuppoſititiam, in quâ varii canones commentitii ex Concilio Nicæno citantur, quibus aſſeritur omnibus Epiſcopis licere appellare ad fidem Romanam, nihil definiendum eſſe contra Epiſcopos inconſulto Romano Pontifice, & id ſtatuendum eſſe quod Pontifex Romanus cenſuit, & multa ſimilia, quibus Romanæ ſedis & Pontificis auctoritas ſupra omnes Eccleſias ſtabilitur.

Sed prudenter Bellarm. neque hîc neque alibi, cùm ex inſtituto agit de Pontificis Romani potentiâ ejuſmodi canones recitat: alioqui ſi genuinos cenſuiſſet, non ſilentio præteriiſſet: & quidem ſi veri eſſent, majorem auctoritatem haberent, quàm omnia teſtimonia humana ad hanc rem à Bellarm. citata: neque opus fuiſſet diu poſt Julii tempora Zozimo Papæ & ejus ſucceſſoribus Bonifacio & Cœleſtino Nicænos Canones confictos obtrudere Concilio Carthaginenſi 6. ut oſtenderent undique jus eſſe appellandi ad Romanam ſedem: quam impoſturam egregiè Patres iſtius Concilii detexêre. Aderant autem 217. Epiſcopi, inter quos erant inſignes Aurelius Carthaginenſis & Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus, qui ſtatuerunt non eſſe provocandum ad tranſmarinum judicem ſub pœnâ excommunicationis, ut legere eſt in can. 92. Concilii Africani: & hac de re literas ad Cœleſtinum Papam miſerunt, ubi ſententiam ſuam ex genuinis Canonibus Nicæni Concilii confirmârunt, ut videre eſt in cap. 105. Concil. Africa.

Julius creatus fuit Papa An. Dom. 335. Zozimus 416.

Cœleſtinus falſatos Canones de Romanæ ſedis prærogativa Concilio Carthaginenſi fruſtra conatus eſt obtrudere.

Bellarm. in lib. 2. de Romano Pontifice cap. 25. ait iſtos Canones à Pontifice Romano objectos Concilio Carthaginenſi, etſi non fuerunt in Concilio Niceno, tamen eſſe in Concilio Sardicenſi, quod idem cenſendum eſt aut ejuſdem auctoritatis cum Niceno. Sed utrum apud nos major eſſe debet auctoritas Bellarmini & Pontificiorum recentiorum an. 217. illorum Patrum, qui tempore Concilii Sardicenſis, aut non multò pòſt, vixerunt, qui nullâ Patrum definitione, nullâ Patrum Synodo ejuſmodi aliquid conſtitutum inveniſſe ſe teſtantur in eâdem epiſtolâ ad Cœleſtinum: quare etſi tandem irrep-

Pontificia fraudis prava Bellarmini vindicatio.

Sardicenſe Concilium falſatum.

Digitized by Google

irrepſerint iſti canones inter decreta Concilii Sardicenſis (quod ridiculè aſſeritur à Bellarm. idem eſſe cum Concilio Nicæno aut ejuſdem auctoritatis, cùm inter ea 24. ſaltem anni intercesſerint, & iſtud nuſquam generalibus Conciliis annumeretur) tamen mirum videtur neque Pontificibus Romanis, quorum maximè intererat neque ullis viris doctis ejus ſæculi excuſationem Bellarmini, ſi vera eſſet, in mentem veniſſe.

Utcunque eſt, Binius ipſe agnoſcit hanc ſecundam epiſtolam Julii ad orientales à Bellarmino hîc citatam eſſe ſuppoſititiam; cui prima, quæ ab aliis citatur, per omnia ſimillima eſt, ut ab eodem artifice prognatam eſſe facilè conſtet. Hoc non ignorans, ut videtur, Bellarm. lib. 2. de Pontif. Rom. cap. 14. confirmare volens primatum Pontificum Romanorum ex ipſorum teſtimoniis, neutram iſtam epiſtolam Julii, ſed aliam ſcriptam ad nonnullos Epiſcopos orientales citat, quæ extat in Apologiâ S. Athanaſii, quæ tamen nihil ejus cauſam juvat. Cùm enim factione & calumniis Arianorum Sanctus Athanaſius Patriarcha Alexandrinus, Paulus Conſtantinopolitanus, & alii pii Epiſcopi oppreſſi & ſedibus ſuis expulſi eſſent, ad Julium Romanum Patriarcham confugêrunt, ad quem etiam adverſarii ipſorum legatos miſerunt, rogantes ne eos quos ipſi damnârunt in communionem reciperet, at illi facilè crimina à legatis objecta refellebant. Ideoque tùm legati, tùm Athanaſius cum ſociis, tùm multi alii pii Epiſcopi, & ex orientalis & occidentalis imperii partibus Julium utpote primum Patriarcham interpellârunt, ut Synodum convocandam curaret, in quâ de cauſâ eorum cognoſceretur, & pax Eccleſiæ reſtitueretur. Sed cum omne juſtum judicium refugerent adverſarii, atque etiam per literas cum Julio expoſtulâſſent, Julius non ſuo ſolùm, ſed totius Synodi nomine ad eos reſcribit, oſtendens inter alia eos non legitimè & ſecundum canones damnâſſe eos primarios Epiſcopos, inquiens, nam ſi, ut dicitis, omninò „ in culpâ fuerunt, oportuit ſecundum canonem, & non iſto modo „ judicium fieri, oportuit ſcribere omnibus nobis, ita ut ab omni- „ bus quod juſtum eſſet decerneretur, Epiſcopi enim erant & non „ vulgares Eccleſiæ qui iſta patiebantur, ſed quas ipſi Apoſtoli ſuâ- „ met operâ ad fidem inſtruxerunt. Cur igitur & inprimis de Ale- „ xandriâ civitate nihil nobis ſcribere voluiſtis? An ignari eſtis „ hanc conſuetudinem eſſe ut nobis primum ſcribatur, ut hinc quod „ juſtum eſt definiri poſſet? Quapropter ſi iſtic ejuſmodi ſuſpicio

Epiſtola ad Epiſcopos orientales pro Athanaſii vindicias non facit Papam abſolutum judicem.

„ in Epiſcopum concepta fuerat,id huc ad noſtram Eccleſiam referri „ oportuit. Nunc autem nos, quos certiores minimè fecerunt, poſt- „ quam jam egerunt quod libuit, ſuffragatores ſuæ damnationis qui „ non interfuimus eſſe volunt.

In his verbis nihil ſibi ſoli arrogat Julius, voluit rem totam legitimæ Synodi judicio deferri, ait Synodum hanc expetitam eſſe ab ipſorum legatis & communibus piorum Epiſcoporum votis, præpoſterè eos rogare ut ipſe judicium eorum probaret, quod ipſo & aliis quorum intererat non conſultis nullâ legitimâ ratione conſtituerunt: in tam gravi cauſâ, quæ ad omnes ſpectat, in quâ de primariis Epiſcopis, & ipſis Patriarchis agebatur, oportuiſſe eos ſcribere non tantùm ad ſe ut primum Patriarcham quem primò conſulere debebant, ſed ad omnes ejus collegas, ut ab omnibus quod juſtum eſſet decerneretur. Hæc & alia quæ in iſtâ Epiſtolâ occurrunt, ſi accuratè ſecundum omnes circumſtantias expendantur, potiùs evertunt quàm confirmant faſtum Pontificium. Imò verò idem quod Julius Romanus Epiſcopus in cauſâ Athanaſii fecit, factum legimus à Maximo Hieroſolymitano Epiſcopo, qui (ut refert Socrates lib. 2. cap. 19.) Epiſcopis aliquot è Paleſtinâ & Syriâ convocatis, & conventu coacto ἀποδίδωσι καὶ αὐτὸς κοινωνίαν Ἀθανασίῳ καὶ τὴν ἀξίαν, reſtituit etiam ipſe Athanaſio communionem & dignitatem. Sed non eſt opus in iſtiuſmodi Pontificum teſtimoniis diutiùs immorari.

Imperatores olim jus Pontificium non agnoverunt.

Teſtimonia Imperatorum, quæ citat Bellarm. nihil prorſus ad rem faciunt, nihil enim ex iis omnibus colligi poteſt, quàm Imperatores exiſtimâſſe judicium controverſiarum Eccleſiaſticarum pertinere ad viros Eccleſiaſticos, eorumque Concilia legitima, quorum decreta ipſi approbabant (id quod non eſt controverſum) ſed nihil in iis omnibus dicitur de peculiari poteſtate Pontificis Romani aut externi cujuſvis judicis abſolutâ auctoritate aut infallibilitate. Quanquam alia hîc à Bellarmino perperam citantur aut accommodantur, & alia contra ipſum diſertè militant: in quibus ſigillatim examinandis tempus terere non eſt operæpretium. Neque verò multum ad rem eſt ſi nonnulli Imperatores aut jus ſuum ignorârunt, aut de eo aliquid remiſerunt.

CAP.

CAP. XXVII.

Reſpondetur ad teſtimonia Patrum Græcorum.

SUPERSUNT teſtimonia Patrum, primò Græcorum deinde Latinorum, ex quibus omnibus ne unum quidem nominare potuit Bellarm. qui externi, abſoluti ac infallibilis judicis meminerit, proinde à nobis meritò negligi poterant. Sed quia contra antiquorum Patrum mentem eorum teſtimoniis abutitur Bellarm. ut Scripturæ derogando plus æquo Romano Pontifici & Eccleſiæ tribuat, & quia pleraque eorum Bellarmini inſtituto maximè adverſantur: ideo ea ſigillatim examinabimus quæ affert Bellarm. lib. 3. de Verb. Dei cap. 8. additis nonnullis eòdem ſpectantibus ex lib. 2. de Pont. cap. 15. & 16. unde ejuſdem farinæ alia facilè dignoſcentur.

Irenæ Bellarminus abutitur contra ſuã expreſſam mentem.

Primò ex Græcis ait Bellarm. Irenæum lib. 3. cap. 2. docere controverſias non poſſe finiri ex ſolis Scripturis, quia variè ab hæreticis exponuntur: & deinceps cap. 3. eum docere ait finiendas eſſe controverſias ex doctrinâ Romanæ Eccleſiæ in his verbis: Ad hanc „ Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles, in „ quâ ſemper conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.

Reſp. Ex textu Irenæi facilè patet Bellarm. ineptiſſimè abuti ejus teſtimonio. Diſputabat ille adverſus perverſiſſimos hæreticos, qui ex ſacris Literis convicti earum auctoritatem reſpuebant ac enervabant; & ad traditiones confugiebant, dicentes recondita quædam myſteria Apoſtolos tenuiſſe, quæ non literis mandârunt, nec omnes promiſcuè docuerunt, ſed tantum perfectis ſeorſum & clanculum communicârunt: & ad hanc ſententiam verba Pauli, 1. Cor. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos* detorquebant. Hujuſmodi hæreticis (qui, inquit, more ſerpentum lubrici undique elabi conabantur) undique reſiſtere operæ pretium ratus, oſtendit eorum doctrinam, ut non Scripturis, ita neque traditioni convenire: non quod agnoſceret Irenæus ullam doctrinam traditam ab Apoſtolis, quæ in ſacris Literis non continetur (nam in principio iſtius libri contrarium dicit) ſed ut hac ratione adverſarios ex ipſorum hypotheſibus refelleret. Unde ſic argumentatur: ſi recondita myſteria Apoſtoli tenuiſſent, quæ ſeorſum & clanculum perfectos docuerunt, certè his ea maxi-

maximè tradidiſſent, quibus Eccleſias à ſeipſis fundatas commiſerunt, & iſti eadem ad ſucceſſores ſuos propagâſſent: at poſterius eſt falſum: ergo & prius. Minorem probat inductione aliquot Eccleſiarum inſigniorum (nimis enim prolixum eſſet omnes enumerare) putà Eccleſiæ Romanæ, & Eccleſiarum omnium quæ ſunt in Aſiâ, inter quas meminit Eccleſiæ Smyrnenſis, Philippenſis & Epheſinæ, in quibus, continuâ ſucceſſione, propagata eſt doctrina Apoſtolica, ab hæreticorum iſtorum pravitate alieniſſima. Et in primis Romanam Eccleſiam memorat tum temporis celebratiſſimam à duobus glorioſiſſimis Apoſtolis Petro & Paulo fundatam & conſtitutam: in quâ poſt eos duodecim enumerat Epiſcopos ordine ad ſua ipſius tempora ſuccedentes, quorum tres primi Apoſtolos audiverunt.

Atque hoc unum exemplum ſufficere poterat: nam ſi qui Apoſtoli ejuſmodi recondita myſteria ſciviſſent & tradidiſſent, certè præcipui inter Apoſtolos Petrus & Paulus ea ſciviſſent & tradidiſſent: & ſi aliquibus iſta tradidiſſent, certè maximè iis quibus Eccleſias celebriores à ſeipſis fundatas commiſerunt: & ſi in ullâ Eccleſiâ ejuſmodi traditio conſervata eſſet, certè in Romanâ potiſſimùm, utpote tunc florentiſſimâ, in quâ tam perſpicua tum cernebatur ſucceſſio Epiſcoporum eandem doctrinam retinentium ab Apoſtolorum temporibus. At in Romanâ Eccleſiâ apud ejus doctores ne veſtigium quidem ejuſmodi traditionum occultarum apparet. Proinde eadem eſt ratio reliquarum omnium piarum Eccleſiarum quæ Romanæ. Nam cùm tota doctrina Apoſtolica tradita ſit Romanæ Eccleſiæ, & in eâ uſque ad tempora Irenæi conſervata (qui floruit anno Dom. 170.) neceſſe eſt omnes orthodoxas Eccleſias, & omnes fideles cum eâ conſentire.

Non eadem hodie Romæ ratio eſt quæ fuit olim.

Rectè quidem ſic olim ex ſuis hypotheſibus arguebat Irenæus, cùm tum temporis (ut & multis poſteà annis) Eccleſia Romana ob dignitatem urbis quæ fuit caput Imperii, & multitudinem fidelium illuſtriſſima doctrinam Apoſtolicam conſervaret. At nunc longè alia eſt ratio, nam poſtquam à puritate religionis defecit, neque neceſſe eſt, neque fas eſt alias Eccleſias cum eâ convenire. Ita loca Patrum ſpectantibus facilè detegitur impoſtura adverſariorum.

Bellarminus, Irenæo ſententiam hæreticorum quos refutat aſſignat.

Primò Bellarm. ait Irenæum lib. 3. cap. 2. docere controverſias non poſſe finiri ex ſolis Scripturis, quia variè ab hæreticis exponuntur. At non illud dicit Irenæus, ſed ait hanc eſſe ſententiam hæreticorum quos reprehendit. Cùm (inquit) ex Scripturis arguuntur,

„ in

,, in accuſationem convertuntur ipſarum Scripturarum, quaſi non ,, rectè habeant, neque ſint ex auctoritate, & quia variè ſunt dictæ & ,, quia non poſſit ex his veritas inveniri ab his qui neſciunt traditionem. Quàm bellè cùm iſtis antiquis hæreticis conveniunt hodierni Pontificii!

Irenæi laudes Romanæ Eccleſiæ antiquæ, non excuſant Apoſtaſiam hodiernæ.

Deinde in lib. 2. de Pontif. cap. 14. ubi idem teſtimonium expendit Bellar. ait in hoc teſtimonio Irenæum probare nos poſſe ,, confundere omnes hæreticos ex Doctrinâ Romanæ Eccleſiæ: ,, quia neceſſe eſt ad hanc Eccleſiam omnes convenire: & neceſſa- ,, rium eſſe omnibus Chriſtianis pendêre à Romanâ Eccleſiâ tan- ,, quam capite & fonte: idque duplici argumento. 1. à priore, quia ,, datus eſt huic Eccleſiæ principatus. 2. à poſteriore, quia hacte- ,, nus ſemper omnes conſervârunt fidem in hac Eccleſiâ, id eſt, in ,, unione & adhæſione ad hanc Eccleſiam, ut ad caput & matrem. Sed hæc mira ſunt interpretamenta ab Irenæi mente alieniſſima. Non dixit ille nos poſſe confundere omnes hæreticos ex Doctrinâ Romanæ Eccleſiæ: ſed hæreticos, qui rejiciebant argumenta ex Scripturis & traditionem urgebant, oſtendit fruſtra traditionem prætexere quæ nec in Romanâ nec Epheſinâ, nec Smyrnenſi, nec in ullâ aliâ Eccleſiâ reperitur: adeoque ſe eos confundere exemplo Romanæ Eccleſiæ, in quâ, ſi uſquam alibi, ejuſmodi traditio extitiſſet. Nuſquam ille dixit omnibus Chriſtianis pendendum à Romanâ Eccleſiâ tanquam capite & fonte, ſed eandem eſſe rationem Romanæ Eccleſiæ & aliarum omnium Eccleſiarum, quod ad traditionem attinet, quam falsò hæretici iſti prætenderunt. Meminit quidem Irenæus *potentioris principalitatis*, non ut ſignificaret Romanam Eccleſiam habere imperium in alias Eccleſias, ſed ut notaret dignitatem & celebritatem iſtius Eccleſiæ ob rationes ante dictas, ob quas meritò tum dici potuit comparatè & reſpectu aliarum Eccleſiarum potentiſſima & principalis: quanquam hæc verba multi referunt, non ad Eccleſiæ ſed ad urbis potentiam quæ erat caput imperii. Neque verò quia potentiorem principalitatem habet Rex Britanniæ quàm Rex Daniæ, id eſt, quia potentior & principalior eſt, ideo Rex Daniæ ſubjicitur Regi Britanniæ. Non dixit ille abſolute *neceſſe eſſe omnes convenire ad Eccleſiam Romanam*, id eſt, cum Eccleſiâ Romanâ, quaſi hæc Eccleſia non poſſit deficere à fide: ſed ex hypotheſi arguit, nimirum quia iſta Eccleſia ad ſua uſque tempora conſervavit doctrinam traditam ab Apoſtolis, ideo neceſſe erat ut verè

fideles tunc cum eâ convenirent. Sed nunc ex contraria hypotheſi contraria concluſio deducitur: quia ſcilicet Romana Eccleſia defecit à Doctrinâ ab Apoſtolis traditâ, ideo ab eâ omnes fideles diſſentire & diſcedere oportuit. Neque verò ſequitur, quia tempore Irenæi Romæ, Smyrnæ, Epheſi, & reliquis Aſiaticis Eccleſiis (ut hic oſtendit Irenæus doctrina tradita ab Apoſtolis integra conſervabatur) ideo nunc quoque ibidem conſervari, in quibus manifeſta cernitur defectio. Porrò Irenæus hîc diſputat non de quæſtione Juris, ſed de quæſtione facti, nempe an ejuſmodi traditionem docuerint Apoſtoli: at in controverſiis facti errare poſſe concedunt Pontificii Pontificem & Concilia.

Athanaſio Bellarminus fruſtra conatur abuti.

Ex totâ verò hujus diſputationis ſerie patet, Irenæum nihil ejuſmodi traditionibus occultis & non ſcriptis tribuere, qui non ab hominum, ſed à S. Scripturæ judicio nos pendêre vult, ut ipſe initio hujus libri disertè proponit. „Non per alios (inquit) diſpoſitionem noſtræ ſalutis cognovimus quàm per eos, per quos Evangelium pervênit ad nos, quod quidem tunc prædicaverunt: poſteà verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei noſtræ futuram. Sic in lib. 2. cap. 46. & 47. docuit Scripturas perfectas eſſe, earumque ſenſum eſſe certum & planum, ac obſcura loca ex perſpicuis explicanda eſſe.

Irenæus in hac quæſtione totus eſt noſter.

Deinde Athanaſium citat Bellar. qui in epiſtolâ ad ſolitariam vitam agentes, reprehendit Conſtantium Imperatorem Arianum, qui aliquod ſibi judicium in Conciliis uſurpabat Reſp. malignè Athanaſii ſententiam explicat & extenuat Bellarminus quaſi Imperatorem reprehenderet tantùm quod aliquod ſibi judicium in Conciliis uſurparet: imò verò acerrimè invehitur in Conſtantium ut Arianæ factionis principem, quod Antichriſti more tyrannidem exerceret in Eccleſiam, Orthodoxam religionem opprimeret, ac pios Epiſcopos & Paſtores maximè verò ſeipſum immaniter perſequeretur, neque ullam legitimam defenſionem iis in Concilio legitimo permitteret, ſed in palatio ſuo conciliabula cogeret, piorumque Epiſcoporum & accuſatorem & judicem ſe præberet, ac controverſiarum de Religione ſe ſummum principem & auctorem faceret. His & talibus præmiſſis ſubjungit Athanaſius verba à Bellarmino citata, „*Τίς γὰρ βλέπων αὐτὸν ἐξάρχοντα τῶν νομιζομένων ἐπισκόπων*, &c. Quis enim videns eum in decernendo principem ſe facere Epiſcoporum, &

præſidere

„ præſidere judiciis Eccleſiaſticis, non meritò dicat illum eam „ ipſam abominationem deſolutionis eſſe quæ à Daniele prædicta „ eſt. Tum rationem addit, nam cum (inquit) circumamictus ſit „ Chriſtianiſmo & in loca ſancta penetret, & inibi conſiſtens de- „ vaſtet Eccleſias, abrogans canones, vi cogens ut ſua obtineant, „ quis unquam audebit dicere hoc tempus Chriſtianis paratum eſſe, „ & non potiùs perſecutionem eſſe, talemque perſecutionem qualis „ nec anteà fuerit, & qualem fortaſſe nemo unquam fecerit, niſi „ filius ille iniquitatis, id eſt, Antichriſtus. Ex his verbis Athanaſii nihil colligi poteſt contra nos qui agnoſcimus Concilia legitima à Deo auctoritatem habere, in cujus nomine convenire & verbo Dei adhærere debent: & nulli homini fas eſſe in iis dominari, ut à nutu ſuo pendere velit, aut libera impediat ſuffragia prout fecit Conſtantius. Sed ex illis verbis & multis aliis in iſtâ epiſtolâ graphicè deſcribuntur mores Antichriſti, qui Pontifici Romano apertiſſimè quadrant.

Libelli pœnitentiales offerebantur æqualibus & inferioribus.

Præterea in ſimili argumento ſcilicet ad probandum Pontificis Romani primatum abutitur Bell. auctoritate Athanaſii ex tribus aliis locis 1. Quia in Apologiâ ſecundâ ait duos Epiſcopos Urſatium & Valentem (qui falsò Athanaſium criminati ſunt) pœnitentiam agentes adiviſſe Julium Epiſcopum Romanum, & delicti veniam petiiſſe, quod & Epiphanius teſtatur adhæreſ. 68.

Sed unum Epiſcopum agnoſcere culpam apud alium, veniam petere, & rogare ab illo in communionem recipi, non eſt eum ut caput & regem Eccleſiæ agnoſcere. Meritò autem Julium Patriarcham occidentalis Eccleſiæ adiêrunt, cum ipſi eſſent occidentales Epiſcopi, & Athanaſium Patriarcham Alexandrinum, cujus cauſam Romanus Patriarcha in ſe ſuſcepit magnis injuriis affeciſſent. Alioqui libellos pœnitentiæ ab Epiſcopis qui delinquebant non ſolùm Romano Epiſcopo, ſed etiam aliis Epiſcopis oblatos eſſe patet ex Sozomeno lib. 2. cap. 15. ubi ait Euſebium Nicomediæ & Theognidem Nicææ Epiſcopos, oblato Epiſcopis pœnitentiæ libello fuiſſe ſuis Eccleſiis, ex quibus excluſi erant, reſtitutos.

Sozomenus.

2. Citat epiſtolam Athanaſii ad Felicem Papam. Sed eam commentitiam eſſe docet Baronius Annal. tom. 3. ad An. 357. num. 66. & Binius tom. 1. Conciliorum pag. 492. in notis.

Eelatio nimia Patriarchæ a-

3. Ex lib. de ſententiâ Dionyſii Alexandrini Epiſcopi, ubi dicitur nonnullos malè intellectâ Dionyſii ſententiâ, eum apud Epiſco-

 pum

pud alium non probat imperium unius in alium.

pum Romanum erroris accusâſſe, colligit hinc Bellar. Epiſcopi Romani dominatum. Sed quid hoc ad rem, ſi, cum unus Patriarcha pateretur hæreſin aut errorem doceri ad alium Patriarcham deferatur. Sic enim poſtulabat diſciplina iſtorum temporum, ut non poſſet unus Patriarcham damnare niſi conſultis aliis aut auctoritate Synodi. In iſto autem loco non loquitur Athanaſius de accuſatione judiciali ſed de privatâ criminatione (eâque etiam falsâ & temerariâ) quâ uti poſſunt homines etiam apud pares aut inferiores. Nam quod Latinus interpres vertit *accusârunt eum* Græcè eſt κατεφήκασιν αὐτοῦ, id eſt, loquuti ſunt contra eum aut detractabant ei.

Baſilius à Bellarmino malè tortus ad Pontificiam ſententiam.

Tertiò citatur Baſilius in epiſt. 52. ad Athanaſium, cujus verba cum parum aptè reddantur in verſione quâ uſus eſt Bellar. lib. 2. de Pontif. cap. 15. nos Græca auctoris ponemus. Ἐφάνη δὲ ἡμῖν ἀκόλουθον ἐπιστεῖλαι τῷ ἐπισκόπῳ Ῥώμης ἐπισκέψασθαι τὰ ἐνταῦθα, καὶ δοῦναι γνώμην, ἵνα ἐπειδὴ ἀπὸ κοινοῦ καὶ συνοδικοῦ δόγματος ἀποσταλῆναί τινας δύσκολον τῶν ἐκεῖθεν, αὐτὸν αὐθεντῆσαι περὶ τὸ πρᾶγμα, ἐκλεξάμενοι ἄνδρας ἱκανοὺς μὲν ὁδοιπορίας πόνους διενεγκεῖν, ἱκανοὺς δὲ πρᾳότητι καὶ ἀπτιᾳ ἤθους τοὺς ἐνδιαστρόφους τῶν παρ' ἡμῖν νουθετῆσαι: ἐπιτηδείους δὲ καὶ οἰκονομικῶς κεχρημένους τῷ λόγῳ καὶ πάντα ἔχοντας μεθ' ἑαυτῶν τὰ ἐν Ἀριμίνῳ πεπραγμένα, ἐπὶ λύσει τῶν κατ' ἀνάγκην ἐκεῖ γενομένων, &c. Hæc verba ſic redduntur in verſione Tilmani Carthuſiani Pariſienſis monachi edi-
,, tâ ann. Dom. 1618. Viſum autem mihi eſt conſentaneum ut ſcri-
,, batur Epiſcopo Romæ, ut, quæ hîc geruntur, conſideret & ſen-
,, tentiam ſuam expromat: & quoniam difficile eſt ut communi ac
,, Synodico decreto aliqui illinc mittantur, ipſe ſuâ auctoritate in iſtâ
,, causâ uſus viros eligat ad ferendas quidem itineris moleſtias ido-
,, neos, verum juxta ad hoc quoque accommodos ut manſuetudine
,, ac facilitate ingenii eos qui diſtorti & obliqui apud nos ſunt cor-
,, rigant ac diſpenſatoriè ſermonem attemperantes, omniaque ſe-
,, cum habentes quæ in Arminio facta ſunt ad ea reſcindenda quæ
,, illic per vim & violentiam geſta ſunt: & hoc, nemine ſciente abſ-
,, que ſtrepitu tacitè per mare ad eos qui hîc ſunt vadant, ne pacis
,, inimici adventum ipſorum præſentiſcant. Ex his verbis Bellar. colligit Baſilium tribuiſſe Romano Pontifici auctoritatem viſitandi Eccleſias Orientis, & ex auctoritate decreta faciendi ac reſcindendi concilia generalia quale erat Ariminenſe.

Hiſtoria temporis.

Reſp. Hinc patet quemadmodum Pontificii abutantur ſimplicitate hominum in antiquis hiſtoriis aut Patribus minùs verſatorum: quod ut in hoc ipſo exemplo appareat, operæpretium eſt paulò altiùs rem repetere. Conſtantinus Magnus pietate inſignis Imperator omni-

omni ratione Chriſtianam Religionem promovit: ad quam ſtabiliendam contra Arianorum hæreſin potiſſimum, Concilium Nicænum convocavit, in quo Jeſum Chriſtũ Filium Patri ὁμοούσιον credendum eſſe ſancitum eſt. Poſt ejus mortem Imperium Romanum diviſum eſt inter tres ejus filios Conſtantinum, Conſtantium, & Conſtantem. Et mox Conſtantino occiſo imperium in duas partes diviſum eſt: cujus Occidentali parti imperabat Conſtans, Orientali Conſtantius. Conſtantius Arianis addictus eorum cauſam acerrimè propugnavit, & Orthodoxos Epiſcopos, ac in primis Athanaſium perſecutus eſt: adeo ut tum Eccleſiæ Orientis miſerè aut afflictæ aut infectæ eſſent, cum in occidente interim pura Religio vigeret. Demum cum mortuo etiam fratre Conſtante, toto imperio potitus eſſet Conſtantius, nihil ei fuit antiquius, quàm ut Arianam hæreſin, veritate oppreſsâ, ibi quoque ſpargeret; ſaltem ut Nicænam fidem de filio ὁμοουσίῳ abrogaret. Itaque generale Concilium juſſit congregari quod non ſine fraude in duas partes diviſit; ſtatuens ut orientales Epiſcopi Sileuciæ in Iſauriâ, Occidentales Arimini in Italiâ convenirent. Convenerunt illic Epiſcopi circiter 160. hîc plures quàm 400. Utrobique, ſed maximè Arimini plures erant qui fidem Nicenam propugnabant Orthodoxi, quàm qui impugnabant ſive Ariani ſive Semi-Ariani: ita utrobique Schiſma ortum eſt, cum ab Orthodoxis ſecederent alii. Cæterum Arimini primum multitudine ſuffragiorum Nicæna fides clarè comprobata eſt, deinde importunitate adverſariorum Synodum apud Imperatorem credulum criminantium, & Imperatoris violentiâ, accidente fraude & dolis extortæ aut ſurreptæ ſunt ſubſcriptiones plurimorum Epiſcoporum (qui poſteà maximâ ex parte reſipuerunt) metu exilii & tormentorum, ſuffragantium ut reſcinderetur decretum Niceni Concilii, de filio ὁμοουσίῳ, & omninò οὐσίας & ὁμοουσίου vocabula in perſonarum trinitatis naturâ explicanda tanquam nova, & in ſacris Scripturis inuſitata tollerentur. Unde magna orta eſt perſecutio piorum Epiſcoporum & in Oriente & in Occidente.

Conſtantio ſucceſſit in Imperio Julianus Apoſtata omnibus Chriſtianis infeſtus, qui regnavit annum unum & menſes 7. Poſt eum Eccleſia occidentalis libertate fruebatur ab Arianâ peſte & perſecutione ſub Imperatore Joviniano qui regnavit ſeptem menſes; & Valentiniano qui imperium tenuit annos undecim. Sed cum Valentinianus initio regni ſui Valentem fratrem conſortem imperii feciſ-

ſet, hic Arianæ factioni deditus miſerè Eccleſiam orientalem afflixit. *Baronius.* Divinâ tum factum eſt providentiâ (ut inquit Baronius ad „ ann. 371.) ut poſt tot tantaque naufragia orientalium Eccleſia„ rum, liberi relinquerentur duo illi magni viri Athanaſius & Baſi„ lius qui videbantur eſſe columnæ. Et quidem circa hoc tempus Baſilius ſcripſit iſtam Epiſtolam ad Athanaſium inſignem iſtum athletam orthodoxæ Religionis, qui propter eam tot exilia, damna, *Baſilii veramens.* injurias, & contumelias perpeſſus eſt: & cum in Occidente communiter fides Nicæna reciperetur, ſed in Oriente, prævalente Arianâ factione Orthodoxi premerentur, multi vacillarent in fide, & Eccleſia miſerè laceraretur, Baſilio conſultum viſum eſt opem petere ab occidentali Eccleſiâ. Optabat quidem, ut à Synodo in Occidente congregatâ delegarentur viri pii, docti, & prudentes, qui operam darent ſtabiliendæ Nicænæ fidei & componendis diſſidiis in Eccleſiâ Orientali: & in primos quoniam magnum præjudicium factum eſt à decreto Conciliabuli Ariminenſis, ut oſtendentes id nullâ legitimâ ratione, ſed vi ac fraude factum eſſe, illud ſolverent, ſeu irritum oſtenderent. Sed quoniam nulla ſpes erat de Synodo, proximum viſum eſt rogare Epiſcopum Romanum, cujus magna erat auctoritas in Occidentali Eccleſiâ, ut ipſe conſilium ac ſententiam ſuam exponeret, & clàm propriâ auctoritate ejuſmodi viros ad eum finem mitteret.

Quid quæſo hic dicitur ad Papæ Monarchiam aut judicium ἀνεξέλεγκτον ſtabiliendum? Bellarininus ait hîc triplicem ei poteſtatem tribui. 1. Viſitandi Eccleſias Orientales. 2. Ex auctoritate decreta faciendi. 3. Reſcindendi generalia Concilia, quale erat Ariminenſe. At ut ab ultimo incipiam, ſi poteſtatem habuit reſcindendi generale Concilium, id potuit domi facere, nec opus fuit legatos mittere, idque etiam clàm qui tam longinquum iter propterea conficerent. Sed Baſilius vult illos viros doctos in Orientem mittendos non pro imperio agere, ſed manſuetudine ac ingenii facilitate, aptè dicendo animos movere: & inprimis omnia in promptu habere & oſtendere, neceſſariam eorum quæ Arimini geſta ſunt per vim & fraudem ſcilicet ἐπίλυσιν, id eſt, ſolutionem ſeu ut eorum appareret ſolutio, aut (ut ita dicam) nullitas iſtius decreti Ariminenſis.

Quod ad ſecundum attinet, nuſquam in iſtâ epiſtolâ decreti Epiſcopi Romani ſed γνώμης, id eſt, conſilii & ſententiæ ejus, ut rectè vertit Tilmannus. Et quod velit Romanum Epiſcopum αὐθεντῆσαι,

uti

uti propriâ auctoritate in mittendis legatis, id manifeſtè ait ſe velle ob defectum majoris auctoritatis, puta Synodi. Nam Synodi etiam particularis, ut Occidentalium Epiſcoporum auctoritatem multò majorem eſſe agnoſcit auctoritate Epiſcopi Romani.

Quod ad tertium attinet de viſitatione Eccleſiarum Orientalium, (Baſilius ait ἐπισκέψασθαι τὰ ἐνταῦθα, interpres vertit, ut quæ hîc geruntur conſideret) non intelligit ullam poteſtatem ordinariam, ſed amicitiæ & benevolentiæ officium (ipſe appellat ἀγαπητικὴν ἐπίσκεψιν amicam viſitationem epiſt. 77.) præſertim cum ad publicum Eccleſiæ incendium reſtinguendum omnium paſtorum interſit operam ſuam conferre. Neque verò quicquam aliud his verbis aut toto hoc loco petendum putat Baſilius ab Epiſcopo Romano, quàm quod ipſe alibi ab aliis Epiſcopis Occidentalibus petit: ut patet ex variis ejus epiſtolis, præſertim 61. 69. 70. 74. &c. in quibus ſæpiſſimè poſtulat ab iis eandem ἐπίσκεψιν viſitationem. In epiſt. 74. ſcribens ad Occidentales Epiſcopos, Obſecramus (inquit) ut, ſi dederit vobis ,, Dominus copiam ac ſecuritatem accedendi μὴ ὀκνήσαι ὑμῶν τὴν ἐπί- ,, σκεψιν ne differatis veſtram viſitationem, maximum enim Domini mandatum infirmorum viſitatio. Itaque ex Baſilio contrarium potiùs quàm vult Bellarminus, colligitur, nempè cum non agnoviſſe αὐτοκρατορικὴν poteſtatem Pontificis Romani. Imò verò ex eâdem epiſtolâ multò probabiliùs colligere poſſent primatum Athanaſii Epiſcopi Alexandrini, quem Baſilius ibi ait curam genere omnium Eccleſiarum, & frequenter mittere aliquos qui undecunque quod optimum ſit admoneant: ad quem dicit recurrendum eſſe ut omnium noſtrûm verticem, & rerum gerendarum ducem ac principem, & omnia ipſi quæ Eccleſiarum ſtatum concernunt permittere ac commendare. Si talia de Pontifice Romano dixiſſet, multùm exultâſſent Pontificii, tanquam luculento teſtimonio reperto, quanquam præter mentem auctoris detorto.

Quartò Gregorium Nazianzenum citat Bellarm. in oratione quâ ſe excuſat, quòd diu ab Eccleſiaſticâ functione abſtinuerit. Vos (in- *Nazianzenus à Bellarmini ſophyſticâ vindicatus.*
,, quit) oves nolite paſcere paſtores, neque ſuper terminos eorum
,, elevamini, ſatis enim eſt vobis ſi rectè paſcimini, nolite judicare
,, judices nec legem feratis legiſlatoribus. Quomodo autem (inquit
,, Bellar.) non judicat judices & paſcit paſtores qui de ſententiâ Con-
,, cilii vel ſummi Pontificis judicare præſumit? Addit Bellarminus,
,, Et ne putes à Gregorio excipi Imperatores, Idem in oratione ad
,, ſuos

„ ſuos cives timore perculſos & Imperatorem iraſcentem, ſic allo-
„ quitur Imperatorem: Num vocem ſuſcipitis liberam & quod lex
„ Chriſti vos meæ poteſtati meoque ſubjecit tribunali? Imperamus
„ enim & ipſi, addo, & imperio majori & perfectiori: ſuſcipe igi-
„ tur vocem liberiorem, ſcio te eſſe ovem gregis mei.

Reſp. Verba iſta priora non invenio apud Nazianzenum in loco citato: utcunque eſt, nihil ad rem facit hoc teſtimonium: agnoſcimus quidem, ut poteſtatem habet civilem in ſuos ſubditos Magiſtratus, ita poteſtatem ſpiritualem paſtoribus Eccleſiæ competere in oves quarum curam ipſis Chriſtus commiſit: atque ut à civili Magiſtratus poteſtate non eximitur paſtor, ita nec à ſpirituali poteſtate ſui paſtoris eximi Magiſtratum ut ovem: atque ideo hunc ordinem à Deo conſtitutum non eſſe temerandum, neque fas eſſe ovibus poteſtatem paſtorum propriam ſibi arripere. Non tamen hinc ſequitur paſtores poſſe pro arbitrio ſuo ovibus imperare & oves venenum pabuli nomine oblatum à paſtoribus non poſſe diſcernere ac rejicere: imò in verbis citatis apertè dicitur, *Satis eſt vobis ſi rectè paſcimini.* Judicium Juriſdictionis ſpirituale non competit ovi ſupra paſtorem, ſed judicium diſcretionis, quo ut jubetur probare Spiritus an ex Deo ſint, 1. Jo. 4. 1. & omnia probare, quod bonum eſt retinere 1. Theſſ. 5. 21. ita debet vocem Chriſti ſummi paſtoris à voce alieni diſcernere, illam ſequi & hanc fugere, Jo. 10. 4. 5. 16.

1. Jo. 4. 1. *1. Theſſ. 5. 21.* *Jo. 10. 4. 5. 16.*

„ At, inquit Bellarm. quomodo non judicat judices & paſcit
„ paſtores qui de ſententiâ Concilii, vel ſummi Pontificis judicare
præſumit? At, inquam, Nazianzenus neque loquitur de Pontifice, neque de Concilio, ſed de ſingulis paſtoribus: adeoque, quantum ad verba à Bellarmino citata attinet, non minùs abſurdum eſſet ovem judicare de ſententia cujuſlibet paſtoris, quàm de ſententiâ Pontificis vel Concilii. Verùm neutiquam dixerit Bellarminus cujuſque paſtoris ſententiam tanquam indubitatam ab ovibus accipiendam eſſe.

Porrò ineptiſſimè Bellarminus poſteriora illa verba Nazianzeni ait ab eo dirigi ad Imperatorem, quaſi Imperator fuiſſet ovis Nazianzeni, adeoque poteſtati ac tribunali ejus ſubjectus. At opinor, ſi ſatis ſanus fuiſſet Bellarminus, cum hæc ſcriberet, hanc prærogativam ſoli Pontifici Romano reſervâſſet. Nulla enim ratio afferri poteſt cur Imperator magis Nazianzeno Epiſcopo, quam cuilibet Epiſcopo, imò omnibus ſuis Epiſcopis ſubjicitur. Sic miſerrima

Digitized by Google

eſſet conditio Imperatorum ſi tot dominis ſubjicerentur. Nec major hactenus erit poteſtas Pontificis Romani quam Nazianzeni, aut cujuſlibet alterius Epiſcopi. Sed revera Gregorius Nazianzenus non Imperatorem, ſed præfectum Nazianzi ab Imperatore conſtitutum, ordinarium auditorem ſuum alloquitur (quem Choniates referente Jacobo Billio, Julianum Exiſoten fuiſſe ſcribit) cui etiam ſe ratione civilis poteſtatis ſubjectum eſſe, ipſe paulò antè verba citata ,, profitetur. Submittamus (inquit) nos principibus propter ordinem: ,, nobis etiam præſcribitur ut ſublimioribus poteſtatibus pareamus, ,, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.

Addit Bellar. in lib. 2. de Pontif. c. 15. Gregorium Nazianzenum in carmine de vitâ ſuâ dixiſſe Romanã Eccleſiam ſemper conſervâſſe veram de Deo ſententiam, ut decet Urbem quæ toti orbi præſidet. Et obſervat Bellarm. eum non loqui de Imperio temporali: quia eo empore Romani Imperii ſedes erat Conſtantinopoli non Romæ.

Reſp. Nazianzenum ſuo tempore verè dixiſſe Ramanã Eccleſiam conſervâſſe veram de Deo ſententiam, licet nunc longè aliter ſe res habeat. Sed quod obſervat Bellarminus Romam appellari præſidem totius orbis: non ratione imperii ſed ratione juris Eccleſiaſtici, id à mente Nazianzeni alieniſſimum eſt. Nam licet Conſtantinopolis ſedes imperii etiam eo tempore fuerit, quæ propterea nova *Roma* dicta eſt, non tamen vetus Roma dignitate ſuâ prorſus excidit. Imò Nazianzenus diſertè ibi Romam cum Conſtantinopoli, id eſt, veterem Romam cum novâ conferens, utramque æqualem dignitate facit, & utramque pariter mundi ſolem aut lampadem eſſe dicit: ut inſtar miraculi ſit, cum natura non ferat duos Soles, eſſe tamen duas Romas univerſi mundi faces: proinde quod Romam illic appellat πρόεδρον τῶν ὅλων, eatenus non diſtinguit à Conſtantinopoli: nam utramque prius dixit eſſe λαμπτῆρα τῆς ὅλης οἰκουμένης, quanquam ex ſerie verborum patet, cum Romam appellat πρόεδρον τῶν ὅλων eum ibi intelligere Romam habere primam ſedem inter omnes Occidentales. Nam immediatè antè dixit Conſtantinopolin in Oriente & Romam in Occidente fulgere, & Romam devincire univerſum Occidentem verâ Religione. Imò aliquanto pòſt tempore apud Theodoretum hiſt. lib. 4. cap. 9. literæ Synodales Illyrici Concilii Romam vocant reginam & caput Imperii.

Porrò neque vox προεδρίας neceſſariò notat præeminentiam poteſtatis ſupra alios, ſed principium ordinis, ut ejus, qui primam ſe-

Digitized by Google

dem habet etiam inter pares. Sic olim Romanus Epiſcopus primæ ſedis Epiſcopus dicebatur, cùm primus ordine inter Patriarchas eſſet.

Chryſoſtomus malè allegatur pro Romani Pontificii Monarchiâ.

Quintò Chryſoſtomum citat Bellarm. hom. ult. in Joan. quaſi diceret Petrum toti orbi Magiſtrum à Chriſto præpoſitum. Reſp. non tantùm Petrum, ſed & reliquos omnes Apoſtolos toti orbi Magiſtros & doctores præpoſitos fuiſſe: ut fatetur ipſe Bellarm. lib. 4. de Pont. Rom. cap. 23. Unde nihil hinc ad Petri prærogativam, nedum Pontificis Romani colligi poteſt.

Rurſus Bellarm. in lib. 2. de Pont. cap. 15. citat Chryſoſtomum „ in epiſt. 1. ad Innocentium Papam: Obſecro (inquit) ut ſcribas „, quod hæc tam iniquè facta non habeant robur, illi autem qui ini- „ què egerunt, pœnæ Eccleſiaſticæ ſubjaceant. Notat hîc Bellarm. Theophilum Epiſcopum Alexandrinum in Concilio multorum Epiſcoporum depoſuiſſe Chryſoſtomum ab Epiſcopatu Conſtantinopolitano, & Chryſoſtomum ad Romanum Pontificem ſcripſiſſe, ut ipſe ſuâ auctoritate decerneret irritam eſſe ſententiam Theophili, & Theophilum ipſum vellet punire: ac proinde Chryſoſtomum agnoviſſe Innocentium Papam ut ſummum judicem etiam Græcorum. Item citat verba Chryſoſtomi in epiſt. 2. ad Innocentium ſic ſcri- „ bentis. Perpetuas vobis gratias agimus, quòd paternam erga nos „ benevolentiam declarâſtis: ubi notat Chryſoſtomum agnoſcere Innocentium ut Patrem, cùm tamen ipſe ſenior eſſet Innocentio & Epiſcopus regiæ urbis. Denique ait Chryſoſtomum in eâdem Epiſtolâ petere ab Innocentio ne inimicos ſuos excommunicaret, tametſi illi hoc mereantur.

Reſp. Non eſt novum (ut ex dictis patet) Epiſcopos injuſtè damnatos & afflictos àb aliis Epiſcopis arrogantibus hæreticis, aut factioſis, aliorum Epiſcoporum opem implorare, quorum fides minime ſuſpecta erat, ut auctoritatem & judicium ſuum interponerent. Qui etiam à communione ſuâ alienos declarare poterant qui meriti eſſent. Nec inſolens erat ſibi æquales Epiſcopos nunc fratres, nunc patres & dominos honoris causâ appellare. Quòd ſi ex appellatione Patris Bellarminus Romani Epiſcopi dignitatem rectè colligit, cur non ex appellatione fratris (quo nomine ſæpiſſimè Cyprianus & alii Romanum Epiſcopum appellant) æqualitatem ejus cum aliis nobis colligere licet. In iiſdem Epiſtolis Chryſoſtomus Demetrium, Panſophium, & alios Epiſcopos ſeipſo ratione loci inferiores, & à ſeipſo Romam legatos appellat, *Dominos ſuos maximè venerabiles.*

Cypr. lib. 1. Epiſtolarū, Epiſt. 1. 2. 3. & lib. 2. Epiſt. 1. 8. 9. 10. 11. 12. & lib. 3. Epiſt. 1. 3.

Digitized by Google

rabiles. Porrò ex illis ipſis Epiſtolis citatis manifeſtum eſt Chryſoſtomum non ſolius Romani Epiſcopi, ſed aliorum etiam Occidentalium Epiſcoporum auxilium rogare: nam paſſim in plurali numero eos appellat. In priore Epiſtolâ hæc verba habentur. Igitur Domini mei maximè venerandi & pii, cùm hæc ita ſe habere didiceri-
„ tis, ſtudium veſtrum & magnam diligentiam adhibete, quò retun-
„ datur hæc quæ in Eccleſias irrupit iniquitas. Et in alterâ Epiſtolâ iis communiter gratias agit, quòd ſtudio & benevolentiâ in ſe, & alios ejuſdem ſortis Epiſcopos patrum ergo liberos στοργῇ ſuperârint. In quibus verbis non paternam auctoritatem Papæ Romani in alios Epiſcopos, ſed paternum affectum & amorem ejus & aliorum Occidentalium Epiſcoporum in exules & afflictos Epiſcopos prædicat.

Quod autem ait Bellar. Chryſoſtomum rogare Romanum Epiſcopum ne inimicos ſuos excommunicaret tametſi illi hoc mereantur: id pravâ interpretatione deceptus aut decipere nos volens aſſerit, ut Græca conſiderantibus, & verſionem ab ipſo Frontone Ducæo emendatam conſulentibus patebit.

Denique Chryſoſtomus in priore Epiſtolâ agnoſcit oportere in quibuſque Provinciis ſua negotia tractari, neque extra limites illarum trahi, neque congruum eſſe ut Epiſcopi judicent alios extra ſuam Provinciam: ſed ejuſmodi controverſias quæ in quaque Provinciâ determinari non poterant, à communi Synodo Epiſcoporum tractandas eſſe. Et quidem Chryſoſtomus appellavit ad Synodum generalem. Nec dubium eſt Chryſoſtomum in iſtis Epiſtolis huc ſpectâſſe, ut operâ Occidentalium Epiſcoporum impetraretur Synodus generalis ab Imperatore. Et Innocentius in Epiſtolâ ad Clerum Conſtantinopolitanum nullum aliud remedium horum malorum ſe nôſſe profitetur, quàm ſi Synodus œcumenica ob hanc cauſam congregetur. Ideoque unà cum Orientalibus Epiſcopis, qui pro Chryſoſtomo ſupplicabant, miſit Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos quinque & Presbyteros duos ad Honorium & Arcadium Imperatores, ut & Synodum & ejus definitum tempus ac locum rogarent: ſed fruſtrà.

Ipſam hiſtoriam conſulere operæpretium eſt apud Sozomenum lib. 8. cap. 11. & ſequentibus ad finem libri, Socratem lib. 6. Palladium & Gregorium Alexandrinum & Eraſmum in vitâ Chryſoſtomi, Nicephorum lib. 13. Baronium ad annum 404. numero 2.

Digitized by Google

& Binium Conciliorum, tom. 1. pag. 589.

Nihil de Pontificis Romani Monarchiâ habet Cyrillus Alexandrinus.

Sextò citat Bellarm. Cyrillum in Theſauro, referente Thomâ Aquinate in opuſculo de erroribus Græcorum, quaſi hæc dixiſſet. „ Debemus nos capiti noſtro Romano Pontifici adhærere: ad om-„ nes pertinet, ab eo, quid credendum ac tenendum ſit accipere. Addit in cap. 15. lib. 2. de Pontif. Cyrillum in Epiſtolâ decimâ ad Neſtorium, & epiſt. 11. ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum, ſcribere Neſtorium niſi intra terminum à Cœleſtino Papâ Romano præſcriptum hæreſes ſuas revocet, ab omnibus ut excommunicatum & depoſitum debere vitari. Et in epiſt. 18. ad Cœleſtinum (quem in inſcriptione ſanctiſſimum Patrem appellat) petere ab eo, num velit cum Neſtorio ad tempus adhuc communicari, an verò deinceps ab omnibus vitari. Quæ omnia (inquit Bellar.) ſatis declarant quo loco Romanum Pontificem ſanctus Cyrillus habuerit, cùm in damnatione ac depoſitione Neſtorii, nihil ſe aliud, quàm executorem & adminiſtrum Romani Pontificis exhibuerit.

Reſp. Verba quæ citat Bellarm. referente Thomâ, ex libris Theſauri Cyrilli non extant, nec unquam extitiſſe veriſimile eſt: adeo repugnant phraſi & conſuetudini iſtorum temporum. Ideoque fruſtra litigatur de iis verbis, quæ utrum unquam à Cyrillo ſcripta ſint, aut quo ſenſu ſcripta ſint, incertum eſt.

Quod ad reliqua teſtimonia Cyrilli citata, ex iſtis nihil tale efficitur, quale vult Bellarminus. Neſtorius Epiſcopus Conſtantinopolitanus hæreſin commentus eſt quæ Chriſtum in duas perſonas dividebat. Huic præ omnibus aliis ſummo ſtudioſe oppoſuit Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus. Pluribus epiſtolis & Neſtorium, ut errorem revocaret, & Clerum ac populum Conſtantinopolitanum, ut hæreſin vitaret, admonuit. Quum Neſtorius non reſipiſceret Concilio Epiſcoporum ſuæ diœceſeos convocato, damnavit Neſtorii hæreſin, interminatus, niſi eam revocaret, eum à communione ſuâ abdicandum, eoſque ut fratres recipiendos, qui ei adverſarentur. Idem ſignificavit Cœleſtino Epiſcopo Romano, ut communi conſilio graſſanti malo occurreret: qui Occidentalium ſuorum Epiſcoporum Synodo convocatâ, ratam habuit Cyrilli & Alexandrinorum ſententiam: monens, niſi intra certum tempus reſipiſceret Neſtorius eum à communione ſanctorum, & conſortio Epiſcoporum abdicandum eſſe. Paulò pòſt coactum eſt ab Imperatore Theodoſio juniore generale Concilium Epheſi circa annum Dom. 434. in quo dam-

damnatus & abdicatus erat Neſtorius. Hinc Concilio præerat Cyrillus Patriarcha Alexandrinus: & eò convenerunt reliqui quoque Patriarchæ excepto Romano Epiſcopo, qui per literas ſuam ſententiam explicavit, & ipſius locum à Cyrillo etiam ſupplici voluit.

Ex dictis patet in damnando Neſtorio & profligandâ ejus hæreſi, primas & præcipuas partes fuiſſe Cyrilli: qui reliquos Patriarchas, ac præſertim Romanum Epiſcopum, ut ad commune incendium extinguendum concurrerent, excitavit. Unde ergo colligit Bellar. eum in hoc negotio, nihil fuiſſe aliud quàm executorem & adminiſtrum Romani Pontificis? An quia ſcribit Neſtorium, niſi intra terminum à Cœleſtino præfixum hæreſes ſuas revocet, abdicandum eſſe? Scripſit ad Cœleſtinum hac de re Cyrillus & Cœleſtinus ex Conſilio ſuorum Epiſcoporum ita cenſuit: & hic conſenſus gratus fuit Cyrillo, ut facilius negotium perficeret, qui alioqui traducebatur, quaſi odio concitatus adverſus Neſtorium procederet. An quia Cyrillus in epiſtolâ ad Cœleſtinum, eum ſanctiſſimum Patrem appellat? At antè dictum eſt Epiſcopos appellare collegas ſuos, nunc Fratres, nunc Patres & Dominos, præſertim, qui vel ætate, vel dignitate ſedis pollebant. Eodem titulo Alipius Cyrillum compellat epiſt. 36. quæ extat inter Cyrilli epiſtolas. Imò Cyrillus in eâdem 10. epiſtolâ quæ eſt ad Neſtorium & alibi, Cœleſtinum appellat fratrem ſuum, & comminiſtrum. An quia Cœleſtinum conſulit, num ad tempus cum Neſtorio communicandum ſit, an deinceps omnino non communicandum? Quaſi verò non debuit aut potuit eâ de re collegam ſuum conſulere niſi ſummum ejus imperium agnoſceret: cum eâdem de re ſcripſerit ad alios ſuos collegas, ut ad Joannem Patriarcham Antiochenum, & Juvenalem Hieroſolymitanum, & ad alios pios Epiſcopos epiſt. 13. 14. 16. &c. Sed executioni non mandata eſt iſta ſententia adverſus Neſtorium donec acceſſit auctoritas generalis Concilii Epheſini. An quia Cœleſtinus in Concilio Epheſino voluit Cyrillum ſuam quoque virem ſuſtinere: At hoc non erat imperii ſed amicitiæ ſymbolum, cùm ipſe non poſſet adeſſe Concilio cum reliquis Patriarchis, ut collegæ ſuam quoque perſonam ſuſtinendi poteſtatem faceret. Quanquam quod à quibuſdam dicitur Cyrillum locum Cœleſtini Epiſcopi Romam tenuiſſe non aliter intelligendum eſt, quàm quòd Cyrillus, cùm haberet ad ſe perſcriptam ſententiam Cæleſtini, & unà etiam Concilii occidentalium, eam Synodo exhibuit. Alioqui Cœleſtinus

Digitized by Google

per proprios legatos præſentiam ſuam in Synodo Epheſinâ repræ-
„ ſentavit, ut patet ex ipſius literis ad Synodum. Miſimus (inquit)
„ ad vos Arcadium & Projectum Epiſcopos, & Philippum presby-
„ terum ſanctos Fratres, unanimeſque ut probatos noſtros com-
„ miniſtros, qui noſtrâ in ſe curâ ſuſceptâ, actis veſtris intererunt,
„ quæque à vobis ſunt conſtituta, calculo ſuo confirmabunt. Hi diutius in itinere detenti cùm ſeriùs ad Synodum acceſſiſſent, poſt exauctoratum Neſtorium, rogârunt ut acta Synodi relegerentur, quibùs & ipſi nomine Cœleſtini ſubſcripſerunt.

Neque Damaſcenus. Septimò citat Bellar. Damaſcenum prima & ſecunda oratione pro imaginibus, ſed verba ejus recitare non auſus eſt: ex quibus nihil ad inſtitutum ſuum colligere potuit.

CAP. XXVIII.

Reſpondetur ad teſtimonia Patrum Latinorum.

EX Latinis Patribus primò citat Bellarm. Tertullianum in lib. de præſcriptione adverſus hæreticos; quem ait docere cum hæreticis non diſputandum eſſe ex Scripturis: quia cùm poſſeſſio & intelligentia vera Scripturarum ſit Eccleſiæ Catholicæ, priùs debet conſtare quæ ſit vera Doctrina Eccleſiæ, & tunc ex illâ intelligendæ ſunt Scripturæ, quæ ſit autem vera Doctrina Eccleſiæ non poſſe tutius quæri quàm in Eccleſiis Apoſtolicis quarum præcipua eſt Romana, quoniam Deus Doctrinam veritatis Chriſto tradidit, Chriſtus Apoſtolis, Apoſtoli ſucceſſoribus ſuis.

Tertullianus non favet traditionibus in præjudicium Scripturæ. Ut reſpondeam, notandus eſt inprimis Tertulliani ſcopus & inſtitutum in iſto libro. Agit contra abſurdiſſimos hæreticos, quorum auctores & errores enumerat in fine libri, qui nullam fidei regulam admiſerunt præterquam cerebri ſui figmentum: ſymbolum Apoſtolicum non agnoverunt, porrò Scripturas quaſdam non receperunt, & ſi quas receperunt, adjectionibus & detractionibus ad *cap. 13.* diſpoſitionem inſtituti ſui interverterunt: & ſi receperunt, non receperunt integras: & ſi aliquatenus integras præſtiterunt, nihilominus diverſas expoſitiones commentando corruperunt: tantum autem veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum & corruptor ſtylus. *cap. 17. & 38.* Denique Doctrinam ſuam Scripturarum limitibus comprehendi noluerunt quippe quas eſſe imperfectas inſimulabant, & Apoſtolos ipſos

ipſos non omnia ſciviſſe, aut quæ ſciverunt non omnibus tradidiſſe,
ac perfectiorem doctrinam paucis communicâſſe. *cap. 22.*

Hinc factum eſt, ut Orthodoxi, cum contra eos ex Scripturis di-
ſputarent, ſæpe parum promoverent. Nam ſi quando urgebant, ut
doctrinam ſuam ex Scripturis oſtenderent, negabant id eſſe neceſſa-
rium ob imperfectionem Scripturæ, & interea malè conſutis cen-
tonibus ex Scripturâ imperitos deludebant, ſicut qui ex Homero
aut Virgilio centonibus collectis longè ab auctorum inſtituto di-
verſa luſerunt. Si objiciebantur contra eos teſtimonia ex ſacris li-
teris, ea eludebant vel negando auctoritatem, vel verba aut ſen-
ſum pervertendo: cùm pro arbitrio in Scripturis modo detracta-
tione; modò adjectione; modò tranſmutatione vel interpolatione,
modò falsâ interpretatione uterentur. Et cum ipſi ſic abuterentur
Scripturis, Orthodoxis ſimiles abuſus imputabant. Unde in omni *cap. 18.*
diſputatione, eò ferè tandem rediit quæſtio, apud utros eſſet integri-
tas, & rectus uſus ac ſenſus Scripturæ: in hujuſmodi congreſſu hæ-
retici firmos quidem fatigabant, infirmos capiebant, medios cum *cap. 15.*
ſcrupulo dimittebant. Hæc cùm ita ſe haberent, conſultum viſum *cap. 19.*
eſt Tertulliano, non de ipſa ſummâ rei cum hæreticis adeo perver- *Quid ſint*
ſis & verſipellibus ſtatim diſputare, ſed certis præſcriptionibus li- *Tertulliani*
tis conteſtationem (ut juriſconſulti loquuntur) præcidere aut ante- *præſcriptio-*
vertere. Tertullianus enim, qui junior juriſprudentiæ egregiam *nes & quid*
operam navavit ex uſu forenſi, Præſcriptionis vocabulum tranſtu- *retracta-*
lit: in quo præſcribere ſignificat, cum quis adverſarium certis ex- *tus.*
ceptionibus removet à lite conteſtandâ, ita & neget de ſummâ rei
agendum, eamve cauſam ex juris regulis judicandam eſſe. Ita Præ-
ſcriptio Græce παραγραφὴ eſt exceptio ob quam negatur talem cau-
ſam jure diſceptandam eſſe Quintil. lib. 7. Cum eâ præſcriptione lis
pendeat, de ipsâ re quæri non eſt neceſſe. Marcellus lege tertia de
prævaricatoribus. Si (inquit) reus accuſatori ideo præſcribit, quòd
dicat ſe ab alio accuſatum & abſolutum. Scripſit Iſocrates orationem
paragraphicam contra Callimachum: in quâ utitur hac παραγραφῇ
ſeu præſcriptione, quod non liceret ipſi litem movere de iis quæ
olim acta eſſent, nimirum propter legem amneſtias. In eâdem ora-
„ tione alterius præſcriptionis meminit. Quod lis non poſſit in-
„ ferri, cùm res arbitrio priùs finita eſſet. Sic præſcriptio eſt omnis
exceptio, quâ impeditur litis conteſtatio: in quo ſenſu frequentiſſi-
mè in jure occurrit præſcriptio temporis, quæ uſucapionem compre-
hendit,

bendit, licet interdum ſtrictius ſumpta ab eâ contra diſtinguatur.

Tertullianus contendit hæreticos non admittendos eſſe ad ullam de Scripturis diſputationem cap. 15. aut ſaltem non ſtatim admittendos cap. 18. non quòd putet jure diſputari poſſe de rebus fidei aliunde quam ex Scripturâ: idem in ipſi ridiculum videtur: ſic enim Ironicè loquitur ibidem. *Aliunde ſcilicet loqui poſſent de rebus fidei niſi ex literis fidei*; ſed quia vult omninò non eſſe diſputandum cum hæretico: propterea quòd Apoſtolus vetat hæreticum poſt unam correptionem convenire, non poſt diſputationem: Adeo (inquit) Apo- „ ſtolus interdixit diſputationem, correptionem deſignans cauſam „ hæretici conveniendi. Quid ergo? Si non ſit cum hæreticis diſputandum, ut puta de ipsâ ſummâ rei (de quâ ex ſolis Scripturis conſtat, quibus illi perverſiſſimè abutuntur) ſaltem certis præſcriptionibus arcendi ſunt, quarum hæc eſt ſumma: regulam fidei (quæ in ſymbolo Apoſtolico continetur) traditam eſſe Eccleſiæ à Chriſto & ejus Apoſtolis & perpetuâ ſucceſſione uſque ad iſta tempora conſervatam eſſe ſine ullâ variatione ab Apoſtolicis viris, & eorum ſucceſſoribus in Eccleſiis fundatis ab Apoſtolis: à quâ regulâ fidei Chriſtianæ cùm hæretici iſti aberrarent, ne Chriſtiani quidem dicendi ſunt: quorum doctrinam neque à Chriſto neque ab Apoſtolis traditam, neque ab ipſorum ſucceſſoribus propagatam eſſe oſtendi poteſt: quare non apud eos qui regulam fidei & doctrinam Chriſtianam abnegârunt, fidemque ſuam non à Chriſto & Apoſtolis derivârunt; ſed apud eos qui regulam fidei continuâ ſerie à Chriſto & Apoſtolis derivatam inviolabilitèr conſervârunt, literarum fidei & inſtrumentorum quibus doctrina Chriſtiana continetur, id eſt ſacrarum Scripturarum jus, integritas, ſenſus, ac legitimus uſus petendus eſt.

cap. 13. & de virginibus velandis cap. 1. & adverſus Praxeam cap. 2.

Cap. 20. 21. Ita non incommodò Tertullianus ſuo tempore, qui non diu poſt Apoſtolorum tempora floruit circa annum Dom. 200. in quo facile fuit oſtendere ſucceſſionem doctrinæ Aqoſtolicæ in Eccleſiis ab ipſis fundatis: cujuſmodi exempli causâ recenſet Smyrnenſem, Romanam, Corinthiacam, Philippenſem, Theſſalonicenſem & Epheſinam: in quâ enumeratione non plus auctoritatis tribuit Romanæ Eccleſiæ quàm reliquis. Sed ut nunc ſunt tempora, nemo ſanus confirmaret doctrinam Chriſtianam ex auctoritate iſtarum Eccleſiarum, quas omnes, exceptâ Romanâ (quæ tamen neutiquam excipienda eſt) Papiſtæ defeciſſe non negabunt.

Hæc

Hæc itaque & alia à Tertulliano præſcriptionis non autem legitimæ diſceptationis loco proferuntur. Ipſe enim diſtinguit præſcriptionem ab accuratâ rei ipſius tractatione, quam retractatum appellat: ut in lib. 1. adverſus Marcionem cap. 1. notat ſe quidem in „ libello de præſcriptionibus oſtendiſſe. Quomodo ſine retractatu „ doctrinarum revincendi ſunt hæretici ob præſcriptionem novita„ tis: veruntamen cum illis interdum admittendam eſſe congreſſio„ nem, ne compendium præſcriptionis ubique ad notatum dif„ fidentiæ deputetur. Et in lib. adverſus Praxeam cap. 2. Salvâ (in„ quit) præſcriptione, ubique propter inſtructionem & munitio„ nem quorundam dandus eſt etiam retractatibus locus: ne videatur „ unaquæque perverſitas non examinata ſed præjudicata damnari. Et rectè in omni retractatu(ut utar Tertulliani vocabulo) id eſt in legitimâ congreſsione & diſceptatione, ipſe paſsim ex Scripturis adverſus hæreticos diſputat. Et omnino cum ex jure diſputandum eſt de Controverſiis Religionis, non aliunde argumenta & judicium quàm ex Scripturis peti vult, ut dictum eſt. Idem in lib. de Carne „ Chriſti cap. 7. Non recipio (inquit) quod extra Scripturam de tuo „ infers. Item de reſurrectione carnis cap. 3. Aufer hæreticis quæ „ cum Ethnicis ſapiunt, ut de Scripturis ſolis quæſtiones ſuas ſiſtant „ & ſtare non poterunt. Proinde in eodem lib. cap. 47. hæreticos appellat *Lucifugas Scripturarum.* Item in lib. adverſus Her„ mogenem. *Adoro Scripturæ plenitudinem.* Et paulò poſt. *Scriptum* „ *eſſe doceat Hermogenis officina: ſi non eſt ſcriptum timeat væ illud ad*„ *jicientibus vel detrahentibus deſtinatum.* Imò in iſto libro ubi de præſcriptionibus agit fundamentum præſcriptionum ſuarum ponit regulam fidei, nempe ſummam fidei, quæ in Apoſtolico Symbolo continetur: quæ univerſa ex Sacris Scripturis petita eſt: Indigenos eſſe ſignificans, qui ad diſputationem ex Sacrâ Scripturâ aut de eâ admittantur, qui ipſam medullam Sacræ Scripturæ putà ſummam fidei Apoſtolicæ abnegant.

Tertullianus non favet Pontificiis.

Quid ergo ex iſto teſtimonio Tertulliani, de quo tantopere gloriatur, elicere potuit ad inſtitutum ſuum Bellarminus? An quod in legitimâ diſputatione cum hæreticis Scriptura non ſit norma & judex controverſiarum? At contrarium ex Tertulliano evicimus, cum jure de controverſiis Religionis diſputandum eſt, ex ſolâ Sacrâ Scripturâ diſceptandum, ejuſque judicio ſtandum eſſe: quanquam certis præſcriptionibus iſtiuſmodi hæretici à Scripturarum, quibus

Digitized by Google

miſerè abutuntur, jure & poſſeſſione arcendi ſint. An quod Eccleſia Romana ſit judex controverſiarum? At non plus poteſtatis tribuit Romanæ Eccleſiæ quàm Smyrnenſi aut Epheſinæ, &c. An quod traditionem Eccleſiæ magnifacit? At traditionem nullam alterius doctrinæ, quàm quæ in Scripturâ continetur, memorat, nec traditionem quà talem Scripturæ exæquat: nam traditionem præſcriptionibus contra adverſarios annumerat, cùm Scripturam Eccleſiæ Theſaurum proprium agnoſcat. An quia ex ſucceſſione ab Apoſtolis doctrinam confirmat? At Tertullianus non dicit ne ſuo quidem tempore omnes Eccleſias poſſe oſtendere perpetuam ſucceſſionem perſonarum, eandem doctrinam Apoſtolicam profitentium: Sed eodem loco cenſet cum Eccleſiis Apoſtolicis, id eſt, fundatis ab Apoſtolis, & continuatis ab eorum ſucceſſoribus Eccleſias
,, quæ doctrinam Apoſtolicam habent: Ad hanc (inquit cap. 32.)
,, formam provocabuntur ab illis Eccleſiis, quæ licet nullum ex
,, Apoſtolis vel Apoſtolicis auctorem ſuum proferant, ut multò
,, poſteriores, quæ denique quotidie inſtituuntur; tamen in eâdem
,, fide conſpirantes non minùs Apoſtolicæ reputantur pro conſan-
,, guinitate doctrinæ.

Cyprianus non favet Monarchiæ Romani Pontificis.

Secundò citat Cyprianum in lib. 1. epiſt. 3. ubi poſtquam variis Scripturæ teſtimoniis Epiſcoporum (quos Sacerdotes appellat) au-
,, ctoritatem comprobâſſet, ſubjungit. Cùm hæc tanta & talia, &
,, multa alia exempla præcedant, quibus ſacerdotalis auctoritas &
,, poteſtas divina dignatione firmatur, quales putas eſſe eos, qui Sa-
,, cerdotum hoſtes, & contra Eccleſiam Catholicam rebelles, nec
,, præ monentis Domini comminatione, nec futuri judicii ultione
,, terrentur: neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata
,, ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtempera-
,, tur, nec unus in Eccleſiâ ad tempus Sacerdos, & ad tempus Ju-
,, dex vice Chriſti cogitatur: Cui ſi ſecundum Magiſteria Divina
,, obtemperaret fraternitas univerſa; nemo adverſum Sacerdotum
,, collegium quicquam moveret, nemo poſt Divinum Judicium,
,, poſt populi ſuffragium, poſt coepiſcoporum conſenſum judicem
ſe non jam Epiſcopi ſed Dei faceret. Hic nomine *unius Sacerdotis* & judicis Bellar. non alium quàm Epiſcopum Romanum intelligit: antè cujus definitionem licet (inquit) de dubiis rebus ſine vitio hæreſis utramvis partem tenere: at poſt definitionem qui non obtemperant, fiunt hæretici.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Magna eſt adverſariorum impudentia qui Cypriani auctoritate abutuntur ad confirmandam αὐτοκρατορικὴν poteſtatem Epiſcopi Romani in univerſam Eccleſiam. Nemo enim ignorat (ut „ rectè notat Caſaubonus) qui Cyprianum legit, & aſinus non eſt, *Caſaubonus* „ ex omnibus patribus hunc potiſſimum eſſe qui dominationem ter- „ renam in Eccleſiam, & illud Satanicum figmentum de unius *Exercit. 15.* „ abſolutâ Monarchiâ radicitus convellat, ac funditus evertat. *art. 6.*

In iſtâ epiſtolâ ad Cornelium Epiſcopum Romanum loquitur de *Hiſtoria* Feliciſſimo presbytero & Fortunato pſeudoepiſcopo hominibus fla- *temporu.* gitioſis, qui graviſſimum ſchiſma concitârunt adverſus Cyprianum in Eccleſiâ Carthaginenſi, & totâ pœnè Africâ. Et Feliciſſimus quidem, qui ſtatim initio cum eligeretur Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis, ejus electioni reſtitit, omnes quos potuit adverſus eum concitavit: ac tandem poſtquam Cyprianus egregiè quatuor annis Epiſcopali munere functus eſſet, effecit ille ut à factioſis loco Cypriani Fortunatus Epiſcopus crearetur. Tunc ut à Fortunato & ſociis ſuis legatus Romam profectus eſt ut Cornelium Epiſcopum (cui quoque ſimili ſchiſmate Novatianus ſe oppoſuit) à Cypriano alienaret & factioni ſuæ conciliaret. At Cornelius ſtatim Feliciſſimum ab Eccleſiâ & communione ſuâ prohibuit; ſed poſteà cum minis ac terroribus eorum quos ſibi adjunxerat Feliciſſimus, aliquantulum commoveretur, nec à Cypriano adhuc de totâ re geſtâ certior factus eſſet, ſcripſit ad Cyprianum, qui mox reſcribens eum hac epiſtolâ pleniùs inſtruxit & confirmavit, multumque de Epiſcopali auctoritate conſervandâ & tuendâ adverſus ſchiſmaticos diſſerit. Et quidem in verbis citatis, nihil peculiariter de Epiſcopo Romano loquitur, ſed de ſuâ causâ verba faciens, cujuſlibet legitimi Epiſcopi auctoritatem tuetur, qualem in unaquaque Eccleſiâ vel diœceſi unum, cui obtemperandum eſt, agnoſci vult: alioqui cùm Epiſcopi legitime conſtituti auctoritas non agnoſcetur, & in eandem Eccleſiam alius & oppoſitus Epiſcopus à factioſis introducitur, ut adverſus Cyprianum Fortunatus anti-epiſcopus creatus erat, hæreſibus & ſchiſmatibus januam apertam eſſe quis non videt? Et apertè hæc ſibi & adverſariis ſuis ibidem applicat Cyprianus.

Sic lib. 4. epiſt. 9. ad Pupianum qui malè de Cypriano ſentie- *Cyprianus* bat & loquebatur ſimilia docet & ſibi disertè accommodat. Quis *facit omnes* „ (inquit) noſtrûm longè eſt ab humilitate, utrumque ego qui quo- *Epiſcopos Romano*

 tidie *pares.*

„ tidie fratribus ſervio, & venientes ad Eccleſiam ſingulos benignè
„ ſuſcipio: an tu qui te Epiſcopum Epiſcopi, & judicem judicis ad
„ tempus à Deo dati conſtituis: Et paulò pòſt mentione factâ proſcriptionis quam tempore perſecutionis ſuſtinuit, ſubjungit, nec
„ hoc jacto, ſed dolens profero cum te judicem Dei conſtituas &
„ Chriſti, qui dicit ad Apoſtolos, ac per hos ad omnes præpoſitos,
„ qui Apoſtolis vicariâ ordinatione ſuccedunt, qui audit vos me
„ audit, & qui me audit, audit eum qui me miſit: & qui rejicit vos
„ me rejicit, & eum qui me miſit: unde enim ſchiſmata & hæreſes
„ abortæ ſunt & oriuntur, niſi dum Epiſcopus qui unus eſt & Ec-
„ cleſiæ præeſt quorundam præſumptione contemnitur, & homo
„ dignatione Dei honoratus ab indignis hominibus judicatur.

Similiter Cornelius Epiſcopus Romanus, cum Novatianus à ſuâ factione fraudulenter Epiſcopus quoque Romanus creatus eſſet, de particulari Eccleſiâ Romanâ ſcribens referente Euſebio hiſt. lib. 6.
„ cap. 42. inquit, Neſciebat unum Epiſcopum oportere eſſe in Ec-
„ cleſiâ Catholicâ in quâ non neſcit Presbyteros eſſe 46. Diaconos
„ 7. Hypodiaconos 7. &c. Hîc manifeſtum eſt nomine Eccleſiæ non intelligi univerſalem Eccleſiam ſed Orthodoxam Eccleſiam particularem quæ erat in urbe Româ, ut patet ex numero Presbyterorum, Diaconorum, &c. quo ſenſu unus homo apud veteres ſæpè Catholicus appellatur, ob Catholicam fidem & Religionem quam profitetur. Ita apud Socratem lib. 6. cap. 20. dicitur unam civitatem non poſſe duos Epiſcopos habere.

Notandum eſt autem in loco Cypriani à Bellarmino citato & paſſim alibi Cyprianum nomine Sacerdotis Epiſcopum intelligere (cujus ſupra Presbyteros ſuperminentia jam tum locum habuit) neque vero more Pontificiorum Cypriani tempore ignoto Sacerdotem intelligit cum reſpectu ad miſſæ ſacrificium, quâ ratione Presbyteros etiam Sacerdotes appellant: ſed ex analogiâ quâdam dignitatis Sacerdotum Veteris Teſtamenti qui levitis & inferioribus Tabernaculi Miniſtris præerant, ſimiliter Epiſcopos Presbyteris & Diaconis præpoſitos appellat Sacerdotes. Et cùm loquitur de Collegio Sacerdotum, intelligit numerum Epiſcoporum, quos ut ejuſdem muneris & ſocietatis conſortes, ſibi invicem collegas fuiſſe indicat, prout eos dixit Apoſtolis vicariâ ordinatione ſuccedere. Sic Cornelium, Lucium, & Stephanum Epiſcopos Romanos appellat ſuos collegas lib. 1. epiſt. 4. lib. 2. epiſt. 11. & lib. 3. epiſt. 7. & 13. tantum

tum abeſt ut de Monarchiâ Epiſcopi Romani vel per ſomnum cogitaverit, & nominatim per *Collegium Epiſcoporum* hîc intelligit conſeſſum Epiſcoporum electioni alterius Epiſcopi ſuffragantium, ut ipſe ſe ibidem explicat. Porrò fraternitatis univerſæ nomine complectitur univerſum fidelium Gregem uni Epiſcopo ſubjectum. Sic in lib. 1. epiſt. 4. ait in Sabini Collegæ ſui ordinatione de univerſæ „ fraternitatis ſuffragio, & de Epiſcoporum qui in præſentiâ conve- „ nerant, quique de eo literas miſerant judicio, Epiſcopatum ei de- „ latum eſſe. Similia legere eſt in lib. 2. epiſt. ult. bis & lib. 3. epiſt. 1. bis.

Multa alia in iſta eadem epiſtolâ à Bellarm. citata occurrunt, quæ ſpectant ad evertendam immenſam illam poteſtatem à Papis Romanis arrogatam: cum non minorem Africanorum Epiſcoporum quàm Romani auctoritatem agnoſcat, & eorum ſententiam revocari nefas eſſe exiſtimet, nec extra proprias Provincias cauſas judican- „ das eſſe aſſerat. Cum (inquit) ſtatutum ſit omnibus nobis, & æ- „ quum pariter ſit ac juſtum ut uniuſcujuſque cauſa illic audiatur, „ ubi eſt crimen admiſſum, & ſingulis paſtoribus portio Gregis ſit „ adſcripta, quam regat unuſquiſque & gubernet, rationem ſui actûs „ domino redaturus, oportet utique eos quibus præſumus non cir- „ cum curſare, nec Epiſcoporum concordiam cohærentem ſuâ ſub- „ dolâ & fallici temeritate collidere, ſed agere illic cauſam ſuam, „ ubi & accuſatores habere & teſtes ſui criminis poſſint: niſi paucis „ deſperatis & perditis, minor eſſe videtur auctoritas Epiſcoporum „ in Africâ conſtitutorum, qui jam de illis judicaverunt.

Sic lib. 2. epiſt. 1. ad Stephanum Epiſcopum Romanum ſcribit Cyprianus cum reliquis Africanis Epiſcopis: Quod habeat in Ec- „ cleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium liberum unuſquiſ- „ que præpoſitus rationem actûs ſui Domino redditurus.

Item in epiſt. ad Quirinum ſeu Quintinum, ubi ſententias Epiſcoporum Concilii Carthaginenſis de hæreticis baptizandis recen- „ ſet, ſic ipſe Concilium aperiens loquitur: Neque quiſquam no- „ ſtrûm Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico „ terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adegit, (ſicut notat Binius in annotationibus ad hæc verba 1. tom. Concil. pag. 203. Cyprianum in his verbis alludere ad decretum Stephani, quod aliter „ ſentientibus excommunicationis pœnam fuiſſet acriter commina- „ tus) quando habeat omnis Epiſcopus pro licentiâ libertatis & po-

Digitized by Google

„ teſtatis ſua arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non poſ-„ ſit, cum nec ipſe poſſit alterum judicare. Sed expectemus univerſi „ judicium Domini noſtri Jeſu Chriſti qui unus & ſolus habet po-„ teſtatem, & præponendi nos in Eccleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu noſtro judicandi. (Etſi quæ hodie fervent de Epiſcopis & Presbyteris controverſiæ nolim me hic immiſcere: iſtas accuratè ſatis Theodorus Beza, Gerſon, Bucerus, Salmaſius, Blondellus, & alii diſcuſſerunt.) Auguſtinus hanc Cypriani ſententiam ſæpe citat, laudat, & probat, putà de Baptiſmo contra Donatiſtas lib. 2. cap. 2. lib. 3. cap. 3. & lib. 6. cap. 7.

Ita Sancti Patres nullum Epiſcopum agnoſcunt judicem alterius Epiſcopi, nedum omnium Epiſcoporum & univerſæ Eccleſiæ: quanquam ſi aliquis Epiſcopus in fide deficiat aut graviter delinquat, eum à Concilio aut Collegio Epiſcoporum corrigendum cenſent, ut ſcribit Cyprianus ad Stephanum Epiſcopum Romanum lib. 3. epiſt. 13. „ Idcirco (inquit) frater chariſſime, copioſum corpus eſt ſacerdo-„ tum concordiæ mutuæ glutine atque unitatis vinculo copulatum, „ ut ſiquis ex Collegio noſtro hæreſin facere, & gregem Chriſti la-„ cerare & vaſtare tentaverit, ſubveniant cæteri, & quaſi paſtores u-„ tiles & miſericordes, oves dominicas in gregem colligant.

Nullam Cyprianus in ſe aut ſuos Romam Epiſcopi juriſdictionem agnovit.

Hanc conſtantem fuiſſe Cypriani ſententiam pluribus aliis documentis patet. In lib. 1. epiſt. 4. cùm duo Hiſpani Epiſcopi Baſilides & Martialis jure exauctorati & abdicati Stephanum Epiſcopum Romanum verbis fallacibus deceptum impuliſſent ut communionis ſuæ participes faceret, & Eccleſiis ſuis reſtituendos commendaret, Cyprianus & Africani Epiſcopi contrarium cenſuerunt, & priorem ordinationem ab Epiſcopo Romano reſcindi poſſe negârunt.

Denique notum eſt, quantum Cyprianus in cauſâ non æque bonâ, dum contendit iterum baptizandos eſſe qui fuerunt ab hæreticis baptizati (quæ ſententia fuit omnium fere Epiſcoporum Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ) quantum inquam in iſtâ cauſâ Stephano Epiſcopo Romano reſtiterit: quem in Concilio Carthaginenſi cui præfuit, rem patribus proponens, acriter perſtringit in verbis ſuprà citatis: quem una cum Concilio Romano erráſſe ait, quem multa imperitè & improvidè ſcripſiſſe arguit in epiſtolâ ad Pompeium.

Non ſolum Cypriani ſed etiam Ste-

Et certè non rectè ſatis Stephanus ſine diſtinctione neminem ſtatuit à quibuſcunque hæreticis quo quomodo baptizatum, eſſe ab Eccleſiâ poſt converſionem baptizandum (ſicut ejus ſententiam refert Cypria-

Cyprianus in iſta epiſtolâ ad Pompeium) excipiendi enim erant iſti hæretici, qui formam baptiſmi non retinebant, ut poſteà Synodus Nicæna can. 19. ſtatuit, ut ſi qui ex Pauli Samoſateni ſectariis ad Eccleſiam converterentur, ii iterum baptizarentur: quod iſti hæretici Trinitatem negantes in nomine Trinitatis non erant baptizati. Similiter ſtatuit Synodus Laodicena de iis qui converſi ſunt ab hæreſi Cataphrygarum can. 8.

phani de rebaptiſm° ſententia fuit erronea.

Utcunque eſt, etſi in dogmate rebaptizandi erraverit Cyprianus, nemo tamen unquam eum hæreſeos arguit, qui nihilominus ſemper habitus eſt in numero Catholicorum, ut loquitur Bellarm. de Concil. lib. 2. cap. 5. & in unitate Eccleſiæ permanſit, ut docet Auguſtinus de Baptiſmo contra Donatiſtas lib. 1. cap. penult. & ult. & lib. 2 cap. 6. etſi Stephanus tum temporis ſatis temerè eos qui hæreticos rebaptizandos putabant, excommunicandos cenſeret, ut docet Euſeb. hiſt. lib. 7. cap. 4. & Auguſtinus de unico baptiſmo cap. 14. neque quiſquam unquam ex veteribus Cypriano vitio vertit, quod alioqui Epiſcopum Romanum, & erranti reſiſtendum eſſe cenſuerit, neque ullius hominis, conſuetudinis, aut traditionis in rebus ſacris auctoritatem firmam, niſi Sacrâ Scripturâ nitatur, exiſtimaverit: ut in eadem epiſt. ad Pompeium luculenter docet.

Alia argumenta ex Cypriano affert Bellar. ad Monarchiam Petri & Epiſcopi Romani probandam lib. 2. de Pont. cap. 16. in libro (inquit) de unitate Eccleſiæ demonſtrat Cyprianus inde oriri in Eccleſiâ diviſionem & hæreſin, dum ad veritatis originem non reditur, neque Caput quæritur, nec Magiſtri cœleſtis doctrina ſervatur. Hîc Bellar. putat per caput Petrum deſignari, quia mox citat illa verba ex Mat. 16. *Tu es Petrus & ſuper iſtam Petram, &c.*

Reſpondeo. Utcunque Petrus, ut alias oſtendimus, ſano ſenſu dici poſſit caput Eccleſiæ (quæ appellatio non infert Monarchiam Petri, cum reliqui etiam Apoſtoli dici poſſint capita Eccleſiæ ut docet Bellarm. lib. 1. de Pont. cap. 11.) tamen in iſto loco Cyprianus omnino non loquitur de capite Eccleſiæ, ſed de capite & origine veritatis, nempe de doctrinâ Magiſtri cœleſtis (nam tribus iſtis phraſibus idem ſignificat) ſic in lib. de unitate Eccleſiæ *Caput & originem veritatis* pro eodem ſumit. Quum (inquit) hæreſis & Schiſmata poſtmodùm nata ſint, dum conventicula ſibi diverſa conſtituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt. Ita in epiſtolâ ad Pompeium, divinæ traditionis *Caput & originem* dicit eſſe ſolam Scripturam.

Petrus Cypriano reliquis Apoſtolis æqualis nō ſuperior fuit.

Cæte-

Digitized by Google

Cæterùm Cyprianus paulò poſt verba à Bellarmino citata fictitiam illam Petri Monarchiam refellit, cùm ait Chriſtum parem po-
,, teſtatem Apoſtolis tribuiſſe: & ſubjungit: hoc utique erant cæte-
,, ri Apoſtoli quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris &
,, poteſtati: ſed exordium ab unitate proficiſcitur; ut Eccleſia una
,, monſtretur.

Eccleſia Romana particularis, radix & matrix erat tantùm reſpectu ſuorum membrorũ non aliarum Eccleſiarum.

Deinde ex lib. 2. Cypriani epiſt. 10. ad Cornelium Epiſcopum
,, Romanum citat hæc verba. Miſeramus (inquit) nuper collegas
,, noſtros, ut ad Catholicæ Eccleſiæ unitatem ſciſſi corporis mem-
,, bra componerent: ſed diverſæ partis obſtinata & inflexibilis per-
,, tinacia non tantùm radicis & matricis ſinum recuſavit, ſed etiam
,, Epiſcopum ſibi conſtituit, & adulterum & contrarium caput extra Eccleſiam fecit. Hîc loquitur Cyprianus de Schiſmate Romæ orto Novatianorum, qui non agnoſcentes Cornelium Romæ legitimum Epiſcopum, Novatianum Antiepiſcopum conſtituerunt. Sed quid hinc infert Bellarminus? Nempe (inquit) ſicut Novatianus fuit caput omnium Novatianorum, ita caput omnium Catholicorum fuit Cornelius, qui hîc radix & matrix Eccleſiæ nominatur, prout (inquit) lib. 4. epiſt. 8. Cyprianus etiam vocat Romanam Eccleſiam radicem & matricem Catholicæ Eccleſiæ.

Reſp. Certum eſt Cyprianum utrobique loqui non de Eccleſia Univerſali ſed particulari; Eccleſiâ Romanâ, in quâ ſchiſma ortum eſt operâ Novatiani Pſeudepiſcopi. Hic ſanam partem quæ Cornelio legitimo Epiſcopo adhæſerat ut Catholicam, id eſt, ut veram Eccleſiam agnoſcit, ad quam ut ad radicem & matricem (vel matrem ut alii legunt in epiſt. 10.) reducere conatur Schiſmaticos, & quam ut talem agnoſci vult ab omnibus fidelibus. Neuter autem nec Cornelius nec Novatianus ſe pro Epiſcopo Eccleſiæ Univerſalis geſſit, nec ejuſmodi monſtrum eorum ætate, aut multa poſt ſæcula natum eſt. Et Cyprianus quidem non appellat Romanam Eccleſiam radicem: matricem, aut matrem reſpectu aliarum omnium in toto orbe Eccleſiarum, ſed reſpectu membrorum ſuorum. Ita ſingula membra alicujus Eccleſiæ, Civitatis aut Academiæ, iſtam Eccleſiam Civitatem aut Academiam matrem ac radicem agnoſcunt. Matricem autem & matrem eodem ferè ſenſu à veteribus dici conſtat. Aut certè ſi Romana Eccleſia dicatur mater ratione aliarum Eccleſiarum, id tantùm intelligendum ratione Eccleſiarum Italicarum, aut aliarum occidentalium quæ ab eâ propagatæ ſunt.

Neque

Digitized by Google

Mater & matrix etiam omniũ Eccleſiarum non probat juriſdictionẽ in omnes Eccleſias.

Neque verò ſi diceretur mater omnium Eccleſiarum, inde poteſtas ejus ſupra alias Eccleſias oſtenderetur: ſi quidem Patres Concilii Conſtantinopolitani primi in epiſtola ad Damaſum & alios (ut legere eſt apud Theodoretum hiſt. lib. 5. cap. 9.) vocant Eccleſiam Hieroſolymitanam matrem omnium Eccleſiarum, cujus tamen dominium in ſupra alias Eccleſias nemo agnoſcit. Sic Tertullianus (quem ut Magiſtrum citat Cyprianus) in lib. de præſcriptionibus cap. 21. omnes Eccleſias Apoſtolicas, id eſt, ab ipſis Apoſtolis inſtitutas appellat matrices & originales fidei.

Porrò certum eſt matricis nomen à Cypriano non ſolùm Romanæ Eccleſiæ accommodari: nam Apoſtatas, qui reſipiſcentes redierunt ad Eccleſiam Africanam, dicit redire ad veritatem & matricem in epiſt. ad Quirinum. Idem in lib de unitate Eccleſiæ *Matricem* appellat primigeniam Eccleſiæ veritatem. Unus Deus eſt (inquit) ,, & Chriſtus unus, Eccleſia eſt una, fides una, & plebs in ſolidam ,, corporis unitatem concordiæ glutine copulata. Scindi unitas non ,, poteſt, quicquid à matrice diſceſſerit ſeorſum vivere & ſpirare ,, non poterit; ſubſtantiam ſalutis amittit.

Cyprianus una Cathedra & unus Epiſcopatus nihil ſpectat ad Romanum Epiſcopum.

Tum ex Cypriani lib. 1. epiſt. 8. ad plebem univerſam, citat hæc ,, verba. Deus unus eſt, & Chriſtus unus, & una Eccleſia, & Ca- ,, thedra una, ſuper Petrum Domini voce fundata. Aliud altare ,, conſtitui, aut ſacerdotium novum fieri præter unum altare, & u- ,, num Sacerdotium non poteſt. Quiſquis alibi collegerit, ſpargit. Hic, (inquit Bellarminus, ſicut Deus unus eſt, & Chriſtus unus, & Eccleſia una, numero non ſpecie: ita & Cathedra una numero eſt, id eſt, Cathedra quædam ſingularis, quæ totam Eccleſiam docet, & illa eſt Petri, extra quam quicunque colligit, ſpargit.

Reſp. In epiſtolâ iſtâ ad plebem univerſam, non aliam plebem quam plebem ſuæ Diœceſeos compellat. Neque aliis de rebus aut perſonis agit, quàm quæ ad ſuam diœceſin ſpectant, ut manifeſtũ eſt ex ipſa epiſtolâ. Monet enim plebem ſuam ut ſibi caveat à quinque presbyteris Schiſmaticis, qui ſe & ipſi & Epiſcopatui ipſius oppoſuerunt & Fortunato Antiepiſcopo adhæſerunt, ſtudentes populum à rectâ viâ ſeducere: & ut multorum gratiam ſibi conciliarent, eos qui tempore perſecutionis defecerunt & lapſi ſunt, nullo ordine & temere Eccleſiæ reſtitui voluerunt, pacemque eis obtulerunt. Hi (inquit ibidem) adulterinis doctrinis Eccleſiæ pudicitiam corrum- ,, pere, & veritatem Evangelicam violare conantur. Dicunt eis qui

„ abjiciunt verbum Domini, *Pax erit vobis*. Pacem nunc offerunt qui
„ ipſi non habent pacem, in Eccleſiam lapſos reducere & revocare
„ promittunt, qui de Eccleſiâ receſſerunt. Tum ſequuntur verba ci-
„ tata, *Deus unus eſt, &c.*

In iſtis verbis Cyprianus Eccleſiæ, doctrinæ, & fidei Eccleſiæ, & paſtorum Eccleſiæ unitatem demonſtrat: ut Schiſmaticos argueret, qui hanc unitatem ſcindebant, aut potiùs ſeipſos ab hac unitate præſcindebant. Per *unam Eccleſiam* intelligit univerſalem Eccleſiam, ex cujus unitate pendet etiam unitas cujuſque particularis Eccleſiæ: ſingulæ enim Eccleſiæ particulares, & ratione membrorum ſuorum, & ratione communionis cum aliis Eccleſiis, iiſdem vinculis colligatæ ſunt, quibus ipſa univerſalis Eccleſia. Nomine unius Cathedræ intelligit unam doctrinam aut munus & auctoritatem docendi, quæ ſingulis paſtoribus competit. Per *unum Altare* intelligit ſacramentum Euchariſtiæ, in quâ menſa Domini metaphoricè, & exinde ipſa cœna Domini, metonymicè altare dicitur, ſicut alibi ſæpe unum baptiſma memorat, ad hanc Eccleſiæ unitatem ſtabiliendam. Per *unum Sacerdotium* intelligit Epiſcopatum, ut ſupra diximus *Sacerdotis* nomine Epiſcopum intelligi.

„ Eodem modo in lib. de unitate Eccleſiæ, ait unum corpus, &
„ unus ſpiritus, & una ſpes vocationis noſtræ, unus Dominus, una
„ fides, unum baptiſma, unus Deus, quam unitatem firmiter tenere
„ & vindicare debemus maximè Epiſcopi qui in Eccleſiâ præſide-
„ mus, ut Epiſcopatum quoque ipſum unum atque indiviſum probe-
„ mus. Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tene-
„ tur: Eccleſia una eſt, quæ in multitudinem latius incremento fæ-
„ cunditatis extenditur: quomodo Solis multi radii ſed lumen unum:
„ & rami arboris multi, ſed robur unum tenaci radice fundatum. Et
„ cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, unitas tamen ſervatur in
origine. Et poſteà in eodem cap. Unus Deus eſt, & Chriſtus unus, Eccleſia ejus una, &c. ut ſuprà citavimus.

Ex quibus locis & aliis ſimilibus & ſcopo Cypriani, clarum eſt unam Cathedram, unum Altare, unum Sacerdotium, & unum Epiſcopatum attribui non Romano Epiſcopo peculiariter, ſed univerſo corpori Epiſcoporum per univerſam Eccleſiam diffuſo ut ſuprà notavimus in cap. 23. ad argu. 5.

Atque ex hac unitate Eccleſiæ, doctrinæ, & Epiſcopatûs rectè colligit Cyprianus in unâ Eccleſiâ particulari non poſſe eſſe diverſas doctri-

doctrinas, & diverſos ac oppoſitos Epiſcopos cum ſuis ſectariis oppoſitis. Item in eodem lib. de Unitate Eccleſiæ ſcribit: Monet „ Chriſtus in Evangelio ſuo & docet dicens, *& erit unus Grex, & u-* „ *nus Paſtor*, & eſſe poſſe uno in loco aliquis exiſtimat aut multos Paſtores aut plures Greges? Et id ipſum eſt quod malè habet Cyprianum in epiſtola illâ à Bellarm. citata, in Eccleſiâ ſuâ Carthaginenſi cujus erat Epiſcopus Schiſma ortum eſſe, & Schiſmaticos ſibi Antiepiſcopum ſtatuiſſe. Neque vero iſti Schiſmatici Cornelio Epiſcopo Romano, ſed Cypriano Carthaginenſi ſe oppoſuerunt. Imò verò ut factionem ſuam validiorem efficerent, amicitiam Cornelii & cum eo ſocietatem ac communionem habere avidiſſimè expetebant, ut patet ex lib. 1. epiſt. 3. & ex hiſtoriâ Eccleſiaſticâ. Adeoque cum Cathedram Cypriani, non Cathedram Epiſcopi Romani averſati fuerunt; abſurdiſſimum eſſet, ſi hîc Cyprianus per *unam Cathedram*, unum Romanum Epiſcopum intelligeret. Sed cùm in univerſa Eccleſiâ una ſit Cathedra, & unus Epiſcopatus cujus pars à ſingulis Epiſcopis in ſolidum tenetur, adeo ut idem jus in ſolidum habeat unius loci Epiſcopus, quod habet alterius loci Epiſcopus: certè qui in unà regione Epiſcopum ſuum legitimum deſerit ac ſpernit, perinde eſt, ac ſi omnes Epiſcopos deſereret ac ſperneret.

At hîc objicitur Cyprianum loqui de Cathedrâ una ſuper Petrum fundatâ: Ergo loquitur (inquiunt) de Cathedrâ Petri ac proinde tantùm de Epiſcopatu Romano. Reſp. 1. In probatiſſimis codicibus legitur non *ſuper Petrum*, ſed *ſuper Petram*: & nimis veriſimile eſt à Pontificiis ſtudio corruptam eſſe lectionem. Pamelius ipſe agnoſcit ſolum Manutii codicem hîc habere Petrum, reliquos omnes habere Petram tum manuſcriptos tum excuſos. 2. Nos alibi oſtendimus quomodo Cyprianus & alii intellexerint Eccleſiam eſſe ſuper Petrum fundatam: in eo ſenſu qui nullo modo Pontifici Romano accommodari poteſt. 3. Cathedra Petri non ſolum convenit Epiſcopis Romanis, ſed omnibus veris paſtoribus & doctoribus Eccleſiæ, ſicut Cathedra Moſis omnibus ſacerdotibus & interpretibus Legis, adeoque Scribis & Phariſæis: ut patet ex Mat. 23. 2. & ex iis quæ nos annotavimus ad iſtum locum ſupra cap. 23. ubi oſtendimus quomodo in Eccleſiâ una ſit tantùm Cathedra, & quomodo plures diſtinguantur Cathedræ.

Omnis Eccleſia aquè ac Romana fundata eſt ſuper Petram.

Cap. 20.

Objicit Bellarm. Cùm unitatem Cathedræ comparet Cyprianus unitati Dei, Chriſti, Eccleſiæ, ſequi ſicut Deus unus & Chriſtus

Non comparat Cyprianus Romanum Pontificem Deo, ſoli, aut fonti.

ſtus unus, & Eccleſia una numero eſt non ſpecie, ita intelligendam eſſe unam Cathedram quandam ſingularem.

Reſp. ineptum eſt argumentum à ſimili: nihil enim eſt tam ſimile, quin etiam ſit diſſimile, & facile eſt oſtendere multum eſſe diſcriminis inter unitatem Dei, Chriſti, Eccleſiæ, & Cathedræ. Et nemo neſcit ita unam eſſe Eccleſiam, Cathedram, Altare, Sacerdotium, Epiſcopatum, ut etiam multæ ſint particulares Eccleſiæ, Cathedræ, &c. Et quidem quomodò Eccleſia ſit una & multiplex pulchrè oſtendit triplice ſimilitudine Cyprianus in verbis quæ nuper citavi-,, mus: Quomodo ſolis multi radii ſed unum lumen, & rami arbo-,, ris multi ſed robur unum tenaci radice fundatum. Et cùm de ,, fonte uno rivi plurimi fluunt, unitas tamen ſervatur in origine. Quæ ſimilia ſuo modo accommodari etiam poſſunt Cathedræ & Epiſcopatui.

At hic Bellarminus ait Romanum Pontificem conferri Soli, radici, & fonti: cum reliqui Epiſcopi & membra Eccleſiæ ſint veluti radii, rami, aut rivi. Multo certiùs noſtri Chriſtum eſſe Solem, radicem, & fontem Eccleſiæ ſuæ oſtendunt. Sed Cypriani mens clara eſt, ut oſtendat iſtis ſimilibus, licet multiplex ſit Eccleſiæ propago, unitatem tamen ſervari in origine, quia à primigeniâ Eccleſiâ derivantur, & cum ea cohærent quæcunque ſunt membra Eccleſiæ, à quâ ſi ſeparentur, aut à reliquo corpore, intereant neceſſe eſt: quâ ratione Schiſmaticos, qui ſe à corpore Eccleſiæ ſegregant mortua membra eſſe arguit.

Non magis Romano quàm aliis Epiſcopis hæreticos & Schiſmaticos excommunicandi jus Cyprianus tribuebat.

Poſtremò Bellarm. volens oſtendere ſummam poteſtatem Pon-,, tificis Romani ex Cypriano. Quod (inquit) poſſit Pontifex Ro-,, manus judicare & deponere Epiſcopos hæreticos vel Schiſmati-,, cos manifeſtos, patet ex lib. tertio epiſt. 13. ad Stephanum Pa-,, pam: ubi Cyprianus eum hortatur, ut jubeat deponi Epiſcopum ,, Arelatenſem, & alium conſtitui ejus loco.

Reſp. In iſtâ epiſtolâ nulla peculiaris poteſtas Romano Epiſcopo tribuitur judicandi & deponendi exteros Epiſcopos. Imò in eâdem epiſtolâ aperte docet, cum unus Epiſcopus in hæreſin incidit, aut ab Eccleſiâ deficit, communem hanc debere eſſe curam reliquorum Epiſcoporum, ut huic malo remedium afferant. Idcirco inquit co-,, pioſum corpus eſt ſacerdotum concordiæ mutuæ glutine atque u-,, nitatis vinculo copulatum, ut ſiquis in Collegio noſtro hæreſin fa-,, cere tentaverit, ſubveniant cæteri. Propter hanc communem curam

ram quæ omnibus Epiſcopis incumbit Fauſtinus Epiſcopus Lugdu-
„ nenſis ſemel atque iterum ſcripſit ad Cyprianum de Martiano Are-
„ latenſi Epiſcopo quòd Novatiano hæretico ſe conjunxerit, & à
Catholicæ Eccleſiæ veritate & ſacerdotum conſenſione ſe disjun-
xerit. Eadem de re ſcripſerunt etiam Fauſtinus aliique ejus regionis
coepiſcopi ad Stephanum Epiſcopum Romanum & alios. Cùm au-
tem cunctarentur alii, Cyprianus pro zelo ſuo Stephanum Epiſco-
pum Romanum, cujus maximè intererat, admonuit, ut pleniſſimis
literis coepiſcopos ſuos in Galliâ, & plebem Arelatenſem incitaret,
ut pulſo ſchiſmatico illo Epiſcopo Paſtorem Catholicum ſubſti-
tuerent. Non quòd putaret Cyprianus hanc curam ſoli Stephano
„ competere (nam & ſibi ipſi communem agnoſcit, Cui rei (inquit)
„ noſtrum eſt conſulere, frater chariſſime qui gubernandæ Eccleſiæ
libram tenemus) nec quòd exiſtimaret eum propriâ ſuâ auctoritate
poſſe Epiſcopum iſtum deponere & alium ſurrogare: imo tantùm
monet ut coepiſcopos ſuos in Galliâ excitet ad id præſtandum. Nam
Epiſcoporum omnium electionem à Romano Epiſcopo pendere in-
auditum erat tempore Cypriani. Sed hunc ordinem in eligendis
Epiſcopis obſervatum fuiſſe ipſe indicat lib. 1. epiſt. 4. Diligenter
„ (inquit) de traditione Divinâ & Apoſtolicâ obſervatione ſervan-
„ dum eſt & tenendum quod apud nos quoque & fere per provincias
„ univerſas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam ple-
bem cui præpoſitus ordinatur, Epiſcopi ejuſdem Provinciæ proximi
quique conveniant, & Epiſcopus deligatur plebe præſente quæ ſin-
gulorum vitam pleniſſimè novit. Admonuit igitur Cyprianus Ste-
phanum Romanum Epiſcopum ut id faceret, quod quilibet alius
Epiſcopus facere poterat, ſed eum potiſſimùm admonuit, quia ejus
maximè intereratut factioni ſe Novatiani opponeret, qui Romæ
anti-epiſcopus contra pios Epiſcopos Stephani deceſſores Corne-
lium & Lucium ſchiſma excitavit & fovit. Hujus rationis ipſe ex-
preſsè meminit ſub finem epiſtolæ. Præter eo quod ſi eo tempore
Patriarchæ aut Metropolitani jus epiſcopo Romano competebat, æ-
quum erat ut in iſto negotio autoritatem ſuam interponendo, & Epi-
ſcopis, quibus ordinis cauſâ præfuerat, conſulendo præiret.

Tertiò citat Bellar. Ambroſium qui in epiſt. 32. ſcribens ad Va-
lentinianum Juniorem Imperatorem, cum ab Arianis depravatus vel-
let de rebus fidei judicare, monet eum non eſſe Imperatoris ſed
Epiſcoporum de cauſis fidei judicare. Sed nihil hoc ad præſentem

Ambroſius non patrocinatur Monarchiæ Pontificiæ.

Digitized by Google

controverſiam, cùm nihil hìc Epiſcopo Romano præ reliquis Epiſcopis tribuit Ambroſius. Similia affert Bellar. ex Sulpitio lib. 2. hiſtoriæ ſacræ, quibus idem accommodandum eſt reſponſum.

Addit Bellar. alia teſtimonia ex Ambroſio ad probandam Monarchiam Papæ & primatum Eccleſiæ Romanæ. 1. ex Commen„tario ejus in 1 Tim. cap. 3. Quum totus (inquit) mundus Dei ſit, „ tamen domus ejus Eccleſia dicitur, cujus hodie Rector eſt Damaſus. Reſpondeo Commentarios iſtos in epiſtolas Pauli non eſſe Ambroſii ferè doctoribus perſuaſum eſſe ſcribit Poſſevinus in Apparatu. Et Bellarm. ipſe ait eos non certè eſſe Ambroſii lib. 1. de Chriſt. cap. 10. & lib. de Clericis cap. 15. & lib. 2. de gratiâ & libero arbitrio cap. 14. Idem in lib. de Matrimonio cap. 17. inquit „ authorem eorum Commentariorum non eſſe Ambroſium, quod „ eruditi non ignorant, ſed nec aliquem ex celebratis Patribus. Id etiam ipſum varii alii ex Pontificiis doctoribus aſſerunt. Sed quicunque tandem ſit auctor, nimis veriſimilis eſt eorum ſententia qui exiſtimant verba illa citata, *Cujus hodie rector eſt Damaſus*, à recentiore aliquo Pontificiæ dignitatis affectu audaculè infarta eſſe: ita abrupte & inepte præcedentia conſequuntur, & cum conſequentibus cohærent. Quanquam Junius in ſuis animadverſionibus in Bellarmini lib. 1. de Pont. cap. 9. nota 52. copioſè oſtendit quomodo verba illa ſano ſenſu accipi poſſint.

Junius.

Porrò citat hæc verba Ambroſii in oratione in Satanam. Per „ cunctatus Epiſcopus eſt ſi cum Epiſcopis Catholicis, hoc eſt, „ ſi cum Romanâ Eccleſiâ conveniret. Hinc infert Romanam Eccleſiam, ac proinde Romanum Epiſcopum eſſe caput Eccleſiæ Catholicæ. Denique citat verba illa Ambroſii ex lib. de Sacrament. „ cap. 1. Non ignoramus quòd Eccleſia Romana hanc conſuetudi„ nem non habeat, cujus typum in omnibus ſequimur & formam. „ Et infrà. In omnibus ſequi cupio Eccleſiam Romanam, ſed ta„ men & nos hominis ſenſum habemus: ideo quod alibi rectius ſervatur, & nos cuſtodimus. Sed cum hæc poſteriora verba adverſari videantur ſententiæ Bellarmini, ideo addit hanc interpretationem: „ Cum (inquit) Ambroſius dicat in omnibus ſe velle ſequi Romanam „ Eccleſiam, & tamen eam ſequi nolit in conſuetudine non lavandi „ pedes recens baptizatis, illud in *omnibus* intelligendum eſt de „ omnibus neceſſariis, & ad ſalutem pertinentibus, alioqui ſecum pugnat. Hactenus Bellar. Reſpondeo ex verbis Ambroſii nihil aliud

col-

colligi poteſt quam Eccleſiam Romanam tum temporis utpote celeberrimam habitam à nonnullis fuiſſe typum ſeu exemplum orthodoxæ fidei, & rituum Religionis, non autem poteſtatem in alias Eccleſias habuiſſe: atque ita quidem fuiſſe typum & exemplar, non ut nunquam liceret ab ejus exemplo diſcedere, nam contrarium docet Ambroſius, vel quicunque librorum de Sacramentis ſcriptor fuerit in verbis citatis. Inane autem eſt effugium Bellarmini, & à textu auctoris alienum. Cæterùm hîc eſt inſignis fallacia à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, ut quia tunc Eccleſia Romana exemplum fuit fidei & rituum, ideo ſimpliciter adeoque nunc ei id elogium competere.

Quartò citat Bellar. Hieronymum in epiſtolâ ad Damaſum de „ nomine hypoſtaſis, Diſcerne (inquit) ſi placet obſecro, non timebo „ tres hypoſtaſes dicere, ſi jubebis: Et infrà: Obteſtor beatitudinem „ tuam per crucifixam mundi ſalutem, per ὁμοούσιον Trinitatem, ut mi- „ hi epiſtolis tuis ſive tacendarum ſive dicendarum ὑποστάσεων detur „ auctoritas.

Hieronymus non favet tyrannidi Pontificiæ.

Notat hic Bellarminus Hieronymum longe doctiorem fuiſſe Damaſo, & tamen cùm agitur de judicio fidei, ut aliquid definiatur Hieronymum totum judicium tribuiſſe Damaſo Epiſcopo Romano. Plura ex eâdem epiſtolâ citat Bellar. lib. 2. de Pont. cap. 16. „ Quanquam (inquit) tua me terreat magnitudo, invitat tamen hu- „ manitas, à paſtore præſidium ovis peto, cum ſucceſſore piſcato- „ ris & diſcipulo crucis loquar. Ego nullum primum, niſi Chri- „ ſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri communio- „ ne conſocior, ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio, qui- „ cunque extra hanc domum agnum comederit profanus eſt, ſi quis „ in Arca Noæ non fuerit, peribit regnante Diluvio. Et infrà. Non „ novi Vitalem, Meletium reſpuo: ignoro Paulinum: quicunque „ tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt, qui Chriſti non eſt Anti- „ chriſti eſt.

Hinc multa falſa aut fallacia colligit Bellar. quæ ut dignoſcantur, ſciendum eſt Hieronymum fuiſſe Romæ baptizatum & inſtitutum „ & Damaſo familiarem. In hac eadem epiſtolâ: Inde (inquit) id eſt, „ à Romanâ Eccleſiâ, nunc animæ meæ poſtulo cibum, unde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi. Quæ verba tum Eraſmus, tum Marianus Victorius interpretantur de Baptiſmo, quia tum temporis ſolebant recens baptizati indui albis veſtimentis. Et paulò pòſt ibidem ſe Roma-

Romanum hominem appellat. In lib. 2. Commentariorum in Ezechielem ait ſe liberalibus diſciplinis exercitū fuiſſe Romæ. In epiſtolâ ad Gerontiam viduam de monogamiâ. Cum (inquit) in chartis Eccleſiaſticis juvarem Damaſum Romanæ urbis Epiſcopum & orientis atque occidentis Synodicis conſultationibus reſponderem. Hîc notat in ſcholiis Eraſmus Divum Hieronymum fuiſſe Damaſo à ſacris libellis, quem nunc ſecretarium vocant, in his quæ pertinent ad conſultationes Synodicas. Ex iſtis autem verbis malè probat Bellarminus Monarchiam Epiſcopi Romani, quia (inquit) in universâ Eccleſiâ & toto terrarum orbe reſponſa mittebantur ab Epiſcopo Romano. Sed quid tum? Etſi pro communione Epiſcoporum in rebus dubiis ſe mutuò conſulerent, & varii Romanum Epiſcopum & Eccleſiam conſulerent, an hinc colligitur eminentia poteſtatis? Nequaquam. Conſuluit hîc Damaſum Hieronymus*, ſed & aliàs etiam Hieronymum conſuluit Damaſus, Auguſtinus, & alii. Cauſam autem conſulendi hîc ipſe Hieronymus indicat: nam cum ſolitariam vitam acturus ad ſolitudinem quandam in confinio Syriæ demigrâſſet, & cùm Eccleſia iſtius loci, & tota ferè orientalis Eccleſia factionibus ſciſſa eſſet & premeretur Arianorum aut Semi-arianorum ſectis, his urgebatur confiteri tres eſſe hypoſtaſes: at ille, qui cum Orthodoxâ Eccleſiâ credebat in Deo eſſe unam οὐσίαν ſeu ſubſtantiam & tres perſonas, veritus ne quid veneni ſub nomine triplicis ὑποστάσεως lateret (quod Romanis erat inauditum aut inſolens in iſto negotio, & potius ſubſtantiam quàm perſonam ex vi vocabuli viſum eſt denotare) & cùm ſciret Romanam, & omnino univerſam occidentalem Eccleſiam tum temporis fuiſſe Orthodoxam & immunem ab iſtis hæreſibus, ipſe homo Romanus Damaſum Epiſcopum Romanum hæc de re conſulit, ut cum communionem Eccleſiæ Romanæ ſequeretur, & Vitalem, Mileticum & Paulinum Epiſcopos Antiochiæ ſuſpectos ut hæreticos aut factioſos qui iſtis locis præſidebant, averſaretur: ut, inquam, de uſu iſtius nominis ſententiam ſuam & Eccleſiæ Orthodoxæ occidentalis indicaret, num novellum illud nomen ſine periculo poſſet in eâ re uſurpari.

Baronius putat Damaſo Hieronymum fuiſſe ab epiſtolis ann. 372. num. 52.

His expoſitis facilè apparebit vanitas obſervationum Bellarmini Primò notat Hieronymum qui Presbyter Antiochenus erat, ovem ſe agnoſcere Epiſcopi Romani. At Hieronymus potius habebatur Presbyter Romanus quàm Antiochenus. Tunc autem prope Antiochiam in ſolitudine degens, ibi non exercebat munus Presbyteri

ſed

ſed monachi. Neque dicit Hieronymus ſe eſſe ovem Damaſi, & Damaſum Paſtorem ſuum: ſed ſimpliciter ait ſe eſſe ovem & Damaſum Paſtorem. Baronius ad annum 378. obſervat Hieronymum ita ſuſcepiſſe Presbyteratum, ut tamen noluerit ulli clero aſcribi.

Secundò notat Hieronymum confiteri Damaſum eſſe Petri ſucceſſorem. Quid tum? Omnes enim Epiſcopi ſunt Apoſtolorum ſucceſſores, ut ipſe docet in epiſt. ad Euagrium, & Cyprianus lib. 4. epiſt. 9. & peculiariter ii Epiſcopi ſucceſſores eorum Apoſtolorum indigitabantur, qui iis Eccleſiis præfuerunt, quas ipſi Apoſtoli docuerunt aut fundârunt: ita Epiſcopi Antiocheni non minùs quàm Romani Petri ſucceſſores habebantur, & hæreticos Orthodoxis ſuccedere poſſe in eâdem ſede non eſt dubium.

„ Tertiò obſervat, Hieronymum, cùm dicit, ego nullum primum „ niſi Chriſtum ſequens, beatitudinis tuæ communione conſocior. velle dicere ſe primùm Chriſto, deinde Epiſcopo Romano ut Chriſti vicario adhærere, & idem ſentire: ac ſi dixiſſet, Ego neminem Damaſe Pontifex niſi Chriſtum tibi præpono. At Hieronymus planè contrà in iis verbis nullius in Eccleſiâ principatum agnoſcit niſi Chriſti. Societatem communionis ſe habere cum Damaſo ait, ſed Primatum ejus minimè agnoſcit.

Quartò obſervat ab Hieronymo ſedem Romani Pontificis cenſeri fundamentum ejus domus & navis quæ eſt Eccleſia univerſalis, ac proinde Romanum Pontificem cenſeri caput totius Eccleſiæ. Reſp. Hoc colligi non poteſt ex Hieronymi verbis: neque enim ſedem Romani Pontificis dixit eſſe fundamentum ejus domûs & navis quæ univerſalis Eccleſia deſignatur. Dixit quidem ſuper illam Petram ædificatam eſſe Eccleſiam: ſed per *illam Petram* non intelligit Romam: nam fieri poteſt ut Roma quoque degeneret, ſed eam fidem ſeu doctrinam, quam Petrus profeſſus eſt (quæ etiam Cathedræ nomine denotari poteſt) & quam ad illud uſque tempus Romana ſervavit Eccleſia, ut rectè notat hîc Eraſmus: quanquam ex proximis verbis de domo & navi non ſatis ſcitè dignitatem Romanæ Eccleſiæ arguit, cùm Bellarminus ipſe hîc *domus* & *navis* nomine univerſam Eccleſiam denotari fateatur. Quod ſi quis ea verba ad Romanam Eccleſiam referat, intelligi poſſunt ex hypotheſi Hieronymi, qui Eccleſiam Romanam tum Orthodoxam eſſe ſciebat: adeo ut quicunque extra ejus communionem eſſet, extra Eccleſiam quoque Catholicam eſſet, ac protereà profanus & in viâ

mortis: alioqui deficere poſſe Epiſcopum Romanum & fieri hæreticum Hieronymo non dubium eſt, qui & Liberium & Felicem Romanos Epiſcopos Arianâ hæreſi corruptos fuiſſe indicat in Catalogo ſcript. Eccleſiaſt. in Fortunatiano & Acatio. vide Guil. Rivetum 396.

Poſtremò obſervat maluiſſe Hieronymum Romanæ ſedis Pontifici adhærere, quàm Epiſcopo ſuo proprio Paulino, qui tamen non „ unus de turbâ, ſed Patriarcha Antiochenus erat, quoniam, ait, non „ novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Reſp. cùm iſti Epiſcopi à verâ fide defecerint, & Paulini non tantùm fides, ſed etiam ordinatio corrupta haberetur, non mirum eſt Hieronymum hominem Romanum maluiſſe Damaſo Orthodoxo adhærere quàm Paulino hæretico & ſchiſmatico.

Sed quantùm abhorruerit Hieronymus à recenti Pontificiorum ſententiâ, qui immanem poteſtatem Pontifici ſuo tribuunt, patet ex variis locis, & nominatim ex epiſtolâ ad Euagrium. Si (inquit) „ auctoritas quæritur, Orbis major eſt urbe: ubicunque fuerit Epi- „ ſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhe- „ gii, ſive Alexandriæ, ſive Tanis: ejuſdem meriti, ejuſdem eſt & „ ſacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas vel ſub- „ limiorem vel inferiorem Epiſcopum non facit. Cæterum omnes „ Apoſtolorum ſucceſſores ſunt.

Quæ citat ex Auguſtino Bellar. nihil faciunt ad Papæ monarchiam.

Quintò citat Bellar. aliqua teſtimonia ex Auguſt. Primò ex lib. contra Fundamentalem epiſt. cap. 5. Ego Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret auctoritas. Ad hoc teſtimonium reſponſum eſt abundè ſuprà cap. 18.

„ 2. Ex lib. 1. contra Creſconium cap. 33. Quiſquis falli metuit „ hujus obſcuritate quæſtionis Eccleſiam de illâ conſulat quam ſine „ ullâ ambiguitate ſacra Scriptura demonſtrat. Reſpondeo. Quis dubitat Eccleſiam conſulendam eſſe de quæſtionibus Religionis, ſed Eccleſiam dicimus reſtrictam eſſe ad verbum Dei: id quod etiam hîc Auguſtinus innuere videtur: nam nequis Eccleſiæ larvâ nos fallat, ait ſe Eccleſiam intelligere, quam ſine ullâ ambiguitate Sacra Scriptura demonſtrat (talem Eccleſiam hodie Romæ non invenimus) ſignificat igitur Eccleſiam à Scripturâ, non Scripturam ab Eccleſiâ pendere: Cæterum in eodem opere contra Creſconium lib. 2. cap. 31. „ planè hac de re mentem ſuam aperit. Non ſine causâ (inquit) tam „ ſalubri vigilantiâ canon Eccleſiaſticus conſtitutus eſt ad quem

certi

Digitized by Google

„ certi prophetarum & Apoſtolorum libri pertinent quos omninò
„ judicare non audemus, & ſecundum quos de cæteris vel fidelium
„ vel infidelium libris liberè judicamus. Item in lib. de unitate Eccleſ.
„ cap. 3. Sunt libri Dominici, quorum auctoritati utrique credi-
„ mus: ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram:
„ auferantur de medio quæ adverſus nos invicem non ex canonicis
„ libris, ſed aliunde recitamus. Nolo humanis documentis ſed divi-
„ nis oraculis ſanctam Eccleſiam demonſtrari. Ergo in Scripturis
„ ſanctis canonicis eam requiramus. In eandem ſententiam, varia
alia Auguſtini loca antè citavimus cap. 11.

3. Citat. ex epiſt. 106. ad Paulinum, ubi loquitur de epiſtolis Innocentii, in quibus (inquit Bellar.) disertè poſitum erat ad ſedem
„ Apoſtolicam pertinere judicium fidei. Ad omnia illa nobis reſpon-
„ dit ſicut fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem re-
ſpondere. Reſp. in verbis citatis Auguſtini nihil eſt quod juvet Bellarmini aut Pontificiorum cauſam, niſi quòd Bellar. velit hæc referri ad epiſtolas Innocentii: in quibus (inquit) ſcriptum eſt ad ſedem Apoſtolicam pertinere judicium fidei. Epiſtolas intelligit, quæ Innocentii nomine extant in ſecundo tomo operum Auguſtini 91. & 93. Sed iſtas epiſtolas eſſe ſuppoſititias doctoribus perſuaſum eſt.
„ Nam de 91. ſic ait Eraſmus. In hac epiſtolâ, & dictionem & inge-
„ nium & eruditionem tali dignam præſule deſiderare cogimur. Et de 93. Ejuſdem genii epiſtola eſt. Tum ut domus Innocentium in iſtis epiſtolis dixiſſe judicium de rebus fidei ad ſedem Apoſtolicam pertinere & per ſedem Apoſtolicam intelligi Romam, quia ibi Petrus docuit: at non dixit ſummum & abſolutum judicium pertinere ad iſtam ſedem, nec ad iſtam ſedem ſolùm: etſi non raro uſu venerit pios alioqui Epiſcopos Romanos ſedis ſuæ prærogativam immodicè amplificâſſe: utcunque non niſi poſt multa ſecula myſterium iniquitatis conſummatum eſt.

Porrò in lib. 2. de Pontif. cap. 16. addit alia teſtimonia ex Auguſtino ad monarchiam Epiſcopi Romani probandam ex epiſt. 162.
„ citat hæc verba. In Romanâ Eccleſiâ ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus. Reſpondeo. Hîc nihil aliud dicitur quàm inter Eccleſias conſtitutas aut fundatas ab Apoſtolis primariam fuiſſe Romanam, quod nos non negamus. Neque enim vox *principatus* aut *princeps* ex antiquo uſu Latinæ linguæ dominium aut imperium denotat, ut alibi oſtendimus, ſed id quod eſt primum aut præcipuum:

ut cùm Platonem aut Ariſtotelem principem philoſophorum dicimus. Atque hoc ipſum ex ſcopo Auguſtini ibidem perſpicuum eſt.

Similia ſunt quæ citat ex Auguſtino in lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium Epiſcopum Romanum: non dedignaris, qui non alta ſapis, quamvis altiùs præſideas, eſſe amicus ,, humilium. Et infrà. Communis eſt omnibus nobis,qui fungimur ,, Epſcopatûs officio (quāvis ipſe in eo præemineas celſiore faſtigio) ſpecula paſtoralis. Hinc colligit Bellar. Auguſtinum cenſere omnes Epiſcopos ſubjici celſiori faſtigio Romani Pontificis. Sed malè colligit: nam in communi munere, curâ, & officio tantùm præcipuum honoris gradum ut Patriarchæ tribuit: quanquam cùm mutuò aliis honorem deferre ſolent Epiſcopi,hinc inferri non poteſt poteſtas aut dominium alterius in alterum.

,, Item ex epiſt.92. ad Innocentium citat hæc verba, Quia te Do- ,, minus gratiæ ſuæ præcipuo munere in ſede Apoſtolicâ colloca- ,, vit, talemque temporibus noſtris præſtitit, ut nobis potiùs ad cul- ,, pam negligentia valeat, ſi apud tuam venerationem, quæ pro Ec- ,, cleſiâ ſuggerenda ſunt, tacuerimus, quàm ea tu poſſis, vel faſti- ,, diosè vel negligenter accipere: magnis periculis infirmorum ,, membrorum Chriſti paſtoralem diligentiam quæſumus adhibere ,, digneris. In hæc verba ſic commentatur Bellarminus. Auguſti- ,, nus (inquit) cum toto Concilio Milevitano petit ut Innocentius ,, paſtoralem curam adhibeat Eccleſiæ, coërcendo Pelagianos qui ,, Palæſtinam & Africam præcipuè inficiebant: quod non peteret ,, niſi Innocentium etiam Paleſtinæ & Africæ Paſtorem eſſe crede- ,, ret. Deinde cur non ſcribit Auguſtinus Patriarchæ Hieroſolymi- ,, tano, vel Metropolitano Palæſtinæ & Primati Africæ Carthagi- ,, nenſi Epiſcopo potiùs quàm Romano Pontifici, niſi quia ſciebat ,, majorem eſſe Romani Pontificis in Palæſtinâ & Africâ auctorita- ,, tem, quam propriorum Epiſcoporum? Hactenus Bellar. Reſp. ,, inanes ſunt ratiunculæ Bellarmini. Scripſit ad Innocentium Epiſcopum Romanum Auguſtinus cum aliis Epiſcopis Milevitani Concilii; ut, cùm ipſi damnâſſent Pelagii hæreſin, ille quoque conſenſum ſuum oſtenderet, & in ſuâ diœceſi eam profligandam curaret. Hæc enim cura communis eſt omnium Epiſcoporum, ut naſcentibus aut graſſantibus hæreſibus ſe opponant, & ad hanc rem mutuam opem & operam rogare & præſtare in primitivâ potiſſimùm Eccleſiâ ſolebant omnes pii Epiſcopi: quod apertè docet Cyprianus in epiſt.

epiſt. ad Stephanum Epiſcopum Romanum quæ eſt 13. lib. 3. Et quidem non levis fuit cauſa, cur potiſſimùm ad Epiſcopum Romanum ſcriberent, non tantùm quia latiſſimè patebat ejus Provincia, & primus inter Patriarchas erat: ſed quia Pelagius Romæ (ubi diu vixerat) ſe inſinuabat adeò ſubdolè, ut meritò metuendum eſſet, ne Romæ venenum ſpargeret, graviuſque damnum Eccleſiæ infligeret. Auguſtinus in epiſt. 95. quæ eſt ad Innocentium hanc cauſam „ ipſe indicat: Audivimus (inquit) eſſe in urbe Româ, ubi ille diu „ vixit, nonnullos qui diverſis cauſis ei faveant, quidam ſcilicet qui „ vos talia perſuaſiſſe perhibent: plures verò qui eum ſentire talia „ non credunt, præſertim quia in Oriente ubi degit, geſta Eccleſia-„ ſtica facta eſſe jactantur, quibus putatur eſſe purgatus.

Porrò illud notandum eſt in more poſitum fuiſſe non tantùm ut particularium Synodorum acta, quibus hæreticos damnabant, identidem mitterentur ad alios Epiſcopos ut ea probarent: ſed ut œcumenicorum etiam Conciliorum confirmatio & approbatio ab abſentibus exigeretur.

Leo ſecundus acta Synodi ſextæ Conſtantinopoli coactæ miſit ad Epiſcopos Hiſpanos ut ea probarent & confirmarent: id quod in „ actis Concilii Toletani 14. cap. 2. memoratur his verbis: In Leo-„ nis antiquæ Romæ Epiſcopi epiſtolâ ad hoc omnes præſules Hi-„ ſpaniæ invitati ſunt, ut prædicta Synodalia inſtituta, quæ miſerat, „ noſtri etiam vigoris manerent auctoritate ſuffulta. Nunquid hîc colligitur Leonem ſecundum Epiſcopum Romanum aut Concilium Conſtantinopolitanum fuiſſe Hiſpanis Epiſcopis ſubjectum, quòd rogati ſunt ut acta eorum confirmarent?

Ineptè autem quærit Bellarm. cur non ſcripſerit Auguſtinus hac de re Patriarchæ Hieroſolymitano, vel Metropolitano Palæſtinæ, & Primati Africæ Carthaginenſi Epiſcopo potiùs quàm Romano Pontifici? Cur enim ſcriberet ad Carthaginenſem Epiſcopum qui jam unà cum aliis Epiſcopis in Synodo Pelagium damnaverit, ut patet ex eadem epiſtolâ in fine? Et unde conſtat Auguſtinum non ſcripſiſſe ad Patriarcham Hieroſolymitanum aut Metropolitanum Palæſtinæ? Et quis tenetur rationem reddere cur ad illum magis ſcripſerit quam ad iſtos, cùm id ei liberum fuerit? Quanquam nemo neſcit majorem conſuetudinem fuiſſe Africanis Epiſcopis cum Romano quàm cum Hieroſolymitano aut Palæſtinis. Extat etiam epiſtola Auguſtini numero 94. hac eadem de re ad Hilarium Epi-

„ ſcopum (quem Dominum beatiſſimum appellat) & ait ſe apud ejus venerabilitatem tacere non debuiſſe, ut ejuſmodi homines curâ paſtorali caveat. Ita patet non ſolùm ad Innocentium ſcripſiſſe Auguſtinum & paſtorali curâ hæreticis ſe opponeret.

Poſtremò citat hæc Auguſtini verba ex epiſt. 157. ad Optatum „ me apud Cæſaream præſente venerunt, quo nos injuncta nobis à „ venerabili Papâ Zozimo Apoſtolicæ ſedis Epiſcopo Eccleſiaſtica „ neceſſitas traxerat. Hinc Bellarminus, nimirum (inquit) juſſerat „ Zozimus ut Africæ Epiſcopi apud Cæſaream Concilium celebra„ rent, & ſanctus Auguſtinus parendum eſſe, & neceſſario paren„ dum Zozimo Papæ exiſtimavit.

Reſpondeo, ex his verbis colligi non poteſt imperium Zozimi in alios Epiſcopos. Dicit Auguſtinus neceſſitatem Eccleſiaſticam, id eſt, negotia quædam Eccleſiaſtica neceſſariò peragenda, non Zozimi imperium traxiſſe Epiſcopos Cæſaream ad Synodum celebrandam. At objicitur hanc neceſſitatem injunctam eſſe à Zozimo: atque ita tota vis argumenti Bellarmini eſt in voce *Injuncta*, quod idem valere ei videtur, ac ſi dixiſſet *Imperata*. Sed fallitur: nam nimis impropriè neceſſitas Eccleſiaſtica diceretur imperata à Zozimo: neque verò injungere continuò ſignificat imperare aut imponere pro imperio: propriè enim injungere eſt intus vel ſuprà jungere. Sic in jungere detrimentum Reipub. eſt ſuprà ponere aut addere. Ita Bru„ tus ad Ciceronem lib. 11. famil. epiſtolarum. Nequid detrimenti Reipub. injungam, ſumma à nobis dabitur opera. Sic Eccleſiaſtica neceſſitas dicitur injuncta à Zozimo, quia ille conſiderans etiam neceſſitatem Eccleſiæ, ſuam invitationem adjunxerat. Utcunque eſt, de iſto vocabulo non admodum laborandum eſt, cùm æquales etiam ab æqualibus ſibi onus aliquod injungi aut imponi non ægrè ferant. „ Auguſtinus in epiſt. 168. In aliis (inquit) civitatibus tantum agi„ mus quantum vel nos permittunt vel nobis imponunt earum civi„ tatem Epiſcopi fratres conſacerdotes noſtri.

Ecce ait fratres & conſacerdotes imponere ſibi: & quantulum hoc diſtat ab injungendo? Porrò cùm magna pars Africæ contineretur ſub Patriarchatu Romani Epiſcopi, non negamus ei tum temporis præcipuam inter Epiſcopos fuiſſe auctoritatem convocandi Synodum intra ſuos fines. Sed quod imperium aliquod in ſe Zozimi aut alicujus Epiſcopi Romani Patres Africani non agnoverint, facile patet ex eo quòd tantopere reſtiterint Zozimo ejuſque ſucceſ-

ſoribus

ſoribus Bonifacio & Cœleſtino contendentibus undique jus eſſe appellandi ad Romanam ſedem, & in hunc finem commentitium Concilii Nicæni Canonem Synodo Carthaginenſi ſextæ obtrudentibus, ut oſtendimus cap. 25.

Sexto citat Proſperum, qui in libro (inquit) contra Collatorem, non aliter probat Pelagianos verè eſſe hæreticos, quàm quia damnati erant à Romanis Epiſcopis Zozimo, Bonifacio, & Cœleſtino. Reſp. Ineptè ab auctoritate arguit Bellarm. negativè, & falſum ſumit. Nam Proſper totoillo libro multis argumentis ex ſacrâ Scripturâ petitis probat Pelagianos eſſe hæreticos, & Auguſtini opera citat, ac Patrum Palæſtinorum & Africanorum Conciliorum diſertè meminit: & adjungit auctoritatem Romanæ Eccleſiæ & Epiſcoporum: quoniam Romæ ſe maximè inſinuare ab Africanis damnatus ſatagebat Pelagius. *Proſper non eſt patronus Pōtificiis Romani.*

Addit alia teſtimonia ex Proſpero ad probandam Papæ Monarchiam lib. 2. de Pont. cap. 16. ut quod ſcribit libro de ingratis. Se-„ des Roma Petri, quæ paſtoralis honoris, facta caput mundi, „ quicquid non poſſidet armis, Religione tenet. Et lib. 2. de voca-„ tione gentium cap. 6. Roma per ſacerdotii principatum amplior facta eſt arce Religionis quàm ſolio poteſtatis. Reſp. Hîc nomine *Capitis & Arcis* non denotat Monarchiam aliquam in Eccleſiam, ſed dignitatem ratione ordinis: imò arcem Religionis aperte diſtinguit à ſolio poteſtatis. Et vocem *Caput* ſæpiſſimè uſurpari ad ſignificandum primatum non poteſtatis abſolutæ, ſed ordinis aliàs oſtendimus cap. 20. Quanquam etiam hæc dignitas *Capitis & Arcis* urbi Romæ non Romano Pontifici hic à Proſpero & à Vincentio in verbis à Bellarmino citatis tribuitur. Neque verò cum Roma dicitur Caput, Pontificii ferent hunc ſenſum, quaſi aut Romana urbs aut Eccleſia imperium obtineret in Eccleſiam, quod uni Pontifici concedunt.

Septimò citat Vincentium Lyrinenſem in Commonitorio. Hic „ (inquit) forſitan requirat aliquis, cùm ſit perfectus Scripturarum „ Canon, ſibiq; ad omnia ſatis ſuperque ſufficiet, quid opus eſt ut ei „ Eccleſiaſticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet „ Scripturam ſacram, pro ipſa ſui altitudine non uno eodemque ſen-„ ſu omnes accipiunt, ſed eadem eloquia aliter atque aliter aliùs at-„ que alius interpretatur, ut penè quot homines ſunt, tot illic ſen-„ tentiæ erui poſſe videantur: aliter namque illam Novatianus, ali-„ ter Sabellius, aliter Donatus exponunt &c. Atque idcirco mul- *Neque etiam Vincentius Lyrinenſis.*

„ tum

„ tum neceſſe eſt propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Pro-
„ pheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundum Eccleſia-
„ ſtici & Catholici ſenſus normam dirigatur, &c. Normam autem ſenſus Catholici (inquit Bellarm.) ibidem apertè oſtendit eſſe Conciliorum decreta, conſenſionem Patrum & ſimilia.

Reſpondeo, hæc verba potiùs adverſantur Pontificiis quàm nobis, nam illi negant Scripturarum Canonem eſſe perfectum, nos fatemur cum Vincentio, etſi canon Scripturarum, ſit perfectus, tamen quia hæretici variè torquent Scripturam, & non omnibus eſt obvius ejus ſenſus, ideo opus eſſe Eccleſiæ expoſitione, & Conciliorum decreta ac conſenſum Patrum ad hoc plurimùm valere. Sed nihil hîc Vincentius de infallibilitate externi judicis: & de autocratoricâ poteſtate Romanæ Eccleſiæ aut Pontificis ne γρ̀ quidem, cùm tamen ſi ullam talem poteſtatem hic agnoviſſet, omninò eam præterire non potuiſſet. Quæſtionem enim hanc tractat quâ viâ Catholica veritas poſſit ab hæreticæ pravitatis falſitate diſcerni. Reſpondet duplici modo fidem muniendam eſſe; primò divinæ Legis, id eſt, Scripturæ auctoritate, tum deinde Eccleſiæ Catholicæ traditione, id eſt, expoſitione traditâ. Nam *Traditionis* nomine non intelligit Vincentius doctrinæ ulla capita alia quàm quæ in Scripturâ extant, ſed eorundem capitum in Eccleſiâ continuam explicationem & prædicationem. Id quod manifeſtum eſt ex objectione quam occupat in
„ verbis proximis. Hic (inquit) forſitan requirat aliquis, cùm ſit
„ perfectus Scripturarum Canon, ſibique ad omnia ſatis ſuperque
„ ſufficiat quid opus eſt ut Eccleſiaſticæ intelligentiæ jungatur auctoritas, &c. Poſtquam autem Vincentius indicavit geminam eſſe rationem quâ quis poſſet ſanam doctrinam agnoſcere, & ab hæreticâ pravitate dignoſcere, nempe ſacræ Scripturæ auctoritatem & Eccleſiæ traditionem ſeu intelligentiam; omiſſâ priore, de quâ nullum eſt dubium, totus in eo eſt ut oſtendat quoque neceſſariam eſſe Eccleſiæ interpretationem, quæ nequaquam derogat perfectioni & ſufficientiæ Scripturæ: & cum hæretici abutantur etiam nomine Eccleſiæ & eo prætextu pravas interpretationes obtrudant, communia quædam indicia oſtendit quibus veræ Eccleſiæ ſenſus ab adulterino dignoſcatur. Poſt verba enim citata hæc ſubjungit: In ipſâ
„ item Catholicâ Eccleſiâ curandum eſt ut id teneamus quod ubiq;,
„ quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt &c. Hoc ita demũ fit
„ ſi ſequamur univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem, &c. Quid igitur

Digitized by Google

„ igitur faciet Chriſtianus Catholicus, ſi ſe aliqua Eccleſiæ particu-
„ la ab univerſalis fidei communione præciderit? Quid itaque niſi
„ ut peſtifero corruptoque membro ſanitatem univerſi corporis an-
„ teponat? Quid ſi novella aliqua contagio non jam portiunculam
„ tantùm, ſed totam pariter Eccleſiam contaminare conetur? Tunc
„ item providebit, ut antiquitati inhæreat, quæ prorſus jam non po-
„ teſt ab ullâ novitatis fraude ſeduci. Quid ſi in ipsâ vetuſtate duo-
„ rum aut trium hominum, vel certæ Civitatis unius, aut etiam Pro-
„ vinciæ alicujus deprehendatur, tunc omninò curabit, ut paucorum
„ temeritati aut inſcitiæ, ſi qua ſunt univerſaliter antiquitus univer-
„ ſalis Concilii decreta præponat. Quid ſi tale aliquid emergat ubi
„ nihil ejuſmodi reperiatur? Tunc operam dabit, ut collatas inter
„ ſe majorum conſulat ſententias, eorùm duntaxat, qui diverſis licet
„ temporibus & locis, in unius tamen Eccleſiæ Catholicæ commu-
„ nione & fide permanentes, Magiſtri probabiles extiterunt; &
„ quicquid non unus aut duo tantùm, ſed omnes pariter uno eodem-
„ que conſenſu apertè, frequenter, perſeveranter tenuiſſe, ſcripſiſſe,
„ docuiſſe cognoverint, id ſibi quoque intelligat abſq; ullâ dubitatio-
ne credendum. Hactenus Vincentius. Certè ſeclusâ meditatione & collatione locorum Scripturæ (quæ prima & præcipua Vincentio eſt via fidem inveniendi adverſus hæreſes) non alia videtur ratio commodior, præſertim ejus temporibus, qui floruit circa annum Dom. 450. Nam iſtis indiciis & argumentis, hæreſes omnes tum natas a doctioribus in promptu erat arguere, cùm aut univerſitatem, aut antiquitatem doctrinæ aut conſenſionem orthodoxorum inter ſe & cum Apoſtolicâ ætate non adeo difficile eſſet obſervare: & iiſdem rationibus ſuperſtitionem Pontificiam convinci poſſe nullus dubito. Sed tamen in hoc ipſo tot conditiones & cautiones à Vincentio proponuntur, ut non cuivis ſit proclive fidem ſuam hoc modo firmare, præſertim in ſæculis tam longè à primitivâ Eccleſiâ diſſitis, cùm hanc unam nemo poſſit inſiſtere niſi qui in omnium ſæculorum hiſtoriâ & Patrum ſcriptis fuerit verſatiſſimus: ut omittam non omnia quæ docuerunt Patres ſcripſiſſe, & multa eorum ſcripta ac veterum monumenta intercidiſſe aut depravata eſſe, ac multa etiam ſuppoſititia pro genuinis obtruſa eſſe. Quid quod & ipſe Vincentius negat hanc rationem ſemper valere. ſubjungit enim; Sed neque ſem-
„ per, neque omnes hæreſes hoc modo impugnandæ ſunt, ſed novi-
„ tiæ recenteſque tantummodò, cùm primùm ſcilicet exoriuntur,

Oo „ ante-

„ antequam infalsârint vetuſtæ fidei regulas: ipſius temporis vetentur anguſtiis, ac priuſquam manante latiùs veneno majorum volumina vitiare conentur: cæterum dilatatæ & inveteratæ hæreſes „ nequaquam hac viâ aggrediendæ ſunt, eo quod prolixo temporum „ tractu longa his fucandæ veritatis patuerit occaſio (hæc hodie „ Pontificiis meritò accommodari poſſunt) atque ideo quaſcunque „ illas antiquiores vel Schiſmatum vel hæreſeωn profanitates, nullo „ modo nos oportet, niſi aut ſola, ſi opus eſt, Scripturarum auctoritate convincere, aut certè jam antiquitùs univerſalibus Catholicorum Conciliis convictas damnataſque vitare. Hinc videre eſt ex Vincentii ſententia in omnibus controverſiis fidei recurrendum eſſe ad Sacram Scripturam: nam hanc dixit eſſe primam rationem fidem confirmandi: & auctoritatem Eccleſiæ interpretantis Scripturam ſecundam & ſecundariam agnoſcit: adverſus autem hæreſes inveteratas nullam aliam eſſe rationem exiſtimat præter Scripturæ auctoritatem, niſi forte etiam antiquitus ab univerſalibus Conciliis damnatæ fuerint. Sic Chryſoſtomus in opere imperfecto homil. 49. „ Sciens ergo Dominus tantam confuſionem in noviſſimis diebus „ eſſe futuram, ideo mandat ut Chriſtiani volentes firmitatem accipere fidei veræ, ad nullam rem fugiant niſi Scripturas. Multa alia ibidem habentur in eandem ſententiam.

Chryſoſtomus.

Gregorius non favet tyrannidi Pontificiæ.

Octavò citat Gregorium lib. 5. epiſt. 25. Scimus (inquit) piiſſimos Dominos diſciplinam eligere, ordinem ſervare, Canones venerari, & ſe Sacerdotalibus negotiis non miſcere. Reſpondeo. Hæc verba nihil ad inſtitutum faciunt: tantùm notant diſtincta eſſe Epiſcoporum & Principum, ut aiunt) ſæcularium munera, ex iis autem totis & aliis in eadem epiſtolâ & alibi paſſim, patet quantâ reverentiâ, etiam tum Epiſcopus Romanus Imperatores proſequutus fuerit.

Anſelmi & Bernardi ſæcula fuerunt corrupta.

Poſtremò citat Anſelmum & Bernardum, quorum ille floruit anno 1100. hic 1130. qui etſi inſtitutum Bellarmini de externo infallibili judice nuſquam probant, cùm tamen poſt confirmatam Romani Pontificis tyrannidem ſcripſerint, non mirum eſt, ſi viri alioqui boni, ex more & errore ſui temporis plus æquo ipſi tribuerint. Quanquam etiam Bernardus ſatis diſertè in lib. de Conſideratione ad ipſum Papam Eugenium arrogantiam & dominatum Epiſcoporum Romanorum perſtringit ut in lib. 2. Factum de ſuperiore (inquit) diſſimulare nequimus, ſed non ad dominandum, &c. Impoſitum

,, ſitum ſenſerimus miniſterium non dominium datum. Et paulò ,, pòſt. Apoſtolis interdicitur dominatus, ergo tu & tibi uſurpare ,, audes aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum: ,, planè ab alterutro prohiberis; ſi utrumque ſimiliter habere voles, ,, perdes utrumque. Et multa alia addit in eandem ſententiam.

CAP. XXIX.

Reſpondetur ad teſtimonia Patrum quibus probant Pontificii Eccleſiam aut Concilium non poſſe errare.

His adjungemus teſtimonia Patrum quibus inſtituit Bellarm. probare Eccleſiam aut Concilia à Papâ approbata non poſſe errare, cùm hæ ſint affines quæſtiones noſtro inſtituto.

Tertullianus non tuetur Eccleſiæ inerrabilitatē.

In lib. 3. de Eccleſiâ cap. 14. citat primò hæc verba Tertulliani ,, lib. de Præſcriptione. Age, omnes Eccleſiæ erraverint, nullam ,, reſpexerit Spirt. Sanctus. Ex hac judiciariâ (ut loquuntur) con- ,, ceſſione colligitur abſurdum viſum eſſe Tertulliano Eccleſias omnes erráſſe. Reſpondeo. Et idem quidem nobis abſurdum videtur, qui non modò primitivæ Eccleſiæ puritatem agnoſcimus, ſed etiam perſuaſum habemus Deum ſemper in Eccleſiâ veritatem ſalutarem conſervâſſe, licet ſæpenumerò preſſam, afflictam, & humanâ auctoritate deſtitutam. Agit autem illic Tertullianus contra abſurdiſſimos hæreticos qui nullam fidei regulam admiſerunt præterquam cerebri ſui figmentum, nec Apoſtolicæ Eccleſiæ, aut Apoſtolorum ipſorum auctoritatem morabantur, ut nos fuſiùs oſtendimus præcedente capite: ad teſtimonium Tertulliani, & Tertullianum ibidem de Apoſtolicis quoque Eccleſiis & ipſis Apoſtolis loqui manifeſtiſ- ,, ſimum eſt. Nam paulò ante verba citata inquit: Sed & illas re- ,, cognoſcant Eccleſias de quarum fide & ſcientiâ & converſatione ,, Apoſtolus gaudet, & Deo gratias agit. Tum ſubjungit illa verba ,, quæ de induſtriâ imperfectè citat Bellarm. Age nunc omnes er- ,, raverint Eccleſiæ, deceptus ſit & Apoſtolus de teſtimonio red- ,, dendo quibuſdam, nullam reſpexerit Sp. Sanctus, &c.

Neque Auguſtinus.

Deinde citat Auguſtinum lib. 1. contra Creſconium cap. 330. ,, Quanquam (inquit) hujus rei certe de Canonicis Scripturis non ,, proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum, etiam in ,, hac re à nobis tenetur veritas, cum id facimus quod univerſæ, jam

Digitized by Google

„ placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat aucto-„ ritas, ut quoniam Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli me-„ tuit, hujus obſcuritate quæſtionis Eccleſiam de illâ conſulat, quam „ ſine ullâ ambiguitate, ſancta Scriptura demonſtrat.

Reſp. Poſteriorem hujus teſtimonii partem antè citavit Bellarm. lib. 3 de Verbo Dei cap. 8. & nos ſuprà reſpondimus: nihil autem aliud hoc loco innuitur, quàm in ejuſmodi rebus, de quibus ex Scripturis non profertur certum exemplum, perpetuam praxin Eccleſiæ, Eccleſiæ inquam veræ quam Sacra Scriptura demonſtrat, exiſtimandam eſſe conſentaneam Scripturæ, agit enim de quæſtione, *An iterum baptizandi ſint qui ab hæreticis fuere baptizati*; quod quidam factitârunt contra univerſæ antiquæ Eccleſiæ praxin. Etſi verò alias iterationem Baptiſmi ex teſtimoniis Scripturæ reprobavit; tamen poſito id non poſſe demonſtrari certo exemplo ex Sacris Scripturis, dicit etiam eatenus id ipſum oſtendi ex Sacris Scripturis, quatenus oſtenditur ex praxi univerſæ Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat auctoritas. Proinde non militat hic locus pro Adverſariis adverſus nos, ſed potiùs contrà. 1. Quia non loquitur Auguſtinus de quibuſlibet controverſiis abſolutè, ſed de ejuſmodi actionibus ex hypotheſi, quarum ex Scripturis non profertur certum exemplum, ſeu de ejuſmodi quæſtionibus de quibus ſupponitur in Scripturâ nihil certi traditum eſſe. 2. Loquitur de Eccleſiâ non unius loci aut temporis, ſed de univerſâ Eccleſiâ, cujus perpetuam praxin in ejus generis quæſtionibus vult prævalere. 3. Apertè ſummam tribuit auctoritatem Scripturæ in controverſiis judicandis: etenim primum vult nos pondere à teſtimoniis Scripturæ, & ſi certa teſtimonia Scripturæ non extant, in ejuſmodi rebus praxin univerſæ Eccleſiæ recipiendam eſſe, quæ ſine ullâ ambiguitate à Scripturâ demonſtratur; & ideo quia à Scripturâ demonſtratur. Et proinde in iſtiuſmodi etiam controverſiis, fidem noſtram reſolvit in teſtimonium Scripturæ, multò magis in aliis quæ ad ſubſtantiam Religionis ſpectant, ut alias oſtendimus. Denique nos univerſæ Eccleſiæ conſenſum nuſquam rejicimus.

„ Item citat Auguſtinum epiſt. 18. ubi ait, Inſolentiſſimæ inſaniæ „ eſſe diſputare contra id quod univerſa Eccleſia ſentit. Eodem modo reſponderi poteſt ad hunc locum quoad priorem. Etenim Au-„ guſtinus non ait, de eo quod univerſa Eccleſia ſentit, ſed de eo „ quod univerſa Eccleſia facit diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſſe.

Et

Digitized by Google

Et loquitur non de dogmatis fidei ſed de externis ritibus, qui ab universâ Eccleſiâ per totum orbem obſervantur, de quibus in Sacrâ Scripturâ non extat mandatum. Nec deſunt Pontificii qui hanc ipſam ſententiam Auguſtini in dubium vocant, ut oſtendimus lib. 2. cap. 7.

Multa alia teſtimonia Patrum citat Bellarminus lib. 2. de Conciliis cap. 3. ut probet Concilia non poſſe errare, ſed cum in nullo eorum idipſum aſſeratur, & ex eorum dictis id per conſequentiam tantùm deducat Bellar. ideoque ea opportunius conſiderabimus in capite ſequenti, ubi argumenta à ratione dicta expendemus.

CAP. XXX.

Quo expendetur argumenta adverſariorum à ratione ſumpta.

EXTREMO loco examinanda ſunt argumenta Adverſariorum à ratione ſumpta, eaque quadruplicia. 1. quibus aſtruere volunt, externorum in Eccleſiâ judicem infallibilem. 2. quibus probant Papam non poſſe errare. 3. quibus probant Eccleſiam non poſſe errare. 4. quibus oſtendunt Concilia generalia non poſſe errare, eôdem enim universa collimant.

Argumentum Bellarmini pro inerrabilitate Pontificis Romani.

Quod ad primum attinet ſic arguit Bellar. lib. 3. de Verbo Dei cap. 9. Non ignorabat Deus multas in Eccleſiâ exorituras difficul-„ tates circa fidem: debuit igitur judicem aliquem Eccleſiæ pro-„ videre: at iſte judex non poteſt eſſe Scriptura, neque ſpiritus re-„ velans privatus, neque princeps ſæcularis: igitur Princeps Ec-„ cleſiaſticus vel ſolus, vel certè cum Concilio & conſenſu coepi-„ ſcoporum.

Argumenti retorſio.

Sic ſatis confuſè in hac ratione judicis tantū mentionem facit, cùm controverſia hîc ſit, non de quocunque judice ſed de judice abſoluto & infallibili. Facile eſt autem nobis retorquere argumentum adhunc modum. Si detur in Eccleſiâ infallibilis judex, aut eſt Scriptura, aut ſpiritus revelans privatus aut Princeps ſæcularis, aut Papa ſolus, aut Concilium ſolum, aut Papa cum Concilio: At nihil horum dici poteſt. Ergo &c. Major eſt Bellarmini. Minor probatur, & communi auctoritate Pontificiorum, & ſententiis factionum diſſidentium quæ tolerantur in Eccleſiâ Romanâ. Nam in hoc conve-

Digitized by Google

niunt Sacræ Scripturæ, privato ſpiritui & principibus ſæcularibus judicium illud non competere: alii autem in iſta Eccleſia, ut ſuprà oſtendimus, negant ſolum Papam, alii Concilium ſolum eſſe illum judicem: quorum etiam neutri alteris cedent, aut Papam cum Concilio judicem admittent, ſi controverſia (ut fit) intercedat inter Papam & Concilium: hi enim Concilio, illi Papæ adhærerent.

Enumeratio non eſt plena. Sed quod ad argumentum Bellarmini attinet, ut confuſè de judice loquitur, ita etiam imperfectam enumerationem adhibet. Nam non meminit Dei in Scripturâ loquentis, quem ſolum propriè judicem ſummum abſolutum & infallibilem agnoſcimus: Scripturam autem appellamus judicem metonymicè, cùm ſit vox ſummi judicis & norma omnis judicii Eccleſiaſtici. Nec meminit miniſtrorum Eccleſiæ aut Synodi eorum (quos miniſteriales judices dicimus) niſi quatenus conjunguntur cum principe Eccleſiaſtico, qualem nullum admittimus.

Magiſtratus partes in controverſiis Eccleſiæ. Argumentis quibus probat Scripturam non eſſe judicem ſuprà occurrimus cap. 12. Non eſt autem quod reſpondeamus ad iſta argumenta quibus probat Spiritum revelantem non eſſe judicem, cùm nulla ſit nobis eâ de re controverſia: judicium quidem diſcretionis privatis hominibus attribuimus, non autem judicium poteſtatis aut juriſdiſtionis, unde judex denominari ſolet.

Quod autem ad principes ſæculares attinet, non exiſtimamus, cùm occurrit aliqua controverſia de Religione, ut dirimatur, ad eorum tribunal confugiendum eſſe; ſed ad Deum in verbo ſuo loquentem, & ad ſacros miniſtros eorumque Concilia, quos voluntatis ſuæ in Scripturâ revelatæ interpretes ac judices conſtituit Deus; ut ex Scripturâ, & juxta ejus normam reſpondeant. At Principum ſæcularium (quos cuſtodes utriuſque tabulæ eſſe oportet) maximè omnium intereſſe dicimus veram Religionem ex verbo Dei & miniſterio Eccleſiæ dignoſcere, uſum ejus inter ſubditos legibus ſtabilire, omnes ad officium piè præſtandum cogere, delinquentes ut adverſarios religionis coërcere & plectere, ſive Laici fuerunt ſive Eccle-

Deut. 17. 18. ſiaſtici Deut. 17. 18. jubetur rex deſcribere ſibi exemplum legis, peneſque ſe retinere, & legere in eo omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Jehovam Deum ſuum. Et in Sacrâ Hiſtoriâ paſſim laudantur illi reges & judices qui verum Dei cultum obſervarunt, obſervandumque ſanciverunt, falſum cultum abrogârunt, veramque

Digitized by Google

que Religionem vel invitis Sacerdotibus reſtituerunt, ut Gedeon, Jehu, Joſiah Jud. 6. 27. 2. Reg. 10. 30. & 23. 5. 2. Paralip. c. 34. v. 4. &c.

Iud. 6. 26. 2 Reg. 10. 30. & 23. 5. 2 Paral. 34. 4.

„ Auguſtinus lib. 3. contra Creſconium cap. 51. In hoc (inquit) „ reges, ſicut eis divinitus præcipitur, Deo ſerviunt in quantum re- „ ges ſunt, ſi in ſuo regno bono jubeant, mala prohibeant, non „ ſolùm quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam quæ „ ad Divinam Religionem.

Contra hanc poteſtatem aut officium principis nihil valet Bellar- „ mini argumentatio. Nihil (inquit) poteſt ultra virtutem à cauſis „ ſuis acceptam: ut cauſæ principatus ſecularis humanæ & natura- „ les ſunt; nam efficiens eſt electio populi, finis eſt pax & tran- „ quillitas temporalis Reipub. igitur non habet virtutem neque au- „ ctoritatem Princeps ut tales niſi humanam qualem populus dare „ potuit, ut qualis requiritur ad conſervandam temporalem pacem. Reſp. Cauſa principatus politici non tantùm humana ſed etiam divina eſt, & Deus quidem eſt Princeps cauſa Rom. 13. *Non eſt poteſtas niſi à Deo, & quæ ſunt poteſtates ſunt à Deo ordinatæ, & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.*

Occurrit Bellar. regiam poteſtatem eſſe à Deo mediatè, quia Deus inſtinctum illum naturalem poſuit in hominibus ut ſibi crearent regem: ut principatum Eccleſiaſticum eſſe immediatè à Deo, Pontificem omni non ab Eccleſiâ auctoritatem habere, ſed à Chriſto qui dixit ei *Paſce oves meas* Joan. ult. *Et tibi dabo claves regni cœlorum.*

Reſp. Hæc diſtinctio & falſa & inepta eſt; inepta, quia nihil intereſt ad virtutem cauſandi, ſive Deus mediatè ſive immediatè agat, eandem enim virtutem communicare poteſt & ſine mediis & per media. Et quod Bellar. ait Deum hominibus inſtinctum naturalem indidiſſe ut ſibi crearent Principem, nihil poteſt illuſtrius dici ad confirmandam hanc eſſe ordinationem divinam: At neque ex naturali inſtinctu vel præcepto Divino unquam probabit Bellarminus Romanam Hierarchiam, Papæ, Cardinalium, & cæterorum. Item falſa eſt diſtinctio, quia politica poteſtas Moyſis, Davidis, Gedeonis, Sampſonis, & aliorum variorum Principum ac judicum non minus immediatè fuit à Deo quàm Eccleſiaſtica Aaronis & Apoſtolorum, & Deus qui eſt Deus ordinis, & non confuſionis, non minus immediatè à principio mundi conſtituit ordinem politicum quàm Eccleſiaſticum.

Deinde

Deinde nec politici Regiminis finis eſt tantùm pax & temporalis tranquillitas Reipub. ſed etiam Dei gloria & ſalus populi tam animarum quàm corporum. Etenim quos Deus conſtituit vicarios ſuos in terris, æquum eſt ut Dei gloriam & regnum promoveant, & *Rom.*13,3. Princeps eſt Dei miniſter in bonum, ut ait Apoſtolis Rom. 13. 3. Bonum dicit in genere, ac proinde non excluditur præcipuum bonum, id eſt, ſpirituale bonum ſine quo nihil nobis verò bonum eſt.

„ Inſtat Bellar. Quod ſine Eccleſiâ ſunt veri Reges & Principes „ temporales, id ſine illis poteſt eſſe vera Eccleſia, ut fuit in urbe „ Romanâ trecentis annis. At extra Eccleſiam non invenitur ve- „ rus Pontifex, nec veri Sacerdotes, neque ſine his eſſe poteſt „ Eccleſia. Igitur cùm res fidei definire, & Scripturas Divinas in- „ terpretari ſit actus ſpiritualis & Eccleſiaſticus, rectè non ad Prin- „ cipem temporalem ſed ad ſpiritualem & Eccleſiaſticum pertinet.

Reſp. 1. ad conſequens; non noſtra eſt ſententia, regii eſſe muneris pro auctoritate aut Scripturas interpretari, aut controverſias de fide determinare; ſed in docendo, diſquirendo, aut definiendo quod Orthodoxum & quod hæreticum ſit Theologos dicimus ordinariè ac ratione vocationis ſuæ debere Principibus præire. In jubendo autem & ſanciendo veram fidem, & cogendo ſubditos ad obedientiam, regiam auctoritatem debere accedere. Non ita tamen ut cæco obſequio ſtatuere aut exequi debeant quicquid viſum ſit Theologis aut majori eorum parti, ſed ita ut de veritate ex verbo Dei omnibus legitimis mediis adhibitis perſuaſus Magiſtratus eam auctoritate ſuâ confirmet ac ſtabiliat quicunque contradixerint.

Deinde reſpondeo ad antecedens: ſine Eccleſiâ quidam poſſint eſſe veri Principes, ſed non verè boni Principes, qui officium rectè aut nôſſe aut exequi queant: & Eccleſia poteſt eſſe ſine Chriſtianis Principibus ſed non benè ac commodè. At verò benè poteſt eſſe Eccleſia, imò verò multò meliùs ſe haberet ſine Pontifice Romano & Pontificiis Sacerdotibus. Nos etiam concedimus ad eſſe Eccleſiæ magis neceſſarios eſſe Chriſti miniſtros quàm Chriſtianos Magiſtratus, quanquã ſocietas humana conſiſtere nequeat ſine Magiſtratibus nec ſine Religione, cujus curam nec ethnici nec hæretici Magiſtratus à ſe alienum putabant. Unde Auguſtinus lib. 3. contra „ Creſconium cap. 51. inquit, Reges cùm in errore ſunt, pro ipſo er- „ rore leges contra veritatem (ſcilicet Religionis) ferunt, cùm in ve- „ ritate ſunt ſimpliciter contra errorem pro ipſa veritate decernunt.

Idem

Idem itaque munus eſt Principum fidelium & infidelium ſeu hæreticorum: ſed hoc intereſt, quod illi Divinâ luce illuſtrati benè uti poſſunt ſuo jure & munere: hi verò, cùm ſint obcæcati, non item.

Inſtat Bellar. Nazianzenum in oratione ad cives timore percullſos, Chryſoſtomum in hom. 4. in verba Iſaiæ, & Ambroſium in lib. de dignitate Sacerd. dicere Epiſcopum tantò majorem eſſe rege, quantò ſpiritum carne, cœlum terrâ, aurum plumbo.

Nazianzenus.

Reſpondeo. Nazianzenus loco citato non loquitur de Imperio ſummo ſeu regio, ſed de Imperio præfecti ſub Imperatore. Utcunque eſt: in regio munere duplex diſtinguenda eſt poteſtas, nempe poteſtas architectonica communis quæ occupatur in procurando & tuendo bonum Reipub. in genere, adeoque ſe extendit tum ad bonum ſpirituale tum temporale, & poteſtatem merè civilem ac ſpecialem, quæ regimen hujus vitæ tantum ſpectat.

Poteſtas architectonica latior eſt civili.

Duplex etiam eſt Eccleſiaſtica poteſtas: interna, quæ verſatur in miniſterio docendi verbum Dei, adminiſtrandi Sacramenta, ligandi & ſolvendi: & externa quæ ad externum Eccleſiæ regimen & ſepimentum Religionis ſpectat. Internam dicimus convenire ſolis miniſtris Eccleſiæ, utpote legatis Chriſti, cujus ratione civilem auctoritatem ſuperant. Sed ratione externæ poteſtatis & architectonicæ Reges eis longè præcellunt. Huc ſpectat dictum illud Conſtantini Magni ad Epiſcopos, Vos eſtis Epiſcopi in Eccleſiâ, ego extra Eccleſiam ſeu Templum Epiſcopus ſum à Deo conſtitutus. Euſebius de vitâ Conſtantini lib. 4. cap. 24.

Eccleſiaſtica poteſtas interna eſt ſolorum miniſtrorum externa architectonica etiam magiſtratuum.

„ Rurſum inſtat Bellar. Si Princeps habeat poteſtatem præcipien-„ di Religionem ſubditis, tum illi judicium ejus ſequi ſemper tenen-„ tur in negotio Religionis: At poſterius eſt abſurdum: E. & prius. Atque hìc inſectatur Brentium quod contraria doceat, aſ-„ ſerens Principes debere cogere ſubditos etiam mortis ſupplicio „ ad illam Religionem, quam ipſi judicaverint veram, & tamen „ ſubditos obligari ad ſequendum proprium judicium, non alienum cujuſcunque ſit. Reſpondeo: Bellarminus verba Brentii detorquet: ſed quod ad argumentum & rem ipſam attinet, tenendum eſt Principem quidem habere poteſtatem præcipiendi Religionem ſubditis, ſed non debere abuti ſuâ poteſtate: & præſcribere falſam Religionem: atque ut mandatum ejus ſit juſtum, oportet præcipiat, Religionem veram, & quam novit eſſe veram: qui autem præ-

cipit aut recipit Religionem aut falſam, licet putet eſſe veram, aut veram quam putat eſſe falſam, uterq; utrâque ratione peccat. Ita fieri poteſt, ut Religionem rectè præcipiat Princeps quam malè recipit ſubditus, & contrà: Fallacia eſt autem à dicto ſecundum quid, ad dictum ſecundum aliud, aut à dicto ſimpliciter ad dictum ſecundum quid.

Atque hæc obiter de poteſtate Magiſtratus circa Religionem, quâ de re accuratè agere eſt alterius loci.

Argumentum Tanneri.

Secundò Tannerus Jeſuita in Colloquio Ratisbonenſi Seſſione 9. ,, ſic arguit: Si in omni Repub. benè ordinatâ requiritur alius aliquis ,, judex præter ſcriptam Legem, tunc in Eccleſiâ utpote rectiſſimè ,, ordinatâ alius etiam judex præter Scripturam ſeu Legem ſcriptam ,, admitti & aſſignari debet: At verum prius: E. & poſterius. Con-,, nexionem ita probat, quia ideo requiritur alius judex viſibilis præter ſcriptam Legem in Repub. benè ordinatâ, primò, quia judex cognoſcere debet controverſias in Repub. ortas, atque adeo utriuſque partis argumenta inſpicere. 2. Quia debet ſenſum Legis explicando, ſententiam ferre. 3. Quia debet ſuâ auctoritate poſſe compellere tranſgreſſores ad jus & fas, ut ſententiæ ſuæ ac deciſioni ſtent, eadem autem eſt ratio in Eccleſia.

Alia ratio eſt judicis in Republica & in Eccleſiâ.

Reſpondeo. In promptu nobis eſt uti exceptione adverſus connexionem & ejus confirmationem, & oſtendere longè aliam eſſe rationem Legis & Judicis in Repub. & in Eccleſiâ, prout immane eſt diſcrimen inter Scripturam ſeu Legem Divinam & Leges humanas. Illa eſt perfecta, hæ imperfectione & multiplici defectu laborant. Deus ut pro ſuâ infinita Sapientiâ prævidit omnes controverſias de fide exorituras in Eccleſiâ, ita in Scripturâ potuit complecti, & revera complexus eſt earum omnium deciſionem; atque ut Princeps non minùs per reſcripta quàm vivâ voce poteſt lites decidere, quis Deum idem poſſe negaverit? non modò poſt ſed etiam ante controverſias natas, cui præcognita ſunt omnium adverſarum partium argumenta, qui Scripturam nobis dedit ſui ipſius Interpretem, & ſolus ſuâ auctoritate poteſt compellere tranſgreſſores ad jus & fas, ut ſuæ ſententiæ ac deciſioni ſtent: unus ille poteſt adverſariorum animos flectere ad ſaniorem ſententiam; aut eos αὐτοκατακρίτους ad futurum judicium remittere.

Concedimus in Eccleſiâ viſi-

Sed his omiſſis quæ cap. 12. à nobis fuſiùs explicata ſunt, dico totum argumentum ut ab Adverſario propoſitum eſt, poſſe concedi

cedi Peccat enim in ignoratione Elenchi: nos enim non negamus ut in Rep. ſic etiam in Eccleſiâ præter ſcriptam Legem, requiri viſibilem judicem, ſed ejuſmodi judicem qui reſtrictus ſit ad Legem, à quâ ſi aberraverit, perperam judicabit, quod non minus in Eccleſiâ, quàm in Repub. accidit. Et ſiquidem eadem eſt ratio in Repub. & Eccleſiâ (ut præ ſe fert argumentum) quis non videt hinc potiùs refelli quam confirmari adverſariorum ſententiam? Quod ſi in Repub. quæ humanis Legibus imperfectioni & errori etiam obnoxiis regitur, oportet Judicem Legibus ſe ſubjicere, & ſecundum eas lites decìdere, quantò magis in Eccleſiâ in qua ipſe Deus legiſlator eſt, judex à Deo delegatus Legi Divinæ puriſſimè adhærere debet. *bilem judicem reſtrictum ad Legem Dei.*

„ Inſtat Adverſarius: Si non detur in Eccleſiâ alius judex exter-
„ nus quàm miniſterialis qui poſſit falli, tum ſequitur quòd tota
„ Eccleſia vi talis miniſterii poſſit quandoque penitus ad interitum
„ redigi: At hoc eſt abſurdum: Ergo & illud. Nos negamus connexum. Etenim ut non neceſſe eſt penitus everti Rempub. in quâ ſunt bonæ Leges, licet Magiſtratus aliquando erret: Sic Eccleſiam ſuam Deus, cui Verbum ſuum omnibus humanis Legibus longè præſtantius, ut perpetuum Theſaurum tradidit, ejuſdem vi, licet nonnulli miniſtri errent, ab interitu conſervat. Ille autem ſic probat con-
„ nexum. Quando aliquis Magiſtratus habens publicam auctorita-
„ tem eſt fallibilis, & in quodam dubio definiendo errare poteſt, tum
„ etiam ſubditi in tali dubio, vi talis regiminis errare poſſunt, imò debent. Ergo ſi non detur in Eccleſia, &c.

Reſpondeo 1. negando antecedens, nec enim neceſſe eſt ut ſubditi errent aut errare debeant, errantibus Eccleſiæ Magiſtratibus (ut concedamus miniſtros Eccleſiæ appellari poſſe Magiſtratus) Sic docet Paulus Gal. 1.8. *Etiamſi ego vel Angelus è cœlo evangelizet vobis, præter id quod vobis evangelizavimus, Anathema eſto.* Sic Chryſoſtomus hom. 2. in 1 Tim. Ne Paulo quidem obedire oportet ſi-
„ quid dixerit proprium, ſi quid humanum. Ignatius ad Philadel-
„ phenſes. Si quis non recedat à præcone falſum annunciante ad
„ Gehennam condemnabitur. Auguſtinus in lib. de Paſtoribus
„ cap. 10. Terret (inquit) Dominus non ſolum cæcum ducentem,
„ ſed & cæcum ſequentem: neque enim ait, cadit in foveam ducens, *Mat.* 15.
„ & non cadit ſequens, ſed cæcus cæcum ducens, ambo in foveam 14.
„ cadunt. Et paulò pòſt. Securi, inquiunt, ſequimur Epiſcopos no-

Digitized by Google

„ ſtros: Dicunt hoc hæretici, quando veritate manifeſtiſſimâ con-
„ vincuntur: nonne oves ſumus? Illi de nobis reddent rationem, reddent planè malam de morte veſtrâ. Cyprianus epiſt. 68. Plebs
„ obſequens præceptis Dominicis, & Deum metuens à peccatore
„ præpoſito ſeparare ſe debet, quapropter ſemper laudata eſt earum
„ Eccleſiarum praxis quæ Paſtores ſuos cum hæreſin ferere com-
„ periſſent, fugerunt.

Deinde nego conſequentiam, nam etſi in re dubiâ ſubditi errantes præpoſitos ſequi neceſſe habeant, non tamen hinc ſequeretur totam Eccleſiam interire poſſe. Quia etſi ſubditi tenentur obedire præpoſitis in rebus dubiis, ſcilicet quæ aliunde conſtare non poſſunt, tamen cùm res ad ſalutem ſpectantes minimè dubiæ ſint, piis qui in Sacra Scripturâ verſati ſunt, licet Scripturam ducem ſequi. Deinde etſi quidam præpoſiti etiam cum ſubditis ſuis errent, non tamen neceſſe eſt Eccleſiam errare, nedum interire: Nullam enim agnoſcimus judicem viſibilem cui tota Eccleſia ſubjiciatur, & ut ait Cypria-
„ nus. Idcirco copioſum corpus eſt Sacerdotum, ut ſi quis ex colle-
„ gio eorum hæreſin facere, & gregem Chriſti lacerare aut vaſtare
„ tentaverit, ſubveniant cæteri, & quaſi Paſtores utiles & miſericor-
„ des oves Dominicas in gregem colligant.

Subtilis Tanneri argumentatio.

„ Tertio Tannerus ibidem ſic diſputat. 1. Si Eccleſiæ judicio in
„ dirimendis controverſiis abſolutè ſtandum eſt, ſequitur quod ad
„ Eccleſiam pertinet abſolutum judicium omnium controverſia-
„ rum, aut quod Eccleſia ſit abſolutus judex omnium controver-
„ ſiarum fidei & Religionis. Sed verum eſt antecedens, E. & con-
„ ſequens. 2. probat minorem. Si abſolutè in dirimendis contro-
„ verſiis Eccleſiæ judicio non ſtandum eſt, ſequitur nullas contro-
„ verſias ab Eccleſiâ dirimi poſſe, At poſterius eſt abſurdum, E. &
„ prius. 3. probat majorem hujus proſyllogiſmi. Si judicium relin-
„ quitur partibus diſceptantibus poſt ſententiam à judice latam,
„ tunc nulla controverſia à judice dirimi aut finiri poteſt: At ſi Ec-
„ cleſiæ judicio non ſit ſtandum abſolutè, relinquitur judicium par-
„ tibus diſceptantibus E &c. Hanc quoque majorem probat. Si judicium relinquitur partibus diſceptantibus, verbi causâ an ſententia ab Eccleſia lata ſit Scripturæ conformis aut difformis, tunc non minùs controverſia inter partes erit, quàm antequam per judicem defi-
„ niretur. Ergo ſi judicium relinquitur partibus diſceptantibus poſt
„ ſententiam latam, tunc nulla controverſia à judice definiri poteſt.

Sed

Sed quia hîc in promptu eſt occurrere: ratione rei quæ diſceptatur, aut quantum ad judicis ſententiam attinet, poſſe decidi controverſias, ſed contumacia partium fieri poſſe ut nunquam finiantur. 5. Etiam urget, ſemotâ partium contumaciâ nullas poſſe in Eccleſiâ controverſias finiri, ſi poſt deciſionem ab Eccleſiâ factam relinquatur judicium controvertentibus an illa deciſio conformis ſit ſententiæ Scripturarum an verò difformis, quia non obſtante Eccleſiæ definitione (ex veſtrâ inquiunt ſententiâ) poſſunt partes controvertentes non minùs licitè poſt quàm antè ſententiam ab Eccleſiâ latam judicare & diſceptare an iſta ſententia ſit Scripturæ conformis an difformis: ait, ante ſententiam latam poterant citra contumaciam eâ de re diſceptare ac judicare, ergo etiam poſt ſententiam latam.

Ut reſpondeam, primò operæpretium eſt advertere quid Adverſarii hîc nomine Eccleſiæ intelligant. Solemne eſt iis in hac præſertim diſputatione ambiguitate vocabuli dolos ſuos & diſſenſiones mutuas tegere. Non intelligunt hic nomine Eccleſiæ cætum hominum efficaciter à Deo vocatorum ad ſalutem & vitam æternam: illi enim ſoli Deo noti ſunt, nec ad eorum tribunal aliquis confugere poteſt. Non intelligunt univerſitatem fidem profitentium, neque enim eam quis ut judicem conſulere poteſt: non intelligunt particulares Eccleſias viſibiles, aut etiam Eccleſias repræſentativas particulares, id eſt, particulares Synodos, nam eas fatentur poſſe errare. Reliquum eſt ergo ut intelligant, aut Papam ſolum (quem impudentiſſimè ac ineptiſſimè quidam vocant virtualem Eccleſiam) aut Concilium generale, aut Papam cum Concilio generali. At ſi intelligunt ſolum Papam (cui ſoli infallibilitatem judicii nunc fere omnes Jeſuitæ tribuunt) vix ſpeciem ullam argumenti adverſus nos habet tota illa diſputatio: cujus ſcopus eſt nos ad hoc abſurdum deducere, quòd ab Eccleſiâ nullæ dirimi poſſint controverſiæ de fide. At nos id ultrò concedimus, ſi nihil aliud intelligatur quàm quod Papa, utpote adverſarius fidei non poſſit dirimere controverſias fidei. Quod ſi etiam Eccleſiæ nomine intelligant Concilium generale aut etiam Papam cum Concilio, ſemper adverſus eos retorqueri poteſt argumentum, cum Concilia generalia omnia fateantur poſſe errare, niſi Papa approbaverit. At ſi diſſenſerit Papa à Concilio, nulla reliqua eſt eis ratio dirimendi ejuſmodi controverſias, niſi conveniat inter eos, utrum Papa ſit ſupra Concilium, an Concilium ſupra Papam, & penes utrum ſit infallibilitas. Quâ de re,

Per Eccleſiam intelligunt Ieſuita ſolum Papam.

De Concil. lib. 2. c. 13.

re, uſque ad hanc diem (inquit Bellarminus) quæſtio ſuper eſt etiamnum inter Catholicos.

Cæterùm cùm rariſſimè habeantur Concilia generalia, neque etiam ſint abſolutè neceſſaria, ut oſtendit Bellarm. lib. 1. de Concil. cap. 10. Si quidem trecentis annis poſt Chriſtum nullum extitit generale Concilium, nunquid pariter abſurdum eſt nullas de Religione ex Scripturâ dirimi poſſe controverſias à particularibus Synodis, aut etiam à ſingulis Epiſcopis. Nam Cyprianus appellat Epiſcopum judicem in Eccleſiâ vice Chriſti à Deo conſtitutum: judicem autem dicere qui nullas poteſt definire controverſias, abſurdum eſt. At ex hac diſputatione ſi quidquam valeret, hoc abſurdum deduci poſſet non minùs contra adverſarios quàm contra nos. Cùm enim fateantur ſingulos Epiſcopos, & particulares Synodos ampliſſimas, imò etiam & generales ſine Papâ errare poſſe, quis dubitat licere poſt ſententiam ab eis latam dijudicare num conſentanea ſit Regulæ veritatis an non?

Solus Deus eſt judex abſolutus ſimpliciter in Eccleſiâ.

Sed ut rectà occurramus argumento, in primis tenendum eſt judicem abſulutum dici duobus modis, vel quòd abſolutus ſit ab omni lege & conditione, vel quòd liber ſit ab omni imperio ac poteſtate ſuperioris perſonæ. Utroque modo ſolus Deus eſt ſimpliciter abſolutus judex, cujus imperio omnia ſubjiciuntur, cujus voluntas ſumma lex & ratio eſt. Priore modo nullus homo abſolutus eſt judex, nam præterquam quòd omnis homo legi Dei ſubjiciatur, eſt etiam boni Principis & Magiſtratûs judicia ſua Legibus Regni & Reipub. adeoque ſuis ipſius Legibus conformare, niſi fortè ejuſmodi occurrat res, de quâ leges nihil præcipiunt, & ita anceps ſit quæſtio in jure, ut ex libero arbitrio determinari poſſit in utramlibet partem. Poſteriore modò etiam nullus homo ſimpliciter abſolutus judex dicendus eſt, cum omnis homo judici univerſi mundi ſubjectus ſit, eique rationem omnium ſuorum factorum reddere oporteat: ſed κατά τι abſolutus dici poteſt, à quo ad aliud judicium humanum ut ſuperius appellari non poteſt. Sic Rex, aut quemcunque penes eſt imperum humanum, judex abſolutus dici poteſt, etſi accidere poſſit aliquando ut erret: hujus etiam judicio non eſt abſolutè ſtandum vel parendum ſed cum hac limitatione, modo ne præſcribat quod verbo Dei adverſatur, alioqui nobis faciendum eſt juxta regulam ipſius Apoſtoli, *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Decretum autem ejuſmodi judicis non eſt adeo abſolutum quin mutari

Iudex abſolutus κατά τι à quo non poteſt appellari poteſt errare & corrigi.

tari

tari poſſet, non quidem à ſuperiore, cùm nemo ſit in terris ſuperior, ſed ab eo qui parem aut eandem habet poteſtatem, id eſt, aut ab eodem judice poſt meliorem deliberationem aut à ſucceſſore ejus. Ita ſe res habet in Eccleſia. Concilium generale in rebus fidei negamus eſſe abſolutum Judicem, quaſi abſolveretur ab omni lege & conditione. Sed cum Deus Eccleſiæ de rebus fidei, legem abſolutiſſimam, ſcilicet Scripturam ſuam crediderit, eam voluit eſſe fontem & normam omnis doctrinæ & judicii de rebus divinis, Pſal. 19. 24. 119. 24. 105. 113. Iſ. 8. 20. Luc. 16. 19. Unde meritò celebratur pia iſta Conſtantini Magni in Concilia Nicæno vox, ut refert Theodoretus hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 7. „ Libri Evangelici & Apoſtolici „ quinetiam veterum Prophetarum oracula perſpicuè nos quæ de „ numine ſentire oporteat, inſtruunt, proinde hoſtili poſitâ diſcor„ diâ ſumamus ex divinitus inſpiratis ſermonibus ſolutionem quæ„ ſtionum. *Pſal. 19. 24. 119. 24. 105. 113. Iſ. 8. 20. Luc. 16 19.*

In aliis autem quæſtionibus quæ non ſunt de fide, ut quæ ſpectant ad externos ritus & mutua inter fideles, aut ſaltem Eccleſiaſticos homines officia de quibus nihil in Sacra Scripturâ traditum eſt, libera eſt Concilio judicandi poteſtas; ubi ſcilicet nullis legibus coercetur: tantùm diligenter attendendum ad generales Scripturæ de rebus ejuſmodi Canones.

Sed alterâ ratione fatemur Concilium generale legitimum eſſe ſummum judicem, quo ſcilicet in terris non datur major aut ſuperior ad quem appellari poſſit: ita tamen ut ſi erraverit (quod certè vix accidit ſi legitimè congregetur & adminiſtretur) ab alio generali Concilio corrigi poſſit juxta regulam Auguſtini in 7. tom. lib. 2. de Bap„ tiſmo contra Donatiſtas cap. 3. Quis neſciat (inquit) Concilia „ quæ per ſingulas Regiones & Provincias fiunt, plenariorum Con„ ciliorum auctoritati quæ fiunt ex univerſo orbe Chriſtiano ſine ul„ lis ambagibus cedere, ipſaque plenaria ſæpè priora à poſterioribus „ emendari cum aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum „ erat, & cognoſcitur quod latebat? *Auguſtinus.*

His expoſitis quæ ad illuſtrationem quæſtionis & Elenchi pertinent, accedo ad ſolutionem argumenti, & 1. Nego minorem primi ſyllogiſmi, nam Eccleſiæ judicio non eſt abſolutè ſtandum, ſed cum hac hypotheſi & conditione, niſi oſtendi poteſt decretum Eccleſiæ adverſari Scripturæ. Gerſon parte primâ de examinatione doctrinarum, ait, potius credendum eſſe Scripturæ quàm Papæ aut Concilio. *Solutio argumenti.*

Et

Et ipſe Gratianus in tertiâ cauſâ, quæſtione ſecunda, Canone *Placuit*. Hieronymi ſententiam, quia munita erat teſtimonio divinæ Scripturæ, anteponit Concilii decreto.

Deinde in ſecundo ſyllogiſmo nego majorem, neque enim propterea ſequitur nullas controverſias dirimi poſſe ab Eccleſiâ. Certè ſi nunquam eſſet ſtandum Concilii judicio, ſequeretur nullas controverſias ab Eccleſiâ dirimi poſſe: & ſi aliquando non ſit ſtandum Concilii judicio, ſequetur aliquam controverſiam ab Eccleſiâ definiri non poſſe. Sed non propterea quia abſolute, (id eſt, omni ſeclusâ conditione & limitatione aut reſpectu ad Verbum Dei) non eſt ſtandum Concilii judicio, inde ſequitur nullas poſſe finiri controverſias. Quotieſcunque Concilia vel generalia vel particularia decidunt quæſtiones ex Verbo Dei (quod fit ſæpiſſimè) imò quotieſcunque oſtendi non poteſt ſententiam Concilii adverſari Verbo Dei: toties Concilii judicio ſtandum eſt, & rectè finiuntur controverſiæ.

Poſt Latam ſummi judicii ſententiam relinquitur ſingulis judiciũ ſuum privatum diſcretionis.

In tertio & quarto ſyllogiſmo diſtinguo Majorem. Nam certè non finiretur controverſia ſi poſt ſententiam latam relinqueretur aliud judicium juriſdictionis, ſed non item quia relinquitur cuique judicium ſuum privatum diſcretionis. Quis enim quæſo ſive in foro politico ſive Eccleſiaſtico poteſt eripere judicium ſuum privatum partibus diſceptantibus? Neque enim impetu ſed ratione regitur judicium. Sed hoc intereſt inter cauſas quæ diſceptantur, & cauſas quæ ſpectant ad hanc vitam aut ritus externos, de quibus nihil peculiariter præſcribitur in Scripturâ, quod in his judex ſive Civilis ſive Eccleſiaſticus non moratur aſſenſum aut conſenſum ejus qui causâ cadit, ſed tantùm externam obedientiam requirit, quam etiam præſtare tenetur qui æquitatem ſententiæ non agnoſcit. In iſtis autem idem judicium & aſſenſus fidei requiritur: nam qui in rebus ſpiritualibus & cultu Dei externam præſtat obedientiam ſine interno mentis aſſenſu & ſtudio, graviter peccat, & hypocritam agit. Veruntamen non eſt penes Eccleſiaſticum judicem efficere in diſceptantibus fidem & aſſenſum: hoc enim ſolius Dei proprium eſt opus. Cæterum non hinc ſequitur nullam controverſiam ab Eccleſiâ dirimi aut finiri poſſe, etiam ſemotâ contumaciâ partium, quia ſcilicet relinquitur judicium partibus controvertentibus, an deciſio Eccleſiæ ſit conformis Scripturæ an verò difformis. Non minore auctoritate erat Paulus quàm Papa & Concilium: at laudantur Beræenſes qui

Iudex civilis requirit obedientiam externam etiam in interno diſſenſu.

qui ejus doctrinam examinârunt an Scripturæ eſſet conformis an difformis: neq; tamen inde ſequitur Paulum nullas potuiſſe dirimere controverſias fidei. Et certè ut Beræenſes, licet priùs dubitarent, tamen poſt examinationem agnoverunt doctrinam Pauli eſſe conformem Scripturæ: ita non eſt dubium, cùm ſacrum Concilium ex Verbo Dei determinat controverſias de fide, plurimos pios, etſi antè fluctuârint, tamen legitimâ examinatione & judicio adhibito poſt deciſionem Concilii agnoſcere eam eſſe Scripturæ conformem. Et non rarò uſu venit etiam eos qui contrariam ſententiam acerrimè propugnabant, à Concilio ex Verbo Dei edoctos ſententiam mutâſſe. Ut in Concilio Nicæno Philoſophus ille qui acerrimè Patribus adverſabatur, operâ cujuſdam Confeſſoris viri ſimpliciſſimæ naturæ ſacra dogmata ex Verbo Dei enarrantis converſus eſt, & victas manus Chriſto dedit in eodem Concilio. Euſebius qui priùs Arianis faverat, ſubſcripſit tamen Synodo Arianam hæreſin damnanti. Nec dubium eſt multos, qui anteà vacillabant, Synodi ſententiâ confirmatos fuiſſe: alii autem meritò contumaces cenſendi ſunt, qui judicio ſuo privato adhærent, etſi non poſſunt ſententiam Concilii ex Verbo Dei refellere; cùm orthodoxi Patres, etiam poſt legitima Conciliorum decreta hæreticos provocârint ad diſputationem ex Scripturâ, prout quæ ab aliis Conciliis malè decreta ſunt, ex Scripturis reformanda contenderunt; ut Athanaſius, Baſilius, Auguſtinus, & alii quorum ſuprà meminimus cap. 11.

Neque verò tam immunis eſt à contumaciâ (quod in quinto proceſſu contendebat Adverſarius) qui poſt ſententiam à Concilio latam pravæ opinioni adhæret, quam qui ante eam propugnabat; vult enim Deus nos veram fidem doceri, & veritatem dubiam aut abſtruſam erui ex Scripturis miniſterio Eccleſiæ. Et quanto majori ſtudio, operâ, conſilio, & auctoritate aperitur & explicatur veritas,
tantò contumaciores ſint oportet qui ei contra rationem repugnent: *Io.* 7. 21.
non tamen eripitur eis judicandi facultas poſt ſententiam à Conci- *Eſ.* 6. 9.
lio latam, ſed debent juſtum judicium judicare, & qui ſecùs faciunt, 10. *Io.* 12.
id ipſorum vitio accidit. 17. 40.
Act. 28.

Neque verò ulla melior aut proclivior reliqua eſt Pontificiis ra- 26 27.
tio finiendi controverſias: unde fit ut multæ controverſiæ in eâ Ec- 1 *Tim.* 4. 2.
cleſiâ tolerentur, quibus ſe non audet immiſcere Papa. Porro qui à 2 *Tim.* 3.
8. 9.
Papa aut ejus conciliabulis damnatur, velint nolint adverſarii meritò *Tit.* 1. 10.
controvertere & diſceptare poſſunt, an ab eo judice lata ſit ſententia 11.

2 Theſſ.2. 10.11. Mat.13. 25.30. & 18.7. 1 Cor.11. 19.

qui poteſtatem & auctoritatem habet decernendi & infallibiliter judicandi. Denique non expectandum eſt, neque Theologiæ viatorum convenit, ut omnes controverſiæ in hac vitâ finiantur.

Atque hæc ſunt præcipua argumenta à ratione ſumpta quibus aſtruere conantur externum abſolutum judicem in Eccleſiâ. Proximè examinanda ſunt argumenta, quibus contendunt, Papam, aut Concilia, aut Eccleſiam non poſſe errare.

Futilis Bellarmini argumentatio pro infallibilitate Papa.

Papam non poſſe errare probat Bellarm.lib.4. de Pontif. in calce capitis 3. à duplice experimento. Primò quia conſtat omnes Patriarchales ſedes defeciſſe à fide, ita ut hæretici ac hæreſin profitentes, ac docentes in illis ſederint exceptâ Romanâ ſede. Unde Ruffinus in expoſitione Symboli. ,, In Eccleſiâ (inquit) urbis Romanæ ,, neq; hæreſis ulla ſumpſit exordium, & mos ibi ſervatur antiquus. Alterum experimentum eſt, quoniam plurimas hæreſes Romanus Pontifex in Concilio generali damnavit, ut Pelagii, Priſcilliani, Joviniani, aliorumque multorum, quas eo ipſo pro veris hæreſibus tota Chriſti Eccleſia habuit, quod à Romano Pontifice damnatæ eſſent.

Reſp. Nihil facilius eſt iſtis rationibus, quarum nulla pars firma eſt, nam quod ad prius experimentum attinet. 1. Non ſequitur, licet oſtendi non poſſit Epiſcopos alicujus ſedis, putà Mediolani aut Lutetiæ defeciſſe à fide ad hæreſin, propterea aut unum aut omnes perpetuò ejus loci Epiſcopos eſſe infallibiles: imò verò multò probabilior eſt illa conſecutio, cùm nulla alia oſtendi poſſit ſedes aut Eccleſia à periculo errandi immunis quantiſcunque alioqui privilegiis donata, ſive in Veteri, ſive in Nove Teſtamento, proinde nec Romanam Eccleſiam debere ſibi aſſumere, quod nullo authentico documento confirmari poteſt, Neque vero Petrus minus docuit Hieroſolymis & Antiochiæ quàm Romæ, & multæ luculentæ prærogativæ Sionis in ſacris Literis prædicantur, qualis nulla tribuitur Romæ, Pſal. 132.13. 2. Chron.7. 16. Iſ.33.20.

Pſ.132.13. 2. Chron. 7.16. Iſ.33.20.

Deinde nos etiam ſuprà cap.14. multis exemplis oſtendimus non minùs in Romanâ ſede quam alibi ſediſſe Epiſcopos qui in doctrinâ fidei & publico munere erraverint. Etſi autem Ruffinus ſuo tempore nullam noverat hæreſin in Eccleſiâ Romæ ſumpſiſſe exordium (ut certè multis ſæculis florebat iſta Eccleſia) non tamen ſequitur eam non potuiſſe deficere aut poſteà non defeciſſe.

In altero experimento. 1. Nemo concedet, quicunque Epiſcopi ſine Concilio damnârint hæreſes, eos eſſe ab omni erroris aleâ immunes:

munes:

Digitized by Google

munes: nam & id alii Epiſcopi præter Romanum præſtiterunt. 2. Negandum eſt, eo habitas eſſe pro veris hæreſibus quòd eas Epiſcopus Romanus condemnâſſet, ſed quia regulæ veritatis & fidei, id eſt, ſacris Literis repugnabant.

Præterео in exemplis Bellarmini etiam veritatem deſiderari, v. c. Pelagiani prius damnati fuerunt in duobus Conciliis Africanis & in Palæſtinâ quàm Romæ.

Sophiſmata pro inerrabilitate Eccleſiæ.

Eccleſiam non poſſe errare probant ſic: Si Eccleſia poſſet errare à fide, poſſet deficere ſeu interire: At non poteſt deficere: Ergo. Major probatur, quia qui poteſt errare in uno articulo fidei, poteſt etiam errare in altero, adeoque in omnibus aut præcipuis articulis.

Reſpondeo. Diſtinguendæ ſunt voces *Eccleſia, errare, & non poſſe errare.* Eccleſia vel eſt interna hominum efficaciter à Deo vocatorum ad ſalutem, qui ſoli Deo noti ſunt. Vel externa hominum fidem profitentium, in quâ hypocritæ cum piis commiſcentur, Utraque eſt vel univerſalis vel particularis. Et illud dici poteſt univerſæ Eccleſiæ competere, vel quod convenit majori parti, vel quod convenit omnibus & ſingulis membris: error etiam vel eſt gravior in rebus neceſſariis ad ſalutem, vel levior in rebus non neceſſariis. *Non poſſe errare* etiam duobus modus intelligitur, vel abſolutè & ratione ſui, vel ex hypotheſi & ratione inſtituti divini.

Non quæritur de univerſâ Eccleſiâ ſecundum omnia membra.

Nulla eſt controverſia quin Eccleſia quocunque modo ſumpta ratione ſui poſſit & errare & deficere. Sed quæſtio ſolùm eſt, num ex conſilio & voluntate Dei expers ſit erroris. Nec dubium eſt particulares Eccleſias externas & viſibiles, permittente Deo errare poſſe & deficere: nemo autem ſanus dixerit totam univerſalem Eccleſiam militantem omnium locorum & temporum quæ complectitur Prophetas ipſos & Apoſtolos errare poſſe. Quare tota quæſtio reliqua eſt de univerâ Eccleſiâ unius ætatis aut temporis per Orbem diſperſâ, & nos quidem non dubitamus ab initio mundi uſq; ad conſummationem ſæculi perpetuam eſſe ſucceſſionem Eccleſiæ, non tantùm internæ, ſed etiam externæ, in ſe quidem viſibilis, at non ſemper mundi oculis conſpicuæ aut publicè ſpectabilis, & in eâ ſemper conſervari veram fidem à Deo, licet interdum apud paucos latitet. Majorem autem partem hominum uno tempore profitentium fidem, ſeu præ ſe ferentium nomen Eccleſiæ errare poſſe & errâſſe aliquando aſſerimus: nullum tamen verè fidelium & ſanctorum in errore lethali perſeverare poſſe.

Digitized by Google

His diſtinctionibus & explicationibus adhibitis, facile eſt reſpondere ad argumentum quatenus controverſum. Et primo quidem neganda eſt Major ejuſque confirmatio. Nam qui poteſt errare in fide in uno articulo ad tempus, etſi ratione ſui poſſit errare in pluribus & omnibus adeoque penitus deficere, non tamen poteſt ratione inſtituti & promiſſionis Dei: qui ſuos quidem interdum labi, ægrotare, aberrare, ſed non totaliter aut finaliter deficere, adeoque perire patitur: nam portas Inferorum adverſus Eccleſiam non prævalituras pronunciavit Chriſtus, Mat. 16. 18. Poteſt fieri ut errent homines aut hominum cœtus in rebus ſacris ſed non in rebus neceſſariis ad ſalutem; vel etiam in rebus neceſſariis, ſed non pertinaciter aut perpetuò; & ut errent multi aut plerique in Eccleſiâ aut ex iis qui Eccleſiæ nomen præ ſe ferunt, ſed non omnia Eccleſiæ membra. In univerſali (ut videbatur) Apoſtaſiâ Deus ſibi ſeptem millia reſervavit qui genua non incurvârunt Baali 1. Reg. 19. 18.

Mat. 16. 18.

1. Reg. 19. 18.

Sophiſmata pro infallibilitate Conciliorum.

Sequuntur argumenta quibus probant Concilia non poſſe errare: quanquam ſatis conſtat, quantulum Jeſuitæ nunc tribuant Conciliis: cùm enim dicunt Concilia non poſſe errare, nihil aliud intelligunt quàm Papam non poſſe errare: aſſerentes ſine eo quælibet Concilia etiam maximè univerſalia errare poſſe; & totam firmitatem legitimorum Conciliorum eſſe ſolùm à Pontifice, non autem partim à Pontifice, partim à Concilio ut diſertè docet Bellar. lib. 4. de Pont. cap. 3.

1.

Prima ratio. Si univerſa Eccleſia non poteſt errare, Concilium generale non poteſt errare: At verum prius: Ergo & poſterius. Quid reſpondendum ſit ad Minorem, & quo ſenſu concedi poſſit ſuprà diximus: nunc negamus connexionem Majoris, & ratio eſt manifeſta, quia longè alio ſenſu dicitur univerſam Eccleſiam non poſſe errare, & Concilium generale non poſſe errare, ut ipſe Bellar. „explicat lib. 2. de Concil. cap. 11. Nam Eccleſia (inquit) non „poteſt errare quoad fidem perſonalem & ideo in eo ſolum non „poteſt errare in quo omnes conveniunt: at Concilium dicitur non „poſſe errare in decreto formando: decretum autem fit à majore parte. Ergo Concilium dicitur errare, ſi major pars errat. Eccleſia autem univerſa non dicitur errare, niſi omnes & ſinguli errent.

Majorem autem illam probat Bellar. duobus modis. 1. Quia tota auctoritas Eccleſiæ formaliter non eſt niſi in Prælatis, ergo idem eſt Eccleſiam non poſſe errare ſaltem in Concilio congregatos. 2. Con-

2. Concilium generale repræſentat Eccleſiam univerſam: ergo habet conſenſum Eccleſiæ univerſalis: quare ſi Eccleſia univerſa non poteſt errare, neque Concilium generale poterit errare. *Reſp.* (ut omittam alia quæ in utraque hac confirmatione animadvertere licet) in priore confirmatione non concluditur inſtitutum: ſi enim Eccleſiæ auctoritas ſit penes Paſtores, eôdem recidit, fatemur, ſi dicamus Eccleſiam errare aut non errare in definiendis controverſiis, & Paſtores ſeu conſeſſum Paſtorum errare aut non errare: nam Eccleſia non aliter definit controverſias quàm per Paſtores ſuos aut Concilia Paſtorum. Sed aliud eſt Eccleſiam errare aut non errare in definiendis controverſiis fidei: aliud eſt univerſam Eccleſiam errare aut non errare ſimpliciter loquendo: nam in priore dicto ſpectatur decretum publicum, in poſteriore fides perſonalis, & judicium privatum ſingulorum.

In alterâ confirmatione neganda eſt prior conſecutio: nam etſi Concilium generale repræſentat univerſam Eccleſiam, non tamen inde præſumitur habere conſenſum univerſæ Eccleſiæ, id eſt, omnium & ſingulorum in Eccleſiâ (prout intelligitur in principali argumento) ſed tantùm majoris partis. Undè non rectè colligitur, Si univerſa Eccleſia, id eſt, omnes & ſinguli ex Eccleſiâ non poſſunt errare, tum Concilium generale, id eſt, majorem partem Concilii non poſſe errare: ſed ex eâ hypotheſi tantùm probabiliter concluditur omnes & ſingulos in legitimo univerſali Concilio non poſſe errare. Nam alioqui non eſt abſolutè neceſſarium ut, qui alium repræſentat, idem ſentiat, aut iiſdem omnino privilegiis gaudeat cum illo qui repræſentatur. Legati Papæ repræſentant ipſum: at non concedunt iis Pontificii infallibilitatem quam Papæ tribuunt; neque eorum ſententiam volunt eſſe Papæ ſententiam: nam & legitimorum Conciliorum decreta conſentientibus Papæ Legatis Jeſuitæ repudiant Bellar. lib. 2. de Concil. cap. 11.

Secunda ratio. Si Concilia generalia poſſent errare, nullum eſſet in Eccleſiâ firmum judicium quo controverſiæ componi & unitas in Eccleſiâ ſervari poſſet (nihil enim majus eſt generali Concilio legitimo & approbato) At poſterius eſt abſurdum: Ergo & prius. *Reſp.* Neganda eſt connexio majoris: nam etſi nullum unquam daretur generale Concilium (prout nullum extitit 300 poſt Chriſtum annis, & nullum abſolutè neceſſarium eſſe docet Bellar.) non tamen ſequeretur Eccleſiam deſtitui firmo judicio, quo controverſiæ componi 2. *Lib. 1. de Conc. cap. 10.*

& unitas in Eccleſiâ ſervari poſſet: nam verbum Dei ad illud ſufficiens eſſe, & Scripturam Concilio generali præferendam eſſe nemo pius negaverit: quanquam, quæcunque adhibeantur media, controverſias omnes in Eccleſiâ finiendas, & diſſidia tollenda eſſe, non eſt ſperandum, non ob defectum judicis, ſed ob hominum pravitatem & perverſitatem. *Oportet autem eſſe hæreſes & ſchiſmata, ut, qui probati ſunt, manifeſti fiant* 1 Cor. 11. 19. Contrà ſi nullum aliud ſuppeteret Eccleſiæ judicium firmius quàm Concilii generalis, tum meritò affirmare poſſemus nullum eſſe in Eccleſiâ firmum judicium, quo controverſiæ omnes componi poſſent. 1. Quia rarò, ut dictum eſt, habentur Concilia generalia, nec ſunt neceſſaria. 2. Quia hominum ſententiæ ſunt mutabiles, & Concilia Conciliis opponi poſſunt: nec minùs celebria fuerunt Concilia quæ errorem, quàm quæ veritatem confirmârunt. Porrò inter partes diſſidentes nunquam componetur iſta controverſia, utrum hæc Concilia an illa ſint magis legitima aut majoris auctoritatis. Proindè cùm ſe invicem auctoritate Conciliorum premerent, neceſſe habuerunt Patres, omiſsâ auctoritate Conciliorum, ex ſolis Scripturis diſputare. Unde illud Auguſtini contra Maximinum Arianum Epiſcopum celebratur. *Nec ego Nicænum, nec tu debes* Ariminenſe tanquam præjudicaturus proferre Concilium, nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris: Scripturarum auctoritatibus non quorumcunque propriis, ſed utriſque communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſâ, ratio cum ratione concertet. Denique non ſequitur omnem firmitatem judicii tolli, quia judex quilibet aliquando errare poteſt: præſertim, ſi regulam & normam in promptu habeat, quam ſi ſequatur, errare non poſſet. In politico regimine, licet Leges humanæ cum Divinâ nequaquam conferendæ ſint, nemo inde concludet, quia ſummus Magiſtratus errare poteſt, propterea nullum eſſe firmum judicium, quo controverſiæ componi, & unitas in Repub. ſervari poſſit.

1 Cor. 11. 19. — *Auguſtinus.*

3. Tertia ratio. Si non eſſet infallibile judicium ejuſmodi Conciliorum, poſſent meritò revocari in dubium omnes damnatæ hæreſes. Diceret enim Arius erraſſe Nicænum Concilium: Macedonius Conſtantinopolitanum: Neſtorius, Epheſinum: Eutyches Chalcedonenſe. Reſp. Hæc quoque connexio neganda eſt. Nam quàm inepta eſt iſta conſecutio, quia judex non eſt infallibilis, ideo ejus ſententiam infringi poſſe: aut quia infringi non poteſt ejus ſententia,

tia, ideo judicem eſſe infallibilem? Ita in judiciis humanis nulla firma eſſet ſententia, quia ſcilicet judex non eſt infallibilis. Sed firma ſemper habenda eſt ſententia judicis, quam legitimè pronunciavit, & in quâ à jure & æquitate non aberravit, licet aberrare potuerit. Sic Concilia quæ in judicando à regula veritatis ſeu à Verbo Dei non deflectunt, firma ſunt: utcunque adverſarii reclament aut oblatrent. Certum eſt ſingulos Paſtores & Concilia particularia errare poſſe. At hoc argumento non minùs oſtendi poſſet eos non poſſe errare: quia alioqui ſcilicet meritò vocari poſſent in dubium omnia eorum dicta, dogmata, & decreta.

4. Quarta ratio. Nulla eſſet certitudo de multis Sacræ Scripturæ libris: nam de epiſtolâ ad Hebræos, 2 Petri, 2 & 3 Joannis, Jacobi & Judæ; & de Apocalypſi tamdiu eſt dubitatum, donec à Concilio res declarata eſt. *Reſp.* Neganda eſt & hæc connexio. Si Concilio fas eſſet Canonicam auctoritatem tribuere certis libris, qui alioqui eam non haberent, aut nulla aliâ ratione ſciri poſſet libros eſſe Canonicos, quàm ex nudo teſtimonio Conciliorum, tum veriſimile eſſet argumentum. Sed Bellar. ipſe fatetur Eccleſiam ſeu Concilium nullo „ modo poſſe facere librum Canonicum de non Canonico, ſed tan„ tùm declarare quis ſit habendus Canonicus, & hoc non temere, nec „ pro arbitratu, ſed ex Veterum teſtimoniis, & ſimilitudine librorum „ de quibus ambigitur, cum illis de quibus non ambigitur, ac demum „ ex communi ſenſu, & quaſi guſtu populi Chriſtiani, quo modo bea„ tus Hieronymus libro de viris illuſtribus in Jacobo dicit epiſtolam „ Jacobi paulatim tempore procedente meruiſſe auctoritatem. Et nos quidem anteà oſtendimus variis argumentis probari auctoritatem ſacrorum Librorum, ſed potiſſimum ab inſitâ luce, majeſtate, vi & efficaciâ dignoſci ab iis qui ſenſus habent in rebus Divinis exercitatos. Quare licet quidam de illis libris dubitârint, certum eſt tamen agnitos fuiſſe ut Divinos à multis ante ſententiam alicujus Concilii. Quod ſi ante generalis Concilii determinationem certò ſtatui non potuit iſtos libros eſſe Canonicos, id ſerò admodum accidiſſe, nec ante Conciliabula Florentinum & Tridentinum, adverſarii fateantur neceſſe eſt: ac proinde diutiſſime Eccleſiam in errore aut hæſitatione verſatam fuiſſe. Qui autem dubitat de veritate errare etiam poteſt. Concilium Laodicenum particulare fuit, & proinde ex adverſariorum ſententiâ errare potuit, non tamen ſequitur incertum fuiſſe illum Canonem, quo libros iſtos & reliquos S. Scripturæ Canonicos fuiſſe declaravit.

Quinta

5. Quinta ratio. Si Concilia omnia poſſent errare, illud ſequitur ut omnia intolerabilem admiſerint errorem, ac proinde nullo honore digna ſint: nam error intolerabilis eſt, proponere aliquid credendum, tanquam articulum fidei, de quo non conſtat, an ſit verum vel falſum: at Concilia præcipua, ut Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Chalcedonenſe ediderunt nova Symbola fidei aut certè novas ſententias quas voluerunt haberi tanquam articulos fidei. Reſp. ineptiſſima eſt & hîc connexio: & quod ad ejus confirmationem attinet, falſiſſimum eſt ea veneranda Concilia propoſuiſſe aliquid credendum de quo non conſtat an ſit verum vel falſum. Etſi enim potuerunt errare, non ſequitur tamen ea erráſſe: nec ſequitur, quia potuerunt errare, ideo non conſtare an ſit verum vel falſum quod propoſuerunt. Singuli Paſtores poſſunt errare, non tamen inde ſequitur eos intolerabilem errorem admittere, quoties gregi ſuo ſacra dogmata ex Scripturâ deprompta vel deducta credenda proponunt: vel non poſſe conſtare, an ſit verum vel falſum quod docent, cum doctrinam ſuam ex Verbo Dei demonſtrant. Et certè nullam doctrinam de rebus fidei propoſuerunt iſta Concilia: niſi quam ex Verbo Dei hauſerunt. Attamen Bellarm. duo ex iſtis ipſis quatuor primariis Conciliis quæ memoravit, nempe Conſtantinopolitanum & Chalcedonenſe erráſſe dicit in ſententiâ de primatu Papæ (quæ illis eſt præcipuus articulus fidei) illud quidem ob antepoſitum Epiſcopum Conſtantinopolitanum (invito Romano Epiſcopo) reliquis Patriarchis Orientis: iſtud autem ob eundem Epiſcopo Romano æquatum; Præfatione in libros de Pontif. & lib. 2. de Conciliis cap. 7. Porro nullam habet ſpeciem argumentum hoc Bellarmini niſi ſtatuatur Eccleſiam non aliâ ratione quam ſuâ auctoritate proponere res credendas, aut novos articulos fidei condere. At hoc non dixerit ipſe Bellar. qui fatetur nunc non eſſe penes Eccleſiam condere novos articulos fidei, quos non accepit ab Apoſtolis lib. 4. de Verbo Dei cap. 9. principio. & lib. 2. de Concil. c. 11. § Dicuntur.

6. Sexta ratio. Concilii generalis ſententia in cauſa fidei eſt ultimum Eccleſiæ judicium, à quo appellari non poſſit: quodque nullo modo irritari aut retractari queat: Ergo eſt infallibilis. Antecedens confirmat Bellar. variis Patrum teſtimoniis lib. 2. de Concil. cap. 3. Sed nos primò negamus conſequentiam: neque enim quia judicium eſt ultimum inter homines, ut ab eo non detur provocatio, propterea eſt infallibile: prout à ſummo Magiſtratu aut Majeſtate in terris non datur

datur provocatio, neque ſententia ejus poteſt irritari vel retractari à ſuperiore judice, non tamen ſequitur eſſe immunem ab omni errandi periculo. Deinde quod ad antecedens attinet, licet nulla major ſit auctoritas humana quam Concilii generalis, at in rebus Divinis nullum humanum judicium abſolutè ultimum cenſendum eſt, quod ſolius Dei proprium eſt. Concilium autem non ſuam ferre, ſed Dei ſententiam ex verbo ipſius proferre præ ſe fert, nec tam judicis proprie loquendo in rebus fidei, quàm indicis, præconis, ac interpretis munere fungitur. Proinde ſemper licet ad Dei in Scripturâ loquentis judicium provocare: & quod ab uno Concilio minus rectè decretum eſt, poteſt ab alio Concilio conſequenti retractari aut emendari, ut ſuprà dictum eſt ex Auguſtino. Alioqui (ut Iſidorus apud Gratianum diſt. 50. can. *Domino ſancto*, aſſerit) cum in geſtis Conciliorum diſcors ſententia invenitur, illius Concilii magis teneatur ſententia, cujus aut antiquior aut potior extat auctoritas.

Patres autem illi quos citat Bellar. loquuntur de Conciliis omnino Orthodoxis & legitimis, putà Concilio Nicæno primo. Conſtantinopolitano primo, Epheſino primo, & Chalcedonenſi: quorum decreta de rebus fidei, cum matura adhibita deliberatione, & accuratiſſimâ inquiſitione optimorum Patrum undique convocatorum, omnibus pie & legitimè penſatis & retractatis, ex ſacris literis, Deo favente deprompta ſint, propterea nequaquam retractanda ſunt. Et nos quoque ejuſmodi Synodos, quæ eodem modo progredientes Verbo Dei firmiter adhærent, eatenus errare non poſſe credimus, etſi alioqui errare poſſe non dubitamus. Illud autem obſervandum eſt nullum Patrum à Bellarmino citatorum meminiſſe Conciliorum à Papa approbatorum aut innuere Conciliorum auctoritatem pendere ab ejus approbatione ſine quâ ille omnia vult errare poſſe.

Septima ratio. Omnia Concilia generalia dicunt anathema contradicentibus: & Patres dicunt eſſe hæreticos & excommunicandos, qui non acquieſcunt Conciliis plenariis, ergo putant Concilia generalia non poſſe errare. Antecedens confirmat ex actis Conciliorum & teſtimoniis aliquot Patrum. Sed nos ſic quoque negamus conſequentiam: nam ex illo antecedente non ſequitur eos putâſſe nulla Concilia generalia poſſe errare, ſed exiſtimâſſe non erratum fuiſſe à certis Conciliis in certis decretis, quibus contradicentes hæreticos & anathemate feriendos putârunt. Nam alioqui varia generalia Concilia reprobanda eſſe, quæ etiam anathema dicunt contradi- 7.

centibus, ipſi adverſarii non diffitentur. Nec Patres meminerunt ejus conditionis recens inventæ, Concilia ut errare non poſſint à Papa eſſe confirmanda.

Deinde etiam particularia Concilia dicunt anathema hæreticis, & ſingulares Paſtores habent jus excommunicandi: neque tamen inde colligitur eorum judicium eſſe infallibile. Item generalia Concilia denunciant anathema contrarium ſentientibus antequam confirmentur à Papâ. Sed occurrit Bellar. lib. 2. de Concil. cap. 11. etſi Concilia dicunt anathema ante confirmationem, tamen intelligere illud vim habiturum tantũ, ſi fuerint â Pontifice confirmata. At multò ſatiùs eſt dicere, Concilia cum denunciant anathema, ſemper intelligere ea fore valida, ſi ſummus noſter Pontifex Chriſtus approbaverit, nempe ſi Verbo ejus ſint conſentanea. Neque verò ideò dicunt anathema contrà ſentientibus, quod ſe putent non poſſe falli, ſed quia perſuaſum habent ſe proponere doctrinam Chriſti ex verbo ejus, cui ſi quis repugnet (etiamſi Angelus de cœlo) anathema meretur. Gal. 1. 8, 9. Si verò in judicando erret Concilium, tunc etiam anathemata in contradicentes erunt inania, quia liberi non tenentur parere mandato Matris Eccleſiæ, ſi illud repugnet voluntati patris cœleſtis. Eadem eſt ratio argumentorum quæ petuntur à quibuſdam teſtimoniis Patrum aſſerentium certorum generalium Conciliorum decreta eſſe Divina, & à Spiritu Sancto edita, & potiùs moriendum eſſe, quàm ab iis recedendũ. Non enim loquuntur de omnibus generalibus Concilibus, nec de Conciliis generalibus confirmatis à Pontifice Romano, nec de omnibus eorum decretis quæ certum eſt in Scripturâ fundata eſſe, ac non à Concilio, ſed à Dei verbo auctoritatem habent.

Gal. 1. 8, 9.

Atque ita quantum ſatis videtur, de Judice controverſiarum, & quæſtionibus affinibus diſputavimus.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS

DE

PERFECTIONE

SACRÆ SCRIPTURÆ.

CAP. I.

De ſtatu Controverſiæ.

SACRAM Scripturam vocem eſſe ſummi judicis, quâ ſolâ controverſiæ omnes de Religione authenticè & infallibiliter decidendæ ſunt, & in quam fides ultimò reſolvenda eſt, jam demonſtravimus. Nunc oſtendemus eam eſſe fidei Chriſtianæ, omniſque judicii de Religione normam, regulam & menſuram perfectiſſimam. Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei cap. ult. etſi neget finem præcipuum Scripturæ eſſe, ut ſit regula fidei, non tamen negare audet eam eſſe regulam fidei. Sic & alii Pontificii fatentur Scripturam eſſe normam fidei, eamque infallibilem, ſed negant eam eſſe unicam, integram, aut totalem normam fidei, ſed tantùm partialem & minùs adæquatam eſſe volunt. Sed cùm extra controverſiam ſit fidem omnem Divinam niti Verbo Divino, negari non poteſt Verbum Dei eſſe unicum fundamentum & normam fidei. Quare qui aſſerunt Scripturam non eſſe totalem normam fidei, ſtatuant oportet aliud Verbum Dei quod ſit etiam norma & fundamentum fidei, præter id quod in Scripturâ continetur. Atque hinc nata eſt diſtinctio illa, aut potius abuſus illus diſtinctionis, quâ Verbum Dei diſtinguitur in ἔγγραφον & ἄγραφον verbum ſcriptum & non ſcriptum. Satis conſtat Eccleſiam, quæ Verbo Dei perpetuò regitur non habuiſſe illud ab initio literis conſignatum; atque ita olim Verbum Dei non fuiſſe ſcriptum, quod nunc eſt ſcriptum. Nec dubium eſt, verbum quod ſcriptum extat, poſſe etiamnum citra Scripturam vivâ voce tradi, aliis atque aliis verbis explicari, atque inde varia per neceſſariam conſequentiam deduci, quæ meritò Verbi Dei nomine comprehenduntur, cùm res ipſæ ex Sacræ Scripturæ fontibus hauriantur: quia ut rectè manet Hieronymus in cap. 1. ad Galat.

Pontificii concedunt Scripturam eſſe regulam fidei ſed non integram.

Tuentur Verbum Dei non ſcriptum diverſum à ſcripto.

Hieronymus.

„ lat. In verbis Scripturarum non eſt Evangelium ſed in ſenſu: non „ in ſuperficie, ſed in medullâ, non in ſermonum foliis, ſed in radice „ rationis.

Enthuſiaſta & Papiſta verbum non ſcriptum exæquant ſcripto.

Sed hoc demum quæritur, poſtquam Deus verbum ſuum literis mandare voluit, & Canonicam Scripturam abſolvere, an non nunc in eâ Verbum Dei, quo ad ſalutem perducimur integrum contineatur, an verò aliud ſit Verbum Dei non ſcriptum, re & ſubſtantiâ à ſcripto diverſum. Nos quidem prius aſſerimus: At duo ſunt genera adverſariorum qui poſterius defendunt. 1. Qui ἐνθουσιασμοὺς & novas Spiritus revelationes obtendunt, quas pro Verbo Dei haberi volunt. 2. Qui extra Scripturam traditiones commentitias Chriſti & Apoſtolorum nomine venditant. Nobis nunc non cum Enthuſiaſtis, ſed cum Papiſtis res eſt; qui etſi monachorum ſomniis & fictis revelationibus nimium tribuunt, tamen poſteriore maxime modo injuriam verbo Dei faciunt. Cum enim non poſſint fidei ſuæ principia & dogmata è libris verè Canonicis ſtabilire, ad Apocryphos confugiunt: neque his finibus contenti traditiones etiam ἀγράφους indefinitas incerto numero & mole ſacris literis exæquant, ut veri & ſinceri Verbi Divini auctoritate deſtituti ſaltem in his figmentis latibulum quærant: hujuſmodi traditiones verbum non ſcriptum appellant.

Quod ſit traditio.

Nomen *traditionis* (inquit Bellarm.) licet generale ſit, & ſignificet omnem doctrinam ſive ſcriptam ſive non ſcriptam, quæ ab uno communicatur alteri: tamen à Theologis accommodatum eſt ad ſignificandam tantùm doctrinam non ſcriptam: non quæ nuſquam ſcripta eſt, ſed quæ non ſcripta eſt in Sacrâ Scripturâ.

Traditionum diſtinctio.

Hujus generis Traditionum nempe non ſcriptarum duplicem partitionem affert, alteram ratione Auctorum, alteram ratione materiæ. Prior eſt in traditiones Divinas, quæ ab ipſo Chriſto acceptæ dicuntur, Apoſtolicas, quæ ab Apoſtolis inſtitutæ: & Eccleſiaſticas, quæ ſunt conſuetudines antiquæ, vel à prælatis vel à populis inchoatæ, quæ paulatim tacito conſenſu populorum vim legis obtinuerunt. Sed Divinæ & Apoſtolicæ ad unum membrum referri poſſunt, cùm ejuſdem ſint auctoritatis, & nomina etiam concidant.

Poſterior partitio ratione materiæ eſt in traditiones de fide, & traditiones de moribus: quæ rurſum aut ſunt perpetuæ aut temporales, & vel univerſales vel particulares: & vel neceſſariæ vel liberæ. Singula membra exemplis illuſtrat.

Ca-

Cæterùm hîc tantum eſt quæſtio de traditionibus non ſcriptis, divinis vel Apoſtolicis de fide aut de moribus, quæ dicuntur perpetuæ, univerſales & neceſſariæ, num ſcilicet ejuſmodi aliqua ſint dogmata neceſſaria ad ſalutem, quæ in ſacris Literis non continentur.

Quæritur an ullæ traditiones divinæ de doctrinâ vel moribus ad ſalutem neceſſariæ non ſcribantur.

Nobis quidem non diſplicet nomen *Traditionis*, quod novimus & latè ſumi, ut complectatur Scripturam, & ſtrictè ut ab eâ contradiſtinguatur: ſed in hac acceptione potius ſignificat ritum & morem aut hiſtoriam, quàm doctrinam non ſcriptam. Et fatemur varias eſſe Eccleſiaſticas traditiones quæ ad externum ordinem Eccleſiæ ſpectant: nec negamus à Chriſto & Apoſtolis aliquos ritus ad poſteriora ſæcula manâſſe. Et nemo neſcit Chriſtum & Apoſtolos multò plura dixiſſe, quàm quæ ſcripta extant, & non omnia quæ ſpectant ad Eccleſiaſticam hiſtoriam iſtius temporis in ſacris Literis ſcripta eſſe: nec nos litigamus de Traditionibus hiſtoricis aut ritibus quibuſdam non ſcriptis, ſi non repugnant Scripturæ: ſed dicimus tantum ſcriptum eſſe & de rebus fidei & morum, quantum viſum eſt Deo expedire, & ſatis eſſe in hac vitâ, ad voluntatis ſuæ, rerumque divinarum notitiam & noſtram ſalutem: neque ullum aliud Verbum Dei agnoſcimus quo fides noſtra nititur, præter id quod in verbo ſcripto continetur. Concedimus Prophetas & Apoſtolos, homines ſcilicet θεόπνευστοι eâdem auctoritate tradidiſſe doctrinam ſuam & vivâ voce & ſcriptis, adeoque eorum & prædicationem & ſcripturam pariter fuiſſe Verbum Dei: ſed omnia alia dicta & ſcripta de rebus fidei ad eorum ſcripta exigenda eſſe dicimus, nec aliter cenſenda eſſe Verbum Dei, quàm ut cum eo congruunt.

Pontificii præferunt, ſaltem adæquant traditiones non ſcriptas Sacroſanctis Scripturis. Concilium Tridentinum. Catechiſmus Romanus. Charronæus.

Contrà Pontificii non minus traditionibus tribuunt quam Scripturæ S. Concil. Trident. Seſſ. 4. ait veritatem omnem ſalutarem & „ morum diſciplinam contineri in libris ſcriptis & ſine ſcripto tra„ ditionibus: & ait ſe libros omnes tam Veteris quàm Novi Teſt. „ nec non traditiones ipſas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes „ tanquam vel ore tenus à Chriſto, vel à Sp. S. Apoſtolis dictatas, „ & continuâ ſucceſſione in Eccleſiâ Catholicâ conſervatas pari „ pietatis affectu & reverentiâ ſuſcipere & venerari. Catechiſmus „ Romanus in præfatione art. 12. Omnis (inquit) doctrinæ ratio „ quæ fidelibus tradenda ſit, Verbo Dei continetur, quod in Scrip„ turam Traditioneſque diſtributum eſt. At nonnulli multò inſolentius, non ſatis habent traditiones Scripturæ exæquare, niſi etiam lon„ gè præponant. Charronæus veritatis tertiæ cap. 4. Scriptura (inquit)

Hoſius. „ quit) eſt minima pars veritatis revelatæ. Hoſius Confeſſionis „ cap. 92. Multò maxima pars Evangelii pervenit ad nos traditio- „ ne, perexigua literis eſt mandata. *Claudiopolitani Ieſuitæ.* Claudiopolitani Jeſuitæ The- „ ſi 9. Quod ſi verbum ſcriptum cum non ſcripto conferre velimus, „ utrumque in Eccleſiâ magnum momentum habere reperiemus: majus tamen non ſcriptum quàm ſcriptum. *Coſterus.* Coſterus in Enchiridio cap. 1. multùm elevat ſacrarum Literarum dignitatem infra doctrinam Eccleſiæ, quam Scripturam in corde Eccleſiæ appellat, quâ appellatione traditiones complectitur.

Imò Eccleſiaſticas traditiones, quas à divinis & Apoſtolicis contra diſtinguunt, non minùs firmas & notas eſſe volunt, quàm ſacram Scripturam. *Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei, cap. 2.* Nam Bellarm. ait Eccleſiaſticas traditiones eandem vim habere quam decreta & conſtitutiones Eccleſiæ ſcriptas. Per decreta autem & conſtitutiones Eccleſiæ ſcriptas, intelligit Conciliorum generalium Canones. *Coſterus.* Concilia autem dicit æquè certa dici poſſe ac Evangelia, cùm utraque ſint infallibilis veritatis lib. 2. de Concil. cap. 12. Et Coſterus in Enchiridio cap. 1. decreta Conciliorum generalium, ſi veritas, ſi obſignatio Spiritus, ſi præſentia Chriſti ſpectetur, idem habere pondus & momentum quod ſancta Dei Evangelia. Fatentur quidem verba Concilii non eſſe tam auguſta quàm Scripturæ, quia verba Concilii non ſunt immediatè dictata à Deo ut verba Scripturæ: ſed res ipſas & documenta fidei & morum utrobique æquè divina & certa eſſe aſſerunt.

Latum eſt fundamentum fidei Pontificiorum poſtquam extra Scripturam vagari caperunt. Hinc videre eſt quàm latè pateat ratio & fundamentum fidei Pontificiorum; nihil enim tam abſurde credunt aut agunt, quin aliquo ex iſtis modis defendi queat: nam ſi non poſſunt id aliquo fuco ex genuinis Sacræ Scripturæ libris ementito colorare, licebit eis ad Apocryphos confugere. Quod ſi nec in iis reperiunt, ſatis erit iis præſidii in Conciliis, quæ vocant generalia, à Papa approbatis, verbi causâ in Lateranenſi, Florentino & Tridentino Conciliabulis. Quod ſi nec hujuſmodi Concilia ſatisfaciant, tum decretales Epiſtolæ Papæ, utpote infallibilis, ſufficient; aut Eccleſiæ Romanæ auctoritas, quæ errare non poteſt. Quod ſi objiciatur nec Papam nunc, neque Concilia, neque Eccleſiam poſt Apoſtolorum tempora poſſe alios articulos fidei præſcribere, quàm qui ſunt traditi à Chriſto & Apoſtolis (id quod ſaniores Pontificii concedunt, & nominatim Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei, cap. 9. & lib. 2. de Concil. cap. 12.) Reſpondent quicquid ejuſmodi tenetur aut præcipitur

cipitur

Digitized by Google

cipitur in Eccleſiâ Romanâ, hauſtum eſſe ex Verbo Dei (cujus interpres eſt Eccleſia, & ex quâ per ratiocinationem deducere poteſt concluſiones.) & ſi minus deduci poteſt ex Verbo Dei ſcripto, poſſe tamen deduci ex verbo non ſcripto, quod latiſſimè patet.

Verbum non ſcriptum eſt imperſcrutabile myſterium.

Sed quàm latè pateat Verbum illud non ſcriptum, nemo poteſt dicere: neque id ullus Pontifex, aut ullus ex Pontificiis determinare auſus eſt: ut quicquid ſcilicet definivit, tenet, aut poſtea unquam definiet aut tenebit Romana Eccleſia, quod alia ratione probari non poteſt, prætextu indeterminati hujus verbi non ſcripti protegatur: nempe quod vel in verbo non ſcripto contineatur, vel quod ex eo per conſequentiam deducatur: quanquam ubi extet verbum illud non ſcriptum nullo ſenſu percipi poteſt: quod ſcilicet putatur latere in ſcrinio pectoris Papæ, aut inſcriptum eſſe in corde Eccleſiæ, ut loquitur Coſterus in principio Enchiridii, neque ullâ Scripturâ externâ plenè comprehendi: adeo ut quicquid libeat Pontifici aut Pontificiæ Eccleſiæ dicere eſſe verbum non ſcriptum, id pro Verbo Dei habendum ſit.

Eſt prima controverſiarū Pontificiarum. Lindanus. Pereſius.

Quare non immeritò Pontificii verbum non ſcriptum proram & puppim Religionis ſuæ conſtituunt, firmiſſimumque ſuum caſtrum & propugnaculum, ut profitetur Lindanus de optimo genere interpretandi, in præfatione, item Martinus Pereſius magnus traditionum patronus in præfatione ſuâ ait, controverſiam de verbo non ſcripto ſeu de traditionibus eſſe caput & ſeminarium omnium ferè controverſiarum, quæ hodie agitantur: in quo uno ſi conſentiremus, facile omnia diſſidia de Religione ſopirentur. Cujus rei ratio hæc eſt, quia pleraque omnia dogmata Pontificia in quibus à nobis diſſident in ſolâ traditione, aut præcipuè in traditione fundata eſſe docent (id quod longâ inductione Pereſius oſtendit in eodem opere) adeo ut licet dicis causâ interdum proferant teſtimonia Scripturæ, tamen planè actum eſſet de eorum causâ, ſi traditionum præſidio deſtituerentur: ut non obſcurè fatetur idem Pereſius in iſta præfatione.

Subdola Ratisbonenſium Ieſuitarū hypocriſis prædicantium Scripturarum perfectionem.

Hinc videre eſt quantum Pontificii derogent perfectioni Scripturæ: etſi non deſunt ex iis, qui reputantes, quàm odioſum ſit Scripturam appellare imperfectam, amoliri conantur non rei ipſius ſed vocabuli atrocitatem variis diſtinctionum argutiis aut cavillis. Sic Jeſuitæ in colloquio Ratisbonenſi Seſſ. 4. profitentur ſe agnoſcere Scripturam eſſe perfectam & nolle eam imperfectam appellari, quia

quia imperfectum id dicitur, cui deeſt aliqua debita & conveniens perfectio, non quia deeſt alia perfectio quæ non eſt debita: ut homo dicitur imperfectus cui deeſt manus, non quòd ei deſunt alæ. Negant autem hanc eſſe debitam perfectionem Scripturæ, ut omnia particularia dogmata fidei & morum contineat. Sed quamnam agnoſcunt debitam perfectionem Scripturæ? Scripturæ (inquiunt dicuntur perfectæ, quoad perfectionem credibilitatis & exactiſſimæ veritatis. Sed hîc non de iſtâ perfectione agitur, quæ certè convenit cuilibet ſententiæ Scripturæ. Nobis non libet λογομαχεῖν, neque hîc diſputamus de perfectione quæ convenit ſingulis libris & ſententiis Scripturæ: ſed quærimus num tota Scriptura, ſeu totum corpus Scripturæ Canonicæ (ut negari non poteſt quin ſit regula fidei) num (inquam) ſit perfecta ſeu ſufficiens Regula aut Canon, & num ſit integrum ac plenum Verbum Dei. Hic nullus videtur reliquus cavillationi locus. Bellarminus ait non eſſe totalem ſed partialem Regulam, nec eſſe ſufficientem ſine Traditionibus, & Pontificii paſſim docent dari aliud Verbum Dei non ſcriptum re & ſubſtantiâ à ſcripto diverſum. Nemo autem dixerit unum membrum aut partem rei eſſe rem ipſam perfectam.

Seſſ. 8.

Sed tamen non deſinunt cavillari adverſarii. Sic Jeſuitæ in eodem „ Colloquio. Nos (inquiunt) minimè Scripturam imperfectionis „ accuſamus, imò fatemur palàm eam eſſe perfectam, & ſufficien- „ ter tradere omnia quæ ad Religionem ſpectant: non ſolùm quia „ ea, quæ omnibus ſimpliciter ſunt ſcitu neceſſaria apertè tradit: „ ſed etiam quia ex illâ, ea quoq; omnia mediante auctoritate infallibili Eccleſiæ deducuntur. Videri hîc poſſent nobiſcum planè conſentire: ſed dolus in verbis latet. Nam cùm aiunt Scripturam tradere apertè quæ omnibus ſimpliciter ſunt neceſſaria, pauciſſima certè talia agnoſcunt, quæ ſcilicet neceſſe ſit omnes Chriſtianos ſcire explicitè, nempe Symbolum Apoſtolicum, Decem præcepta, & nonnulla Sacramenta, ut explicat Bellarm. lib. 4. de Verb. Dei cap. 11. & eorum ipſorum confuſam tantùm notitiam ſufficere putant. Nam alioqui ſatis putant eſſe populo Chriſtiano fidem implicitam, ut implicitè credat quæ Eccleſia credit.

Deinde cùm dicunt, reliqua quæ ſunt credenda mediante auctoritate infallibili Eccleſiæ ex Scripturâ deduci, nihil aliud intelligunt, quàm quia in Scripturâ commendatur auctoritas Eccleſiæ ſeu Prælatorum, & (ut illi volunt) etiam traditiones non ſcriptæ, ideo ex Scrip-

Digitized by Google

Scripturâ colligi eâ omnia dogmata recipienda eſſe, quæ Eccleſia tradit, & ad Traditiones referuntur, etſi particulariter in Scripturâ non contineantur: id quod planiùs Bellarm. docet lib. 4. de Verbo „ Dei cap. 10. Scriptura (inquit) ideò ſufficienter dicitur inſtruere „ & perficere hominem Dei, quia multa expreſsè continet, & quæ „ non continet, oſtendit unde ſint petenda. Sed hæc ridicula eſt perfectio: quaſi aliquis diceret perfectum medicum, qui, cùm nonnulla teneret præcepta artis medicæ, oſtendere poſſet Doctorem medicinæ eruditum, à quo petenda eſſent quæ ipſe non teneret: adeoque hinc ſequeretur perfectionem Scripturæ, enumeratis aliquot capitibus Religionis, in pauculis iſtis ſententiis abſolvi. *Si Eccleſiam non audierit ſit velut Ethnicus & Publicanus*, Mat. 18. *Qui vos audit, me audit*, Luc. 10. 16. Quibus abutuntur Pontificii ad immodicam Eccleſiæ poteſtatem ſtabiliendam. *Mat. 18. Luc. 10. 16.*

Stapletoni vanum effugium. Eodem modo Stapletonus relectionis Principiorum fidei cap. 5. „ quæſt. 5. art. 1. Scriptura (inquit) docens clarè & expreſsè, quæ „ ſit vera Eccleſia, & ejus auctoritas aliaque Principia fidei doctri„ nalia, docet tanquam in radice & principio omnia ad fidem neceſ„ ſaria, quia per Eccleſiam cætera dicuntur quæ Scriptura tacet. Egregiè verò: Sic enim ruſticus quilibet perfectus poteſt eſſe orator, & omnia ad cauſam neceſſaria tractare, quia, ubi quædam ipſe attigerit, uti poteſt operâ conſummati Oratoris aut Advocati per quem dicantur quæ ipſe tacuit & omiſit, quanquam neque illud eſt „ verum ſecundum ipſorum hypotheſes, Scripturam docere cla„ rè & expreſsè quæ ſit vera Eccleſia (ut illi intelligunt veram Ec„ cleſiam) & quæ ſit ejus auctoritas, quam ipſi Eccleſiæ attribuunt. Nam illa immenſa auctoritas quam Eccleſiæ ſuæ arrogant, ex Scripturis probari non poteſt: & nuſquam Scriptura docet Romanam Eccleſiam eſſe veram Eccleſiam, & illi notas Eccleſiæ tam ex Scripturâ quàm aliunde colligunt. Imò Scripturam ex Eccleſiâ, ſed non Eccleſiam ex Scripturâ innoteſcere nobis volunt, adeoque priùs notam eſſe nobis Eccleſiam & ejus auctoritatem quàm Scripturam contendunt. Proindè nec hæc quoque quam fingunt perfectio competere poteſt Scripturæ ex ipſorum ſententiâ, ut doceat nos quæ ſit vera Eccleſia, cui nos docendos tradere debemus: niſi dicatur Scripturam nos docere id, quod præſupponitur nos ſcire antequam Scripturæ credamus. Utcunque eſt: hæc tota eſt perfectio quam Pontificii Scripturæ tribuunt, non quòd nos per ſe perfectè doceat, ſed

S ſ quòd

Digitized by Google

quòd doceat nos quæ ſit Eccleſia, ut ab eâ perfectè doceamur, quam tamen præſupponunt nos ſcire antequam nos doceat. Sed nos intelligimus Scripturam ita eſſe perfectam, ut definitè ac ſigillatim contineat & doceat omnia de fide & moribus ad ſalutem neceſſaria, neque quenquam audiendum qui in eo genere aliud præterea doceat.

Bellarmini in mediâ ſuâ ingenuitate fraus.

Denique Bellarm. ita ſtatum controverſiæ proponit. Nos (inquit) „ aſſerimus in Scripturis non contineri expreſsè totam doctrinam „ neceſſariam, ſive de fide, ſive de moribus: & proinde præter Ver- „ bum Dei ſcriptum, requiri etiam Verbum Dei non ſcriptum, id „ eſt, divinas & Apoſtolicas traditiones. At illi docent in Scripturis „ omnia contineri ad fidem & mores neceſſaria, & proinde non eſſe opus ullo verbo non ſcripto. Hîc Bellarm. uno vocabulo doloſe addito pervertit ſtatum controverſiæ. Nam in alterâ partè ponit vocem *Expreſsè*, in alterâ non ponit, proinde nulla eſt contradictio: quia fieri poteſt, ut in ſcripturis contineantur omnia ad fidem & mores neceſſaria, licet non expreſsè contineantur. At quid ſibi vult per vocem *Expreſsè*? An ut illud dicatur tantùm contineri expreſsè in Scripturâ, quod totidem verbis in Scripturâ exprimitur, an illud vult expreſsè contineri in Scripturâ, quod in eâ definitè & determinatè quod ad rem ipſam attinet continetur, ſive totidem verbis in Scripturâ reperiatur, ſive ex ſenſu verborum per neceſſariam conſequentiam deducatur? Si priori modo intelligat (quod vox denotare præcipuè videtur) nihil ad nos: ſin poſteriore, agnoſcimus ſtatum controverſiæ quem per voces minimè ambiguas explicare ſatius eſt.

Addit etiam duo alia capita diſſenſionis inter nos & eos Bellarminus: ſed illa aut huc revocari poſſunt, aut in diſputatione occurrent.

Deinde antequam diſputationem aggreditur, clariſſimos viros Calvinum, Brentium & Chemnitium exagitat, contradictiones & mendacia eis impudentiſſimè objiciens: in quibus refellendis non eſt quod tempus teramus, cùm & ex eorum ſcriptis, & ſequenti diſputatione veritas noſtræ communis ſententiæ ſatis eluceſcat.

Porro Bellarm. diſputationem aggrediens, non tantùm quod in quæſtione propoſuit, conatur probare Scripturas ſine traditionibus non eſſe ſufficientes, ſed etiam Scripturas non eſſe ſimpliciter neceſſarias, ut hac ratione Scripturæ præferat traditiones, quas vult omninò eſſe neceſſarias. Ideoque nos ejus veſtigiis inſiſtentes, quia id ad diſputationem ſequentem conducit, nonnihil de neceſſitate Scripturæ dicemus.

CAP.

CAP. II.

De neceſſitate Scripturæ.

EXTRA controverſiam eſt inter Chriſtianos fidem divinam niti teſtimonio divino ſeu Verbo Dei, quod ſemen eſt Eccleſiæ, & fundamentum Religionis, adeoque neceſſarium, ut ſine eo nec vera Religio, nec Eccleſia eſſe poſſit.

Nemo Chriſtianis dubitat fidem divinam niti Dei Verbo.

Deus autem variè & multis modis verbum ſuum communicavit: aliquando immediatè, id eſt, nullius perſonæ interventu, ut priſcis Patribus, Prophetis & Apoſtolis: aliquando mediatè, id eſt, aliorum utens miniſterio. Et in utroque modo varii gradus diſtinguuntur. Nam quod ad priorem attinet, aliquando ſpecies rerum immediatè intellectui impreſſit, aliquando ſenſibus internis objecta repræſentavit, aliquando etiam ſenſus externos vivâ voce & aliis ſignis affecit, ut à ſenſibus ad intellectum res deferrentur. Rurſum aut vigilantibus aut dormientibus, aut per ecſtaſin raptis ſe ſuamque voluntatem patefecit.

Dei Verbū eſt multiplex.

In altero etiam modo nunc adhibuit miniſterium Angelorum, nunc hominum: & hominum quidem, vel primariò vel ſecundariò. Primarium intelligo, miniſterium eorum, qui à Deo inſpirati & immediatè edocti verbum ejus enunciârunt ſive ſcripſerunt. Secundarium intelligo verbum prædicatum & explicatum à paſtoribus & doctoribus aliis Eccleſiæ juxta fundamentum hominum *θεοπνεύστων* Prophetarum & Apoſtolorum.

Ex his omnibus modis eum ſolum ordinarium dicimus, quo Deus hominum miniſterio, ſive primario ſive ſecundario utitur in verbo tradendo. Atque illud quidem conſtat ſecundarium à primario ita dependere, ut nefas ſit aliud Dei nomine verbum prædicare quàm quod traditum eſt à Prophetis & Apoſtolis. Tradiderunt autem illi doctrinam ſuam & ſcripto & vivâ voce. Vox tranſit, ſcriptum permanet: neq; quod vivâ voce traditur, aliter conſervari poteſt, quàm vel monumentis literarum vel hominum memoriâ & relatione.

Dei miniſtri primarii θεόπνευſοι doctrinam ſuam tradiderāt ſcripto.

Cæterum cùm hominum memoria ſit fluxa & relatio non ſemper fida, propter hominum infirmitatem, inſcitiam, oblivionem, perverſitatem, aut malitiam: & longo decurſu temporis variis mutationibus obnoxia: atque ad rerum memoriam conſervandam inven-

Digitized by Google

tum præcipue ſit ſubſidium literarum, quis non videt multò firmius & certius rerum geſtarum aut doctrinæ memoriam conſervari poſſe literarum monumentis quàm nudâ hominum recordatione aut relatione.

Scripta Prophetarum & Apoſtolorum etiamnum extant.

Scripta Prophetarum & Apoſtolorum iiſdem verbis quibus ab ipſis exarata ſunt adhuc extant, nec ullâ vi aut arte Satanæ & ejus aſſeclarum, etſi ſedulò conantium, ſubverti aut aboleri poterant: nec dubitandum eſt divinâ providentiâ ad conſummationem ſæculi conſervatum iri. Tantum autem ab iis ſcriptum eſt, quantum vix, ac ne vix quidem ullus memoriâ complecti poteſt, tantumque in Scriptura ut in perenni fonte ſapientiæ incluſum & reconditū eſt, ut quantumcunque quiſque per omnem vitam ſummo ſtudio & labore hauſerit, nunquam tamen exhauſerit, nunquam perfectam omnium, quæ in ea comprehenduntur, notitiam aſſequi valeat.

Quod ſi in Sacrâ Scripturâ immenſus hic theſaurus ac fons inexhauſtus non extaret, ubi quæſo conſervari, aut unde elici poſſet? Loquor de ordinariâ ratione, nam ad extraordinariam revelationem nunc non eſſe confugiendum ipſi Pontificii agnoſcunt, an in ſcrinio pectoris Pontificis reperietur, an in corde Eccleſiæ, ut alii loquuntur? At quis dixerit ullum unquam fuiſſe Pontificem, qui pectore ſuo complexus eſt totam iſtam ſapientiam, quæ in Scripturâ recondita eſt. Quod autem dicunt de corde Eccleſiæ, ambiguum eſt: definiendum enim eſt iis, utrum illa ſapientia lateat in ſingulis membris Eccleſiæ, an in omnibus ſimul ſumptis, an in aliquibus tantùm. Agnoſcimus quidem nullum eſſe vivum Eccleſiæ membrum, in quo non ſit aliqua pars hujus ſapientiæ, idque quantum ad ſalutem ſatis eſt: ſed nemo dubitat in ſingulis eſſe imperfectionē; & licet concederemus in omnibus ſimul ſumptis reperiri totam illam ſapientiam quæ in Scripturâ continetur, ita ſcilicet ut ſuppleatur ab aliquo quod deeſt alii, num tamen quis hominum, aut omnes unà homines poſſunt illam totam voce aut ſcripto exhibere? Atque fingamus aut nunquam editam eſſe Scripturam Sacram, aut amiſſam eſſe per aliquot annorum centurias, dicant velim, num penes Papam eſſet aut Prælatos aliquos Eccleſiæ, aut totam Eccleſiam, tam perfectum Scripturæ corpus edere, quàm nunc habemus.

Multò perfectior eſt Scriptura quàm quævis ſapientia in cujuſquam mortalis corde jam latens.

Abſurdè docent Pontificii traditiones.

Quid itaque ſibi volunt Pontificii, quòd tantopere contendant Scripturam non eſſe neceſſariam, Traditiones autem eſſe neceſſarias? An volunt doctrinam ipſam ſcriptam non eſſe neceſſariam;

doctri-

doctrinam autem, quam appellant verbum non ſcriptum, quia in Scripturâ non continetur, eſſe neceſſariam? Sic enim ſuprâ in ſtatu quæſtionis explicando Traditionis nomen oppoſuit Scripturæ Bellarminus: at hoc non audent nec poſſunt dicere. Scripturam itaque & traditionem hîc accipiunt, non pro re ſcriptâ & traditâ, ſed pro modo tradendi; ſtatuentes ſcilicet non fuiſſe neceſſarium ut Verbum Dei ſcriberetur: ſed ut neceſſarium eſſe exiſtimant verbum non ſcriptum, quod aliam doctrinam continet ab eâ quæ eſt in Sacris literis, ita negant neceſſarium fuiſſe ut per Scripturam communicaretur ulla Verbi Dei pars, quia ſcilicet traditione vivæ vocis conſervari tota ſufficienter poſſit.

neceſſariam, Scripturam non neceſſariam.

Nos quidem non dicimus Scripturam eſſe abſolutè neceſſariam, ſed ex hypotheſi. Neceſſarium ex hypotheſi dicitur variis modis, ſed præſertim duobus, nempe ex ſuppoſitione cauſæ efficientis, & ex ſuppoſitione finis. Verbi causâ, non eſt neceſſe abſolutè ut hic vel ille homo conſequatur vitam æternam, ſed ex hypotheſi efficientis cauſæ, ſi prædeſtinatus ſit ad vitam æternam, neceſſe eſt ut eam conſequatur: item ſi baptizatus fuerit & crediderit, neceſſe eſt ut ſervetur: Rurſus non eſt neceſſe ut hic vel ille credat, ſed ex hypotheſi finis, neceſſe eſt credere, ut ſervetur: ut neceſſe eſt hominem edere, ſi vult conſervare vitam: Neceſſarium etiam ratione finis diſtingui ſolet, in neceſſarium ad eſſe, & neceſſarium ad benè eſſe, id eſt, neceſſarium vel ſimpliciter ad conſequendum finem, vel ut meliùs & faciliùs acquiratur: ſed hoc magis propriè dicitur utile quàm neceſſarium. Fatemur autem nec Scripturam, nec ullam traditonem verbi Dei per miniſterium hominum eſſe ſimpliciter neceſſariam ad ſalutem, poteſt enim Deus omnes immediatè docere, ſicut docuit nonnullos, ſed ex hypotheſi ordinationis Dei, qui non inſtituit immediatè quoſlibet docere, miniſterium verbi eſt neceſſarium ad ſalutem. Ita traditio verbi in genere eſt ſimpliciter neceſſaria ex hypotheſi partim efficientis cauſæ, partim finalis: item in ſpecie traditio verbi vivâ voce per prædicationem evangelii ſecundum Scripturas eſt neceſſaria, quia *fides eſt ex auditu, auditus autem per verbum Dei* Rom. 10. 17. Sic dicimus ex ordinatione Dei ad conſervandam puritatem & integritatem veritatis à Deo revelatæ in ſacris literis, Scripturam eſſe Eccleſiæ militanti nunc ſimpliciter neceſſariam. Dixi *ex ordinatione Dei*: loquimur enim de ordinariâ ratione quam Deus inſtituit ad conſervandam veritatem ſuam, nam extra ordinem

Scriptura eſt neceſſaria ex hypotheſi efficientis & finis.

Rom. 8. 30. *Marc.* 16. 16.

Rom. 10. 17.

Deus olim veritatem collapſam novis revelationibus ſæpenumerò reſtituit. Et dixi *nunc* eſſe neceſſariam: quia Deus abſoluto canone Scripturæ, & adultâ jam Eccleſiâ deſiit uti novis revelationibus: & nunc non alia ſupereſt ratio conſervandi & propagandi veritatem Divinam, quàm per Scripturam, & traditionem vivæ vocis miniſterio hominum. Nos autem utramque rationem neceſſariam dicimus: non quòd alia veritas ad Scripturam, alia ad traditionem pertineat, ſed unam eandemque veritatem utrobique contineri volumus.

Traditio Divina Doctrinæ per vivam vocem ſine Scripturâ nunc non ſufficit. Pſal. 119. v. 12, 18, 36, 66. Auguſtinus.

Non ſufficere autem traditionem miniſterio vocis humanæ, ſed Scripturam prætereà nunc eſſe neceſſariam ex dictis patet: quia ne doctiſſimi quidem & ſanctiſſimi perfectè aſſequuntur totam illam ſapientiam in Verbo Dei reconditam, ſed cùm plurima didicerint, opus habent cum Pſalte precari, *Doce nos ſtatuta tua: retege oculos noſtros, ut intueamur mirabilia ex Lege tua: præſtantiam rationis & ſapientiæ doce nos.* Auguſtinus epiſt. 3. quæ eſt ad Voluſianum, ait tantam eſſe ſacrarum profunditatem literarum, ut etiamſi ſummum adhibeatur ſtudium, maximéque diuturnum, ſemper tamen ſuperſit in iis, quod diſcatur: & tantam non ſolum in verbis Scripturæ, verum etiam in rebus quæ intelligendæ ſunt, latere altitudinem ſapientiæ, ut annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimis cupiditate diſcendi hoc contingat, quod Scriptura quodam loco dicit. Cùm conſummaverit homo, tunc incipit.

Gregorius.

Gregorius præf. ad Leandrum cap. 4. Divinus ſermo (inquit) ſicut prudentes myſteriis exercet, ſic plerunque ſuperficie ſimplices refovet: habet in publico unde parvulos nutriat: ſervat in ſecreto, unde mentes ſublimium in admiratione ſuſpendat: quaſi quidam quippe eſt fluvius (ut ita dixerim) planus & altus, in quo & agnus ambulet, & elephas natet.

Chryſoſtomus.

Chryſoſtomus hom. 18. in Acta Apoſt. Non poteſt (inquit) fieri ut mentem Scripturarum quis exhauriat: fons enim eſt immenſus.

Hinc ſequitur, ſi Scriptura eſſet deperdita, non eſſe penes ullum hominem, imò nec univerſum genus humanum, eam, aut ſapientiam in eâ incluſam, citra extraordinariam Dei revelationem reſtituere. Quis neget ergo ad conſervandam integritatem ſapientiæ Divinitus revelatæ neceſſarium eſſe nobis Scripturam?

Abſque Scripturâ facilè deperditur veritas.

Huc accedit, quòd ſi ſolâ traditione hominum, citra Scripturam & extraordinariam revelationē conſervaretur & propagaretur Divina veritas, cùm etiam ſanctiſſimi & ſapientiſſimi multâ imperfectione

& vitiis

Digitized by Google

& vitiis laborent, fieri non poſſet, quin longo ſaltem temporis tractu labefactaretur aut interpolaretur, accidente præſertim aſtu Diaboli, & invaleſcente degeneri miniſtrorum ſucceſſione, & communi hominum apoſtaſiâ, quam prædixit Dominus.

Et certè multorum ſæculorum experientiâ conſtat, abſque Scripturâ, & ceſſante extraordinariâ Dei revelatione, cùm nulla alia ratio ſupereſſet propagandi Verbum Dei, quàm per traditionem Patrum non ſcriptam, proclivem admodum fuiſſe degenerum poſterorum in errorum portenta lapſum, non tantum ante ſed etiam poſt diluvium: adeo ut brevi poſt Noæ tempora non ſolùm in poſteris Chami & Japheti idololatria & ſuperſtitio multiplex prævaluerit, ſed etiam in ſanctâ familiâ Semi depravata fuerit Religio: cùm ipſe Terah pater Abrami & pater Nachoris ſerviret diis alienis Joſuæ 24. 2. actumque de puritate Religionis eſſet, niſi Deus novo fœdere cum Abrahamo inito, novis revelationibus Religionem collapſam inſtaurâſſet: cujus tamen poſteri ſtatim defecerunt, niſi quantum Deus Iſaacum & Jacobum ejuſque liberos non ſine variis ſubinde revelationibus confirmavit. Quin & brevi ipſorum poſteri in Ægypto multùm à puritate Religionis deflexerunt, donec Deus Moſen à ſeipſo edoctum ducem ipſis & Magiſtrum dederit, qui Legis tabulas Dei ipſius manu exaratas eis tradidit, & Canonem Scripturæ primus, Deo dictante, literis conſignavit: cui adhærentes in veritate perſtiterunt, eoque rurſus neglecto in idolomaniam, fœdamque ſuperſtitionem identidem præcipites ruerunt.

Joſ.24.2. *Ezech.20. 7.*

Exemplum hujus negligentiæ videre eſt 2 Reg.22.8. & 2 Chron. 34.14.&c. ubi legitur regnante Joſiâ Hilkiam Sacerdotem inveniſſe librum Legis im Domo Dei, diu ante, ut apparet, neglectum.

2 Reg.22.8 2 Chr.34. 14.

Et licet Deus variis temporibus, extra ordinem, prophetas ſuos ad Iſraëlitas inſtituendos & corrigendos excitaverit, qui non tantùm vivâ voce ſed etiam ſcripto Verbum Dei tradiderunt: tamen hic omnium ipſorum ſcopus fuit, ut eos ad Legem & teſtimonium à Moſe ſcriptum revocarent. Eſaiæ 8. 20. Quin & ipſe Dominus Jeſus Chriſtus, ejuſque Apoſtoli ad Sacram Scripturam provocârunt, ex eaque doctrinam ſuam deduxerunt & confirmârunt ac contradicentes refellerunt Joan.5.39. & 46. Mat.21.42. & 22. 29. Lucæ 4.21. & 24.27. Act.1.16. & 26.22. Rom.3.21. Heb.1. & alibi paſſim.

Ipſi prophetæ provocant ad Scripturas. *Eſ.8.20. Jo.5.39.& 46.Mat.21, 42. & 22. 29. Luc.4. 21. & 24. 27. Act.1. 16. & 26. 22. Rom.3. 21. Heb.1.*

Neque verò aliâ ratione Judæi olim convinci poterant aut nunc poſſunt: neque alio firmiori argumento confirmata & vindicata eſt

Re-

Religio noſtra apud Ethnicos, quàm quia Judæi inimici noſtri Codicem Veteris Teſtamenti tam ſolicitè cuſtodiunt, unde credat Chriſtianus & convincatur Paganus: ut variis in locis docet Auguſtinus tom. 2. epiſt. 59. tom. 6. contra Fauſtum lib. 13. cap. 10. & lib. 16. cap. 20. & 21. tom. 8. in enarratione in Pſal. 40. & in Pſal. 56. & tom. 10. Sermone de tempore 79.

Auguſtinus.

Et quis neget in conſenſu Veteris & Novi Teſtamenti fidem noſtram radicatam eſſe, & argumentis ex Sacrâ Scripturâ petitis lapidandos eſſe hæreticos ut docet Athanaſius contra Arianos orat. 2. Item Tertullianus negat quidquam recipiendum eſſe in Religione quod extra Scripturam infertur lib. de Carne Chriſti cap. 7. & de præſcriptione cap. 15.

Athanaſius. Tertullianus.

Similiter Auguſtinus contra literas Petiliani lib. 3. cap. 6. Sive „ (inquit) de Chriſto, ſive de ejus Eccleſiâ, ſive de quacunque aliâ „ re quæ pertinet ad fidem vitamque noſtram, non dicam nos, ne„ quaquam comparandi ei qui dixit *licet ſi nos*, ſed omninò quod „ ſequutus adjecit, Si Angelus è cœlo vobis annunciaverit præter„ quam quod in Scripturis legalibus & Evangelicis accepiſtis, anathema ſit. Adeone ergo impudentem eſſe quenquam, ut dicat Scripturas nunc ex ordinatione Dei ad ſalutem minimè eſſe neceſſarias, extra quas nihil annunciari fas eſt, quod ad fidem ſpectat?

Auguſtinus.

Cæterum quis neget ad integritatem artium etiam humanarum, id eſt, ab hominibus inventarum & excultarum conſervandam libros & ſcripta eſſe neceſſaria, quantò magis cenſendum eſt libros à Deo ipſo dictatos eſſe neceſſarios, quibus ſapientiam ſuam inexhauſtam, ingenii humani vires longè excedentem complexus eſt? Undè rectè Gregorius Tholoſanus juris utriuſque Doctor de Repub. lib. 2. „ cap. 5. context. 1. & 17. In hominibus (inquit) ſemper fuit mu„ tabilis & ad novas opiniones deſultoria natura: idcirco Deus hu„ manæ fragilitati conſulens, illis per Scripturæ juvamen, & veluti „ Theſaurorũ Divinorum memoriale auxiliari voluit, ad perpetuam „ rerum memoriam, & geſtorum & mandatorum teſtimonium. Ne„ que aliâ cauſâ juſſit Deus fideliter & cum omni diligentiâ deſcribi „ Legem & mandata, quàm ut repetitâ prælectione populus audiens, „ Dei voluntatem retineret & exequeretur.

Gregorius Tholoſanus.

Contrà Bellarminus probat Scripturas non eſſe neceſſarias ad conſervandam Religionis doctrinam hoc argumento: quia olim traditione ſine Scripturâ conſervata eſt doctrina Religionis, ergo & nunc

Bellarmini argumenta contra neceſſitatem Scripturæ.

nunc eodem modo conſervari poteſt. Antecedens probat inductio-
„ ne ex variis ætatibus Eccleſiæ: cujus quatuor ſunt membra. Pri-
„ mò ab Adamo (inquit) uſque ad Moſen per bis mille annos con-
„ ſervata eſt Religio ſolâ Traditione. Secundo à Moſe uſque ad
„ Chriſtum per alia duo annorum millia, licet extiterint Scripturæ,
„ tamen eæ ſolæ erant Judæorum: reliquæ autem gentes in quibus
„ etiam erat apud aliquos vera Religio & fides, ſolâ Traditione non
„ ſcripta utebantur. Nam quod præter Judæos multi ad Eccleſiam
„ pertinerent, patet ex Job & amicis ejus. Item ex Auguſtino lib. 2.
„ de peccato originis cap. 24. & lib. 1. de Prædeſtin. Sanctorum
„ cap. 8. & lib. 18. de Civitate Dei cap. 47. Tertiò Iſraëlitæ ipſi, etſi
„ inter eos erat Scriptura, tamen magis utebantur Traditione quàm
„ Scripturâ. Idque oſtendit ex iis locis Scripturæ, in quibus mentio
„ fit inſtitutionis filiorum à Patribus Ex. 13. 8. Deut. 32. 7. Job. 8. 8.
„ Jud. 6. 13. Pſ. 43. alias 44. v. 2. Pſ. 77. alias 78. v. 5. Eccleſ. 8. 11.
„ & hanc ob cauſam ait Hebræos magis uſos eſſe traditione quàm
„ Scripturâ, quia uſque ad tempora Ezræ Scripturæ non erant reda-
„ ctæ ad formam librorum, ut facilè & commode haberi poſſent, ſed
„ erant diſperſæ in variis annalibus & chartis, & interdum ex ne-
„ gligentiâ Sacerdotum longo tempore non inveniebantur ut patet
„ ex 2 Regum 22. Quarto à Chriſti (inquit) adventu per annos
„ multos fuit Eccleſia ſine Scripturis, ita ut adhuc ſuo tempore ſcri-
„ bat Irenæus lib. 3. cap. 4. fuiſſe gentes aliquas Chriſtianas, quæ
„ ſolis traditionibus ſine Scripturis optimè viverent.

Reſp. primò, conſequentia argumenti neganda eſt: quia olim (putà ante Moſen) conſervata eſt doctrina Religionis ſine Scripturâ, ideo nunc ſine eâ conſervari poſſe. At non valet conſequutio, quia Sacramenta, antequam inſtituerentur, non erant neceſſaria; ideo nunc non eſſe neceſſaria: quia aliquando homini, verbi causâ, Moſi, per quadraginta dies cibus non erat neceſſarius, cùm Deus eum miraculosè ſuſtentaret, ideoque neque nunc homini per 40. dies cibum eſſe neceſſarium: quia homini in infantiâ ſufficiunt ubera matris, ideo adultâ ætate non neceſſarium eſſe alium cibum. Sic infirma eſt conſequentia, nunc non eſſe neceſſariam Scripturam, quia olim non erat neceſſaria, antequam à Deo inſtitueretur, cùm in mundi infantiâ non tantùm Patrum inſtitutione ſed ſuâ immediatâ revelatione Deus veritatem ſine Scripturâ traderet & conſervaret. Poſtquam autem Deus inſtituit Scripturam voluit Eccleſiam ab eâ

Conſervari potuit veritas ſine ſcripto ante editas Scripturas non poteſt.

Digitized by Google

Joan.5.29. 1 Tim.4.13 2 Tim.3. 14,15,16. 2 Pet.1.19

pendere ut patet ex Joan. 5. 39. 1 Tim. 4. 13. 2 Tim. 3. 14, 15, 16. 2 Pet. 1. 10. Et multò quidem faciliùs olim conſervari potuit doctrina Dei ſine Scripturâ, cùm illi ſuperſtites eſſent aut non ita pridem vitâ functi doctores quos ipſe Deus docuit, aut Dei opera mirabilia viderunt, cùm Patrum vita eſſet longæva & Eccleſia exiguo numero aut ſpatio concluſa.

Veritas olim conſervata fuit non tam hominum traditione quàm Dei immediatâ revelatione.

Deinde reſpondeo ad inductionem quâ confirmatur antecedens, & primò quod ad primum membrum attinet (ut omittam eorum ſententiam qui ante Moſen auxilio Scripturæ, ut libri Enochi (cujus meminit Judas) conſervatam veritatem ſentiunt) rectè falſum eſt conſervatum fuiſſe Religionem ſolâ traditione hominum, cum Deus ipſe frequentibus revelationibus immediatè verbum ſuum propagaret & conſervaret: quibus ceſſantibus aut rariùs adhibitis Scripturam ut neceſſarium ſubſidium ſubſtituit.

Proſelytæ habebant Scripturas Judæorum.

In ſecundo membro temerè & gratis dicitur, à Moſe ad Chriſtum poſt Scripturam editam eam ita propriam fuiſſe Judæorum, ut reliquæ gentes, inter quas aliqui verâ fide & Religione imbuti erant non Scripturâ ſed ſolâ traditione uterentur. Certum eſt Deum peculiare fœdus iciſſe cum Abrahamo Iſaaco & Jacobo ejuſque poſteris, & ex univerſo mundo populum Iſraëliticum ut ſibi peculiarem, rejectis aliis gentibus, delegiſſe; non quod nulli unquam ex gentibus, ſed quòd pauci & rari admodum ſingulari privilegio, tum ad Eccleſiam vocarentur, cùm ipſa multitudo gentium abalienata à politiâ Iſraëlis & extranei à pactis ſeu teſtamentis promiſſionis Divi-

Eph.2.12.

næ & abſque Deo in mundo eſſent Eph. 2. 12. & populus revera qui propriè populus diceretur nullus alius præter Iſraëlitas fuerit, ut loquitur Auguſtinus de Civit. Dei lib. 13. cap. 47.

Ut autem Deus paucis quibuſdam inter gentes extra ordinem Religionem Judæorum communicari voluit, quâ ratione quis Scripturæ uſum iis interdictum aut negatum eſſe dixerit? Proſelytis proculdubio ſacra omnia Judæorum erant communia cùm Moſes, id eſt, Scriptura Moſis in Synagogis oppidatim per ſingula Sabbata legeretur Act 15. 21. Poterantne Proſelytæ ex gentibus eam audire? Notum eſt Sacram Scripturam communicatam fuiſſe etiam non converſis: Ptolomæo Philadelpho Regi Ægypti Biblia ſunt data, miſſique ad eum 72 Interpretes, quorum operâ in Græcam linguam converſa & vulgata ſunt: Eunuchus Reginæ Candaces in curru legebat Iſaiam Prophetam, nec obſcurum eſt Poëtas & Phi-

Philoſophos ethnicos multa ex ſacris literis in ſuos tranſtuliſſe libros.

Iob vixit ante Legem.

Jobum autem & amicos ejus vixiſſe ante Moſen, & proinde ante Scripturam editam communis eſt ſententia, etſi liber Jobi demum poſt Legem datam ſit ſcriptus à Moſe, ut Hebræi & Origines exiſtimant. Athanaſius in Synopſi ſcribit Jobum fuiſſe quintum ab Abrahamo ex poſteris Eſaui. Auguſtinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 47. ait Jobum tertiâ generatione poſteriorem fuiſſe quàm Iſraëlem ſeu Jacobum. Certum eſt autem Jobum vivâ Dei voce & immediatâ revelatione edoctum fuiſſe. Porrò ſi qui alii extra Eccleſiam Dei apud Iſraëlitas viſibilem, citra Scripturas, veram fidem amplexi ſint (quod poſt Scripturas editas probari non poteſt) id nihil ad noſtrum inſtitutum ſpectat, qui non quærimus, quid extra ordinem Deus egerit, ſed de ordinariâ neceſſitate Scripturæ in Eccleſiâ diſputamus.

Falſum Iudaeos magis uſos traditione quàm Scripturâ.

In tertio membro falſum, ineptum, & ambiguum eſt quod ait Bellarm. Judæos poſt Scripturam editam magis uſos eſſe traditione quàm Scripturâ. Ambiguum eſt: nam nomen *traditionis* in hac diſputatione vel ſumitur pro doctrinâ non ſcriptâ, id eſt, quæ non continetur in Sacrâ Scripturâ, vel ſumitur pro modo tradendi, ſcilicet cùm res traditur vivâ voce, licet etiam ſcripto comprehendatur. Quod ſi priore modo acciperet Bellarminus nomen *traditionis* (quomodo id ſe accepturum profitetur cap. 2.) nimis abſurdum & impium eſſet dicere, Eccleſiam Dei magis uſum eſſe traditione quàm Scripturâ, quaſi ullum dogma non ſcriptum magis neceſſarium eſſet quàm articuli fidei in Scripturâ contenti. Et non deſunt aliqui Catholicorum (inquit Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei cap. 8.) qui negant ullam fuiſſe traditionem non ſcriptam apud Judæos.

Quod apud Iudaeos tradebatur vivâ voce fuit in Lege ſcripta.

Poſteriori modo, nos Traditionem vivæ vocis in Eccleſiâ neceſſariam eſſe agnoſcimus, cum fides ſit ex auditu Verbi Dei. Sed & hoc modo ſumpto nomine *traditionis*, falſum eſt Judæos magis uſos eſſe traditione quàm Scripturâ: nam iſta Traditio Scripturis nitebatur, nefas enim erat & eſt (ut poſteà oſtendemus) quidquam tradere de fide & Religione quod non ex Sacrâ Scripturâ depromitur. Itaque non tantùm cùm Scripturam immediatè legebant & audiebant, ſed etiam cum traditione utebantur, quatenus traditione utebantur, Scripturâ etiam utebantur: cum ejuſmodi traditio à Scripturâ penderet, & propter Scriptræ intelligentiam inſtitueretur: Propter quod

autem unum quodque tale eſt, idipſum magis tale eſt. Id quod planum eſt ex illis ipſis teſtimoniis, quæ citat Bellarm. Exod. 23. Deut. 32. &c. in quibus omnibus locis, nulla alia inſtitutio filiorum à parentibus memoratur, quam quæ in Sacra Scripturâ continetur: & quidem Pſal. 78.5. (ſecundum Hebraicam veritatem) diſertè meminit Teſtimonii & Legis. Hæc autem ſcripta Lex eſt quam Patribus præcepit ut notificarent filiis, prout legere eſt Deut. 4.9. & 6.7. & 11.19. &c. Etſi autem Eſdras Pſalterium & alios libros ſacros in ordinem redegit, non tamen ante eum ita perturbati aut reconditi erant libri Scripturæ, ut eorum uſus non potuerit eſſe communis: cùm contrà communem Legis ſcriptæ uſum Deus ipſe ſæpenumerò mandaverit, & commendaverit, ut videre eſt in Deuter. citatis locis & 4.6. & 31. 10, 11, 12, 13. Joſuæ 23.6. Eſaiæ 8. 20. & 34. 16. Pſal. 1.2. & 119. 2. & alibi.

Deut. 4.9. & 6.7. & 11.19.

Deut. 31. 10, 11, 12, 13. Ioſ. 23. 6. Eſ. 8.20. & 34. 16. Pſ. 1. 2. & 119. 2.

Cum legis αὐτόγραφον & exemplar primarium deperdebatur, omnia privata exemplaria non fuerunt deperdita.

Deut. 31. 25, 27.

Quod verò culpâ Sacerdotum diu neglectis fuerit liber Legis, & demum regnante Joſiâ inventus, id corruptelam temporis indicat, quo ſine Scripturæ uſu non conſervata ſed penitus depravata Religio fuerat; adeoque hinc ſententia noſtra confirmatur: ſiquidem amiſſo libro Legis, ſimul vera Religio amiſſa eſt, eoque rurſus invento aut reſtituto ipſa pariter inſtaurata eſt. Quanquam inventio libri Legis tempore Joſiæ non arguit Scripturam anteà penitus deperditam: intelligitur enim illic non quilibet liber Legis (quaſi tum nulla alia exemplaria Legis in piorum manibus fuiſſent) ſed originale, ut ita loquar, ſeu autographum, quod Moſes Levitis dederat in Sacrario aſſervandum, de quo Deut. 31. verſ. 25. & 27. Hoc autem neglectum fuerat regnantibus impiis præſertim illis regibus Manaſſe & Amone: quod certè etiam indicio eſt, cum publicum exemplar ita negligeretur prævalente Idololatriâ, non ita magnum aut frequentem interim fuiſſe uſum privatorum exemplarium, niſi inter paucos & obſcuros pios, quales ſibi ſemper Deus aliquos in graviſſimâ apoſtaſiâ reſervat.

Totum Novum Teſtamentum ante Apoſtolorum mortem fuit ſecretum.

In quarto membro falsò aſſeritur Eccleſiam à Chriſti adventu per multos annos fuiſſe ſine Scripturis, nam tantum paucis annis non habuit libros Novi Teſtamenti. Et ineptè arguitur à ſtatu primigeniæ iſtius Eccleſiæ, cùm adhuc exiguo numero & ſpatio comprehenderetur, quam Chriſtus ipſe præſens, Apoſtoli, Evangeliſtæ & Prophetæ, omnes extra ordinem divinitus edocti, & plerique rerum à Chriſto geſtarum αὐτόπται inſtituerunt, & multis miraculis in doctrinâ

ſuâ

ſuâ conformârunt ad ſtatum Eccleſiæ longè lateque propagatæ in ſequentibus ſæculis orbinario miniſterio, citrà extraordinariam revelationem conſervandæ, quæ multò magis Scripturarum ſubſidio indigebat. Atque hoc ipſo patet neceſſitas Scripturæ, quod Deus voluerit Evangelium vivâ voce prædicatum quam primum ſcriptis conſignari. Quippe Apoſtoli & Evangeliſtæ non tantùm in uſum præſentem, in quâ vixerunt, Eccleſiæ, ſed etiam futuræ, uſque ad conſummationem ſæculi, illud idem Evangelium & doctrinam, quam prædicârunt, literis conſignârunt, ut teſtatur Irenæus lib. 3. „ cap. 1. Non per alios (inquit) diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognovimus, quàm per eos per quos Evangelium pervenit ad nos, „ quod quidem tunc prænunciaverunt, poſteà verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam „ fidei noſtræ futurum.

Irenæus pro nobis contra Pontificios hic ſtat.

Nobis autem non adverſatur quod ſcribit Irenæus eodem lib. cap. 4. fuiſſe gentes aliquas Barbarorum, qui in Chriſtum credebant, & præcipuos fidei articulos tenebant ſine Scripturâ. Nam primò Irenæi ætate, qui paulò poſt Apoſtolorum tempora vixit, faciliùs conſervari potuit abſque ſcripto doctrina recens ab Apoſtolis tradita quàm diu poſteà. Deinde loquitur de Barbaris, qui cum rudes eſſent literarum, non intelligebant Scripturas in aliena linguâ, nec dum vernaculè converſas habebant, qui propterea Catecheſi ſeu traditione vivæ vocis inſtituendi erant, prout nunc quoque vulgus aut pueruli inſtruuntur. Quod ſi nunc etiam Barbaræ aliquæ gentes in Americâ, initio in præcipuis Chriſtianæ Religionis capitibus inſtituerentur citra Sacræ Scripturæ lectionem, non id everteret eam neceſſitatem quam Scripturæ attribuimus. Non enim ſtatuimus Scripturam eſſe cuilibet homini ſingulari neceſſariam ſimpliciter ad ſalutem, ſed toti Eccleſiæ eſſe neceſſariam ex hypotheſi quam ſuprà explicavimus. Poſtremò notandum eſt Irenæum ibidem recenſere articulos fidei, quos credebant iſti Barbari, nempe eoſdem qui in Sacrâ Scripturâ, & Symbolo Apoſtolico continentur: non loquitur ergo de traditionibus quales jactant Pontificii quæ in Sacrâ Scripturâ non comprehenduntur.

CAP. III.

In qua Argumenta à Scripturæ teſtimoniis de Scripturæ perfectione & ſufficientiâ.

Methodus diſputationis.

HIs præmiſſis de ſtatu controverſiæ & de neceſſitate Scripturæ, nunc primariam diſputationem aggrediemur de perfectione Scripturæ contra commentum Traditionum non ſcriptarum: ubi primò argumenta trademus quibus aſſeritur noſtra ſententia de perfectione & ſufficientiâ Scripturæ. Secundo argumenta ſubjiciemus, quibus refellitur adverſariorum ſententia de traditionibus non ſcriptis. Tertiò, ad Adverſariorum argumenta reſpondebimus. Et in ſingulis his membris. 1. Proponemus argumenta ab expreſſis Scripturæ teſtimoniis petita. 2. Argumenta à ratione ſumpta. 3. Teſtimonia Patrum & aliorum.

Scripturarum perfectio probatur 1. ex Deut. 4.2. 12.32. Prov. 30. 5.6.

Primò occurrunt ea loca, quibus nihil addi aut detrahi Scripturæ præſcribitur. Deut. 4. 2. *Ne addite ad verbum illud quod ego præcipio vobis, neque detrahite de eo.* Et 12. 32. *Omne verbum quod ego præcipio vobis, illud cuſtodietis ut faciatis: ne addito ei neque detrahito ex eo* Prov. 30. 5. 6. *Omnis ſermo Dei purgatus eſt, ne addas verbis ejus, ne increpet te & ſis mendax.*

Hinc perſpicuum deducitur argumentum ad hunc modum: Doctrina ſalutis, cui nefas eſt aliquid addere aut detrahere, perfecta eſt, & omnia continet ad ſalutem neceſſaria: At doctrina Scripturæ eſt talis: Ergo. Major ſuâ luce clara eſt: quia ſi aliquid ſit neceſſarium ad ſalutem quod in Scripturis non continetur, tum aut illud addendum, aut de ſalute deſperandum eſt. Minor ex verbis citatis patet: nam ſi tum non licuit addere Scripturæ, cùm tantum pauci libri Moſis extarent, quantò nunc minùs addere licet poſt completum tam multis libris Vetus & Novum Teſtamentum.

Bellarmini reſponſio prima refellitur.

Reſpondet Bellarminus duobus modis. Primò ait ibi non agi de verbo ſcripto ſed tradita vivâ voce: quia non ait, ad verbum quod ſcripſi, ſed, quod ego præcipio.

Sed hoc ineptum, cùm vox præcipiendi non minùs ad ſcripta pertineat, quàm ad vivam. Atque ex ſerie verborum patet eum hic omnino ad ſcriptam legem reſpicere: loquitur enim non indeterminatè de præceptis Dei, ſed determinatè de ſtatutis & judiciis toti populo

Digitized by Google

pulo traditis, ut apparet ex verbis præcedentibus in verſu 1. cap. 4.
At nemo poteſt oſtendere alia judicia & ſtatuta toti populo Iſraëli-
tico tradita, quam quæ ſcripta ſunt in libro legis. Imò verò eadem
ſtatuta & judicia eſſe plenè perſcripta à Moſe patet ex Deut. 31. 14. *Deut. 31.*
&c. Conferantur loca Exod. 24. verſ. 3. 4. & 7. Deut. 28. verſ. 1. *24.*
& 58. Deut. 27. ult. & ad Gal. 3. 10. & facilè apparebit eadem quæ *Exod. 24.*
præcipiuntur eſſe ſcripta. Eodem modo Joſuæ 1. 7. *Confortare igi-* *3. 4. 7.*
tur & eſto robuſtus valde, & cuſtodias & facias omnem legem quam præ- *Deut. 28. 1. 58. &*
cepit tibi Moſes ſervus meus, nec declines ab eâ vel ad dextram vel ad ſini- *27. ult.*
ſtram. Hic quoque utitur voce præcipiendi, ſed intelligi præcepta *Gal. 3. 10.*
ſcripta patet ex verbis ſequentibus quæ ſubjungit verſu 8. *Non rece-* *Joſua 1. 7.*
dat volumen legis hujus ab ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus,
ut cuſtodias & facias omnia quæ ſcripta ſunt in eo. Traditiones non ſcrip-
tæ ex ſententiâ Adverſariorum non toti populo promulgabantur,
ſed paucis ſapientioribus & perfectioribus clam committebantur.
At cui potiùs quàm Joſuæ committerentur? quem tamen Deus ad
ſcriptam Legem remittit.

Secundò reſpondet Bellarminus veram expoſitionem eorum lo- *Etiam ſe-*
corum eſſe, quod Deus velit integrè & perfectè ſervari mandata, ut *cunda.*
ipſe præcepit, & nullo modo ea depravari falsâ interpretatione, ita-
que nolle dicere non ſervabitis aliud quam id quod nunc præcipio,
ſed in hoc quod præcipio nihil mutabitis addendo aut minuendo, ſed
integrè facietis ut jubeo, & non aliter hoc probat: quia alioqui pec-
câſſent Prophetæ & Apoſtoli, qui tam multa addiderunt.

Sed hæc gloſſa evertit textum. Nam aliud eſt addere, aliud per-
vertere: falſa interpretatio non eſt propriè additamentum ad legem
ſed corruptio legis: quanquam additio omnis hactenus repugnat
legi, quod lex perfectionem ſuam prædicat, & additionem omnem
prohibet, & præterea pleraq; etiam traditiones legem corrumpunt,
ut ait Chriſtus Mat. 15. 3. 6. *Tranſgredimini & irritum feciſtis manda-* *Mat. 15.*
tum Dei per traditionem veſtram. *3. 6.*

Cæterum ut Deus cum prohibet aliquid detrahendum eſſe do-
ctrinæ ſuæ, non tantùm vetat ea detrahere ſine quibus reliqua ſtare
nequeunt, ſed etiam alia quæcunque, indicans in ea nihil eſſe ſuper-
fluum, nihil alienum, ita cùm prohibet addere, non tantum ejuſmo-
di additionem vetat, quæ corrumpat aut evertat doctrinam traditam
(nam hoc potius eſt tollere quàm addere) ſed indicat doctrinam
ſuam ita eſſe integram, ut nihil deſit quod aliunde ſuppleri debeat:

adeo

adeo ut non minùs additio quælibet, quàm detractio quæcunque vitioſa ſit, nec magis reſtringenda ſit additio quàm detractio ad ea quæ ſenſum depravant. Atque hoc modo patres intellexiſſe nihil eſſe addendum aut detrahendum Scripturæ, ex eorum teſtimoniis, quæ poſteà citabimus, patet. Neque verba citata aliter ullum Patrum interpretatum eſſe, oſtendere poſſunt adverſarii.

Prophetæ nihil addiderunt Moſi quo ad ſummã doctrina ſeu de fide ſeu de moribus. Auguſtinus, Irenæus.

Quod autem objicit Bellarminus hinc ſequi Prophetas & Apoſtolos peccaſſe, qui tam multa poſteà addiderunt, reſponderi poteſt, nihil Prophetas Moſi aut Apoſtolos Prophetis addidiſſe, quòd ad ſummam doctrinæ ſpectat ſive de fide, ſive de moribus: ſed eandam tradidiſſe doctrinam, licet manifeſtius & uberiùs explicatam aut applicatam. Auguſtinus in Pſal. 105. ait Novum Teſtamentum eſſe in Vetere velatum, Vetus in Novo revelatum. Idem luculenter docet Irenæus lib. 4. cap. 66. Prophetæ non aliam doctrinam quàm Moſis inculcant, non nova tradunt dogmata quæ non ex lege manant & ad eam reſpiciunt: Imo ad legem & teſtimonium à Moſe traditum apertè nos remittunt, Eſ. 8. 20. Malach. 4. 4. Aliæ quidem ſunt apud eos hiſtoriæ & prædictiones eventorum ſingularium: alia ſunt in Novo Teſtamento Sacramenta: at Sacramenta non ſunt doctrinæ capita, ſed doctrinæ appendices & ſigna fœderis.

Futilis exceptio Bellarmini.

„ At, inquit Bellarminus, hoc modo traditiones non ſunt additiones, ſed explicationes: quia in lege Moſis non continentur Prophetarum ſcripta, neque in lege & Prophetis continetur Teſtamentum Novum niſi in univerſali & quodammodo in virtute, ſicut tota arbor continetur in ſemine. Habemus enim in lege Deut. 18. *Prophetam tibi ſuſcitabit Deus, &c. illum audies.* Ibi quidem continetur in genere quicquid Chriſtus fecit & dixit, licet particularia ibi non habeantur. Sic etiam quia ſcriptum eſt. 2. Theſſ. 2. *Tenete traditiones quas accepiſtis,* & Luc. 10. *Qui vos audit me audit,* & Mat. 18. *Si Eccleſiam non audierit ſit tibi velut Ethnicus & Publicanus.* Idcirco (inquit) nos affirmamus traditiones eſſe quodammodo explicationes verbi ſcripti, non quòd nudam contineant ejus expoſitionem, ſed quia omnes Traditiones & Eccleſiæ decreta continentur in Scripturis in univerſali.

At inepta eſt comparatio Bellarmini. Nam 1. nos dicimus ſcripta Prophetarum eſſe explicationes librorum Moſis, & Novum Teſtamentum eſſe interpretationem Veteris, quod eadem dogmata hîc clariùs & uberiùs explicentur & in uſum populi accommodentur

Digitized by Google

tur quæ illic definitè tradita ſunt, licet ſtrictiùs & obſcuriùs, non quòd in libris Moſis commendetur auctoritas Prophetarum, aut in Vetere Teſtamento autoritas Novi: prout illi dicunt ideo traditiones eſſe explicationes Scripturæ, quia ſcilicet in Scripturâ commendatur earum auctoritas: quo dicto nihil poteſt fingi ineptius: & ſic multò potiori ratione Moſis lex dici poteſt interpretatio Prophetarum, & Vetus Teſtamentum interpretatio Novi: ſiquidem multò magis à Prophetis Moſes, & in Novo Teſtamento Veteris auctoritas commendatur.

Secundo ſumit Bellarm. quod eſt in quæſtione, Traditiones non ſcriptas, id eſt, doctrinam ad ſalutem neceſſariam quæ in Scripturâ non continetur uſquam, mandari aut commendari in Scripturâ.

Tertiò in hoc argumento conjungit Bellarm. traditiones & Eccleſiæ decreta, quæ pariter hac ratione ait eſſe explicationes Scripturæ. At omnis legitima explicatio Verbi Dei eſt etiam Verbum Dei: proinde præter Scripturam & Traditiones etiam conſtitutiones Eccleſiaſticæ Verbi Dei auctoritatem ſcilicet conſequentur.

Poſtremò cùm ſermo ſit de Traditionibus quæ re & ſubſtantiâ à ſcripto Verbo differunt, quàm abſurdè dicetur, dogmatum quæ realiter differunt, unum eſſe explicationem alterius.

Sed utut hæc ſe habeant, reſpondeo, etſi Deus populo & Eccleſiæ ſuæ interdixerit, ne aliquid addat aut detrahat Scripturæ: non tamen ſibi ipſi legem poſuit, quin poſſet addere aut demere, prout ipſi videretur commodum. Abrogavit ipſe cæremonialem Legem, poſtquam Chriſtus eam compleverat: addidit libris Moſis varios alios libros per Prophetas & Apoſtolos, quibus uſus eſt ut amanuenſibus ſuis, non minùs quàm Moſe in Scripturâ exarandâ. Verùm hoc pro certo habendum eſt, poſtquam Deus ſemel oracula ſua ſcripta exhibuit, omnes doctores Eccleſiæ ordinarios alligatos fuiſſe ad Scripturam, neque quidquam licuiſſe illis proferre, præter id quod in Scripturâ reperirent: ſed extraordinarios doctores divino ſpiritu afflatos, non ita fuiſſe aſtrictos, quin alia poſſent proferre quæ Deus ipſis dictavit: quanquam quæcunque alia tradiderunt, neceſſario aliis ſacris Literis ſint conſentanea, quas etiam illuſtrant & explicant. Cæterùm hæc additio non attingit argumentum noſtrum: cùm, fatentibus ipſis Pontificiis, nunc minimè detur locus novis Prophetiis aut revelationibus quas Sacræ Scripturæ aut doctrinæ à Prophetis & Apoſtolis traditæ adjicere liceat. Et ſatis hoc eſt ad

Etſi Deo per homines θεοπνεύστους ſemper licuit addere quæ voluit: Poſt Scripturam tamẽ clauſam nunquam licuit hominibus quicquam addere, quod prius non fuit ſcriptum.

inſtitutum noſtrum, nunquam licuiſſe Eccleſiæ poſt Scripturam editam aliquid pro Verbo Dei recipere, quod extra Scripturam inferretur niſi ab hominibus θεοπνεύστοις proferretur, qui & ipſi doctrinam ſuam, quantum opus fuit, literis conſignârunt: nec in poſterùm alia Scriptura divinitus inſpirata expectanda eſt.

Libri Moſis erant perfecti & ſufficientes non abſolutè ſed reſtrictè ad ſtatum Eccleſiæ illius temporis.

Interim notandum eſt doctrinam dici poſſe perfectam & ſufficientem, cui nihil addere licet aut demere duobus modis nempe vel abſolutè, vel reſtrictè ad ſtatum Eccleſiæ. Abſolutè dicimus totam Scripturā continere perfectam doctrinam ſalutis, cui in hac vitâ nihil addendum, nihil detrahendum eſt. Reſtrictè ad ſtatum Eccleſiæ illius temporis, Vetus Teſtam. perfectum erat & ſufficiens, & ante editos reliquos libros Veteris Teſtamenti, libri Moſis ſufficiebant: quia nihil amplius neceſſarium erat ad ſalutem hominum illius temporis, quàm quod in libris tum ſcriptis divinitus revelatum fuit. Negari autem non poteſt quin pro uberiore gratiâ revelationis Dei, uberior etiam cognitio & praxis à nobis requiratur. Adeoque ſi Judæis olim non licuit aliquid addere ad libros Moſis, multò minùs nunc addere licet ad Canonem totius Scripturæ abſolutum, cui Deum ipſum nullum amplius ſcriptum aut novam doctrinam additurum perſuaſum habemus.

Alia Pontificiorum vana effugia.

Varia alia ſunt Pontificiorum effugia, ſed non minus inania. Sunt qui dicunt hanc interdictionem ad populum, non ad prælatos aut Magiſtratus pertinere. At in verbis nulla talis eſt reſtrictio. Imò contrà in eodem contextu dicitur: *Id cuſtodietis ut faciatis: ne addito neque detrahito:* ut pateat quorum eſt cuſtodire & facere, eorundem omnium eſſe nec addere nec detrahere.

Sunt qui dicunt nihil hîc aliud intelligi, quàm non eſſe aliquid addendum tanquam à Deo dictum, aut à Moſe ſcriptum, quod non ab iis dictum aut ſcriptum ſit. Et certe ejuſmodi ſunt Traditiones omnes de quibus controverſia eſt, nec à Deo dictæ, nec ab ejus miniſtris traditæ: Cæterum in verbis citatis non eſt ſermo de ſuppoſititiis ſcriptis addendis, ſed de additione rerum agendarum: *Cuſtodietis* (inquit) *ut faciatis: ne addito, neque detrahito.* Aut quis ferat nullam aliam in his verbis tribui prærogativam Scripturæ Sacræ, quam cujuſlibet hominis libro, cui ſpurium fætum ſupponere nefas eſt.

Ex Apoc. 22. 18. patet Scripturæ perfectio.

Simile teſtimonium habetur in fine Apocalypſeos: *Si quis adjecerit ad hæc verba, imponet ei Deus plagas ſcriptas in libro iſto: ſi quis abſtulerit aliquid ex verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem è libro vitæ,*

vita, *&c.* Non ſine ſingulari Dei conſilio factum videtur, ut quod Moſes de Canone Scripturæ à ſe ſcripto ſanxit, idem Joannes, qui poſt reliquos omnes Apoſtolos ſuperſtes Canonem Novi Teſtam. abſolvit, in fine totius Scripturæ gravi interminatione additâ ſubjunxerit.

Reſpondet Bellarm. Joannem ibi prohibere corruptionem tantùm libri Apocalypſeos, non autem ne alii libri ſcribantur, aut alia dogmata tradantur: alioqui ipſe ſecum pugnâſſet, qui, juxta Chemnitium in examine, ſcripſit Evangelium poſt Apocalypſin. *Bellarmini reſponſio refellitur.*

Sed contrà, hæc verba ad totam Scripturam extendunt Ambroſius in lib. 2. de Paradiſo cap. 12. Auguſtinus in hunc locum, Andreas Cæſarienſis in hunc locum, Thomas Aquinas in commentario in 1. Tim. cap. 6. lect. 1. Tertullianus hunc ipſum locum notat contra Hermogenem cap. 27. Scriptum eſſe doceat Hermogenis officina, ſi non eſt ſcriptum, timeat væ illud adjicientibus aut detrahentibus deſtinatum. Paulinus in Concilio Forojulienſi ann. 791. Joannes in Apocalypſi (inquit) ſub unius libri appellatione de totâ utriuſque Teſtamenti ſerie eſt conteſtatus dicens, ſi quis apppoſuerit ad hæc, apponet ei Deus omnes plagas ſcriptas in libro hoc, &c.

Quod autem Bellarm. deducit hoc abſurdum, ita Joannem ſibi adverſaturum, qui ſcripſit Evangelium poſt Apocalypſin, id nullius momenti eſt. 1. Quia quicquid ſcripſit Joannes id ex Dei mandato & inſpiratione ſcripſit: Deus autem non ſibi, ſed hominibus legem hanc poſuit, ut antè dictum eſt. Deinde quia etſi concedatur Joannē prius ſcripſiſſe corpus Apocalypſeos quàm Evangeliū, nihil vetat tamen poſt Evangeliū conſcriptum, voluerit librum Apocalypſeos extremum eſſe librorum N. Teſt. & tum demum hanc graviſſimam denunciationem, ut coronidem addidiſſe, quâ totum Canonem obſignaret. Cùm enim Joannes poſt omnes Apoſtolos vixerit & ſcripſerit, & poſt eum non expectanda eſſet ulla Scriptura θεόπνευστος, conſentaneum eſt, eum Novum Teſtamentum abſolutum, & libros genuinos ordine diſpoſitos Eccleſiæ tradidiſſe, adeo ut iſta denunciatio extremo loco commodiſſimè poſita ſit.

Porrò ſi illud quidquam momenti habet quod poſtea ſcripſerit Evangelium, illud obſervandum eſt in eodem Evangelio Scripturæ Evangelicæ perfectionem ac ſufficientiam ab ipſo indicatam eſſe cap. 20. 31. *Hæc* (inquit) *ſcripta ſunt ut credatis Jeſum eſſe Chriſtum*

illum Filium Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus. Adeoque conſtat Joannem, qui poſtremam manum poſt alios omnes ſacris Literis ſcribendis impoſuit, Canonem Scripturæ Sacræ, tum hiſtoricum de Chriſto, tum didacticum atque Propheticum, in Apocalypſi clauſulâ perfectionem & ſufficientiam Scripturæ indicante obſignâſſe.

Et certè idem dicendum videtur de reliquis libris Novi Teſtamenti qui acceſſerunt ad quatuor Evangelia, quod diximus de reliquis libris Vet. Teſtam. qui acceſſerunt ad Pentateuchum Moſis: nempe licet ſint ejuſdem auctoritatis cum illis, non tamen continere additionem novorum dogmatum aut articulorum fidei, ſed potiùs facere ad illuſtrationem & explicationem eorum quæ ibi traditæ ſunt. Pontificii quidam reſpondent Joannē in verbis citatis c. 20. 31. tantum loqui de ſignis non de doctrinâ, quia in præcedente verſu meminit ſignorum. At cùm ſignum & ſignatum ſint relata, etiamſi expreſsè de ſignis loquutus eſſet, non proptereà excludendam eſſe doctrinam ſignatam. Et doctiſſimi interpretes verba illa de doctrinâ intelligunt, de dictis & factis Chriſti in genere, ſicut & illa verba quæ habentur in fine libri.

Auguſtinus. ,, Auguſt. tract. 49. in Joan. Sanctus Evangeliſta teſtatur (in-,, quit) multa Dominum Chriſtum & dixiſſe & feciſſe quæ ſcripta ,, non ſunt, electa autem ſunt quæ ſcriberentur, quæ ſaluti creden-,, tium ſufficere credebantur. Idem lib. 1. de Conſenſu Evangeli-,, ſtarum cap. ult. Quicquid Chriſtus de ſuis dictis & factis nos le-,, gere voluit, hoc ſcribendum Apoſtolis tanquam ſuis amanuenſibus ,, imperavit. *Cyrillus.* Cyrillus lib. 12. in Joan. cap. ult. Non omnia quæ ,, Dominus fecit, conſcripta ſunt: ſed quæ ſcribentes tam ad mores ,, quàm ad dogmata putârunt ſufficere, ut rectâ fide & operibus ac ,, virtute rutilantes ad Regnum Cælorum perveniamus. Sic & Lu-,, cas Brugenſis in ultima verba Evangelii ſecundum Joannem. *Lucas Brugenſis.* ,, Electa ſunt ab Evangeliſtis Spiritu Sanct. calamos eorum regente ,, ex infinitis quæ per ſe fecit & dixit Jeſus, ea quæ poſteris ſcitu ma-,, ximè neceſſaria & utilia ſufficerent ad hoc, ut crederent quod Je-,, ſus eſt Chriſtus filius Dei, & ut credentes fidem haberet in nomi-,, ne ejus, quemadmodum ipſe dixerat Evangeliſta Cap. 20. 31.

Baronius. Cardinalis Baronius tom. 1. ad annum Chriſti 34. num. 210. Hæc ,, (inquit) cum narraſſet Joannes, ſuo Evangelio finem impoſuit, ,, multa (ut ipſe teſtatur) prætermittens: ſatis enim ſibi viſa ſunt ea

,, quæ

Digitized by Google

„ quæ ſcripſit, tum ad veritatem Evangelicam aſtruendam, tum etiam „ ad hæriticos arguendos, quorum cauſa ejuſmodi ſuſcepiſſe negotium Hieronymus & alii atteſtantur.

Secundò occurrunt ea loca quæ expreſsè indicant Scripturam eſſe perfectam & ſufficere ad ſalutem atque ad hominem perficiendum Pſ. 19. 7. *Lex Dei perfecta convertens animas.* Hinc colligitur tale argumentum: Quæcunque doctrina eſt perfecta convertens animas, continet omnia neceſſaria ad ſalutem: At Scriptura eſt talis: Ergo. Major ſuâ luce clara eſt. Minor habetur in verbis citatis. Objiciunt Adverſarii 1. Legis nomine non denotari Scripturam, quia Lex Dei poteſt eſſe ſine Scripturâ. 2. Vocem quæ redditur *perfecta*, potiùs reddendam eſſe *immaculata*, ut habet Vulgatus Interpres; præterea ſingula præcepta Legis eſſe perfecta. *Probatur Scriptura perfectio ex Pſ. 19. 7.*

Sed contrà nihil eſt notius quàm in Scripturâ Legis nomen paſſim uſurpari pro verbo ſcripto: pro ut hoc nomine etiam liber Pſalmorum & Prophetarum ſcripta comprehenduntur Rom. 3. 19. *Rom. 3. 19.*
Joan. 15. 25. neque poſt Scripturam editam oſtendi poteſt ullam do- *Io. 15. 25.*
ctrinam in ſacris literis legis nomine abſolutè appellari, quæ non eſt ſcripta. Dinde nemo neſcit vocem Hebraicam תמימה *temima* *Quid ſit Temima.* proprie ſignificare eam perfectionem cui nihil deeſt (& ſic Pagninus & Arias Montanus vertunt hic *perfecta*) licet metaphoricè interdum transferatur ad integritatem morum aut ſinceritatem denotandam. Sed omnem ambiguitatem tollunt verba ſequentia: namhîc non eſſe ſermonem de eâ perfectione aut ſinceritate quæ convenit ſingulis præceptis patet ex verbis proximis, *convertens animas:* nam hæc perfectio non ſingulis præceptis ſed integræ Legi ſeu Doctrinæ Divinæ competit, ut convertat animam: neque ulteriorem perfectionem in Verbo Dei deſideramus. Sic ex Pontificiis Genebrardus in hunc Pſalmum notavit per Legem intelligi Scripturam, & eam hîc dici perfectam propriè, ut quæ docet non tantum facienda, verum & credenda, colenda, &c. Item Lorinus. Hebræa vox ſignificat integrum, perfectum, abſolutum, cui nihil deſit.

Eandem vim habent & iſta loca Joan. 5. 39. *Scrutamini Scripturas, quoniam vos putatis in iis vitam æternam habere.* & 2 Tim. 3. 15. *A puero ſacras literas noſti quæ poſſunt te ſapientem reddere ad ſalutem per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu,* & quod dicitur Joan. 20. 31. de quo ſuprà. *Eadem perfectio probatur ex Ioan. 5. 39. 2 Tim. 3. 15.*

ſuprà. Unde ſic arguimus. Quæcunque doctrina poteſt hominem reddere ſapientem ad ſalutem, continet omnia neceſſaria ad ſalutem: At Scriptura, &c. Ergo. Major clara eſt: nam ſi doctrina prætermittit aliquid ad ſalutem neceſſarium, non poteſt hominem ſapientem reddere ad ſalutem. Minor patet ex locis citatis. In ſecundo loco citato totidem verbis habetur. Et primo patet eam fuiſſe communem ſententiam Judæorum ſeu Judaicæ Eccleſiæ, quam non reprehendit ſed confirmat Chriſtus. In tertio Joannes ait eum fuiſſe
Chryſoſtomus. finem Scripturæ Evangelicæ. Idem docet Chryſoſtomus hom. 52. „ ſeu ut alii diſtinguunt hom. 53. in Joannem. Hoc igitur pacto (inquit) ſi Scripturas ſcrutari diligenter voluerimus, ſalutem aſſequi „ poterimus: ſi penitus in iis verſabimur, ad doctrinam rectam & „ vitam exactè inſtitutam erudiemur.

Refelluntur exceptiones adverſariorum. Ad primum & ſecundum contextum citatum reſpondent Adverſarii ſermonem eſſe de Scripturâ Veteris Teſtamenti, cum nondum extaret Novum Teſtamentum, ac proinde non inde probari ſufficientiam Scripturæ, alioqui Novum Teſtamentum eſſet ſuperfluum. At (ut omittam intereà magnâ ex parte Novum Teſtamentum ſcriptum extitiſſe cùm ſcriberetur poſterior epiſtola ad Timotheum) tanto validiùs eſt argumentum, ſi intelligatur Scriptura ſolùm Veteris Teſtamenti. Nam ſi Vetus Teſtamentum poteſt nos efficere ſapientes ad ſalutem, ut in eo vitam æternam habemus, quantò magis tota Scriptura ex Vetere & Novo conflata? Et licet Novum Teſtamentum ſit in Veteri velatum, nemo tamen ſanus dixerit revelationem propterea quæ ſit in Novo Teſtamento eſſe ſuperfluam.

Quid ſit σοφίσαι. In ſecundo contextu magnam emphaſin habet vox σοφίσαι quàm Vetus Interpres nimis jejune reddidit inſtruere, nam σοφίσαι non tantùm eſt inſtruere, ſed ſapientem reddere, hoc eſt perfectè inſtruere. Ita Arias Montanus reddidit in interlineari Interpretatione. Sic etiam accepit Syrus Interpres, & Cajetanus ait hîc inſtruere eſſe ſapientiam docere. Et Pſal. 19. verſ. 8. ubi 70 Interpretes habent μαρτυρία κυρίου πιστὴ σοφίζουσα νήπια Vulgatus Interpres vertit Teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtans parvulis. Et ad hæc certe verba hic alludere videtur Paulus. Eodem modo hæc eadem Græca vox quam habent 70 Interpretes, Latinè redditur in vulgatâ edi-
Pſ. 105. 22. tione Pſal. 105. 22. & Pſal. 119. 98. Prov. 8. 33. & alibi. Sapien-
& 119. 48. tia autem notat perfectiſſimam doctrinam & cognitionem, idque
Prov. 8. 33. ſive abſolutè ſumatur ſive κατά τι. Nam Sapientia abſolutè dicta Ariſtoteli

Digitized by Google

ſtoteli eſt perfectiſſima doctrina, ἡ ἀκριβεστάτη τῶν ἐπιστημῶν maximè exquiſita ſcientia, & qui hac præditus eſt ſapiens ὅλως, id eſt, ſapiens omnino ſeu universè, qui ſcit omnia quoad fieri poteſt, prout Cicero definivit ſapientiam lib. 2. offic. Quod ſit *Divinarum & hu-* Cicero.
„ *manarum rerum cauſarumque*, quibus illæ continentur, cognitio. Sapientia autem κατά τι ſeu κατὰ μέρος ſecundum quid & ex parte tribuimus iis qui in aliquâ arte ſunt perfectiſſimi, ut Phidiam ſapientem ſculptorem, & Polycletum ſapientem ſtatuarium appellamus. Hac ratione ἀρετὴν τέχνης virtutem ſeu perfectionem artis, vel perfectum artificem denotantes. Videte Ariſt. 6. Ethic. cap. 7. & 1. Metap. cap. 2.

Ad ultimum locum ex Joan. 20. 31. Reſpondet Bellarm. intelligendum eſſe de ſolis miraculis Chriſti, cùm in præcedente verſu dicatur, *multa alia ſigna fecit Ieſus*: præterea Joannem tantùm loqui de iis quæ à ſe ſcriptæ ſunt. Reſp. etſi Joannes in verſu 30. loquatur de ſignis, & per ſigna tantùm intelligat miracula (quanquam uſus vocabuli multo latius extenditur) tamen verſu 31. in genere loquitur de iis quæ ſcripta ſunt (nam miracula non ſufficiunt ad fidem & vitam æternam) nec tantùm de iis quæ à ſeipſo ſcripta ſunt, ſed etiam ab aliis Evangeliſtis, quibus ex inſtituto Joannes addidit ſuum Evangelium ut complementum hiſtoriæ Evangelicæ, ſicut patet ex præfatione Hieronymi in Matthæum. Porrò ut cap. 20. 30. loquitur de multis aliis ſignis quæ non ſunt ſcripta, ita in fine capitis ultimi loquitur de multis aliis quæ fecit Jeſus quæ non ſunt ſcripta: ubi Patres ſuprà citati intelligunt eandem clauſulam quæ habetur cap. 20. 31. nempe ſufficere quæ ſcripta ſunt ad fidem & vitam æternam, neque quidquam aliud occurrit Bellarmino melius quod reſpondeat ad illa teſtimonia citata Auguſtini & Cyrilli, quàm quòd iſti Patres velint dicere ſcripta eſſe ſufficienter non omnia abſolutè, ſed omnia dicta & facta Chriſti: at præter dicta & facta Chriſti multa alia ſunt neceſſaria, inquit ille.

Sed contrà, ſi Chriſtus ſit perfectus Salvator, nihil aliud requiritur ad ſalutem quam quod Chriſtus fecit: nam hac phraſi omnes actiones, paſſiones, & merita Chriſti complectuntur. Deinde cum dicta Chriſti comprehendant totam doctrinam quam Chriſtus docuit, quis audebit dicere doctrinam Chriſti non fuiſſe ſufficientem? Etſi doctrina Chriſti ſufficienter ſcripta eſt, quis locus erit traditionibus non ſcriptis, quas ſecundum decretum Tridentinum ex ipſius

Chriſti

Chriſti ore ab Appſtolis acceptas tradi volunt?

Quod autem addit Bellarminus Patres illos intellexiſſe ex dictis & factis Chriſti, ſufficienter ſcripta eſſe, non omnia neceſſaria abſolutè, ſed quæ Apoſtoli putaverunt ſcribenda: quia multa alia neceſſaria voluerunt non ſcribi, ſed ex traditione haberi, id manifeſtè repugnat teſtimoniis illis Patrum ac præcipuè Cyrilli.

Argumentum ex 2 Tim. 3. 15 premitur fuſius.

Satis luculenta ſunt verba quæ jam citavimus ex 2 Tim. 3. 15. ſed multò clariùs confirmatur noſtrum inſtitutum, ſi addamus reliqua verba quæ ibidem ſubjunguntur v. 16. *Tota Scriptura eſt Divinitùs inſpirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem quæ eſt in juſtitia: ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructus.* Hæc verba operæ pretium eſt primò explicare, deinde applicare ad præſens argumentum. In his verbis unà cum præcedentibus habetur luculenter commendatio totius Sacræ Scripturæ ex hac occaſione: cùm Paulus videret in Eccleſiâ graſſantes falſos ac ineptos doctores, ac multò magis poſt obitum ſuum graſſaturos prævideret, ideoque jam morti vicinus, ut patet ex cap. 4. 6. ſeriò & graviter monet & hortatur Timotheum, ut conſtanter permaneat in ſanâ doctrinâ, quam ipſe eum docuerat, eamque omnibus periculis contemptis ac difficultatibus ſuperatis, magno animo, fideliter & diligenter prædicet: hujus certitudinem inde potiſſimùm confirmat, quia ea ſacris literis erat conſentanea. Et quia ſeipſo magiſtro ac monitore propediem cariturum Timotheum prædicit; idcirco monet eum ut à Sacrâ Scripturâ tanquam magiſtrâ fidiſſimâ, ac omnibus numeris abſolutiſſimâ totus pendeat. Scripturæ autem perfectionem duplici potiſſimum ratione oſtendit. 1. ratione perſonæ ipſius. 2. ratione muneris ejus. Ratione perſonæ quia Sacra Scriptura ſufficit ei ad ſalutem, poteſt enim ſapientem reddere ad ſalutem v. 15. Ratione muneris, quia omnia ſuppeditat quæ ad conſummatum & perfectum Doctorem Eccleſiæ requiruntur. Atque hinc etiam altera utilitas confirmatur, nam cùm docere & diſcere ſint relata, ſi ſufficit ad docendum omnia, quæ in Eccleſia ſunt docenda, id eſt, omnia, quæ ad ſalutem ſpectant; certe ſufficit etiam ad diſcenda & cognoſcenda omnia quæ ad ſalutem pertinent. Et ſi valeat ad Doctorem & Paſtorem Eccleſiæ conſummandum, quantò magis ad quemvis è grege perficiendum?

Cæterum nos omiſsâ priore ratione quam v. 15. continetur, de quâ nonnihil anteà diximus, tranſeamus ad alteram commendationem

Digitized by Google

nem quæ in verſ. 16. & 17. continetur: in quâ primò conſiderandum eſt ſubjectum, deinde attributa, id eſt, argumenta laudis.

Subjectum eſt πᾶσα γραφὴ tota Scriptura, Scriptura, inquam, ea quæ κατ' ἐξοχὴν dicitur Scriptura, id eſt, Divina Scriptura, quam ſupra appellavit ſacras literas, & πᾶσα γραφὴ, hoc eſt, tota Scriptura. Vox πᾶσα, ſicut Latina vox *omnis*, interdum ſumitur collectivè, interdum diſtributivè. Pontificii, ut effugiant vim argumenti noſtri, contendunt hic diſtributivè ſumi, quaſi nulla alia utilitas hîc ſignificaretur, quam quæ ſingulis Scripturæ membris tribueretur. Atque ita diſputant, quaſi vox πᾶσα & *omnis* nunquam aliter intelligeretur. „ Bellarminus ait: Quod dicitur de omni Scripturâ, judicio omnium „ Latinè ſcientium dicitur de ſingulis libris. Sed contrà judicio omnium ſive Græcè ſive Latinè loquentium vox πᾶσα ſæpè, & vox *omnis* non rarò etiam in vulgatâ verſione ſumuntur collectivè, & idem valent quod *totus*, ut πᾶσα Ἱεροσόλυμα Mat. 2. 3. πᾶσα ἡ Ἰουδαία καὶ ἡ πᾶσα περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου Mat. 3. 5. Sic Mat. 8. 32. 34. Mat. 13. 2. Luc. 1. 10. Act. 1. 8. & 4. 10. & 20. 27. Rom. 3. 19. Eph. 4. 16. & alibi ſæpe. In quibus pleriſque omnibus locis vulgatus Interpres reddit per *omne*, & *omne* ſumit collective pro toto. Et hic quidem collectivè intelligi totam Scripturam, id eſt, integrum corpus aut ſyſtema Scripturæ hinc patet, quia quæ hîc attribuuntur Scripturæ non conveniunt ſingulis Scripturæ partibus: & licet Bellar. ita verba torqueat, ut accommodare velit ſingulis libris Scripturæ, tamen id non ſatis eſt: nam ſi vox πᾶσα hîc diſtributivè ſumeretur, procul dubio intelligeretur non tantùm de ſingulis libris, ſed etiam de ſingulis particulis & ſententiis Scripturæ: nam etiam una quælibet ſententia Scripturæ rectè Scriptura appellatur Luc. 4. 31. Jo. 19. 37. Act. 1. 16.

Omnis Scriptura ſumenda collectivè non diſtributivè.

Mat. 2. 3. & 3. 5. & 8. 32, 34. & 13. 2. Luc. 1. 10. Act. 1. 8. & 4. 30. & 20. 27. Rom. 3. 19. Eph. 4. 16.

Luc. 4. 31. Io. 19. 36. Act. 1. 16.

Athanaſius in Synopſi ad hunc locum reſpiciens eodem modo hæc „ verba accipit: πᾶσα (inquit) γραφὴ ἡμῶν Χριστιανῶν, omnis noſtra, qui „ Chriſtiani ſumus, Scriptura, Divinitùs inſpirata eſt, libroſque habet non infinitos, ſed finitos ac certo canone comprehenſos. Sic Baſilius præfat. in Pſal. πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος, &c. To„ ta Scriptura Divinitus inſpirata & utilis, ob id à Sp. S. compo„ ſita eſt, ut tanquam in communi officinâ, omnes ſigillatim eligant „ propriarum perturbationum medicinam. Hæc officina non eſt quælibet pars, ſed tota Scriptura.

Athanaſius.

Baſilius.

Atque etiam nonnulli Pontificii Interpretes in hunc locum ſcri-

 bentes

Carthuſianus. ,, bentes nobis ſuffragantur Dionyſius Carthuſianus. Omnis Scri-
Eſtius. ,, ptura, &c. id eſt, tota Scriptura Canonica. Eſtius: notandum id
,, non velle Apoſtolum quod una quæque pars Scripturæ ſit utilis ad
,, iſta quatuor (hic enim ſenſus liquidò falſus eſt) ſed quod in univer-
,, sâ Scripturâ hæ quatuor utilitates reperiantur.

Hactenus de ſubjecto: ſequuntur attributa ſeu argumenta commendationis: ea autem ſunt duplicia. Commendat enim Scripturam totam. 1. ab Auctore quòd ſit θεόπνευστος Divinitus inſpirata, nempe quia immediatè à Dei Spiritu dictata eſt Amanuenſibus ſuis. Deinde ab uſu & fine, nempe à quadruplici utilitate, quæ dirigitur ad hunc finem, ut homo Dei ſit perfectus, & ad omne opus bonum perfectè inſtructus: nam quatuor illæ utilitates comprehendunt omnia quæ valent ad perficiendum hominem Dei. Et ſi Scriptura complectatur omnia quæ utilia ſunt ad perficiendum hominem Dei, certe ſufficiens eſt ad perficiendum hominem Dei: quod enim omnes utilitates habet, ſeu omni modo utile eſt ad aliquem finem, id ſufficiens eſt ad illum finem conſequendum. Ita cùm Apoſtolus dixit *pietatem ad omnia utilem eſſe*, ſufficientem eſſe indicat.

Quod autem quatuor illæ utilitates complectantur omnia, quæ ſunt neceſſariò docenda aut diſcenda in Eccleſiâ, hinc patet: quia ea omnia pertinent vel ad fidem vel ad mores: & utrobique κατασκευαστικῶς & ἀνασκευαστικῶς ſpectanda eſt: nempe in doctrinâ fidei, ut veritas doceatur, & errores redarguantur: in doctrinâ morum, ut in pravis corrigamur, in bonis inſtituamur. Rectè itaque Eſpenſæus Epiſcopus

Eſpenſæus. ,, in hunc locum ait, nihil non Sanctâ Scripturâ dilui aut diſſolvi poſſe, ut hujus Auctor Spiritus doceat & ſuggerat omnia tum cognoſcenda tum operanda.

Hi quatuor uſus Scripturæ ſunt quatuor fines, quos Apoſtolus mox refert ad unum communem finem cui ſubordinantur, is eſt perfectio hominis Dei: hunc finem primò proponit ut *homo Dei ſit perfectus.* Deinde exponit, nempe *ut ſit ad omne opus bonum perfectè inſtructus.* Atque hîc etiam conſiderandum eſt ſubjectum & attributum.

Quid homo Dei. Subjectum eſt homo Dei. Sunt qui hoc ſubjectum intelligant de quolibet fideli: alii intelligunt κατ' ἐξοχὴν de miniſtro Dei & interprete Divinæ voluntatis: ita Prophetæ olim appellabantur homines Dei aut Viri Dei 1 Sam. 2. 27. & 9. 6, 7, 10. 1 Reg. 12. 21 & 13.

1 Sam. 2. 27. & 9. 6,

Digitized by Google

& 13. 2, 5, 6, 7, &c. & ſic in priore epiſtolâ Timotheum peculiariter Paulus compellat cap. 6. v. 11. Quod ſi ſic ſtrictè intelligatur *homo Dei*, tamen argumentum non minus latè patebit, imò tantò luculentius apparebit. Nam major perfectio in rebus ſacris requiritur in miniſtro Dei, & Paſtore ac Doctore Eccleſiæ quàm in quolibet ex grege. Quicquid requiritur in aliquo Chriſtiano quà Chriſtianus eſt, id omne requiritur in Chriſtiano Paſtore & aliquid amplius: nam ut ſit perfectus Paſtor, requiritur ut ſit vir bonus & ſapiens: ac præterea etiam ut ſit Paſtor bonus & ſapiens. Quod itaque valet ad Paſtores & Doctores Eccleſiæ perficiendos, multo magis valet ad alios ſingulos fideles perficiendos. Porrò ſi Scriptura valet ad docenda omnia quæ ad ſalutem ſpectant (quod eſt boni Paſtoris munus) etiam valet ad diſcenda omnia quæ ad ſalutem ſpectant, quod ad perfectionem cujuſque Chriſtiani pertinet.

7, 10. 1 Reg. 12. 21. & 13. 2. 5, 6, 7. 1 Tim. 6. 11.

In attributo, primò dicitur ut ſit ἄρτιος, id eſt, ut ſit perfectus. Sic Vulgatus Interpres & omnes Interpretes vertunt. Deinde explicationis causâ addit πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος, id eſt, ut benè interpretatur Beza *ad omne opus bonum perfectè instructus.* Nam ab ἄρτιος eſt ἀρτίζω ejuſque compoſitum ἐξαρτίζω perficio, abſolutum reddo, perfectè inſtruo. Sic Act. 21. 5. dies abſoluti & completi hoc vocabulo deſcribuntur. Oecumenius interpretatur ἐξηρτισμένον per ἀπηρτισμένον: eodemque Luc. 6. 40. uſurpatur κατηρτισμένος. & Mat. 21. 16. καταρτίζω teſte etiam Vetere interprete. Vulgatus Interpres hîc reddit *ad omne opus bonum instructus*: & rectè qui ad omne opus bonum eſt inſtructus, perfectè ſeu ſatis eſt inſtructus: nam qui non eſt perfectè nec ſatis inſtructus, non eſt ad omne opus bonum inſtructus. Ita Cicero de naturâ Deorum dicens domicilium fuiſſe inſtructum omnibus rebus neceſſariis, intelligit fuiſſe perfectè inſtructum. Videtur autem Vetus Interpres (inquit Beza,) legiſſe ἐξηρτυμένος ab ἐξαρτύειν, quod eſt inſtruere ſeu apparare, ut legitur etiam in Complutenſi editione. Arias Montanus vertit *ad omne opus bonum conditus*: legit enim ἐξηρτυμένος ab ἐξαρτύομαι: ſed eadem vox ſignificat etiam inſtructus & adornatus: & utcunque, ſemper eſt idem ſenſus. Ideo Chryſoſto-
„ mus qui etiam legit ἐξηρτισμένος ſic explicat, οὐχ ἁπλῶς μετέχων, ἀλλὰ
„ καὶ ἀκριβῶς ἐξηρτισμένος non ſimpliciter particeps ſed accuratè in-
„ ſtructus. Et omnino totum hunc locum non aliter explicat Chry-
„ ſoſtomus quàm nos explicavimus: omnis (inquit) Scriptura, ſacra
„ ſcilicet, de quâ dixit, *quòd ab infantiâ ſacras literas nôſti*, omnis,

Quid ἄρτιος & ἐξηρτισμένος.

Chryſoſtomus.

„ inquam hujuſmodi Scriptura Divinitus inſpirata,& utilis eſt ad do-„ ctrinam, redargutionem, correctionem, ſi quid vel diſcere vel „ ignorare opus ſit, illic addiſcemus, ſi arguere falſitatem, etiam id „ inde hauriemus: item ſi opus ſit corrigi & emendari ad exhorta-„ tionem, ad conſolationem, & ſiquid aliud reliquum eſt, & ad-„ di oporteat ut perfectus ſit homo Dei, non ergo ſine illâ perfici „ poteſt. Pro me (inquit) Scripturas habes: ſi quid addiſcere cupis, „ hinc poteris. Si autem Timotheo iſta ſcribit qui Spiritu Sancto plenus erat, quantò magis nobis dicta putare debemus. Similia habent Theophylactus, Theodoretus, Ambroſius, Oecumenius, Anſelmus. Primaſius: imò etiam ex Pontificiis, Thomas, Cajetanus & Eſpenſæus ſcribentes in hunc locum.

Concluditur argumentum. His explicatis, argumentum quod hinc eruitur, clariſſimum eſt. Quæcunque doctrina Divinâ inſpiratione utilis eſt ad doctrinam dogmatum fidei & redargutionem errorum oppoſitorum, ad inſtitutionem bonæ vitæ, & correctionem malæ vitæ, adeo ut homo Dei ſit perfectus, & ad omne opus bonum perfectè inſtructus, ea eſt perfecta ſeu ſufficiens, id eſt, continet omnia ad ſalutem neceſſaria: At Doctrina Scripturæ eſt talis: Ergo. Major eſt clara. Minor eſt in textu explicato.

Bellarmini effugia refutantur. Ad hoc argumentum reſpondens Bellar. primò ait reſponderi poſſe quod Scriptura ſufficienter inſtruat & perficiat hominem Dei, quia multa expreſsè continet, & quæ non continet, oſtendit unde ſint petenda, nempe ex Eccleſiæ Traditione. At hanc reſponſionem vanam & ineptam eſſe ſuprà oſtendimus in explicatione ſtatus controverſiæ cap. 1. & alieniſſimam eſſe à mente Apoſtoli ex ipsâ contextûs ſerie, & doctiſſimorum Interpretum conſenſu perſpicuum eſt. Imò contrà, inde imperfectio Scripturæ planè oſtenderetur: ſi remitteret nos ad alium doctorem, quia ea doceret, quæ ipſa docere non poſſet. Sed in textu Scriptura dicitur eſſe utilis, non quia nos remittit ad Eccleſiam, id eſt, ad Doctores Eccleſiaſticos: ſed quia utilis eſt ad ea omnia efficienda, quibus perfectus evadat homo Dei, id eſt, non tantùm quilibet *de grege*, ſed quivis doctor, paſtor, Epiſcopus, imò ipſe Papa ſi ſit homo Dei.

Deinde ait, ne hanc quidem (utcunque inanem & ridiculam) perfectionem ſeu ſufficientiam Paulum hoc loco tribuere Scripturæ, id quod colligit ex duobus in textu vocabulis 1. *omnis*. 2. *utilis*. Nam primò vocem *omnis* contendit non poſſe intelligi aliter quàm diſtri-

butivè.

butivè. Sed hoc jam refellimus. Inſtat: quia cùm hæc Epiſtola ſcriberetur, non extabat Apocalypſis nec Evangelium Joannis, & fortè aliquid aliud deerat ex corpore Scripturarum, proinde non loquitur (inquit) de toto & ſolo corpore Scripturarum. Deinde loquitur Apoſtolus de ſacris Literis quas ab infantiâ Timotheus noverat: at cum infans erat Timotheus, extabat tantum vetus, non autem Novum Teſtamentum.

Reſp. Si Apoſtolus tantùm reſpiciat ad Vetus Teſtamentum, tantò validius erit argumentum noſtrum: nam ſi perfectum & ſufficiens eſt Vetus Teſtamentum, quantò magis utrumque, Vetus cum Novo conjunctum? Et nos quidem perfectionem partium (quam vocant) ratione doctrinæ attribuimus Veteri Teſtamento, ſed acceſſione Novi majorem perfectionem graduum agnoſcimus. Sed nos non concedimus Bellarmino Paulum hîc duntaxat Vetus Teſtamentum intelligere. Quod autem dicitur Timotheum ab infantiâ, ſeu à puero ſacras Literas noviſſe, deſignat principium temporis quo cæpit diſcere, connotans continuam exinde ſucceſſionem & progreſſum. Neque enim in infantiâ aut in primâ pueritiâ, vult eum noviſſe omnes ſacras Literas, quæ tum extabant, ſed in pueritiâ cæpiſſe, & continuâ deinceps ſerie progreſſum eſſe in cognitione ſacrarum Literarum, adeo ut non excludat eas ſacras Literas quas non attigit Timotheus in primâ pueritiâ licet extarent, nec eas quæ poſteà in juventute Timothei additæ erant iis quæ priùs extabant. Deinde, licet verſu 15. loqueretur tantùm de Veteri Teſtamento, nihil obſtat tamen quin verſ. 16. & 17. nominans totam Scripturam, intelligat univerſam Scripturam quæ tum extabat, cùm hæc Epiſtola ſcriberetur. Imo rationi conſentaneum eſt eum commendationem Veteris Teſtamenti illuſtrare encomio totius Scripturæ. Scripta eſt autem hæc Epiſtola paulò ante obitum Pauli, ut ſuprà dictum eſt, quo tempore conſentiunt docti totam Scripturam Novi Teſtamenti extitiſſe, exceptâ Apocalypſi & Evangelio Joannis, ac forte etiam ejus Epiſtolis: quæ nullum novum dogma fidei continent, ſed ad doctrinam in aliis libris traditam clariùs explicandam & confirmandam plurimùm valent. Imò licet hæ partes Scripturæ tum non extarent, tamen cùm eadem ſit prorſus ratio harum partium Scripturæ, quæ eſt reliquarum, cùm pariter ſint divinitùs inſpiratæ, verba Pauli de totâ Scripturâ enunciata, jure & meritò ad eas extendi poſſunt.

Digitized by Google

Alterum effugium Bellarmini eſt in voce *Utilis*. Ait enim nos malè arguere ab utilitate Scripturæ ad ſufficientiam: neque enim quicquid eſt utile ad aliquid, eſt etiam ſufficiens. At Bellarminus ſciens & prudens, ut videtur, mutilat & depravat argumentum noſtrum. Nam Chemnitius (quem ex inſtituto reprehendit Bellarminus) diſertè docet ſe non arguere ab utilitate qualibet, aut indefinitè ad ſufficientiam, ſed à tali utilitate quæ efficit ad hominem Dei perfe-
„ ctum. Fateor (inquit) Si Paulus tantum diceret Scripturam uti-
„ lem eſſe ad doctrinam, redargutionem, correctionem, & inſtitu-
„ tionem in juſtitiâ, non ſatis firmiter colligi ſufficientiam Scriptu-
„ ræ: ſed quia dicitur Scripturam ita eſſe utilem ad iſta omnia, ut
„ perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum abſolutus, hinc re-
„ ctè colligitur ſufficientia Scripturæ. Utile enim aliquid dici poteſt vel *κατὰ μέρος* ex parte, vel *καθόλου* univerſaliter & totaliter ad finem aliquem conſequendum. Sic medicina quæ ex parte utilis eſt ad ſanitatem non eſt ſufficiens, ſed quæ universè, omninò & totaliter confert ad ſanitatem ſufficiens eſt medicina. Ita cùm Apoſtolus, factâ ſufficiente enumeratione, dicit Scripturam eſſe utilem ad omnia quæ valent ad hominem perficiendum, indicat Scripturam in ſuo genere ſufficere. Dixi *in ſuo genere:* nam non excluditur hîc Dei Spiritus, gratia & fides, hominis ſtudium, & aliæ cauſæ principales aut inſtrumentales; veluti cùm dico medicinam eſſe ſufficientem ad ſanitatem, non excludo naturalem calorem & organa corporis neceſſaria ad recipiendam aut concoquendam medicinam. Sic dicimus Scripturam in genere doctrinæ ſufficere ſeu eſſe ſufficientem doctrinam, & doctrinam intelligimus de iis quæ docentur, non de modo docendi: quaſi non opus eſſet nobis alio docendi modo, quàm Scripturâ, putà verbi prædicatione ſeu traditione vivæ vocis, ſed quod nullâ aliâ re opus eſt quæ doceatur, quàm quæ in Scripturis continetur; neque enim alia dogmata prædicanda ſunt, quam quæ ſcripta ſunt.

CAP. IV.

Idem probatur argumentis à ratione.

SEQUUNTUR argumenta à ratione, quæ tamen pleraque omnia in Scripturâ fundantur.

Prima

Prima ratio. Scriptura eſt tota doctrina prædicata ab Apoſtolis.

Prima ratio. Doctrina populo prædicata ab Apoſtolis eſt ſufficiens, id eſt, complectitur omnia ad ſalutem neceſſaria: At doctrina ſcripta in ſacris Literis eſt eadem quam prædicarunt Apoſtoli: Ergo.

Quod ad Majorem attinet, fatentur Pontificii doctrinam traditam ab Apoſtolis ſufficere, quippe quam doctrinam acceperunt à Chriſto, illi etiam aliis tradiderunt, neque enim nunc licet alia dogmata fidei & morum obtrudere Eccleſiæ. Sed dicunt non omnia Apoſtolos prædicâſſe populo, verùm quædam clam tradidiſſe perfectioribus, ad quæ potiſſimum Traditiones non ſcriptas referunt abutentes dicto illo Apoſtoli, *Sapientiam loquimur inter perfectos.* At nos hanc diſtinctionem falſam & ineptam eſſe poſteà oſtendemus, nunc autem ut hoc effugium tollamus, Majorem illam reſtringentes ad prius genus, dicimus quæ Apoſtoli prædicârunt populo, ea ſufficere: id quod patebit vel uno Pauli exemplo: nam ſi ſufficiens erat doctrina ab uno Paulo prædicata, non dubium eſt ſufficientem eſſe doctrinam ab omnibus Apoſtolis prædicatam, Paulus autem ipſe teſtatur Act. 20. verſ. 20. 21. 27. *Se nihil ſubtraxiſſe eorum quæ ſunt utilia, quò minùs ea annunciaret & doceret publicè & per domos, teſtificans Judæis atque gentibus reſipiſcentiam in Deum, & fidem in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & ſe non ſubterfugiſſe, quo minùs annunciaret iis omne conſilium Dei.* Ecce doctrina Pauli adeo ſufficiens, ut in eâ nihil deſiderari poſſit: quippe quæ declaravit omne conſilium Dei, ſcilicet quantum ad ſalutem ſatis; & complectitur, non tantum omnia neceſſaria, ſed etiam omnia utilia, tum quæ ad fidem ſpectant, tum quæ ad reſipiſcentiam ſeu mores, & hæc doctrina non clam & paucis tantùm annunciata eſt, ſed etiam publicè Judæis & Gentilibus: nam omnium pariter intererat ſcire iſta quæ docuerat Paulus, ſcilicet quæ ad reſipiſcentiam & fidem pertinent: & nihil prætereà ad ſalutem requiritur.

Act. 20. 20.21.27.

Deinde illa ipſa doctrina, quam Paulus prædicavit Galatis ita ſufficiens erat, ut præter eam nefas eſſet ullam aliam doctrinam Religionis prædicare aut recipere. Gal. 1. 8. 9. *Licet nos aut Angelus de Cœlo Evangelizet vobis, præterquam quod Evangelizavimus vobis, anathema eſto. Ut anteà diximus, etiam nunc iterum dico. Si quis vobis Evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.*

Gal. 1.8.9.

Vana Bellarmini exceptiones.

Reſpondent Pontificii hîc non damnari aliam ſed contrariam doctrinam, ideoque præpoſitionem παρ' *Præter*, hîc accipiendam eſſe pro

pro *Contra.* Idque probat Bellarm. quatuor argumentis. 1. Quia ipſe Apoſtolus multa alia poſteà docuit, & poſt hanc Epiſtolam ſcripſit Joannes Apocalypſin & Evangelium ſuum. 2. Ex propoſito Apoſtoli, agit enim contra eos qui docebant ſervanda eſſe legalia, cùm ipſe docuiſſet non eſſe ſervanda. 3. Ex alio loco ubi Apoſtolus ſic utitur voce *Præter*, ſcilicet Rom. ult. v. 16. ubi Eraſmus vertit παρὰ per contra. 4. Ex Patrum expoſitione, ſcilicet Ambroſii, Hieronymi, Chryſoſtomi, Oecumenii & Theophylacti in commentariis ſuis in hunc locum. Item Baſilii moralium ſumma 72. cap. 1. Auguſtini lib. 17. contra Fauſtum & tract. 98. in Joannem.

Nihil addidit Ioannes Paulo neceſſarium ad ſalutem.

Sed contrà; prima ratio falſa eſt, quatenus ſupponit Paulum ante hac imperfecte prædicaſſe Evangelium: poſtea enim non docuit alia ſed eadem; alias quidem Epiſtolas poſtea ſcripſit, ſed non quæ aliam doctrinam continebant: neque concedendum eſt alia dogmata ad ſalutem neceſſaria in Evangelio Joannis & Apocalypſi tradi quæ Paulus non docuerat.

Præter *latiùs eſt quàm* Contrà.

Secunda ratio infirma eſt: licet enim agat contra eos qui contrarium docuerunt doctrinæ Apoſtoli, non ſequitur tamen præpoſitionem *Præter* non eſſe latiùs accipiendam. Nam *Præter* latiùs patet quam *Contra*: adeo ut quod eſt contra doctrinam, ſit etiam præter doctrinam, ſed non quicquid eſt præter illud; eſt contra illud. Et iſti Pſeudo-Apoſtoli non tam præ ſe ferebant contra Apoſtolum Paulum aut ſaltem contra Evangelium docere (quanquam revera id fecerunt) alioqui non tam facilè ſe Galatis inſinuâſſent, ſed Evangelio à Paulo prædicato addere uſum cæremonialis Legis. Ideo Apoſtolus fraudem eorum detegens docet nefas eſſe addere aliquid doctrinæ ſuæ, nedum contrarium docere. Certe qui ulla dogmata Religionis tradit extra verbum ſcriptum, is etiam contra Scripturam facit quæ vetat aliquid addere aut detrahere: facit inquam contra generale præceptum, licet non contra ſpecialia præcepta, quæ tamen etiam ſæpe violantur per iſta additamenta, cujuſmodi ſunt pleræque traditiones Pontificiæ. Sed tamen Pontificii videri volunt nihil contra Scripturam, ſed præter Scripturam docere; eundem dolum in iſtis falſis doctoribus animadvertens Paulus anathema pronunciat in eos, non tantùm qui contra, ſed qui præter doctrinã ſuam (quam perfectam eſſe innuit) Evangelizârunt. Et quod anteà, ut videtur, non obſervârunt plerique ex Galatis, id nunc in hac Epiſtolâ docet eos qui præter doctrinam à ſe traditam Evangelizârunt, etiam

etiam contra eam prædicâſſe: quanquam hoc ſufficit ad eos damnandos, quod præter eam docuerint.

Tertia ratio frivola eſt; licet enim alibi vox παρ' ſignificet *Contra*, cùm tamen ſæpiùs ſignificet *Præter*, & licet concedatur *Præter* aliquando poni pro *Contra*, non tamen ſequitur hîc ita accipi: verùm in loco illo à Bellarmino citato nihil vetat παρ' reddi *Præter* & *Præter* propriè ſumi: id quod patet ex collatione iſtorum verborum cum verbis, 2. Theſſ. 3. 6. Nam quod illic dixit παρ' *Præter doctrinam* hîc dicit μὴ κατὰ *non ſecundum doctrinam.* παρ' *Plerumque eſt Præter non Contra.*

Quarta ratio ab expoſitione Patrum, ineptiſſima eſt: nam pleraque omnia teſtimonia quæ citat manifeſtè contra ipſum faciunt, præſertim teſtimonia Græcorum Patrum, qui optimè poterant dignoſcere vim particulæ παρ' in hoc loco. Chryſoſtomus in loco citato ait: *non* dixit *Apoſtolus* ſi contraria annunciaverint, aut totum ſubverterunt; verùm, ſi vel paululùm Evangelizaverint præter Evangelium quod accepiſtis, ſi quidquam perperam moverint, anathema eſto. Diſertè hic Chryſoſtomus teſtatur contra Bellarm. Paulum noluiſſe dicere, *ſi contraria annunciaverint*, ac proinde per παρ' non intelligi poſſe *Contra*. At inquiet aliquis, Chryſoſtomus ibi dicit, *Si quidquam perperam moverint* καὶ τὸ τυχὸν παρακινήσωσι. Interpres vertit, ſi quidvis labefactârint. Et Oecumenius ait εἰ παραποιῆσαί τι ἐν εὐαγγελίῳ ἐθελήσειν. Interpres vertit. Si quid adulterare voluerit in Evangelio. Sed tamen vocabula παρακινῆσαι & παραποιῆσαι non innuunt directè contrarietatem, ſed illud ſignificat perperam movere, hoc, fingere. Atque hic certè accidit, ut qui præter Evangelium Pauli aliud Evangelizârunt, etiam illud ſubverterint: ſed hoc ſatis eſt ad noſtrum inſtitutum, Paulum noluiſſe hîc dicere *Contra* ſed *Præter*: quod Chryſoſtomus dicit diſertè, & diſertiùs adhuc Theophylactus. Neque enim ſi contraria ſolùm prædicaverint, ſed ſi Evangelizaverint *Præter* id quod Evangelizavimus, hoc eſt, ſi pluſculum quippiam ipſi adjecerint. Baſilius ex his Apoſtoli verbis oſtendit, officium eſſe auditorum qui ſacrarum Literarum periti ſunt, probare ea quæ à Doctoribus dicuntur & ex iis quæ Scripturæ conſentanea eſſe cognoverint admittere & ἀλλότρια ἀποβάλλειν quæ ſunt aliena abjicere. *Non dicit tantum contraria, ſed etiam quæ ſunt aliena eſſe rejicienda.*

Chryſoſtomus. *Oecumenius.* *Baſilius.*

Hieronymus accipit vocem παρ' *Præter* pro *Aliter*; & rectè. Nam quicquid eſt *præter*, eſt *aliter*, ſed non quicquid eſt *aliter* eſt *contra*. *Hieronymus.*

Y y Ambro-

Ambroſius. Ambroſius etiam particulam illam explicat per *Aliter* bis in eodem loco, ſemel autem ibidem utitur voce *Contra*, non ut reſtringat *aliter* ad *contra*, ſed ut oſtendat hîc damnari eum qui contrà doceret, ex eo quod damnandus ſit qui aliter doceret: nam quicquid eſt *contrà* eſt *aliter*, ſed non quicquid eſt *aliter* eſt *contra*. Unde rectè hic locus accommodari poteſt adverſus eos qui contra Evangelium docent, ut accommodat Auguſtinus in loco citato lib. 17. contra Fauſtum.

Specioſus Auguſtini locus vindicatur. Cæterùm ex omnibus teſtimoniis à Bellarm. citatis, illud unum tantùm ei favere videtur quod eſt apud Auguſt. tract. 98. in Joann. „ Proptereà (inquit) admonitio beatiſſimi Apoſtoli de cordibus „ veſtris non recedat, *Siquis vobis Evangelizaverit, præterquam quod* „ *accepiſtis, anathema ſit*: non ait, plus quàm accepiſtis, ſed præter- „ quam quod accepiſtis: nam ſi illud diceret, ſibi ipſi præjudicaret, „ qui cupiebat venire ad Theſſalonicenſes, ut ſuppleret quæ illorum „ fidei defuerunt: ſed qui ſupplet quod minus erat, addit; non quod inerat, tollit. Qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in viâ, ſed recedit de viâ. Sed hoc unum teſtimonium, etſi id innueret quod vult Bellarminus, non tamen debet præponderare tot teſtimoniis jam citatis, & quæ mox citabimus etiam ex ipſo Auguſtino. Cæterùm ſi accuratè ſcopum Auguſtini & ſeriem verborum in illo tractatu perpendamus, longè aliam eſſe mentem Auguſtini, quàm vult Bellarminus, perſpiciemus. Nam illud παρ' Apoſtoli nunquam reddit *contra* ſed *præter* & *præterquam*: & illud *præterquam* ait non obſtare, quin plus poſſent accipere, non plus quàm traditum erat ab Apoſtolis, ſed plus quàm ipſi adhuc perceperant. Imò Bel- „ larm. ipſe lib. 4. de Verbo Dei cap. 5. §. primo dicunt, ait. Sine „ dubio Paulum Theſſalonicenſibus totum Evangelium plenè præ- „ dicâſſe ut colligitur ex primo & ſecundo prioris Epiſtolæ. Nam etiam cùm doctrina integra traditur, non tamen ſemper integrè recipitur ob recipientium defectum. Imò eadem doctrina eodem modo tradita ab aliis perfectiùs, ab aliis imperfectiùs recipitur, pro modulo capacitatis recipientium. Qui itaque imperfectiùs recipiunt, opus habent incremento, ſeu ut plus recipiant, nempe ut ſuppleatur quod defecit, ſed ita ut quicquid additur ſupplementi causâ, non tantùm non ſit contra regulam fidei, ſed nec præter regulam; nam „ qui prætergreditur (inquit) regulam fidei non accedit in viâ, ſed recedit de viâ.

Non

Non dixit qui *tranſgreditur*, ſed qui *prætergreditur*. Per regulam autem fidei intelligit Scripturam, ut mox oſtendemus ex Auguſtino. Ergo addi non vult dogma aliquod fidei præter regulam, ſed incrementum cognitionis noſtræ ſecundùm regulam. Obſervandum eſt autem in toto iſto tractatu, Auguſtinum evertere fundamentum iſtud quo Traditionarii utuntur, quaſi aliqua ſecreta doctrinæ abſcondenda eſſent à fidelibus infirmioribus, & ſeorſim communican-,, da perfectioribus. Hoc igitur (inquit) primitùs cognito, quod ea ,, ipſa quæ ſimul audiunt ſpirituales atque carnales, pro ſuo modulo ,, quique capiunt. Illi ut parvuli, iſti ut majores, illi ut lactis alimen-,, tum, iſti ut cibi ſolidatamentum: nulla videtur eſſe neceſſitas, ut ,, aliqua ſecreta doctrinæ taceantur, & abſcondantur à fidelibus par-,, vulis ſeorſim dicenda majoribus, hoc eſt, intelligentioribus. *Nulla ſecreta docuerunt Apoſtoli. Auguſtinus.*

Hactenus de Majore propoſitione argumenti. Minor adeo perſpicua eſt, ut quod Paulus dixit hic de prædicatione ſuâ, Patres intelligant de Scripturâ, hoc ſcilicet pro certo ſtatuentes, nihil aliud prædicâſſe Paulum præter id quod ſcriptum eſt, adeoque concluſionem argumenti noſtri planè afferant. Auguſtinus lib. 3. con-,, tra literas Petiliani cap. 6. Siquis (inquit) ſive de Chriſto, ſive ,, de ejus Eccleſiâ, ſive de quacunque aliâ re quæ pertinet ad fidem ,, vitamque noſtram; non dicam, ſi nos, ſed (quod Paulus adjecit) ,, ſi Angelus de Cœlo vobis annunciaverit, præterquam quod in ,, Scripturis legalibus & Evangelicis accepiſtis, anathema eſto. Si conferamus hunc locum cum præcedente, patebit eum per regulam fidei intelligere Scripturas, præter quas nihil admittendum eſt in fide & moribus. Eadem eſt ſententia Baſilii in loco jam citato. Chryſoſtomus in hunc locum ait. Apoſtolum hîc Scripturas Angelis præferre, ut ex illis verbis Lucæ 16. 29. *Habent Moſen & Prophetas*, colligit Chriſtum oſtendere majorem fidem eſſe adhibendam Scripturæ, quàm mortuis reſurgentibus. *Vetat Paulus quicquam docere præter Scripturas. Auguſtinus. Luc. 16. 29.*

At inquit Bellarm. ex hoc loco Pauli argumentari etiam licet contra eos qui Evangelizant contra Traditiones Eccleſiæ, etiamſi ex Scripturis videantur Evangelizare, ut pulchrè docet Athanaſius in fragmento de Incarnatione Verbi, & Cyrillus Athanaſium citans lib. de rectâ fide ad Reginas non procul ab initio. Sed illi ipſi Patres in iſtis locis non loquuntur de Traditionibus non ſcriptis, ſed de doctrinâ traditâ in Scripturâ: Imò iſta verba Pauli diſertè accipiunt de ,, Scripturâ. Si quis (inquit) præter hæc quæ ſunt ex ſacris Scrip- *Tollitur Bellarmini effugium.*

„ turis docet alium eſſe Filium Dei, & alium hominem ex Mariâ, „ &c. hunc anathematizat Catholica Eccleſia obtemperans Apo„ ſtolo dicenti, ſiquis vobis Evangelizet præter id quod accepiſtis, „ erit anathema. Ergo etiam Athanaſius & Cyrillus contra Bellarminum nobis ſuffragantur.

Doctrina Pauli tota ſcripta ſint in Vetere Teſtamento.

Præterea Minor iſta probatur duplici ratione. 1. Quia quicquid prædicârunt Apoſtoli, ſcriptum eſt in Veteri Teſtamento. 2. Quia ſcriptum eſt in Novo Teſtamento. Scriptum eſſe in Veteri Teſtamento ſi probari poteſt de doctrinâ Pauli, eâdem operâ probabitur de doctrinâ omnium Apoſtolorum: neque enim aliam doctrinam tradiderunt alii Apoſtoli quàm Paulus tradidit: & jam oſtendimus doctrinam Pauli adeò ſufficientem eſſe, ut in eâ nihil deſiderari poſſit. Doctrinam autem ſuam totam ſcriptam eſſe in Vet. Teſt. teſtatur ipſe Paulus, Act. 26. 22. *Perſtiti in hunc uſque diem teſtificans tùm parvis, tùm magnis, nec quicquam dicens extra quæ Moſes & Prophetæ futura prædixerunt.* At inquiunt, ſic Pauli doctrina omnis reſtringetur ad complementum antiquorum vaticiniorum. Reſp. Paulum inſtare in eo quod erat controverſum: nam quicquid erat Judæis tum controverſum in doctrinâ Pauli, nempe quod Chriſto prædicavit, id erat prædictum à Moſe & Prophetis. Reliquam autem ejus doctrinam omnem, ſive de moribus, ſive de aliis fidei articulis non dubium eſt in Moſe & Prophetis contineri.

Act. 26. 22.

Præterea objiciunt Paulum non loqui de totâ doctrinâ ſuâ, ſed tantùm de certis articulis quos ſubjungit, nempe Chriſti Paſſione, Reſurrectione, & lucis Annuntiatione.

Reſp. Illos articulos recitari tantùm ex cæteris: nam manifeſtum eſt ex ſcopo Apoſtoli & ſerie verborum, eum loqui de totâ ſuâ doctrinâ, quam Judæi criminabantur ut novam & alienam à doctrinâ Moſis & Prophetarum, licet inſtet interdum exempli causâ in quibuſdam præcipuis, aut maximè controverſis articulis. Conferantur in hoc capite verſus 6,7.16. 18.19.20.22.

Etiam in Novo. Irenæus,

Porro doctrinam Apoſtolorum integram ſcriptam eſſe in Novo „ Teſt. apparet ex Irenæo lib. 3. cap. 1. Non per alios (inquit) di„ ſpoſitionem ſalutis noſtræ cognovimus, quàm per eos, per quos „ Evangelium pervênit ad nos: quod quidem tunc præconiaverunt, „ poſteà verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, „ fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum. Hîc duo obſervanda ſunt. 1. Apoſtolos illud ipſum Evangelium quod prædicârunt

Digitized by Google

runt ſcriptis mandâſſe: id quod notat etiam in hunc locum Fevardentius Monachus: ergo non aliud eſt prædicatum quàm quod eſt ſcriptum. 2. Evangelicam doctrinam ex Dei voluntate eſſe ſcriptam, ut eſſet fundamentum & columna fidei noſtræ: ergo oportet ut fides noſtra nitatur Verbo ſcripto: non datur itaque fides Divina extra verbum ſcriptum.

Reſpondet Bellar. duobus modis 1. ait Irenæum non dicere nihil aliud Apoſtolos prædicâſſe, quàm quod ſcripſerunt, ſed ſolum ſcripſiſſe Evangelium quod antè prædicaverunt. At contrà, nihil manifeſtius eſt, quàm Irenæum loqui de totâ Evangelicâ Doctrinâ, de quâ tria enunciat. 1. Quod pervenit ad nos per Apoſtolos. 2. Quòd prædicata ſit ab Apoſtolis. 3. Quod ſit in Scripturis nobis tradita: neque ulla reſtrictio adhibetur in uno membro magis quàm in alio. Prout ergo vult totam perveniſſe ad nos, & totam prædicatam eſſe ab Apoſtolis, ita totam eſſe ſcriptam indicat. *Pervertit Bellarminus Irenæi teſtimonium.*

Sed diffiſus huic reſponſioni Bellarminus aliam comminiſcitur, quam vult non tantùm ad iſta Irenæi verba, ſed ad multa alia Veterum Teſtimonia extendi. Etiamſi (inquit) diceret Irenæus Apoſtolos omnia ſcripſiſſe, quæ prædicaverunt, nihil diceret adverſus ſententiam noſtram. Duo enim hîc notanda ſunt. 1. Quædam in Doctrinâ Chriſtianâ, tam fidei quàm morum eſſe ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem: qualis eſt notitia articulorum Symboli, item cognitio decem Præceptorum & nonnullorum Sacramentorum. Cætera non ita ſunt neceſſaria, ut ſine eorum explicatâ notitiâ, fide, & profeſſione, homo ſalvari non poſſit, modò promptam habeat voluntatem illa ſuſcipiendi & credendi, quando ſibi fuerint legitimè per Eccleſiam propoſita. 2. Notandum eſt ea quæ ſunt ſimpliciter neceſſaria, Apoſtolos conſueviſſe omnibus prædicare, aliorum autem non omnia omnibus, ſed quædam omnibus, quæ nimirum omnibus utilia erant, quædam ſolis Prælatis, Epiſcopis, & Presbyteris, ut de ratione gubernandæ Eccleſiæ, de Sacramentis adminiſtrandis, de refellendis hæreticis, &c. His notatis, ait illa omnia ſcripta eſſe ab Apoſtolis, quæ ipſi palam omnibus vulgò prædicaverunt, nempe quæ ſunt omnibus neceſſaria, & ita intelligenda eſſe Irenæi verba: cætera verò non eſſe omnia ſcripta, ſed ſeorſum perfectioribus tradita.

At multis modis inepta eſt hæc Bellarmini reſponſio, tum ſi abſolutè conſideretur, tum ſi ad Irenæi verba referatur. Nam ſi abſolutè con-

Digitized by Google

conſideretur videtur Bellarminus victas manus nobis dare, & quicquid eſt hic controverſum ultro concedere Fatetur enim Scripturam continere omnia, quæ ſunt omnibus neceſſaria ad ſalutem tum in fide tum in moribus. At controverſia inter nos & Pontificios ſolū eſt de neceſſariis: nam ipſe ſtatum controverſiæ ſic proponit capitis 3. initio. Num in Scripturâ *contineatur tota doctrina neceſſaria ſive de fide ſive de moribus.* Pontificii autem ſolent dicere Traditiones, non minùs, imò magis neceſſarias eſſe quàm Scripturam, ut cap. primo oſtendimus, imò verò concedit Bellarm. Apoſtolos non tantùm prædicâſſe palam omnibus ac ſcripſiſſe, quæ erant omnibus neceſſaria, ſed etiam quæ erant omnibus utilia. Ergo extra Scripturam nullæ dantur Traditiones omnibus neceſſariæ, nec omnibus utiles. Valeant ergo illæ Traditiones de ſignaculo crucis, adoratione imaginum, invocatione ſanctorum, Purgatorio, communione ſub unâ ſpecie, & id genus aliæ plurimæ, quæ toti populo credendæ proponuntur, cùm tamen ex doctrinâ Bellarmini nec ſint neceſſariæ nec utiles.

Mala Bellarmini diſtinctio. Sed Bellar. diſtinguit ea quæ ſunt neceſſaria & utilia ad fidem & mores, quod alia ſint neceſſaria & utilia omnibus, alia neceſſaria & utilia quibuſdam: id eſt, certo hominum generi. Quæ ſunt neceſſaria & utilia omnibus, fatetur Apoſtolos palàm prædicâſſe, ac deinde ſcripſiſſe: ſed alia prædicâſſe ſolis Prælatis, Epiſcopis, & Presbyteris, ut de ratione gubernandæ Eccleſiæ, de Sacramentis adminiſtrandis, de refellendis hæreticis, &c. & hujuſmodi omnia non eſſe ſcripta. At quo modo quæſo intelligit Bellarminus ea quæ ſunt neceſſaria & utilia omnibus? An ut excludat ea quæ non conveniunt toti generi humano, ſed propria ſunt alicui generi aut conditioni hominum? At Scriptura non minus hæc quàm illa tradit, nempe quæ propriè ſpectant ad maritos, uxores, parentes, liberos, dominos, ſervos, magiſtratus, ſubditos, paſtores, gregem, &c. Verùm Bellarminus reſtringit iſta particularia ad ea quæ conveniunt Prælatis, Epiſcopis, Presbyteris, ut de ratione gubernandæ Eccleſiæ, de Sacramentis adminiſtrandis, de refellendis hæreticis, &c. Benè habet ergo ſi Traditiones reſtringantur ad ejuſmodi inſtituta, quæ iſti ſoli hominum conditioni conveniunt: nam ita multò maxima pars Traditionum Pontificiarum amputabitur. Sunt quidem aliqua officia propria Paſtorum & Moderatorum Eccleſiæ: & illa quidem accuratè ſcripta ſunt in ſacris Literis: adeoque in integris libris, putà in

in epiſtolis ad Timotheum & Titum nihil fere aliud tractatur, & in Veteri Teſtamento officia Sacerdotum & Levitarum magis accuratè quam aliorum hominum deſcribuntur: adeo ut nihil deſiderari poſſit in doctrinâ neceſſariâ quod ad mores ſeu officia eorum ſpectat (nam de ritibus externis & inſtitutis, quæ ratione circumſtantiarum, variari poſſunt, hic non diſſerimus) ſed quod ad dogmata fidei attinet, ea omnibus Chriſtianis ſunt communia, neque alios articulos fidei tenent Clerici quàm Laici, ut vocant. *Unus Dominus, una Fides* „ Eph. 4. 7. Sic in hunc locum Thomas. Una Fides (inquit) quia „ unum & idem creditur à cunctis fidelibus, unde Catholica dicitur: „ & Cajetanus. Una fides, quia unum & idem omnes credimus. Conſtat quidem in Eccleſiâ alios eſſe perfectiores, alios infirmiores, & illos plura aut firmius ſcire quàm hos: nihil tamen ad fidem pertinet quod non omnium intereſt ſcire: adeoque omnia dogmata fidei omnibus, ſi non neceſſaria, ſaltem utilia ſunt: ergo ex ſententiâ Bellarmini ea omnia palam prædicata ſunt ab Apoſtolis, & quæ palam prædicata ſunt, fatetur etiam eſſe ſcripta.

Eph. 4. 7. *Aquinas.* *Cajetanus.*

Sed quæ nam ſunt iſta in doctrinâ fidei & morum, quæ vult omnibus ſimpliciter neceſſaria eſſe ad ſalutem? Bellaminus ait talem eſſe notitiam articulorum Symboli Apoſtolici, item cognitionem decem præceptorum & nonnullorum Sacramentorum. Nunc autem quis neſcit Decalogum eſſe ſummam & epitomen omnium quæ ad mores neceſſaria ſunt omnibus & cuivis hominum generi. Eodem modo Symbolum Apoſtolicum ſemper habitum eſt ſumma omnium quæ ſunt omnibus aut cuivis neceſſaria ad fidem, ſicut oratio Dominica continet omnes articulos invocationis Dei: nam illas tres ſummulas in ſuo genere perfectas eſſe nemo dubitavit. Unde ſic arguere licet: Quod explicat ſpeciatim omnia, quæ Decalogus & Symbolum habent ſummatim, id continet omnia ad fidem & mores omnibus & cuivis neceſſaria: At Scriptura, &c. Ergo. Minor certa eſt & aſſeritur à Bellar. lib. 4. de Verbo cap. 1. contextu *Reſpondeo loquitur.* Major ex dictis patet. Cùm autem addit Bellarm. nonnullorum Sacramentorum notitiam eſſe neceſſariam, intelligat oportet Baptiſmum & Euchariſtiam (quæ ſola nos legitima Sacramenta Novi Teſtamenti agnoſcimus) nemo enim dixerit reliqua ſpuria Sacramenta eſſe magis neceſſaria; utcunque eſt, omnium Sacramentorum doctrinam volunt in ſacris literis contineri: itaque in ſacris literis continentur omnia quæ ſunt neceſſaria ad doctrinam fidei & mo-

Quæ dogmata ſunt ad ſalutem neceſſaria.

Digitized by Google

& morum, & ſignacula doctrinæ ſeu obſignationem Fœderis.

At inquit Bellarminus, Multa ſunt in doctrinâ Chiſtianâ, ſine quorum explicitâ notitiâ, & fide, & profeſſione, homo ſalvari poſſit, modò promptam habeat voluntatem ea ſuſcipiendi & credendi, cùm ab Eccleſiâ fuerint propoſita: & hujuſmodi ſunt Traditiones. Sed & ejuſmodi multa in Scripturis tradi manifeſtum eſt. Itaque cùm varias diſtinctiones attulerit Bellarminus, nullum genus dogmatum Chriſtianorum nominare potuit quod in Scripturâ non contineatur; ſive conſiderentur neceſſaria ſimpliciter omnibus ad ſalutem, ſive non neceſſaria omnibus, ſive utilia omnibus, ſive quibuſdam, ſive explicita eorum notitia requiratur, ſive implicita. Novimus quemadmodum abutantur Pontificii diſtinctione fidei in explicitam & implicitam, cùm in pauciſſimis explicitam fidem Populi requirant, ſemper autem implicitam commendent ut Populum in ignorantiâ detineant, ſatis eſſe dicentes, ſi credat ut Eccleſia credit, nec licere ei inquirere in ipſorum dogmata, aut ea ad Scripturam examinare, ac proinde nudum aſſenſum, non autem cognitionem fidei eſſentialem eſſe dictitant. Nos autem aſſenſum in fide à cognitione non poſſe ſeparari aſſerimus: & fidem quidem implicitam ob credentium imperfectionem agnoſcimus ſive rudiorem cognitionem, ſive infirmiorem apprehenſionem reſpiciamus: ſed ita ut in eâ imperfectione nemo debeat acquieſcere, verùm ad perfectionem tum cognitionis, tum apprehenſionis omnibus modis, ac præſertim pro Scripturæ ſtudio contendere.

Fides implicita rejicitur.

Irenæus non vult perverti.

Atque hæc de reſponſione Bellarmini abſolutè comparatâ: Nunc ſi referamus ad verba Irenæi, planè apparebit eſſe οὐδὲν πρὸς ἔπος. Nam Irenæus loquitur de Evangelio quod pervenit ad nos per Apoſtolos (Evangelii autem nomine intelligit doctrinam Chriſtianam) atque illud Evangelium quod ad nos pervenit, dicit primo eſſe prædicatum, deinde ſcriptum ab Apoſtolis. Quorſum igitur illa diſtinctio eorum quæ ſunt neceſſaria ſcitu, omnibus aut non omnibus? Non confert Irenæus Scripturam cum cognitione noſtrâ ſed cum prædicatione & traditione Apoſtolorum. Non dicit ea eſſe ſcripta quæ omnes ſcire neceſſe eſt, ſed illud Evangelium eſſe ſcriptum ab Apoſtolis, quod erat ab iis prædicatum, & illud eſſe prædicatum, quod ad nos per illos pervenit. Eſto non eſſe neceſſe, ut ſinguli Chriſtiani teneant omnia quæ ſunt in doctrinâ Chriſtianâ: ſed neceſſe eſt totam doctrinam Chriſtianam, ſeu totum Evangelium perveniſſe ad nos

Digitized by Google

nos per Apoſtolos, id eſt, totum traditum eſſe ab Apoſtolis: & quod ab eis eſt traditum, docet Irenæus ab iis eſſe prædicatum, & quod eſt prædicatum, eſſe ſcriptum. Hîc igitur quærimus num Traditiones Pontificiæ ſint aliqua pars Evangelii quod per Apoſtolos ad nos pervenit: ſi ſint, tum non ſunt non ſcriptæ: nam illud Evangelium prædicatum & ſcriptum eſſe docet Irenæus. Si non ſint, tum immeritò Verbi Dei nomine cenſentur, cum nec ad Legem nec ad Evangelium referantur, nam nemo dicit ad Legem referri.

Sunt qui dicunt Irenæum hîc Evangelii nomine intelligere non totam doctrinam Novi Teſtamenti ſed hiſtoriam Evangelicam à quatuor Evangeliſtis perſcriptam. Sed hoc effugium parum convenit Irenæi verbis: loquitur enim de doctrinâ fidei quæ ſpectat ad diſpoſitionem ſalutis, & eſt columna ac fundamentum fidei noſtræ: talis autem eſt univerſa doctrina Apoſtolica, quanquam etiam, ut anteà monuimus, hiſtoria Evangelica, merito perfecta & ſufficiens dicitur.

Secunda ratio: Si ex Scripturæ authoritate omnis doctrina Chriſtiana confirmanda eſt, omneſque hæreſes & errores contrarii refellendi, tum Scriptura continet omnia ad fidem & mores neceſſaria: At verum prius: Ergo. Major clara eſt: nam doctrina quæ non continetur in Scripturis, non poteſt confirmari ex Scripturæ auctoritate: & niſi Scriptura contineret omnem veritatem neceſſariam, non poſſent inde omnes hæreſes coargui & errores contrarii refutari: eadem enim eſt norma recti & obliqui, ac veri & falſi. *Secunda ratio. Omnes hæreſes & errores refutantur per Scripturam.*

Minor probatur exemplo Chriſti & Apoſtolorum, qui doctrinam ſuam omnem ex teſtimoniis Sacræ Scripturæ Veteris Teſtamenti comprobârunt, neque unquam nos ad Traditiones non ſcriptas remiſerunt ad probandum ullum dogma quod in ſacris literis non continetur. Hoc ipſo argumento utitur ipſe Bellarm. lib. 1. de Verbo Dei cap. 2. contra fanaticas revelationes, quod non minùs valet contra Traditiones non ſcriptas, iſtam ob cauſam: nempe ad fidei confirmationem jubet Chriſtus ſcrutari Scripturas Joan. 5. 39. Proptereà laudantur Berœenſes, qui Pauli doctrinam ad Scripturas examinârunt Act. 17. 11. & Chriſtus erroris cauſam in Sadducæis notat eſſe ignorationem Scripturarum Mat. 22. 29. & Paulus profitetur ſe nihil docuiſſe extra Moſen & Prophetas Act. 26. 22. Quantò magis nobis ſuppetit omnis ſanctæ doctrinæ confirmatio & erro- *Bellarminus pro nobis. Io. 5. 39. Act. 17. 11. Mat. 22. 29. Act. 26. 22.*

rum oppoſitorum refutatio ex utrâque Scripturâ Veteris ac Novi Teſtamenti. Atque hoc adeo receptum eſt & communi conſenſu comprobatum, ut ab initio naſcentis Eccleſiæ Chriſtianæ ad hæc uſque tempora in ſæculis etiam corruptiſſimis, ſolenne ſemper fuerit Verbum Dei prædicantibus, textum aliquem ex Sacrâ Scripturâ concionibus ſuis ut fundamentum omnium quæ dicturi erant, præmittere.

Origenes. Idem confirmari poteſt plurimis Patrum teſtimoniis. Origenes „ in Jer. hom. 1. neceſſe eſt nobis Scripturas in Teſtimonium voca- „ re: ſenſus quippe noſtri & enarrationes ſine his teſtibus fidem non „ habent. Idem in epiſt. ad Rom. cap. 3. Poſt hæc Paulus (ut ei „ moris eſt) de Scripturis ſanctis vult affirmare quod dixerat: ſimul „ & Doctoribus Eccleſiæ præbet exemplum, ut ea quæ loquuntur „ ad populum, non propriis præſumpta ſententiis, ſed Divinis mu- „ nita teſtimoniis proferant. Si enim ipſe talis ac tantus Apoſtolus, „ auctoritatem dictorum ſuorum ſufficere poſſe non credit, niſi do- „ ceat in Lege & Prophetis ſcripta eſſe quæ dicit, quantò magis „ nos minimi hoc obſervare debemus, ut non noſtras, cùm doce- „ mus, ſed S. Spiritûs ſententias proferamus. Et in cap. 16. ad Rom. „ lib. 10. Vide quàm proximi periculis fiant hi qui exerceri in Di- „ vinis literis negligunt, ex quibus ſolis hujuſmodi examinationis „ agnoſcenda diſcretio eſt. Idem in Mat. tract. 25. Debemus ad „ teſtimonium omnium verborum quæ proferimus in doctrinâ pro- „ ferre ſenſum Scripturæ, quaſi confirmantem quem exponimus „ ſenſum. Idem in Mat. tract. 23. Sicut Salvator verbo doctrinæ „ ſuæ ſilentium impoſuit Sadducæis, ſic faciant & Chriſti imita- „ tores exemplis Scripturarum, quibus oportet ſecundum ſanam „ doctrinam vocem omnem obmuteſcere Pharaonis, id eſt, adver- „ ſarii.

Clemens Alexandrinus. Clemens Alexandrinus Stromat. lib. 7. Si ſit demonſtratio, ne- „ ceſſe eſt deſcendere ad inquiſitiones, & per ipſas Scripturas di- „ ſcere demonſtrativè, quomodò à viâ aberrarunt hæreſes, & con- „ trà quomodo in ſolâ veritate, & antiquâ Eccleſiâ ſit perfectiſſima „ cognitio. Et paulò pòſt. Non abſolutè enunciantibus hominibus „ fidem habeamus, quibus licet etiam enunciare contrarium, ſi au- „ tem non ſatis eſt ſolum abſolute dicere quod videtur, ſed etiam „ oportet probare quod dictum eſt, non expectamus teſtimonium „ quod datur ab hominibus, ſed voce Domini probamus quod quæritur,

Digitized by Google

„ ritur, quæ eſt magis fide digna quàm quævis demonſtratio, vel
„ potiùs quæ ſola eſt demonſtratio: per quam ſcientiam qui ſolum
„ guſtavere Scripturas, ſunt fideles. Quia utem ulteriùs proceſſerunt,
„ nempe illi qui cognitione præſtant, ſunt perfecti indices veritatis.
Comparat fidem Chriſtianam cum ſcientiâ Philoſophorum: & ut apud illos demonſtrationes pariunt ſcientiam: ita vocem Dei ſeu teſtimonia Scripturæ vult Chriſtianis eſſe pro demonſtrationibus ad gignendam fidem: vocem autem Dei & Scripturam pro eodem
„ ſumit, ut patet ex totâ ſerie verborum. Proinde etiam ſubjungit:
„ Sic nos quoque ex ipſis Scripturis perfectè demonſtrantes ex fide
„ perſuademus demonſtrativè.

„ Baſilius in Moral. regula 26. Quicquid vel dicimus vel facimus, *Baſilius.*
„ id teſtimonio Divinarum literarum confirmari debet ad confir-
„ mationem fidei bonorum, & confuſionem malorum.

„ Epiphanius hæreſi 65. Nos uniuſcujuſque quæſtionis ſolutio- *Epiphanius.*
„ nem non ex propriis ratiocinationibus diſcere poſſumus, ſed ex
„ Scripturarum conſequentiâ.

„ Chryſoſtomus hom. in Pſal. 45. Neque enim oportet quic- *Chryſoſtomus.*
„ quam dicere ſine teſtibus ſolaque Animi cogitatione: nam ſi quid
„ dicitur abſque Scripturâ, auditorum cogitatio claudicat, nunc an-
„ nuens, nunc hæſitans, & interdum ſermonem ut frivolum averſans,
„ interdum ut probabilem recipiens. verum ubi è Scripturâ Divinæ
„ vocis prodiit teſtimonium, & loquentis ſermonem, & audientis
„ animum confirmat.

In opere imperfecto in Mat. quod Chryſoſtomo aſcribitur hom.
„ 49. Tum cùm videritis abominationem deſolationis ſtantem in lo-
„ co ſancto, hoc eſt, cùm videritis hæreſin impiam quæ eſt exercitus
„ Antichriſti ſtantem in locis ſanctis Eccleſiæ, in illo tempore qui
„ ſunt in Judæâ fugiant ad montes, id eſt, qui ſunt in Chriſtianitate
„ conferant ſe ad Scripturas, &c. Quia in tempore hoc ex quo obti-
„ nuit hæreſis Eccleſias illas, nulla probatio poteſt eſſe veræ Chriſtia-
„ nitatis, neque refugium poteſt eſſe aliud Chriſtianorum, volentium
„ cognoſcere fidei veritatem niſi Scripturæ Divinæ, &c. Nunc nul-
„ lo modo cognoſcitur volentibus cognoſcere quæ ſit vera Eccleſia,
„ niſi tantummodò per Scripturas, &c. Qui ergo vult cognoſcere
„ quæ ſit vera Eccleſia Chriſti, unde cognoſcat niſi tantum modò
„ per Scripturas? Sciens ergo Dominus tantam confuſionem rerum
„ in noviſſimis diebus eſſe futuram, ideo mandat, ut Chriſtiani vo-

Digitized by Google

„ lentes firmitatem accipere fidei ad nullam rem confugiant niſi ad „ Scripturas.

Sixtus Senenſis. Reſpondent ad hoc teſtimonium Pontificii, hoc opus non eſſe Chryſoſtomi, ſed alicujns Ariani, aut ſaltem ab Arianis eſſe cor„ ruptum. At Eccleſia Catholica (inquit Sixtus Senenſis Bibliothe„ cæ lib.4.) publicè inter Divinas laudes legit homilias ex his com„ mentariis ſub nomine Chryſoſtomi, & ex hoc opere multæ gra„ ves ſententiæ citantur ſub titulo & auctoritate Chryſoſtomi in „ gloſſis authenticis quas vocant ordinarias, in catenis Evangeli„ carum explicationum, in decretis ſummorum Pontificum, & in ſummis Theologicis magni nominis Theologorum. Nos quidem non inficiamur opus hoc in nonnullis depravatum eſſe ab Arianis. Sed hac de re quæ habetur in verbis citatis nulla unquam fuit controverſia inter Orthodoxos & Arianos, ut in iſtis verbis aliquid corruptum eſſe ſuſpicari liceat.

A coſta. Joſephus A coſta de temporibus noviſſimis lib. 2. cap. 12. ait auctorem operis imperfecti cum Ambroſio, Irenæo, & aliis comparandum eſſe. *Salmeron.* Salmeron Jeſuita Commentario in Rom. Proœm. part.3. diſput.3. titulo de falſis dogmatibus verba iſta à nobis citata commendat *volentibus cognoſcere quæ ſit vera Eccleſia, non eſt alius modus niſi tantummodò per Scripturas.*

Auguſtinus. Auguſtinus de Geneſi ad lit. lib. 7. cap. 9. Non omnes hæretici „ Scripturas Catholicas legunt: nec ob aliud ſunt hæretici, niſi quòd „ eas non rectè intelligentes ſuas falſas opiniones contra earum veri„ tatem pervicaciter aſſerant.

Hieronymus. „ Hieronymus in Pſal. 98. Omne quod loquimur debemus affir„ mare de Scripturis ſanctis. Item in Mat. cap. 23. Hoc quia de „ Scripturis non habet auctoritatem, eâdem facilitate contemnitur „ quâ probatur.

Cyrillus. „ Cyrillus Hieroſolymitanus Illuminatorum Catecheſi quartâ. „ Oportet ne minimum aliquid tradere de ſanctis & Divinis fidei „ myſteriis, abſque Divinis Scripturis, neque moveri probabilibus „ ſermonum compoſitionibus. Ac ne mihi quidem hæc dicenti ad„ hibeto fidem, niſi acceptâ eorum quæ petuntur demonſtratione è „ ſacris petitâ Scripturis. Hæc enim eſt ratio conſervandæ noſtræ „ fidei, quæ dicitur non ex ingenioſo acumine, ſed ex demonſtratio„ ne Divinarum Scripturarum.

Gregorius Magnus. „ Gregorius Magnus in Jobum lib.18. cap.14. Qui ad veræ prædicationis

„ dicationis verba ſe præparat, neceſſe eſt ut cauſarum origines à ſa-
„ cris paginis ſumat: ut omne quod loquitur ad divinæ auctoritatis
„ fundamentum revocet, atq; in eo ædificium locutionis ſuæ firmet.
„ Nam ſæpe hæretici, dum ſua ſtudent perverſa aſtruere, ea profe-
runt quæ profectò in ſacrorum Librorum paginis non tenentur.

Huc etiam pertinent alia Patrum teſtimonia quæ nos citavimus ſuprà lib. præcedente cap. 11. quibus & plurima alia addi poſſunt, ſed hæc ſufficiunt.

Tertia ratio ſecundæ affinis eſt. Regula divina fidei & morum perfecta eſt, & adæquata rebus fidei & morum, Ergo. Major patet & ex naturâ regulæ in genere, & ex adjuncto hujus regulæ, de quâ loquimur ſumpto ab auctore. Regula enim & regulatum, cùm ſint relata, convertuntur: & regula oportet ſit adæquata eis quorum eſt regula, alioqui ne regula quidem eorum dici poteſt. *Tertia ratio. Regula divina fidei & morũ eſt perfecta & adæquata.* Κανὼν ἐστὶ νόμος ἀπαράβατος, καὶ μέτρον ἀδιάψευστον, πᾶσαν πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ἐπιδε-
„ χόμενον, id eſt. Regula eſt lex quam tranſgredi ſeu præterire non li-
„ cet & menſura infallibilis quæ nullam vel additionem vel detra-
ctionem patitur. *Favorini Canon.* Quantò magis regula divina à Deo ipſo inſtituta, cujus omnia opera ſunt perfecta, oportet ut ſit perfecta & adæquata.

Minor adeò clara eſt, ut Scriptura paſſim à Patribus & aliis appelletur κατ' ἐξοχὴν Canon & Canonica, & cùm conſtet eſſe Canonem divinum, Canonem nemo Chriſtianus negaverit.

„ In Concilio Laodiceno cap. ult. Non oportet & libros præ-
„ ter Canonem legi, ſed ſolùm ſacra Volumina Veteris & Novi
„ Teſtamenti. *Concilium Laodicenum.*

Iſidorus Peluſiota Scripturam appellat κανόνα τῆς ἀληθείας lib. 4.
„ epiſt. 114. Quod hæc ita ſe habeant, regulam veritatis, divinas
„ dico Scripturas, contemplemur. *Iſidorus Peluſiota.*

Chryſoſtomus in 2. ad Cor. in fine hom. 23. appellat divinarum
„ legum ſententiam quæ in Scripturis extat ἀκριβῆ ζυγὸν ἁπάντων καὶ
„ γνώμονα καὶ κανόνα, exactam omnium rerum trutinam & normam &
„ regulam. Unde exhortationem hanc ſubjicit, Quo circa vos omnes
„ rogo atque obſecro, ut quid hic aut ille de his rebus ſentiat nihil
„ morantes, Scripturas de iis omnibus conſulatis. *Chryſoſtomus.*

„ Auguſtinus de bono viduitatis cap. 1. Sancta Scriptura fidei no-
„ ſtræ regulam figit. Et de Baptiſmo contra Donatiſtas lib. 2. cap. 6.
„ Non afferamus ſtateras doloſas, ſed afferamus divinam ſtateram
„ de Scripturis ſanctis tanquam de Theſauris Dominicis, &c. Item *Auguſtinus.*

lib. 2. contra Creſconium cap. 31.

Ferus. „ Inter Pontificios Ferus in examine ordinandorum. Scriptura „ (inquit) dicitur Canonica, id eſt regularis, quia à Deo nobis da„ta eſt vitæ & veritatis regula, quâ omnia probamus, & juxta quam „ vivamus.

Andradius. „ Jacobus Andradius in defenſ. Concilii Tridentini lib. 3. ait minimè ſibi diſplicere eorum ſententiam, qui Canonicos ideo dicunt „ appellari libros, quia pietatis, & fidei, & Religionis Canonem, „ hoc eſt, regulam atque normam è Cælis, ſummo Dei beneficio ad „ nos delatam continent ampliſſimam.

Eſ. 8. 20. Hieronymus. Huc pertinet ille locus Eſaiæ 8. 20. *Ad legem & teſtimonium. Si non dixerint ſecundum verbum hoc, non erit illis lux.* Hieronymus in hunc „ locum ſic ſcribit. Si vultis nôſſe quæ dubia ſunt, magis vos Legi & „ teſtimoniis tradite ſcripturarum. Quodſi noluerit veſtra congre„ gatio verbum Domini quærere, non habebit lucem veritatis: ſed „ verſabitur in erroris tenebris. Et paulò pòſt. Cæterum Nazareni „ locum iſtum ita ediſſerunt: cum dixerint ad vos Scribæ & Phari„ ſæi ut eos audiatis, qui omnia veritatis causâ faciunt, & in morem „ Magorum ſtridunt in incantationibus ſuis, ut vos decipiant: hoc „ eis reſpondere debetis, nō mirum ſi vos veſtras Traditiones ſequa„ mini: cum unaquæque gens ſua conſulat idola, ergo & nos à vo„ bis mortuis de viventibus conſulere non debemus. Deus nobis le„ gem dedit, & teſtimonia Scripturarum, quæ ſi ſequi nolueritis „ non habebitis lucem.

Tolluntur Bellarmini effugia. Ad hanc rationem duo reſpondet Bellarminus. Primò ait Scrip„ turæ finem proprium & præcipuum non fuiſſe ut eſſet regula fidei, „ ſed ut eſſet commonitorium quoddam utile, ad conſervandam & „ fovendam doctrinam ex prædicatione acceptam. Ecce quantum detrahit dignitati Scripturæ, qui nullum excellentiorem uſum Scripturæ agnoſcit, quàm ut ſit commonitorium quoddam utile, id quod cuilibet pio tractatui de rebus ſacris v. g. Vincentii Lyrinenſis commonitorio tribui poteſt. Cur verò negat eſſe proprium finem Scripturæ ut ſit regula fidei? An quia vult eſſe communem finem Scripturæ & aliis rebus, puta Traditionibus? Sed & ille finis quem ipſe aſſignat proprium Scripturæ, ut ſit commonitorium utile etiam convenit Traditionibus ex ipſius ſententiâ. An vult non eſſe finem propriè & per ſe, ſed impropriè & per accidens? At hoc ut eſt alienum à veritate, ita parum conſentaneum eſt doctrinæ ipſius Bellarmini

mini qui lib. 1. de Verbo Dei cap. 1. & 2. dicit & probat Scripturam eſſe regulam fidei ſtabilem, certiſſimam, notiſſimam, ac tutiſſimam. Certè regula fidei certiſſima, notiſſima, tutiſſima, aut eſt propriè & per ſe regula fidei, aut nulla eſt regula fidei propriè & per ſe. Quod autem dicit non eſſe præcipuum finem Scripturæ, ut ſit regula fidei, nihil ad argumentum noſtrum eſt, ſive ſit præcipuus, ſive minùs præcipuus finis: ſatis eſt, quod ſit verè & per ſe regula fidei: quanquam & præcipuum eſſe illum finem ſatis ex dictis patet: alioqui cur communi Patrum conſenſu, à minus præcipuo fine diceretur Scriptura Canonica, ac non potiùs à præcipuo fine ſcilicet commonitoria?

Sed quomodo probat Bellarm. non eſſe præcipuum illum finem? „ Duplici ſcilicet ratione. 1. inquit. Quia non continet omnia, & „ ſola illa, quæ ex ſe ad fidem pertinent ſicut videmus factum „ in Symbolo quod verè dicitur, & eſt compoſitum ut ſit brevis „ quædam regula fidei: non continet omnia, quia multa ſunt cre- „ denda quæ non ſunt in Scripturis (cujuſmodi varia exempla pro- „ tulit cap. 4. ad quæ ſuo loco reſpondebimus (non continet ſola, „ quia inScripturis plurima ſunt quæ ex ſe non pertinent ad fidem, id „ eſt, quæ non ideo ſcripta ſunt, quia neceſſariò credenda erant, ſed „ neceſſariò creduntur, quia ſcripta ſunt. 2. Quia Scriptura non eſt „ opus continuum quale deberet eſſe regula fidei, ſed continet va- „ ria opera; Hiſtorias, Conciones, Vaticinia, Carmina, Epiſto- „ las, &c.

Nulla regula Divina eſt partialis.

Reſpond. Poſterior ratio refutatur ab ipſo Bellarm. in verbis proximè ſequentibus, ubi docet Verbum Dei quod complectitur Scripturam & Traditiones eſſe totalem regulam fidei. Nam ſi Scriptura non ſit opus continuum, multo minus Scriptura unà cum Traditionibus, unum continuum opus dici poteſt. Quod ad priorem rationem attinet, hoc libenter accipimus quod concedit Bellarminus, omnia quæ ex ſe ad fidem pertinent contineri in Symbolo, quòd ſi non plures articulos fidei nobis obtruderet Romana Eccleſia, facilè inter nos & illos conveniret. Nunquid in Symbolo continentur articuli de primatu Pontificis, de Miſsâ, Purgatorio, & cæteri in quibus ab illis diſſidemus? Niſi fortè dixerint ea dogmata contineri in articulo illo. *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam*, quia ſcilicet hinc ſequitur credendum eſſe quicquid nobis proponit credendum Romana Eccleſia. At, ut omittam falſiſſimum eſſe illic per Catholicam

Digitized by Google

eam Eccleſiam intelligi Romanam, certe ſi id ſatis eſt ut eo modo aliquid contineatur in Symbolo, tum in ejuſmodi Epitome fidei nullo alio articulo fidei opus eſſet. Sed ſatis conſtat illum articulum de Eccleſiâ eſſe unum particularem ex duodecim, non generalem qui complectitur omnes articulos fidei: alioqui aut ſolus ponendus eſſet in Symbolo aut primo aut ultimo loco, ut ſumma omnium, ac non ut contradiſtinctus à reliquis.

Sed ad rationem ipſam ſic reſpondemus: regulam fidei debere quidem continere omnia quæ ex ſe ad fidem pertinent, ſed non requiri ut contineat ſola: nam in ipſo quidem Symbolo Apoſtolico, quod aſſentiente Bellarmino, eſt brevis quædam regula fidei, non eſt quod dicamus omnia quæ illic ſunt poſita, ex ſe neceſſariò ad fidem pertinere v. c. Quod Chriſtus paſſus ſit ſub *Pontio Pilato*: nam quis dubitet ſalvâ fide ignorari poſſe nomen judicis ſub quo Chriſtus paſſus eſt, ſi credatur ipſa paſſio, & reliqui omnes articuli fidei.

Bellarminus ſubjungit totalem regulam fidei eſſe Verbum Dei, quod dividitur in duas partiales regulas, nempe Scripturam & Traditionem. Sed in alterâ parte, imò in utraque parte ac proinde in toto non negabunt Pontificii multa contineri quæ non ex ſe ad fidem pertinent, id eſt, ut explicat Bellarminus, quæ non ideo proponuntur ut neceſſario credantur. In arte fabrili poteſt eſſe una regula longior, latior, amplior, & ornatior quàm altera, cùm tamen æquè hæc atque illa ſit regula. Satis eſt hoc ad perfectionem regulæ, ut nihil deſit quod ad naturam & rationem regulæ ſpectat: non autem requiritur ut nihil habeat prætereà. In hac diſputatione hoc unum agimus ut oſtendamus omnia quæ ex ſe ad fidem pertinent in Scripturâ contineri: non negamus alia etiam contineri, quæ & ipſa licet non ſint abſolutè neceſſaria ad fidem, tamen ad fidem & mores conferunt.

Cùm itaque Scriptura ſit regula perfectiſſima & authentica, nempe à Deo ipſo inſtituta, aſſerimus neque quidquam ei deeſſe neceſſarium, neque quidquam redundare ut ſuperfluum, ac proinde ejuſmodi eſſe regulam, cui nihil addere, nihil detrahere liceat. Et certè hoc etiam convenit omni Canoni & menſuræ regulari, ut nihil ei addi aut demi poſſit, quà tale eſt. Dixi *quà tale*, nam accidentarium aliquid addi aut demi nihil vetat, ſed non quod ad rationem regulæ ſpectat V. c. ulna una poteſt eſſe aliâ craſſior ſed non longior: modius unus poteſt alio eſſe major ſed non capacior, normæ indican-

indicantes Angelum rectum aut lineam rectam in aliis quidem habere poſſunt diverſitatem, in rectitudine verò nullam. Hinc *Favorinus* in iſta regulæ deſcriptione dixit eam non pati detractionem aut additionem. Chryſoſtomus in 3. cap. ad Philip. Hom. 12. Canon
,, (inquit) neque additionem, neque detractionem recipit, alioqui
,, jam non eſt Canon. Theophylactus in eundem locum. Regula & amuſſis neq; appoſitionem habet neque ablationem. Photius apud
,, Oecumenium in idem caput. Quemadmodum in Canone, ſive
,, abſtuleris quippiam, ſive addideris, totum perdideris; ita in fide.

Favorinus. *Chryſoſtomus.* *Theophylactus.* *Photius.*

Secundo reſpondet Bellarm. per diſtinctionem dicens Scripturam eſſe regulam partialem, non totalem: Totalis enim regula fidei
,, (inquit) eſt Verbum Dei quod dividitur in duas regulas partiales,
,, Scripturam & Traditionē: adeoque Scriptura non omnia menſurat
,, & aliquid eſt ex fide quod in ipſa non continetur. At, inquam, hoc evertit regulæ naturam: & qui dicit partialem regulam dicit repugnantiam in adjecto. Nam ſi regula non ſit adæquata regulato, ne re-
,, gula quidem ejus dici poteſt, ut ex dictis patet. Plato πολιτικῶν 6.
,, ἀτελὲς οὐδὲν οὐδενὸς μέτρον. Imperfectum nullius rei poteſt eſſe menſura. Baſilius lib. 1. contra Eunomium arguit eum maximæ ignorantiæ, quia ſummam fidei à Patribus acceptam appellavit regulam, & ta-
,, men exactiore indigere additione aſſeruit. Κανὼν enim & γνώμων
,, (inquit) ſeu regula & amuſſis, quatenus nihil eis deeſt ut ſint κανὼν
,, & γνώμων, nullam acceſſionem ſuſcipiunt, quò exactiores fiant,
,, nam cui aliquid deeſt, illi additio congruit: quæ verò ſunt imper-
,, fecta nunquam rectè amuſſis & regulæ appellantur nominibus. Regula enim & regulatum ſunt relata reciproca & æquè latè patent: unde regula rectæ lineæ aut anguli recti, eſt regula omnis rectæ lineæ aut recti anguli: ita regula fidei aut morum eſt regula omnium dogmatum fidei aut morum.

Plato. *Baſilius.*

Diſtinguit Gretſerus axioma illud: *Regula debet adæquari rei cui accommodatur.* De regulâ totali concedit, de partiali negat, & illuſtrat diſtinctionem exemplis regularum Logicarum & Grammaticarum. Sed diſtinctio ineptiſſima eſt, quia nulla datur regula partialis ratione regulati. In artibus quidem diſtingui poſſunt regula univerſalis & regulæ particulares. Tota ars, putà Logica eſt regula univerſa diſſerendi, & tota Grammatica benè loquendi: particulares autem regulæ non ſunt regulæ ipſius doctrinæ diſſerendi aut loquendi in genere, ſed regulæ hujus aut illius doctrinæ particularis: utro-

Vanitates Gretſeri. *Aliud eſt regula univerſalis & particularis quàm totalis & partialis.*

 bique

bique autem regula eſt adæquata regulato, particularis regula particulari doctrinæ, & univerſa regula univerſæ doctrinæ. Quocirca ſi Scriptura non ſit regula omnium dogmatum fidei & morum, tum non eſt dicenda regula fidei & morum ſed regula partis fidei & morum, ut ſingula præcepta Decalogi, & ſinguli articuli fidei ſunt regulæ particulares particularium dogmatum fidei & morum. At nemo unquam ante hæc poſtrema ſæcula Scripturā ejuſmodi particularem regulam appellavit. Chryſoſtomus diſertè, ut ſuprà citavimus, ait Scripturam eſſe omnium exactam trutinam, normam & regulam.

Chryſoſtomus.

Cyprianus. „ Cyprianus in Serm. de Baptiſ. Chriſti ait ex Scripturâ omnium „ doctrinarum regulas emanâſſe, & hinc naſci, & huc reverti, quic- „ quid Eccleſiaſtica continet diſciplina.

Beda. Beda in Mat. citatus à Gratiano Cauſa 8. qu. 1. Canon. ult. Sacris Literis unica eſt credendi pariter & vivendi regula præſcripta.

Lyrinenſis. Vincentius Lyrinenſis Commonitorii cap. 2. & 41. ait perfectum eſſe Scripturarum Canonem, „ ſibique ſolum ad omnia ſatis ſuperque ſufficere.

Gerſon. Inter Pontificios Joannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis de examinatione doctrinarum, part. 2. conſideratione 1. citat & probat Dionyſium dicentem, *nihil* audendum dicere de rebus divinis, niſi quæ nobis à ſacrâ Scripturâ tradita ſunt. Deinde ſubjungit hanc ra- „ tionem; quoniam Scriptura nobis tradita eſt tanquam regula ſuf- „ ficiens & infallibilis pro regimine totius Eccleſiaſtici corporis & „ membrorum uſque in finem ſæculi.

Durandus. Durandus ſuper Sententias „ lib. 3. diſtinct. 25. quæſt. 2. Sacra Scriptura eſt regula fidei cui non licet aliquid addere vel demere. Idem in Præfatione in li- „ bros Sententiarum. Oportet loqui de myſterio Chriſti & univer- „ ſaliter de his quæ merè tangunt fidem conformiter ad ea quæ tra- „ didit ſacra Scriptura. Si quis autem hoc non ſervat non loquitur de „ myſterio Chriſti, ac de cæteris directè fidem tangentibus eo mo- „ do quo oportet, modus enim eſt non excedere menſuram fidei: „ quæ quidem menſura in duobus conſiſtit, videlicet ut non ſubtra- „ hatur fidei quod ſub fide eſt, nec attribuatur fidei illud quod ſub „ fide non eſt: utroque enim modo menſura fidei exceditur, & à „ continentiâ Scripturæ quæ fidei menſuram exprimit, deviatur. His conſentit Ferus in verbis citatis.

Quarta ratio. *Scriptura eſt Dei Teſtamentū.*

Quarta ratio. Teſtamentum Dei continet integram ejus voluntatem quam ei revelare placuit: At Scriptura eſt Dei Teſtamentum. Ergo. Major patet, quia ne Teſtamento quidem hominis confirmato

firmato aliquid addere licet Gal. 3. 15. multò minus divino Teſtamento aliquid adjiciendum eſt. Minor probatur communi & receptâ Eccleſiæ appellatione, quâ libri Scripturæ diſtinguuntur in παλαιὰν καὶ καινὴν διαθήκην, Vetus & Novum Teſtamentum, & nititur etiam auctoritate Apoſtoli 2. Cor. 3. 14. *Gal* 3. 15.

Hoc ipſo argumento utitur Baſilius in tract. de verâ ac piâ fide de quâ Scripturus proponit nihil ſibi tradendum quod ex ſacris Literis „ non acceperit, & ſubjungit: Apoſtolus ſumpto ab hominibus ex- „ emplo, vehementer prohibet divinis Scripturis aliquid vel addere „ vel demere: cùm dicit hominis etiam teſtamentum auctoritate „ confirmatum nemo reprobat aut aliquid ei ſuperſtruit. Proinde „ quamcunque vocem ac ſententiam à doctrinâ Domini alienam „ nunc & ſemper fugiendam cognovimus, nomen διαθήκης quo libri illi indigitantur etiam fœdus ſignificat, idemque argumentum eſt ſive fœdus ſive teſtamentum interpretemur (quo nomine Scriptura appellatur *Metonymicè*, quia eſt inſtrumentum in quo teſtamentum ſeu fœdus perſcriptum eſt) certè inſtrumendum fœderis inter Deum & nos à Deo ipſo factum continet omnia quæ ad fœdus pertinent, adeoque omnia ad fidem & mores neceſſaria ac proinde nec plura, nec alia quàm quæ in Scripturis tradita ſunt, vel nobis ſpoſpondit, vel à nobis ſtipulatus eſt Deus.

CAP. V.

Idem probatur teſtimoniis Patrum & aliorum.

IN confirmatione argumentorum præcedentium non pauca protulimus Patrum teſtimonia Scripturarum perfectionem & ſufficientiam aſſerentium. Iſtis plurima alia adjungi poſſunt, ex quibus nonnulla viſum eſt hoc loco ſubjicere.

„ Juſtinus Martyr Paræneſi ad Græcos in fine. Undequaque & *Juſtinus*
„ omnibus modis convenit, nullo planè pacto aliter de Deo vel de *Martyr.*
„ rectâ Religione diſci quicquam poſſe, quàm à Prophetis ſolùm,
„ qui divinâ inſpiratione afflati vos docent & inſtituunt. Prophetarum nomine complectitur etiam Apoſtolos, adeoque omnes ſcrip-
„ tores θεοπνεύστους, Idem in Dialogo cum Tryphone. Non humanis
„ doctrinis ſeu traditionibus juſſi ſumus à Chriſto credere, ſed eis
„ quæ beati Prophetæ promulgaverunt, & Chriſtus ipſe docuit.

Quod autem Scripturas Traditionibus illis opponat, patet ex verbis „ præcedentibus. Non te dicentem ſuſtinuiſſemus, niſi cuncta ad „ Scripturas referres, unde argumenta & demonſtrationes adducere „ tibi ſtudio eſt. Item in expoſitione fidei, de rectâ Confeſſ. Apud „ Eccleſiæ alumnos, non ad humanas rationes & cogitationes dirigendæ „ ſunt res divinæ, ſed ad ſenſum & voluntatem doctrinæ ſpiritus „ oratio & interpretatio accommodanda eſt, ac primus nos David doceat, &c. Atque ita ſubjungit varia teſtimonia ex ſacris Literis petita.

Irenæus. „ Irenæus lib. 2. cap. 47. Credere hæc talia debemus Deo, qui „ & nos fecit; rectiſſimè ſcientes, quod Scripturæ quidem perfectæ „ ſunt, quippe à Verbo Dei & Spiritu ejus dictatæ. Idem lib. 4. „ cap. 66. Legite diligentiùs id quod ab Apoſtolis eſt Evangelium „ nobis datum, & legite diligentiùs Prophetas, & invenietis univer„ſam actionem, & omnem doctrinam, & omnem paſſionem Do„mini noſtri prædicatam in ipſis.

Clemens Alexandrinus. „ Clemens Alexandrinus Strom. lib. 7. Non deſiſtere oportet „ eos qui veritatem quærunt, priuſquam ex ipſis Scripturis demonſtrationem accipiant. Ergo omnem veritatem ſalutarem (de quâ loquitur) putat in Scripturis contineri.

Tertullianus. Tertullianus lib. contra Hermogenem cap. 22. Adoro plenitu„dinem Scripturæ: Scriptum eſſe doceat Hermogenis officina, ſi „ non eſt ſcriptum; timeat væ illud adjicientibus vel detrahentibus „ deſtinatum.

„ Idem lib. de Carne Chriſti cap. 7. Non recipio quod extra „ Scripturam de tuo infers. Idem de Reſurr. Carnis cap. 3. Aufer „ hæreticis quæ cum Ethnicis ſapiunt ut de Scripturis ſolis quæſtiones ſuas ſiſtant, & ſtare non poterunt. Unde eodem lib. cap. 47. hæreticos appellat *Lucifugas Scripturarum*.

Concilium Nicænum. Conſtantinus Imperator in Concilio Nicæno teſte Theodoreto „ lib. 1. cap. 7. ſic ait: Evangelici & Apoſtolici libri, & antiquo„rum Prophetarum oracula planè inſtruunt nos, quid de rebus di„vinis ſentiendum ſit. Proinde hoſtili poſitâ diſcordiâ ex verbis „ divinitus inſpiratis ſumamus quæſtionum explicationes. Hæc ſententia probata eſt à Patribus Concilii Nicæni, quorum nemo contradixit, adeo ut citra controverſiam Scriptura tum temporis non partialis, ſed integra regula fidei haberetur.

Dionyſius Areopagita. Dionyſius (quem Areopagitam vocant) Eccleſiaſticæ Hierarchiæ

cap. 5.

Digitized by Google

„ cap. 5. Divina eloquia (intelligit Sacra Biblia) congruè præſulis
„ capiti (in ejus conſecratione)imponuntur,quibus continetur & ſci-
„ tè exponitur Theologia omnis, omniſque Divina actio, & Divina
„ apparitio, ſacra item elocutio & operatio, atque, ut breviter dixe-
„ rim, Divina omnia & ſacra opera ac verba quæ à beneficâ Deitate
„ noſtræ functioni indulta ſunt.

„ Athanaſius contra Gentes circa initium: Sufficiunt quidem per *Athanaſius.*
„ ſe ſacræ & Divinitùs inſpiratæ Scripturæ ad veritatis annunciatio-
„ nem. Idem in epiſtolâ ad Jovinianum Imperatorem de fide: Ve-
„ ra & pia in Chriſtum fides ex ſacris literis manifeſte conſtituta eſt
„ omnibus cognoſcenda & legenda. Item de incarn. Chriſti. Si
„ Diſcipuli eſtis Evangeliorum, ne loquamini contra Deum iniqui-
„ tatem, ſed per Scripturas incedite: quod ſi diverſa à Scripturis lo-
„ qui vultis, cur nobiſcum concertatis, qui neque audire neque loqui
„ ſuſtinemus, quod extraneum ſit ab iſtis, cum dicat Dominus *Si*
„ *vos manſeritis in ſermone meo, liberi eritis.* Et paulò poſt. Quæ eſt
„ iſta veſtræ immodeſtiæ vecordia, ut loquamini quæ ſcripta non
„ ſunt.

„ Baſilius de verâ ac piâ fide: Manifeſtus eſt fidei lapſus & ſuper- *Baſilius.*
„ biæ crimen aut rejicere aliquid eorum quæ ſcripta ſunt, aut ſuper
„ inducere aliquid eorum quæ non ſunt ſcripta. Idem moral. ſum-
„ ma 80. cap. 22. Proprium eſt fidelis, ut cum certâ animi perſua-
„ ſione veram eſſe illorum vim credat quæ dicta ſunt in Scripturâ,
„ nihilque audeat rejicere aut in ſuperaddere. Etenim ſi omne quod
„ ex fide non eſt, peccatum eſt, ut ait Apoſtolus, fides autem ex au-
„ ditu, auditus autem per Verbum Dei, ſine dubio cum quicquid
„ extra Scripturam Divinam eſt, ex fide non ſit, id eſt peccatum.
„ Item in regulis brevioribus quæſt. 95. Quæ ad uſum pertinent, ea
„ ut unuſquiſque ex Divinis literis ediſcat, & rectum & neceſſarium
„ eſt cum ad majorem animi expletionem, ſeu perſuaſionem in pie-
„ tate, tum etiam ne humanis conſtitutionibus aſſueſiat. Item
„ quæſt. 98. Antiſtes quod ad Deum attinet ſit tanquam Miniſter
„ Chriſti & diſpenſator myſteriorum Dei, metuens ne quid præter
„ Dei voluntatem quæ ex confeſſo certa in Sacro-Sanctis Scriptu-
„ ris eſt, dicat ſtatuatve, exiſtatque aut falſus Dei teſtis, aut ſacrilegus
ex eo quod aliquid alienum à Doctrina Domini inducat, aut contra
aliquid eorum quæ grata ſunt Deo prætermittat.

Ambroſius Hexaemeron lib. 1. cap. 6. Satis eſt ad ſcientiam (ſci- *Ambroſius.*

licet Religionis) quod Scripturarum Divinarum ſeries comprehendit. Et lib. 3. cap. 3. Quod apertâ Scripturarum auctoritate non didici, quaſi ſecretum prætereo. Item de vocatione Gentium lib. 2. „ cap. 3. Scripturis non loquentibus quis loquatur? Quanquam illud opus non eſſe Ambroſii, ſed alterius docti, pii, & antiqui ſcriptoris cenſet Eraſmus: Multi putant eſſe Proſperi.

Epiphanius. Epiphanius hæreſi 76. contra Aetium: Oportebat ab initio crea- „ tionis uſque ad Heſteram evolvere 27. libros Veteris Teſtamenti, „ qui viginti duo ab Hebræis nominantur, & quatuor Evangelia & „ quatuordecim epiſtolas Pauli & omnes in ſummâ Divinas Scriptu- „ ras, ac te ipſum damnare, eo quod nobis protuliſti quod nuſquam „ habetur (ſcilcet in ſacris literis.)

Hilarius. Hilarius in lib. ad Conſtantinum Imperatorem ſic eum alloqui- „ tur: Ego te beatæ Religioſæque voluntatis verè admiror, fidem „ tantùm ſecundum ea quæ ſcriptæ ſunt deſiderantem: & meritò „ planè ad illa ipſa unigeniti Dei eloquia feſtinans, ut Imperatoriæ „ ſolicitudinis capax pectus, etiam Divinorum dictorum conſcientiâ „ plenum ſit. Hoc qui repudiat Antichriſtus eſt & qui ſimulat Ana- „ thema. Et paulò pòſt: Audi rogo eâ quæ de Chriſto ſcripta ſunt, „ ne ſub eis quæ non ſcripta ſunt, prædicentur: ſubmitte ad ea quæ „ de libris (puta ſacris) loquuturus ſum aures tuas: fidem tuam ad Deum erigas.

Theophilus Alexandrinus. Theophilus Alexandrinæ Epiſcopus in 2. epiſt. Paſchali: Dæmoniaci ſpiritùs eſt inſtinctus aliquid extra Scripturarum auctoritatem putare Divinum.

Chryſoſtomus. Chryſoſtomus hom. 58. in Joan. Interpretans verſ. 1. cap. 10. *Qui non ingreditur per oſtium in caulam ovium, ſed aſcendit aliunde, ille* „ *fur eſt & latro:* Per *oſtium* intelligit Scripturas: Quoniam (inquit) „ nos ad Deum ducunt, & ejus nobis cognitionem aperiunt: ipſæ „ oves faciunt, ipſæ cuſtodiunt, neque lupos irrumpere permittunt, „ neque nos, modò velimus, aberrare unquam ſinent. Qui ſacrâ „ non utitur Scripturâ, ſed aſcendit aliunde, id eſt, non conceſsâ viâ, „ is fur eſt. Item in hom. de ſancto & adorando Spiritu. Ubi legi- „ ſti hæc? Ex quo non legit hæc ſcripta, ſed à ſeipſo loquitur, ma- „ nifeſtum eſt quod non habeat Sp. Sanctum. Item hom. 3. in 2. „ ad Theſſ. Omnia clara ſunt & plana ex Divinis Scripturis: quæ- „ cunque neceſſaria ſunt, manifeſta ſunt.

Auctor operis imperfecti quod Chryſoſtomo tribuunt hom. 41. Quic-

„ Quicquid quæritur ad ſalutem, totum jam adimpletum eſt in
„ Scripturis.

„ Hieronymus ad Paulam Urbicam. Doctrina Eccleſiæ quæ eſt *Hieronymus.*
„ Domus Dei in librorum reperitur plenitudine Divinorum. Idem
„ in Michæam lib. 1. cap. 1. Eccleſia Chriſti quæ habitat benè &
„ in toto Orbe Eccleſias poſſidet, Spiritûs unitate conjuncta eſt, &
„ habet Urbes Legis, Prophetarum, Evangelii, & Apoſtolorum,
„ non eſt egreſſa de finibus ſuis, id eſt, Scripturis Sanctis, &c. Vos
„ verò, ô hæretici, non in Scripturis, ſed in viciniâ Scripturarum do-
„ mum veſtram, jam non riſu, ſed planctu & lachrymis dignam con-
„ ſtruxiſtis. Significat apertè Eccleſiam eſſe Scripturæ finibus cir-
cumſcriptam extra quos egredi ei non liceat: hæreticos autem iſtis finibus non contentos evagari latiùs, etſi viciniam Scripturæ affectare videantur. Idem in Pſal. 86. (ſi modò iſti commentarii ſint Hieronymi qui inter opera ejus extant) aſſerit nihil habere auctoritatem in rebus Divinis quod in Sacris Scripturis non continetur.

Auguſt. in epiſt. 112. Si Divinarum Scripturarum, earum ſcilicet *Auguſtinus*
„ quæ Canonicæ in Eccleſiâ nominantur perſpicuâ firmatur aucto-
„ ritate, ſine ullâ dubitatione credendum eſt: aliis verò teſtibus vel *Tom.2.*
„ teſtimoniis quibus aliquid credendum eſſe ſuadetur; tibi credere
vel non credere liceat, quantum meriti ad faciendam fidem vel habere vel non habere perpenderis. Item lib. 2. de Doct. Chriſt. *Tom.3.*
„ cap. 9. In his quæ apertè expoſita ſunt in Scripturâ inveniuntur
„ illa omnia quæ continent fidem moreſque vivendi. Item in eodem
„ lib. cap. ult. Quicquid homo extra Scripturas didicerit, ſi noxium
„ eſt ibi damnatur, ſi utile eſt ibi invenitur. Et cum ibi quiſque in-
„ venerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multò abundantiùs ibi
„ inveniet, ea quæ nuſquam omnino alibi ſed in illarum tantummo-
„ dò Scripturarum mirabili altitudine & mirabili humilitate diſcun-
tur. Proinde omnem Doctrinam Chriſtianam de quâ loquitur, vult
„ abundè in Scripturis contineri. Idem de bono Viduitatis cap. 1. *Tom.4.*
„ Sancta Scriptura noſtræ Doctrinæ regulam figit ne audeamus ſa-
„ pere plus quàm oportet: non ſit ergo mihi aliud te docere, niſi
verba tibi doctoris exponere. Idem de Civit. Dei lib. 9. cap. 5. *Tom.5.*
Scripturâ Divinâ eruditio Chriſtiana continetur. Idem de Unitate *Tom.7.*
Eccleſiæ cap. 3. Auferantur de medio quæ adverſus nos invicem non ex Divinis Canonicis libris ſed aliunde recitamus. Et cap. 6. Legite hoc nobis de Lege, de Prophetis, de Pſalmis, de ipſo Evangelio,

gelio, de Apoſtolicis literis, legite & credemus. Significat nihil Divinâ fide credendum, niſi quod ex ſacris literis legi poteſt. Et „ cap. 15. Legant hoc nobis de Scripturis Sanctis, & credemus: „ hoc, inquam, nobis ex Canone Divinorum librorum legant. Et „ paulò poſt: legite hoc nobis ex Divinis oraculis, &c. Reſtat ergo „ ut non ex Divinis literis, ſed ex vobis iſta dicatis. Proindè digniſ„ ſimè reſpondebitur, anathema ſitis. Tenent enim Eccleſiæ Apo„ ſtolico labore fundatæ cum quantâ curâ ſibi prædictum ſit. Siquis vobis evangelizaverit præterquam quod accepiſtis, anathema ſit. Multa alia in eandem ſententiam occurrunt in eodem lib. cap. 3. 4. 5. 11. 12. & 16.

„ Item ſermone 38. ad fratres in Eremo: Legite Sacram Scriptu„ ram, in quâ quid tenendum & quid fugiendum ſit plenè invenietis. Atque ita deinceps in toto ſermone perfectionem Scripturæ prædicat. Licet autem non certum ſit Auguſtinum eſſe auctorem eorum ſermonum, nemo tamen unquam pius dubitavit prædicationem Scripturæ quæ ibi reperitur, veram eſſe.

Cyrillus Alexandrinus. „ Cyrillus Alexandrinus de rectâ fide ad Reginas. Neceſſarium „ nobis eſt ſequi Divinas literas, & in nullâ re abſcedere ab earum „ præſcripto: id quod ipſe diligenter præſtat in eodem opere. Idem „ in lib. 2. de Trinit. & perſonâ Chriſti. Omnia quæ per Legem „ & Prophetas & Apoſtolos nobis tradita ſunt, recipimus & agno„ ſcimus, & confitemur, neque ultra hæc aliquid aliud requirimus. „ Fieri enim non poteſt ut præter illa quæ Divinitùs à Divinis ora„ culis tum Veteris tum Novi Teſtamenti nobis expoſita ſunt, de „ Deo aliquid dicamus aut omninò cogitemus. Idem contra Julia„ num lib. 7. Sufficit Divina Scriptura ad faciendum eos qui in illâ „ educati ſunt ſapientes, & probatiſſimos, & ſufficientiſſimam ha„ bentes intelligentiam: indigemuſque ad hoc prorſus nihil externis „ magiſtris.

Auctor homiliarum in Leviticum, quem alii dicunt eſſe Cyrillum, alii Origenem hom. 5. Ego in hoc biduo puto duo Teſtamenta poſſe intelligi; in quibus liceat omnibus verbum quod ad Deum pertinet requiri & diſcuti, atque ex ipſis omnem rerum ſcientiam capi. Si quid autem ſuperfuerit, quod non Scriptura Divina decernat, nullam aliam debere tertiam Scripturam ad auctoritatem ſcientiæ ſuſcipi, ſed igni tradamus quod ſupereſt, id eſt, Deo reſervemus.

Iſidorus Peluſiota. „ Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 369. Sacræ Scripturæ ſcalæ ſunt

quibus

Digitized by Google

„ quibus ad Deum aſcenditur. Quamobrem ea omnia quæ in Eccle-
„ ſiâ proferuntur ex iis ſcilicet tanquam probum aurum excipe, ut
„ quæ Divino veritatis ſpiritu velut igne purgata ſunt. Quæ autem
„ extra hoc volumen circumferuntur, etiamſi quippiam habeant
„ quod ad gravitatem vitæque honeſtatem allicere queat, iis qui à
„ tuis certaminibus remoti ſunt, inveſtiganda & conſideranda relin-
„ que, inanium qui verborum pompæ potius ſtuduerunt, aut etiam
„ fabulas quaſdam hæreſium effinxerint.

„ Theodoretus Dialogo primo. Noli mihi (inquit Orthodoxus) *Theodoretus.*
„ humanis ratiocinationibus obſtrepere: ego enim in ſolâ Divinâ
„ Scripturâ acquieſco. Et Dialogo 2. Non adeo perfide confi-
„ dens ſum ut auſim aliquid affirmare quod Sacra Scriptura ſilentio
„ præterit.

Gregorius Magnus Epiſcopus Romanus in Ezech. hom. 9. In *Gregorius Magnus.* hoc volumine (loquitur de Sacrâ Scripturâ) cuncta quæ ædificant, omnia quæ erudiunt ſcripta continentur. Item expoſit. morali in Jobum lib. 18. cap. 14. Libri ſacri nobis ad loquendum quaſi quæ-
„ dam argenti venæ ſunt: eos ad ſacræ auctoritatis paginas vocat,
„ ut, ſi verè loqui deſiderant, inde ſumere debeant quod loquan-
„ tur: ac ſi apertè dicat, qui ad veræ prædicationis verba ſe præ-
„ parat, neceſſe eſt, ut omne quod loquitur ad Divinæ auctoritatis
„ fundamenta revocet, atque in eo ædificium locutionis ſuæ fir-
„ met. Ut enim prædiximus ſæpè, Hæretici dum ſua ſtudent per-
„ verſa aſtruere, ea proferunt quæ profecto in ſacrorum librorum
„ paginis non tenentur.

Socrates hiſtoriæ Eccleſiaſt. lib. 5. cap. 21. cùm multa diſſeruiſ- *Socrates.* ſet de diverſa in variis locis Paſchatis celebratione, & jejunii quadrageſimalis obſervatione, & aliorum rituum varietate, ſubjun-
„ git hæc verba. Quoniam de eâ re nemo præceptum aliquod ſcri-
„ ptum poteſt oſtendere, perſpicuum eſt Apoſtolos liberam po-
„ teſtatem cujuſque menti & arbitrio permiſiſſe, ut quiſque nec me-
„ tu nec neceſſitate inductus quod bonum ſit urgeret. Ita ex ſenten-
tiâ Socratis nihil in Religione neceſſarium eſt, quod in Scripturâ non præcipitur.

Beda in Pſal. 8. Præcepta Divinorum librorum ſunt fundamentum & univerſalis Eccleſiæ, & univerſarum Eccleſiarum & ſingularum quibus ipſæ roborantur & ſuſtentantur veluti ædificium à fundamento.

Digitized by Google

Carolus Magnus. Carolus Magnus de imaginibus lib. 2. cap. 30. loquens de Scripturâ „ ait. Eſt Theſaurus nullo bono carens, omnibus bonis redundans, „ ad quem quiſque devotus accedit, quicquid fideliter quærit, fide- „ liter ſe acquiſiviſſe gaudet.

Anſelmus. Anſelmus de concordiâ Præſcientiæ, Prædeſtinationis & gratiæ „ cum libero arbitrio. Nihil utile ad ſalutem ſpiritualem prædicamus „ quod Sacra Scriptura Sp. Sancti miraculo fæcundata non protule- „ rit aut intra ſe contineat.

His multa alia addi poſſunt ex Patribus, & huc pertinent etiam illa teſtimonia quæ jam citavimus ad confirmationem præcedentium argumentorum cap. 3. & 4. & lib. 3. cap. 11. Poſtremò ſubjiciemus aliquot Pontificiorum celebriorum teſtimonia, cujus generis non nulla etiam ſuprà attigimus.

Rupertus. Rupertus Abbas in libros Regum, commentariorum lib. 3. cap. 12. „ Quicquid eſt de Verbo Dei, quicquid ſciri vel prædicare oportet „ de incarnatione; de verâ Divinitate & humanitate filii Dei, duobus „ ita continetur teſtamentis, ut extra hæc nihil ſit quod annunciari „ debet aut credi. Totum in his comprehenditur cœleſte oraculum, „ quod tam firmiter ſcire debemus, ut extra hæc audire nec homi- „ nem nobis liceat nec Angelum.

Aquinas. „ Thomas Aquinas in 2 ad Tim. 3. Sic ergo quadruplex eſt ef- „ fectus Sanctæ Scripturæ, ſcilicet docere veritatem, arguere falſi- „ tatem, quantum ad ſpeculativam: depellere à malo & inducere „ ad bonum quantum ad practicam: ultimus ejus effectus eſt ut per- „ ducat hominem ad perfectum, non enim qualitercunque bonum „ facit ſed perficit. Heb. 6. ad perfectionem feramur, & dicit ut per- „ fectus ſit homo Dei, quia non poteſt eſſe homo perfectus, niſi ſit „ homo Dei. Perfectum enim eſt cui nihil deeſt. Idem ſummæ „ par. 1. quæſt. 1. art. 8. Sacra Doctrina nititur auctoritatibus Ca- „ nonicæ Scripturæ, propriè ex neceſſitate argumentando; aucto- „ ritatibus aliorum Doctorum Eccleſiæ, quaſi arguendo ex propriis, „ ſed probabiliter. Innititur enim fides noſtra revelationi Prophe- „ tis & Apoſtolis factæ qui Canonicos libros ſcripſerunt, unde dicit *Tom. 2. epiſt. 19.* „ Auguſtinus in epiſt. ad Hieronymum. Solis Scripturarum libris qui Canonici appellantur didici hunc honorem deferre, ut nullum auctorem eorum in ſcribendo erràſſe firmiſſimè credam. Idem par. 3. „ quæſt. 1. art. 3. Ea quæ ex ſolâ Dei voluntate proveniunt ſupra „ omne debitum creaturæ nobis innoteſcere non poſſunt, niſi quate-

nus

Digitized by Google

„ nus in Sacrâ Scripturâ traduntur, per quam Divina voluntas nobis
„ innoteſcit. Idem in Catenâ aureâ Lucæ 16. ait fideles illis tantùm
„ micis, hoc eſt, dogmatibus paſci, quæ de menſâ Domini, id eſt,
„ Scripturâ Sanctâ cadunt.

„ Scotus Prologo in Lombardum quæſt. 3. Patet quod Sacra Scri-
„ ptura ſufficienter continet Doctrinam neceſſariam viatori. Item.
„ Sicut Theologia beatorum habet terminum, ita & noſtra ex vo-
„ luntate Dei revelantis: terminus autem præfixus à voluntate Di-
„ vinâ, quantum ad revelationem generalem eſt eorum quæ ſunt in
in Scripturâ Sacrâ, quia, ſicut habetur Apocalypſ. ult. *Qui appo-*
„ *ſuerit ad hac, apponet ei Deus plagas quæ apponuntur in libro isto.* Igi-
„ tur Theologia noſtra de facto non eſt niſi de his quæ continen-
„ tur in Scripturâ & de his quæ poſſunt elici ex ipſis. Atque hinc
„ ex Scoto reſolutis Theologorum ſuper ſententias ait: his præ-
„ miſſis ponitur talis concluſio: Doctrina ſupernaturalis nobis ne-
„ ceſſaria ultiliter & ſufficienter habetur in Sacrâ Scripturâ.

Gregorius Ariminenſis. Gregorius Ariminenſis in lib. 1. Sententiarum quæſt. 1. art. 2. Omnes arbitrantur tunc ſolum aliquid Theologicè probari, cum ex dictis Sacræ Script. probatur.

Lyranus. „ Lyranus præfatione in Tobiam: Sicut in Scripturis Philoſophi-
„ cis veritas cognoſcitur per reductionem ad prima principia per ſe
„ nota, ſic in Scripturis à Catholicis Doctoribus traditis veritas co-
„ gnoſcitur, quantum ad ea quæ ſunt fidei tenenda per reductionem
„ ad Scripturas Sacræ Scripturæ Canonicas quæ ſunt habitæ revela-
„ tione Divinâ, cui nullo modo falſum poteſt ſubeſſe.

Paulus Burgenſis. Paulus Burgenſis in additionibus ad Prologum primum Lyrani
„ ſuper Biblia. Senſus literalis Sacræ Scripturæ tantæ capacitatis eſt
„ ſeu virtutis, quod in eo continentur virtualiter omnia ad fidem
„ ſeu bonos mores & virtutes pertinentia. Unde Margiſter (Lom-
„ bardum intelligit) qui Patrum ſententias brevi volumine compila-
„ vit, in cujus voluminis expoſitione Doctores poſtremi ſeu ſcripto-
„ res, omnia quodammodo Theologica inrroduxerunt, in hujus ſen-
„ ſus literalis teſtimoniis totum ſuum opus fundavit. Dicit enim Pro-
„ logo ſuo ſic: Volumen Deo præſtante compegimus ex teſtimoniis
„ veritatis in æternum fundatis. Conſtat autem quod teſtimonia ve-
„ ritatis in æternum ſunt teſtimonia Sacræ Scripturæ, ſecundum li-
„ teralem ſenſum ſumpta, ex quo ſeuſu ſolo teſtimonium poteſt ac-
„ cipi, ſeu argumentum ſecundum Auguſtinum.

Digitized by Google

Gratianus. Gratianus in decreti primâ parte diſt. 37. Canon. 24. Clemente „ Papâ primo. Cùm ex Divinis Scripturis integram quis & firmam „ veritatis regulam ſuſceperit, abſurdum non erit ſi aliquid etiam ex „ eruditione communi ac liberalibus ſtudiis ad affectionem veri dogmatis conferat.

Gerſon. „ Gerſon. Serm. in die circumciſ. Dom. Conſider. primâ. Quid „ mali, quid periculi, quid confuſionis attulerit contemptus Sacræ „ Scripturæ, utique ſufficientis pro regimine Eccleſiæ (alioqui Chri- „ ſtus fuiſſet legiſlator imperfectus) interrogetur ab experientiâ,&c.

Petrus de Aliaco. Petrus de Aliaco in quartum ſententiarum quæſt. 2. Recurren- „ dum eſt ad ſolas Scripturas, ut vitam æternam adipiſcamur.

Antoninus. „ Antoninus par.1. Summæ tit.1.cap.3.§.1. Vera Theologia ple- „ niſſimè habetur in Bibliis à Sp.Sancto revelata. Idem 3 part.lib.18. „ cap.3. loquitur Deus in Scripturis ita copiosè ut Gregorius expo- „ nit 22. Moral. Quod non oportet Deum iterum loqui nobis ali- „ quid neceſſarium, cum ibi omnia habeantur.

Biel. Gabriel Biel in Con. Miſſæ lect. 7. Quomodo anima hominis „ vivere poſſet vita juſtitiæ & gratiæ niſi cognoſceret Dei volun- „ tatem, & ea quæ ſecundum hanc ſunt juſta vel injuſta; quæ agenda „ & quæ fugienda; quæ amanda, & quæ contemnenda; quæ timen- „ da & quæ audenda, quæ credenda & quæ ſperanda, &c. ſaluti no- „ ſtræ neceſſaria, quæ omnia ſola docet Sacra Scriptura?

Picus Mirandulanus. Joannes Franciſcus Picus Mirandulæ comes,de fide & ordine cre- „ dendi Theorem.14.Chriſtiana fides ſolùm revelationibus neceſſa- „ riò nititur, quæ Canonicis libris continentur.

Driedo. Joannes Driedo de Eccleſ. ſcrip. & dogm. lib.1. cap.1. circa ini- „ tium. Ex Scripturis tota Sanctorum Schola, tota Prophetarum & „ Apoſtolorum Eccleſia fidei noſtræ aſſertiones conſtare voluerunt; „ ex quibus tota ſalutis noſtræ via diſcenda eſt: ex quibus quotidia- „ nus vitæ noſtræ panis eſt colligendus, ex quibus haurienda ſunt „ ſapientiæ ſalutaris pocula: ex quibus Dei voluntas, ſapientia, miſe- „ ricordia, bonitas & juſtitia eſt inveſtiganda, ex quibus etiam cor- „ roboranda eſt omnis Orthodoxæ fidei veritas.

Alphonſus à Caſtro. Alphonſus de Caſtro lib.de hæreſ. titu. *Scriptura* circa initium ait. „ Scriptura eſt myſtica turris David ex qua omnis armatura fortium „ & Catholicorum virorum pendet.

Eſpenſæus. Claudius Eſpenſæus in 2. ad Tim. 3. Scripturæ ſiquid ſcire, ſiquid „ agere opus eſt, verum docent, falſum coarguunt, reducunt à

malo,

Digitized by Google

„ malo, inducunt ad bonum, nec verò qualitercunque bonum fa-
„ ciunt, ſed perficiunt, eæque poſſunt hominem ad ſalutem erudire,
„ & ſufficienter doctum reddere.

Gregorius ipſe 13. Papa in epiſt. ad Philippum regem Hiſpania- *Gregorius 13.*
„ rum, quæ præfigitur Regiis Bibliis: Quod ad Theologiam atti-
„ net, quæ eſt ſumma Philoſophi à hiſce libris (loquitur de Bibliis)
„ omnia noſtræ Religionis & divinitatis myſteria explicantur: quod
„ verò attinet ad eam partem quæ moralis nominatur, hinc quo-
„ que omnia ad omnes virtutes præcepta colliguntur, quibus qui-
„ dem duabus partibus omnis noſtræ ſalutis & felicitatis ratio con-
„ tinetur.

Denique Bellarminus ipſe licet Romæ in controverſiis plurimum *Bellarminus.* Scripturæ dignitati detraxerit, tamen Lovanii olim Concione 4. de Dominica ſecunda adventus non contemnendam Scripturæ commendationem tradidit, ubi inter alia hæc verba habet. Scriptura
„ divina propterea quod Deum auctorem habet, cujus perfecta ſunt
„ opera, ejuſmodi eſt, ut nihil penitus habeat imperfecti, nihil ei de-
„ trahi nihil addi, nihil in ea reprehendi, nihil deſiderari poſſit: ne-
„ que ſolùm perfectiſſima, ſed etiam utiliſſima eſt, & omne genus
„ eruditionis continet.

Idem de amiſſione gratiæ & ſtatu peccati lib. 6. cap. 3. §. Re-
„ ſpondeo non eſt. Non eſt (inquit) de rebus quæ pendent à divinâ
„ voluntate aliquid aſſerendum, niſi Deus ipſe in Scripturis tale ali-
„ quid revelaverit.

Non ignorârunt recentiores iſti Pontificii, ut videtur, laudes Scripturæ debitas, quas nonnunquam ab iis vis veritatis extorſit, licet æſtu contentionis & ſtudio partium ſuarum abrepti, veritatem ſupprimere & opprimere ſubinde conati ſint.

Quod ad nonnulla ex his teſtimoniis præſertim ex Patribus citata reſpondeat Bellarminus & alii, non puto operæ prætium referre & refellere, Nam ſi quis ipſos auctorum libros conſulat, facile ſentiet vaniſſima eſſe adverſariorum effugia, & quæcunque contra objiciuntur, tanquam nebulas, orto Sole, facilè evaneſcere.

Digitized by Google

CAP. VI.

Refelluntur Traditiones Pontificiæ teſtimoniis Scripturæ.

Scriptura damnant Traditiones.

SIc perfectionem & ſufficientiam Scripturæ in doctrinâ fidei & morum variis argumentis confirmavimus, nunc paucis Traditiones quas nobis abtrudunt adverſarii, oppugnabimus: etſi ex diſputatione præcedenti ſatis jam refutatæ appareant. Nam ſi omnis doctrina fidei & morum in ſacris Literis ſufficienter tradita eſt, nulla non ſcripta eſt quæ ſolis Traditionibus ſeu verbo non ſcripto nitatur. Atque hic etiam primò teſtimonia ſacræ Scripturæ afferemus.

Eſ.29.23. Mat.15.8. Mat.15.6. Mar.7.9. Col.2.6. Gal.1.14. 1. Pet. 1. 18.

Eſaiæ 29. 23. & Matth. 15. 8. *Fruſtra colunt me docentes doctrinas mandata hominum*, & Mat. 15. 6. Marc. 7. 9. *Irritum feciſtis præceptum Dei per traditionem veſtram.* Coloſ. 2. 6. *Videte nequis ſit qui vos deprædetur per Philoſophiam & inanem ſeductionem ſecundum traditionem hominum.* Paulus notans perverſum ſuum zelum ante converſ. Gal. 1. 14. ait *Se vehementiſſimè affectâſſe traditiones paternas.* Et Petrus. 1. Epiſt. 1. 18. ait *eos eſſe redemptos ex vanâ ſuâ converſatione paterna traditionis.* In his & aliis locis damnantur Traditiones quas Judæi jactabant ſe per manus accepiſſe à Moyſe & Prophetis. Ergo pari ratione damnatæ eſſe intelliguntur Traditiones non ſcriptæ, quas Pontificii dicunt à Chriſto & Apoſtolis ad nos deveniſſe per manus Patrum. Eodemque modo Cyprianus ex locis citatis Eſaiæ, Matthæi & Marci oppugnat Traditiones non ſciptas ſub Novo Teſtamento ſcribens ad Pompejanum contra Epiſtolam Stephani & alibi.

Cyprianus.

Bellarmini reſponſiones refutantur.

„ Reſpond. Bellarm. Chriſtum & Apoſtolos non reprehendere „ traditiones quas acceperant Judæi à Moſe & Prophetis quarum „ una erat de libris ipſis Canonicis qui eſſent veri & qui non eſſent: „ ſed traditiones quas acceperant à quibuſdam recentioribus, quarum aliquæ inanes, aliquæ pernicioſæ erant, & contra Scripturas, „ nam nec Chriſtus, aut Apoſtoli unquam vocant eas Traditiones „ Moſis & Prophetarum; & apertè dicunt ſe loqui de illis, quæ cum „ Scripturis pugnant. Et præterea Patres Veteres explicuerunt diſertè quis fuerit auctor Traditionum quas Chriſtus & Apoſtoli „ reprehenderunt, putà Irenæus lib. 4. cap. 24. & 25. docet intelligi Traditiones ſeniorum recentiorũ Legem corrumpentes. Hieronymus

Digitized by Google

„ ronymus in Eſaiæ 8. & in Epiſt. ad Tit. 3. & in Epiſt. ad Algaſiam quæſt. 10. docet eas initium habuiſſe à Saminai, Hillel, „ Akiba, & aliis qui paulò ante Chriſtum natum extiterunt. Similia habent Epiphanius in hæreſi 33. quæ eſt Ptolemæi, & Juſtinianus Imperator Novellâ 146. & hujuſmodi fabulæ occurrunt „ in Talmud & in omnibus libris Rabbinorum.

Sed hæc reſponſio Bellarmini multis modis inepta eſt, & omnia hic ſunt paria in Traditionibus Judæis à Scripturâ damnatis, & Traditionibus Pontificiis quas nos damnamus. Fatemur Chriſtum & Apoſtolos non reprehendere Traditiones quas acceperant Judæi à Moyſe & Prophetis (nullæ enim tales extra Scripturam reperiuntur) ſed quas jactârunt ſe accepiſſe à Moyſe & Prophetis cùm revera eſſent commenta hominum. Neque nos rejicimus Traditiones Chriſti & Apoſtolorum, ſed condentitias Traditiones eorum nomine obtruſas. Neque minus Judæi quam Pontificii de divinâ auctoritate Traditionum ſuarum gloriantur. Fingunt enim Moſen in monte Sinai duplicem accepiſſe legem, unam quæ ſcripto tradita eſt; aliam quam Deus voluit ſolum vivâ voce tradi perfectioribus, ut ſcribitur in libro Talmudi Beracoth cap. 1. Imò totam ſucceſſionis ſeriem qua derivatæ ſunt Traditiones à Moſe in poſteros nominatim explicant, ut tradit Rabbi Moſes ad initium Deuteronomii: quâ de re vide Galatinum lib. 1. de arcanis cap. 2. & lib. 4. cap. 4. Picum mirand. in Apologiâ 4. 5. Petrum Crinitum lib. 25. de honeſtâ diſciplinâ, cap. 3. & Capnionem lib. 1. de arte Cabaliſticâ.

Et ut Traditiones Judaicæ aliæ erant inanes, aliæ pernicioſæ, idem exiſtimandum eſt de Traditionibus Pontificiis. Et ut Traditiones Judaicæ pugnant cum Scripturâ, non minus pugnant Pontificiæ, non modò quia ſubinde habent contrariam ſpecialibus dogmatis Scripturæ (neque enim Traditiones illæ contra quas invehitur Chriſtus Mat. 15. Marc. 7. puta de crebris lotionibus hoc modo repugnabant Scripturæ ut docet Chryſoſtomus ad illa loca) ſedquia repugnant generali præcepto & dogmati quo perfectio Scripturæ aſſeritur ac ſancitur, omniſque additio prohibetur: ut omittam per Traditiones etiam hoc modo irrita fieri præcepta Dei, quòd illæ pluris fiant à ſuperſtitioſis quam iſta & ſtrictiùs obſerventur ac urgeantur. Et tamen non minus Judæi quàm Pontificii præfractè contendunt Traditiones ſuas non adverſari Scripturæ, nec minùs Religioſe illi quàm hi dignitatem ſacræ Scripturæ quam agnoſcunt, aſſerunt:

Digitized by Google

runt: ſed utrique pariter fingunt ſe plura, quam quæ in ſacrâ Scripturâ habentur, obſervare, tanquam diligentiam ſuam ipſi Deo præferentes, ut loquitur Irenæus lib. 4. cap. 24. in fine. Neque minùs Judæi quàm Pontificii de divinâ auctoritate Traditionum ſuarum gloriantur.

Deinde Chriſtus & Apoſtoli paſſim damnant Traditiones Judaicas non ſcriptas:nuſquam autem ullas commendant quaſi à Moyſe & Prophetis acceptas: imò Moſis & Prophetarum nomine, nihil aliud unquam intelligunt, quam Scripturam Veteris Teſtamenti. Nec deſunt aliqui ex Pontificiis qui negant ullam fuiſſe Traditionem non ſcriptam apud Judæos, ut teſtatur ipſe Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei cap. 8. Neque verò Chriſtus tantùm recens ortas Traditiones damnat: ſed citans Eſaiam Prophetam repudiat etiam illas, Traditiones, quæ antiquitatis ſpecie à Phariſæis venditabantur.

Quod autem inſtat Bellarminus de libris Canonicis quaſi ſolâ Traditione innoteſceret, qui libri ſint genuini, qui non, id infrà ſuo loco diſcutiemus.

Denique auctores à Bellarm. citati in locis memoratis potius militant contra ipſum, quàm pro eo. Nam Traditiones damnatas opponunt tantum Scripturæ, non autem aliis Traditionibus legitimis extra Scripturam. At ſi ullas tales legitimas Traditiones præter Scripturam apud Judæos agnoviſſent, conſentaneum fuit & occaſio poſtulabat, ut in iſtis locis id ſignificarent. Prætereo quàm inſcitè Bellarm. Epiphanii verba acceperit aut depravârit, quod locum ipſum legenti facilè patebit.

CAP. VII.

Argumenta à ratione contra Traditiones Pontificias, & primum ab earum incertitudine.

PRÆCIPUA ratio ſumitur ex incertitudine Traditionum ad hunc modum: Doctrina fidei & morum nititur certo Dei Verbo: At Traditiones non ſcriptæ non ſunt certum Dei Verbum: Ergo. Major eſt irrefragabilis, quia doctrina fidei & morum oportet ut ſit certa, proinde non niti poteſt incerto fundamento. Idemque probatur ex ipſo Bellarm. lib. 1. de Verbo Dei cap. 2. ubi ait „ regulam Catholicæ fidei certam notamque eſſe debere: Nam ſi

nota

„ nota non ſit, regula nobis non erit, ſi certa non ſit, ne regula quidem erit: Hinc ſequitur ſi Traditiones non ſint notæ & certæ, eas non eſſe regulam fidei, adeoque non eſſe Verbum Dei de quo hic quæritur. Minor probatur: Etenim ſi ulla eſſet certitudo Traditionum Pontificiarum, non tantùm certum eſſet Chriſtum & Apoſtolos reliquiſſe aut commendâſſe in genere Traditiones non ſcriptas, ſed certum eſſet in ſpecie quænam Traditiones à Chriſto & Apoſtolis manarent. At hoc nullo certo argumento, præſertim tam longo pòſt intervallo demonſtrari poteſt. Nam alioqui id aut ſuâ luce pateret aut oſtendi poſſet vel argumento alioquo inſito ſeu artificiali, vel aſſumpto ſeu inartificiali, id eſt, teſtimonio. At Pontificii non dicent certitudinem Traditionum ſuarum aut per ſe notam eſſe, aut niti argumentis inſitis, quia in fide negant eſſe evidentiam. Reliquum eſt ergo ut hæc certitudo, ſi qua ſit, nitatur ſolo teſtimonio: teſtimonium autem vel eſt divinum vel humanum. Si dicant conſtare teſtimonio divino, illud oportet ſit aut Dei ipſius immediatè, aut hominum *αὐτοπτῶν*, ut Prophetarum & Apoſtolorum: nemo autem dixerit Traditiones Pontificias demonſtrari teſtimonio Dei immediatè: teſtimonium autem hominum *αὐτοπτῶν* nullum extat extra Sacram Scripturam.

Exceptiones Pontificiorum refelluntur.

Chriſtus, inquiunt, & Apoſtoli iſta aut illa dogmata non ſcripta nobis tradiderunt. Quo teſtimonio id mihi confirmabunt? Audiam aut videam Chriſti aut Apoſtolorum teſtimonium, & credam. Nunc non loquuntur illi nobis de Cœlo, ſed de Scripturâ. Nunc in rebus fidei & morū non eſt fidendum novis revelationibus. Utrumque autem Chriſtus & Apoſtoli in tradendo errare non potuerunt; tamen alii quibus Traditiones clanculum commiſſæ finguntur (palam enim traditas fuiſſe Pontificiis negant, in referendo ab errore non fuerunt immunes. Et licet initio non ſit erratum, tamen per multa ſæcula in relationes ſeu traditiones ſucceſſivè aliquis error obrepero potuit. Et fieri potuit ut nonnulli etiam commenta ſua de induſtria, aut aliorum commenta ex ignorantia Apoſtolis, aut eorum ſucceſſoribus aſcripſerint, ac progreſſu temporis error invaluerit.

Auguſtinus.

Scitè & piè Auguſtinus ad Hieronymum epiſt. 19. Ego ſolis Scrip-
„ turarum libris, qui jam Canonici appellantur didici hunc timorem
„ honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem ſcribendo ali-
„ quid erràſſe firmiſſimè credam. Alios autem ita lego ut quanta-
„ libet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem,

 quia

„ quia ipſi ita ſenſerunt: ſed quia mihi per illos auctores Canonicos, „ vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt. In eandem ſententiam ſcribit etiam in epiſt. 112. cap. 1.

Refellitur exceptio Coſteri. At Coſterus in Enchiridio ait Traditiones illas ſcriptas eſſe in corde Eccleſiæ, quæ ſcilicet de iis teſtimonium perhibet. At quid, obſecro, nomine Eccleſiæ intelligit? Num Eccleſiam univerſalem, id eſt, univerſitatem fidelium? At eam nemo audire poteſt. An Eccleſiam aliquam particularem? At illa errare poteſt, ut fatentur Pontificii. An Concilia generalia? Sed neque illa teſtantur de omnibus Traditionibus Pontificiis, neque in iis eſſe infallibilitatem concedit *Coſterus* & alii Jeſuitæ. An in ſolo Papâ Romano, ut ille quidem velle videtur? Sed cum in interregno aut tempore Schiſmatis, in quo diu certo Pontifice caruiſſe Romanam Eccleſiam accidit, eo, inquam ſaltem tempore omnis certitudo Traditionum periit. Sed Pontificii ipſi non ſunt certi penes quem, Papamne an Concilium, an utrumque ſit hæc infallibilitas: & quicquid aliquis de hac re dixerit, aut ſtatuerit, cuivis id negare aut contrarium afferere ſalvâ fide apud ipſos Pontificios licet, ut nos in præcedente libro cap. 15. oſtendimus. Proinde cum ipſi non ſint certi ubinam reperiatur infallibilitas, certitudo Traditionum nullo infallibili teſtimonio, divino vel humano ſecundum ipſos, oſtendi poteſt.

Huc accedit quod quæ ſolâ famâ & hominum relatione accipiuntur, aut conſervantur, in longo præcipuè decurſu temporis propter hominum inſcitiam, negligentiam aut perverſitatem facillimè corrumpantur, intercidant, & variis mutationibus ac figmentis ſint obnoxia. Adeo ut ſine literarum monumentis, nulla nunc ſit antiquitatis firma cognitio in rebus humanis, multò minùs in rebus divinis, in quibus pervertendis aut evertendis maximè laborat aſtutia & malitia Diaboli, hominumque perverſitas conſpirat. Hinc factum eſt, ut nunquam diu conſervata fuerit veritas divina, citra divinarum revelationum ſubſidium etiam ante Scripturam Veteris aut Novi Teſtamenti editam, in primis & feliciſſimis ſæculis: nedum nunc ſperandum ſit id fieri poſſe poſt completum ſacrarum Literarum Canonem in degeneri mundi ætate, ceſſantibus extraordinariis revelationibus, ut ſuprà cap. 2. oſtendimus, ac multorum ſub Veteri Teſtamento ſæculorum experientiâ comprobavimus. Nec minus poſt Chriſti & Apoſtolorum tempora docet experientia incertas eſſe Traditiones non ſcriptas. Nam quot & quæ ſint Traditiones non ſcriptæ

Digitized by Google

ſcriptæ nunquam certo definitum eſt in Eccleſia. Neque hac de re antiqui Patres inter ſe neque Pontificii inter ſe, nec cum Patribus conſentiunt. In primis etiam Chriſtianæ Eccleſiæ ſæculis magnis & piis viris *Traditionis* nomen & opinio impoſuit.

Inter conſtitutiones Apoſtolicas quas Clemens Romanus Collegiſſe dicitur, quam multa reperiuntur parum Apoſtolica. Verbi causâ lib. 1. cap. 7. ſancitur Chriſtianis prorſus abſtinendum eſſe à lectione librorum omnium qui à Gentilibus conſcripti ſunt.

Papa traditiones ab Euſebio convincuntur falſi.

Euſebius hiſtoriæ lib. 3. cap. ult. ait Papiam Epiſcopum Hieropolitanum, quem Irenæus affirmat fuiſſe auditorem Joannis Apoſtoli (ſaltem ſtatim poſt Apoſtolos floruiſſe conſtat) hac ratione deceptum fuiſſe, & aliis errandi occaſionem dediſſe: Alia (inquit „ Euſebius) idem auctor quaſi Traditione non ſcriptâ ad ſe perve„ niſſe commonſtrat, quæ peregrinas quaſdam Servatoris parabo„ las, & novas ejus doctrinas, aliaque nonnulla commentitiis fabu„ lis referta continent: in quibus aſſerit Regnum Chriſti poſt uni„ verſæ carnis à mortuis reſurrectionem mille annos humano & cor„ poreo more in terrâ hac continuatum & ſtabilitum fore; Et paulo „ pòſt. Pleriſque Eccleſiaſticis viris, qui hominis antiquitatem pro „ ſuarum partium defenſione citabant perſimilis erroris auctor exti„ tit ut Irenæo & ſiquis alius ſimilia ſenſiſſe deprehenditur. In eundem enim errorem deducti ſunt Juſtinus Martyr, Origenes, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Victorinus, Lactantius, & alii multi. Quod ſi Papias hic vir pius ac bonus, qui magno ſtudio Traditiones Apoſtolicas inveſtigabat, ut docet ibidem Euſebius, Traditionis opione deceptus fuit, & multis erroris cauſam præbuit, quantò faciliùs poſt tòt ſæcula apud degeneres poſteros talis impoſtura invaleſcere potuit.

Præterea Irenæus lib. 2. cap. 39. & 40. ex Traditione docet Chriſtum anno ætatis ſuæ quinquageſimo aut circiter paſſum eſſe, Contrà, Tertullianus lib. contra Judæos cap. 5. & Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. docent Chriſtum anno ætatis ſuæ 30. eſſe paſſum. Utraque autem Traditio falſa eſt.

Refutantur Bellarmini reſponſiones.

Reſpondet Bellarm. hos Patres non tam ex Traditione quàm ex Scripturâ malè intellectâ errores ſuos deſumpſiſſe. At Euſebius diſertè dicit Papiam ex Traditione non ſcriptâ errorem hunc accepiſſe. Irenæus etiam teſtes erroris ſui citat omnes ſeniores in Aſiâ, qui viderant Joannem Apoſtolum. Neque illud ad rem eſt, ſi abuſi ſint

 Scrip-

Digitized by Google

Scripturâ malè intellectâ. Nam Pontificii interpretationem Scripturæ, præſertim ubi obſcuritatem obtendunt (revera autem ubi Scripturam ad ſuperſtitionem ſuam detorquent) ad Traditiones non ſcriptas referunt. Nota eſt vetus illa controverſia circa annum Dom. 200. inter Eccleſias Orientales ſeu Aſiaticas & Occidentales de tempore celebrandi Paſchatis, quod illæ decimaquartâ die Lunæ, hæ Dominicâ ſequenti celebrabant: illæ Traditionem Joannis & Philippi, hæ Petri & Pauli obtendebant: verum nemo de his rebus teſtimonium ſcriptum afferre poterat. Unde Socrates colligit potiùs conſuetudine quàm ullâ lege Apoſtolicâ diverſitatem illam obſervationis invaluiſſe.

Veterum Traditionum vanitas.

Quadrageſimale Jejunium Pontificii & nonnulli ex Veteribus ad Apoſtolicam traditionem referunt. Sed Irenæus apud Euſebium, lib. 5. cap. 23. & Socrates lib. 5. cap. 24. maximam fuiſſe diverſitatem Jejunii ante Paſcha, tum ratione temporis quo durabat, tum ratione modi abſtinentiæ indicat. Ex quâ diverſitate obſervationum, & quia non extat hac de re ſcriptum aliquod præceptum, concludit Socrates Apoſtolos in jejuniorum ratione liberam cuique poteſtatem reliquiſſe.

Similiter Epiphanius in Epilogo contra Hæreſes, & contra Aerium Hæreſi 75. aſſerit jejunia quartæ & ſextæ feriæ dierum, videlicet Mercurii & Veneris, & varios alios ritus Traditionis eſſe Apoſtolicæ, idemque Urbicus quidam aſſerebat de jejunio Sabbati, contra quem ſcribens Auguſtinus Epiſt. 86. contrarium definit: Ego „ inquit, in Evangelicis & Apoſtolicis literis, totoque inſtrumen„to quod appellatur Teſtamentum Novum, animo id revolvens „video præceptum eſſe jejunium: quibus autem diebus oporteat „jejunare, & quibus non oporteat, præcepto Domini vel Apoſtolorom non invenio definitum. Et Apollonius apud Euſebium lib. 5. cap. 16. Montano Hæreſiarchæ hoc imputat, quod leges jejuniorum præſcripſerit.

Sic Traditiones Apoſtolicæ variæ olim cenſebantur, quæ ab ipſis Pontificiis non probantur aut negliguntur, ut quod Euchariſtia infantibus neceſſaria eſſet (quæ erat ſententia Auguſtini & Innocentii primi Papæ, ac 600. circiter annos viguit in Eccleſiâ, ut teſtatur Maldonatus Papiſta in Joan. 6. quod Dominicis diebus ne in ipsâ quidem quadrageſimâ jejunandum non ſit: Epiphanius in Epilogo de hæreſibus. Sic Ignatius in Epiſt. 4. ad Philippenſes: Si quis (inquit)

„ (inquit) Dominicam diem aut Sabbatum, uno excepto jejunârit „ hic Chriſti interfector eſt: quod præcandum ſit erecto corpore ſeu ſtando, non autem genibus flexis diebus Dominicis & toto tempore inter Paſcha & Pentecoſten; Epiphanius ibidem Tertullianus de Coronâ militis cap. 3. Concilium Nicænum Canone 20. & inter opera Baſilii lib. de Spiritu cap. 27. ubi etiam neceſſitas trinæ immerſionis in Baptiſmo ex Traditione Apoſtolicâ aſſeritur, & aliæ ejuſdem farinæ Traditiones memorantur, ut & in lib. Canonum (ut vocantur) Apoſtolicorum. Vide Mortoni appellationem p. 324. 335.

At inquit Bellarminus, hæc eadem ratio torqueri poteſt contra Sacram Scripturam, quia multi libri falſi & pernicioſi ornati fuerunt olim titulo librorum Canonicorum. Reſp. non eſt eadem ratio: nam Scripturæ auctoritas ac certitudo & ſua luce clara eſt, & variis argumentis firmiſſimis à poſteriori probari poteſt, tùm inſitis tùm aſſumptis: (ut nos etiam oſtendimus ſuprà lib. ſuperiori c. 17.) quæ Traditionibus nullo modo conveniunt. *Alia Bellarmini inſtantia refelluntur.*

Inſtat Bellarminus: non ſolùm non eſſe impoſſibile Traditiones conſervari, ſed etiam eſſe impoſſibile non conſervari: quia id Deo curæ eſt, qui ſicut veram Eccleſiam perpetuò conſervat, & ſicut potuit conſervare Traditiones ab Adam uſque ad Moſen per duo annorum millia, & deinde Scripturas à Moſe uſque ad hoc tempus per tria annorum millia & ampliùs, ita potuit conſervare Traditiones uſque ad nos.

Reſp. Quid potuerit Deus non eſt dubium. Sed niſi probet Bellarminus Deum itidem voluiſſe conſervare Traditiones, nihil ad rem dicit: Deum autem illam curam ſuſcepiſſe nullo documento oſtendi poteſt. Quæ verò ſimilia affert Bellarm. in hoc argumento longè ſunt diſſimilia. De conſervandâ enim Eccleſiâ conſtat Dei voluntas ex crebris ipſius in Scripturâ promiſſionibus, cùm nihil unquam tale de Traditionibus conſervandis promiſerit. Porrò ad conſervandam rerum memoriam nemo neſcit etiam in ſcriptis humanis plus eſſe momenti quàm in nudâ Traditione & relatione, nedū ut dubitari poſſit Deo curæ eſſe Scripturæ ſuæ conſervationem, quam ex inſtituto voluit exarari ad certitudinem & in memoriam poſterorum Exod. 17. 14. Eſ. 30. 8. Pſal. 102. 19. Luc. 1. 4. Præterea ſumit Bellarminus quod eſt in quæſtione. Nam quod non eſt, conſervari non poteſt. Eccleſiam quidem eſſe, & Scripturam Sa- *Ex. 17. 14. Eſ. 30. 8. Pſ. 102. 14. Luc. 1. 4.*

cram eſſe, & perpetuò conſervatum iri non eſt controverſum. Sed in eo vertitur cardo controverſiæ num ſint ullæ Traditiones ejuſmodi, id eſt, dogmata fidei & morum quæ in Scripturis non extant. Imo & ejuſmodi aliquas Traditiones, nempe Traditiones, quas memorat Veteris Teſtamenti periiſſe Pontificii ipſi non dubitant. Denique longè diverſa eſt ratio inter Traditiones ante Moſen ſeu ante Scripturam editam, & Traditiones quas ademit Scripturæ editæ: nam Traditiones anteà non ſcriptæ nunc ſunt ſcriptæ. Neque tum etiam ſolâ Traditione diu conſervata eſt puritas & integritas doctrinæ, quam Deus crebris revelationibus ſubinde reſtituit & conſervavit: iiſque ceſſantibus aut rarius adhibitis Scripturam tanquam neceſſarium ſubſidium ſubſtituit, ut cap. 2. hujus libri fuſiùs oſtendimus.

Præter rationem illam à Dei providentiâ ſumptam quatuor addit Bellarminus cauſas adjuvantes quibus dicit conſervari Traditiones.

Traditiones non ſunt conſervata in ſcriptis humanis.

Auguſtinus.

Prima inquit eſt Scriptura. Etſi enim non ſunt ſcriptæ Traditiones in Divinis Literis, ſunt tamen ſcriptæ in monumentis Veterum & in libris Eccleſiaſticis. *Reſp.* 1. non tenemur recipere aliquid tanquam Divinum & ad fidem pertinens propter auctoritatem ullius alterius Scripturæ quàm Divinæ, cùm nullus alius ſcriptor ab errore fuerit immunis, ut nuper oſtendimus ex Auguſtino. Idem contra Fauſtum Manichæum lib. 23. cap. 9. Quæ quis dicit Ma„ riam ad ſemen Davidis non pertinuiſſe, oſtendat hoc non ex qui„ buſcunque Literis, ſed ex Eccleſiaſticis, Canonicis & Catholicis: „ aliæ quippe apud nos non habent ad has res ullum pondus aucto„ ritatis. Et paulò pòſt. Quia Canonicum non eſt, me non conſtringet. 2. Teſtimonia Veterum de Traditionibus nec inter ſe nec cum Pontificiis convenire jam variis exemplis demonſtravimus, quibus multò plura addi poſſunt. 3. Nulla ratio afferri poteſt, cur Deus voluerit unam Verbi ſui partem conſervari ſcriptis Divinis, quorum fides indubitata eſt, alteram verò in ſcriptis merè humanis quorum incerta & fallax eſt auctoritas. Et quis non videt hinc ſequi non eſſe eandem utriuſque partis auctoritatem contra quam ſtatuit Concilium Tridentinum? Si ſcribendæ fuerunt olim Traditiones, quantò potius & tutius fuiſſet, uti initio ab hominibus θεοπνεύστοις ſcriberentur: aut ſi tum non ſcribendæ erant, ne propalarentur, aut divulgarentur Ariana ſcilicet mysteria, ut adverſarii dicunt, certè neque poſtea ſcribi debuerùnt, in iis præſertim libris, quorum uſus

uſûs communis & promiſcuus permittitur, multoque tutius committi potuiſſent Libris Sacris, quorum uſus vulgò interdicitur.

Neque in uſu Eccleſia.

Secunda cauſa adjuvans (inquit) eſt uſus continuus: prout uſu conſervantur linguæ vulgares citra Grammaticam: pleræque enim Traditiones ſunt in continuâ obſervatione, ut ritus Sacramentorum, dies feſti, jejuniorum tempora, celebratio miſſæ, ac officiorum Divinorum. Reſp. Uſum & conſuetudinem variabilem eſſe ex iiſdem exemplis patet. Nulla lingua in vulgari uſu, perpetuò in eo-
„ dem ſtatu conſervata eſt. Linguæ vulgares (inquit Bellar. lib. 2.
„ de Verbo Dei cap. 15.) ſingulis ſæculis magna ex parte mutantur. In celebratione Miſſæ ac Sacramentorum, item feſtorum ac jejuniorum temporibus, maximam progreſſu temporis varietatem occurriſſe: nimis rudis eſt qui ignorat. Præterea pleraſque Traditiones non eſſe in uſu communi, ex doctrinâ Pontificiorum evincitur qui dicunt illa omnia ſcripta eſſe ab Apoſtolis quæ ſunt omnibus neceſſaria ac utilia, & quæ ipſi palam omnibus vulgo prædicaverunt, Traditiones autem ſeorſim perfectioribus eſſe communicatas, ut docet Bellarm. cap. 11. hujus libri: unde ſequitur has Traditiones eſſe occultas, & ab uſu communi remotas. Denique uſum unius Eccleſiæ Romanæ tanquam Catholicum fruſtra obtendunt Pontificii, cum in exemplis etiam Bellarmini varium fuiſſe variarum gentium uſum ſatis conſtet.

Neque in monumentis externis.

Auguſtinus.

Tertia cauſa à Bellarmino aſſignata, ſunt monumenta quædam externa, ut templa antiquiſſima, & in iis altaria, ſacri fontes, memoriæ ſanctorum, cruces, imagines, & libri Eccleſiaſtici. Reſp. Nihil hac ratione levius aut incertius eſt; Rectè Auguſtinus lib. 1.
„ de Conſenſ. Evangeliſt. cap. 10. Omninò errare meruerunt, qui
„ Chriſtum & Apoſtolos ejus non in Sanctis Codicibus, ſed in pi-
„ ctis parietibus quæſiêrunt: non enim mirum ſi à pingentibus fin-
„ gentes decepti fuerunt. Dicant ingennè quantulam partem Traditionum hoc modo confirmari aut conſervari putent: aut quæ ſit hujuſmodi monumentorum antiquitas & certitudo, quorum vetuſtiſſima multis poſt Chriſtum ſæculis extiterunt. Ethnici, teſte Arnobio lib. 4. contra Gentes, ſolebant Chriſtianis objicere quòd nec templa haberent, nec aras, nec imagines. Idem confirmat Origenes lib. 4. contra Celſum, & Minutii Felicis Octavius. Adde quod ejuſmodi omnia monumenta variis mutationibus & corruptionibus ſunt obnoxia, adeoque incerta, ut nuſquam proclivius ſit quam hîc errare.

Quar-

Digitized by Google

Neque per hæreſium refutationem.

Quartam cauſam ait Bellarm. eſſe hæreſin. Quia enim ſingulis ætatibus orti ſunt novi hæretici, ideo etiam Deus excitavit homines doctos, qui, ut hæreticis reſiſterent diligenter inveſtigârunt Doctrinam Eccleſiæ ac Traditiones antiquas ac poſteris commendârunt. Reſp. Dei providentiâ factum eſt ut hæreticorum pravitate incitarentur viri pii & docti ad ſcrutandum non Traditiones Pontificias, ſed Sacras Scripturas. Unde Auguſt. de bono perſe- „ verantiæ cap. 20. Didicimus (inquit) ſingulas quaſque hæreſes „ intuliſſe Eccleſiæ proprias quæſtiones, contra quas diligentius defenderetur Divina Scriptura, quàm ſi nulla talis neceſſitas coëgiſſet. Contrà, proprium eſt hæreticorum poſthabitis aut ſpretis Scripturis Traditiones urgere, ut mox patebit. Neque verò ulla propriè dicta eſt hæreſis, quæ non repugnat Sacræ Scripturæ, ex eaque confutari poteſt, adeo ut ex Traditionibus non ſcriptis non „ pendeat ejus refutatio. Aufer hæreticis (inquit Tertullianus de „ Reſurrect. cap. 3.) quæ cum Ethnicis ſapiunt, ut de Scripturis „ ſolis quæſtiones ſuas ſiſtunt, & ſtare non poterunt. Auguſt. in „ epiſt. Joan. tract. 20. Contra inſidioſos (inquit) errores Deus voluit ponere firmamentum in Scripturis. Non aliunde quàm ex his, contra hæreticos quæſtionum explicationes in Concilio Nicæno ſumere Epiſcopos monuit bonus Imperator Conſtantinus, ut legere eſt apud Thedoretum lib. 1. cap. 7.

Tertullianus. Auguſtinus.

Nulla eſt certa ratio diſcernendi veras Traditiones à falſis, ſi Scriptura ſeponatur.

Denique contra id quod diximus, adeo incertas eſſe Traditiones, ut earum nomine ac ſpecie olim ſanctiſſimi ac doctiſſimi viri decepti fuerint, inſtat Bellarminus eſſe in Eccleſiâ auctoritatem ac certam viam ac rationem diſcernendi veras Traditiones à falſis, neq; unquam publico judicio Eccleſiæ receptam fuiſſe falſam Traditionem pro verâ. Reſp. Eccleſiæ auctoritatem omnem ad Sacram Scripturam eſſe reſtrictam in lib. præcedenti à nobis demonſtratum eſt. De auctoritate autem & infallibilitate quam Eccleſiæ ſuæ tribuunt Pontificii, cùm inter ipſos non conveniat, penes quem reſideat, nihil certè ſtatui poteſt. Sed ſi talem auctoritatem aut viam ac rationem habeat Romana Eccleſia, cur non adduci poteſt ut numerum Traditionum determinet, cùm non minùs determinari oporteat Verbum Dei non ſcriptum quam verbum ſcriptum, alioqui ſemper fluctuare Pontificiorum fidem neceſſe eſt? Num publico judicio Eccleſiæ falſa aliqua Traditio recepta fuerit, unde melius dignoſcetur, quàm ex ſententiis eorum quorum maxima erat auctoritas in Eccleſiâ, aut

ex

ex communi & recepta conſuetudine iſtius temporis. Qua ratione patet varias Traditiones olim probatas fuiſſe, quæ nunc non probantur aut negliguntur in Romanâ Eccleſiâ, ex quibus aliquot jam recenſuimus. Si autem certa ſit via ac ratio diſcernendi veras Traditiones à falſis, conſentaneum eſt eam notiorem eſſe potuiſſe priſcis Patribus in purioribus Eccleſiæ ſæculis, quæ ad tempora Apoſtolorum proximè accedebant, quàm in hac poſtremâ & degenere ætate, ut mirum ſit hac ratione clariſſimis illis Patribus tam facilè potuiſſe imponi.

Sed quænam ſit illa certa ratio diſcernendi veras Traditiones à falſis jam inquirendum eſt.

CAP. VIII.

Examinantur regulæ quibus dicunt Adverſarii veras Traditiones dignoſci.

Bellarminus cap. 9. hujus libri quinque tradit regulas quibus in cognitionem verarum Traditionum deveniamus.

Prima Bellarmini regula verarum Traditionum Apoſtolicarum falſa eſt.

„ Prima regula eſt: Quando univerſa Eccleſia aliquid tanquam „ dogma fidei amplectitur, quod non invenitur in Divinis Literis, „ neceſſe eſt dicere ex Apoſtolorum Traditione id haberi. Ratio „ eſt, quia cùm Eccleſia univerſa errare non poſſit, ideo quod Eccleſia de fide eſſe credit, ſine dubio eſt de fide: at nihil eſt de fide, „ niſi quod Deus per Prophetas & Apoſtolos revelavit, ab iiſque „ traditum eſt ſive verbo, ſive ſcripto, aut quod evedenter inde de„ ducitur: non enim novis revelationibus nunc regitur Eccleſia: „ Talis eſt perpetua Virginitas Beatæ Mariæ, numerus librorum „ Canonicorum, & ſimilia.

Reſp. Univerſa Eccleſia duobus modis accipi poteſt, vel ut reſtringatur ad præſentem Eccleſiam viſibilem, vel ut complectatur Eccleſiam omnium temporum & ætatum. Item, Eccleſiæ Univerſæ aliquid tribuitur duobus modis: vel quod convenit majori & celebriori Eccleſiæ parti, vel quod convenit omnibus & ſingulis Eccleſiæ membris. Nos quidem facilè concedimus Univerſam Eccleſiam, id eſt, omnia & ſingula membra Eccleſiæ etiam præſentis non errare in dogmatibus fidei & morum, multò minùs Eccleſiæ Univerſæ, quæ omnia tempora complectitur. Sed majorem partem uni-

verſæ Eccleſiæ uno tempore viſibilis errare poſſe conſtat, ut oſtendimus lib. præcedente cap. 16. Quanquam non dubitamus Deum in Eccleſiâ ſuâ ſemper veritatem ſalutarem conſervare: quæ tamen aliquoties preſſa, afflicta, & majoris partis aut celebriorum hominum auctoritate deſtituta apud paucos ignobiles latere poteſt. Idcirco negamus Eccleſiam Univerſam, id eſt, omnia & ſingula membra Eccleſiæ aliquid tanquam dogma fidei amplecti quod non invenitur in Divinis Literis. Sed ſi Univerſam Eccleſiam à majore parte definiant, tum fallax erit regula: alioqui pari ratione Traditiones Phariſæorum Mat. 15. & Marc. 7. à Chriſto reprobatæ legitimæ cenſendæ eſſent. Porrò exempla Bellarmini non ſunt appoſita, de quibus poſteà acturi; hoc tantùm nunc dicimus; perpetuam Mariæ Virginitatem piè credi, ſed non ex neceſſitate fidei. Numerum autem librorum Canonicorum ſæpe controverſum fuiſſe in Eccleſiâ, & numerum quem Pontificii ſtatuunt nunquam in primitivâ Eccleſiâ eſſe agnitum, ex lib. primo patet. Cæterùm libenter accipimus quod docet hîc Bellarm. nihil eſſe de fide quod non tradiderunt Prophetæ aut Apoſtoli, & novis revelationibus Eccleſiam non regi. Id quod nonnulli ex Pontificiis ægrè concedunt. Nimirum Vaſques tom. 2. diſp. 216. num. 60. Salmero 13. tom. diſp. 6. §. Eſt ergo: & diſput. 8. §. Atque *hoc*. & §. Tertio *varia*. Atque ipſe Bellarm. haud paulò immodeſtiùs loquitur in diſputat. contra *Barclaium* cap. 3. Gnarus enim poteſtatem quam ſibi arrogat Papa deponendi Reges omni antiquitatis teſtimonio deſtitutam eſſe, Non „ rectè (inquit) de Eccleſiâ ſentit qui nihil admittit niſi quod ex- „ preſsè in Veteri Eccleſiâ ſcriptum aut factum eſſe legit. Quaſi „ Eccleſia poſterioris temporis aut deſierit eſſe Eccleſia, aut facul- „ tatem non habuerit explicandi & declarandi, conſtituendi etiam „ & jubendi quæ ad fidem & mores Chriſtianos pertinent.

Etiam ſecunda. „ Secunda regula. Quando Univerſa Eccleſia aliquid ſervat quod „ nemo conſtituere potuit niſi Deus, quod tamen nuſquam in- „ venitur ſcriptum, neceſſe eſt dicere à Chriſto & Apoſtolis tradi- „ tum, tale eſt Baptiſma parvulorum & baptiſmum hæreticorum eſ- „ ſe ratum.

Hanc regulam eodem modo quo ſuperiorem, nempe ab auctoritate Eccleſiæ confirmat, additque teſtimonium Auguſtini epiſt. 118. ubi docet inſolentiſſimæ inſaniæ eſſe exiſtimare non rectè fieri quod ab universâ Eccleſiâ fit. Reſp. Quia hæc regula eodem nititur fundamento

damento quo prior, ideo eadem recurrit noſtra reſponſio. Præterea negamus ab Univerſâ Eccleſiâ, id eſt, ab omnibus fidelibus, imò ab ullâ parte Eccleſiæ aut ullo fidelium aliquid ſervari quod à ſolo Deo conſtitui potuit, neque tamen invenitur in Scripturis. Neque hic exempla Bellarmini ſunt accommodata, ut poſteà patebit. Auguſt. autem in loco citato non loquitur de dogmatibus fidei & morum quæ à ſolo Deo conſtituuntur, ſed de Ritibus Eccleſiaſticis.

„ Tertia regula. Id quod in Eccleſiâ Univerſâ, & omnibus retro temporibus ſervatum eſt, meritò ab Apoſtolis creditur inſtitutum, etiamſi illud tale ſit, ut potuerit ab Eccleſiâ inſtitui. Exempla ſunt, Jejunium quadrageſimæ, & ſeptem ordines Eccleſiaſtici. *Item tertia.* Confirmat Bellarminus hanc regulam auctoritate Auguſtini lib. 4. de Bapt. contra Donatiſtas cap. 24. ubi ait, Quod „ univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper „ retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolicâ traditum rectiſſimè „ creditur.

Reſp. ex hac & præcedente Regulâ videmus Bellarm. duo rerum genera diſtinguere de quibus ſunt Traditiones: unum eſt ejuſmodi rerum quas nemo poſſit conſtituere niſi Deus, cujuſmodi proculdubio ſunt dogmata fidei, Sacramenta, & doctrina morum ad ſalutem neceſſaria. Alterum eſt ejuſmodi rerum quæ poſſunt ab Eccleſiâ inſtitui, cujuſmodi ſunt variæ particulares conſtitutiones de ritibus ſuâ naturâ indifferentibus, de externo Ordine ac Diſciplina Eccleſiaſticâ, de quibus nulla extant in Sacris Literis ſpecialia præcepta, ſed generali præcepto comprehenduntur, ut omnia fiant ordine, decenter, & ad ædificationem. Bellar. videtur regulam tertiam præcipuè ad poſterius genus reſtringere, prout ſecundam regulam ad prius genus reſtrinxit. Quod ſi tertia regula etiam priori generi accommodetur, eatenus coincidet cum ſecundâ, eâdemque reſponſio recurret. Si poſteriori generi applicetur, aliena eſt ab inſtituto: quia controverſia inter nos & Pontificios hoc loco non eſt de Traditionibus, quæ ad ritus & ordinem Eccleſiæ pertinent, ſed quæ ad fidem & mores neceſſariæ dicuntur: ut & nos & Bellarm. in ſtatu controverſiæ explicando expoſuimus. Auguſtinus autem in loco citato loquitur de rebus prioris generis, nempe de Baptiſmo parvulorum, quod exemplum ad ſecundam regulam retulit Bellarminus. Quanquam ſi generaliter accipiantur verba Auguſtini, nihil

Digitized by Google

contra nos faciunt. Nam quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Divinâ aut Apoſtolicâ traditum exiſtimamus, ſed ita ut ſi ad fidem & mores ſit neceſſarium, in Scripturis comprehendatur (id quod Auguſtinus de eodem exemplo oſtendit ibidem & alibi) ſin ad externum ordinem & ritus pertineat, ad Traditionem non ſcriptam aliquando referri poſſet.

Exemplum de quadrageſimâ alienum eſt ab inſtituto & repugnat regulæ. Alienum eſt: nam ſi jejunium quadrageſimæ ab Eccleſiâ ſuccedente inſtitui poſſet, licet Chriſtus vel Apoſtoli non inſtituiſſent (ut hîc docet Bellarm.) tum non pertinet ad dogmata fidei, de quibus ſolis in Doctrinâ Traditionum controverſia eſt inter nos & Pontificios: nam illa omnia quæ Eccleſia fide tenet, tradita ſunt ab Apoſtolis aut Prophetis, ut nuper ex Bellarmino accepimus. Quanquam praxis Pontificiorum arguit eos quadrageſimæ inſtitutum ex neceſſitate fidei urgere: cùm ejus obſervatio crudeliſſimis ſuppliciis ſanciatur, adjunctâ perſuaſione cultus, neceſſitatis, meriti & ſatisfactionis. Repugnat regulæ: quia in jejunio quadrageſimæ certum eſt non idem obſervatum eſſe in Universâ Eccleſiâ, omnibus retro temporibus, ſed maximam diverſitatem notari tum ratione temporis quo durabat, tum ratione modi abſtinentiæ, & ciborum à quibus abſtinebatur, ut jam diximus: adeo ut certiſſimum ſit jejunium quadrageſimale, quod à Pontificiis uſurpatur, non eſſe univerſaliter obſervatum, neque quod olim alibi obſervabatur, nunc Romæ obſervari. Porro exempla paucorum de quadrageſimâ à Bellarmino enumerata minimè probant eandem rem eſſe univerſaliter obſervatam: præſertim cùm conſtet diverſimodè olim & nomen quadrageſimæ acceptum, & uſum obſervatum eſſe ex Euſebio lib. 5. cap. 23. Socrate lib. 5. cap. 21. Auguſtino epiſt. 118. & Sozomeno lib. 7. cap. 19. Quos autem teſtes antiquiores citat Bellarminus, Teleſphorum in epiſtolâ decretali, Ignatium in epiſt. ad Philippenſes, Clementem lib. 5. Conſtitutionum cap. 13. & inter Canones Apoſtolorum 78. ſuppoſititii ſunt auctores & ſcripta. Epiſtolas decretales, quæ dicuntur ſcriptæ ante annum Dom. 300. (inter quas eſt epiſtola iſta Teleſphori) Bellarm. ipſe ait ſe non audere affirmare eſſe indubitatas lib. 2. de Pont. cap. 14. Noſtri autem adulterinas eſſe variis argumentis demonſtrarunt, ut oſtendimus lib. ſuperiori cap. 25. Neque etiam Teleſphorus ibi meminit

Digitized by Google

nit quadrageſimæ ante ſuam ætatem inſtitutæ, ſed loquitur de jejunio ſeptem hebdomadarum à ſe inſtituto.

In Epiſtola illâ Ignatii ad Philip. ſcribitur. Si quis Dominicum „ diem aut Sabbatum, uno excepto jejunârit, hic Chriſti interfector eſt. Atqui cùm ſolenne fuerit Romanis Sabbato jejunare (teſte Auguſtino Epiſt. 86. & 118.) nunquid ſi genuina hæc eſt Epiſtola, Romana Eccleſia interfectoribus Chriſti annumerabitur? Clementis autem conſtitutiones, & Canones qui vocantur Apoſtolorum, aut magnam eorum partem ſcripta eſſe Apocrypha, ſuppoſititia aut corrupta Pontificii doctiores non dubitant: ut Baronius annalium tom. 1. ad annum 32. numero 18. & 19. & tom. 2. ad annum 102. numero 9. & 13. & Canonem quem hîc citat inter Canones ſpurios ponit ipſe Bellarm. de Rom. Pontif. lib. 2. cap. 27. cui aſſentitur Baronius Annal. tom. 2. ad annum 102. numero 14. & Poſſevinus in apparatu ad verbum *Clemens*. Hi enim 50. priores Canones tantùm approbant non autem reliquos qui ſequuntur, inter quos Canon hic citatus reperitur. Imo Clementem & Canones Apoſtolorum ipſe Gelaſius Papa cum Romanâ Synodo Apocryphos, & à Catholicis vitandos pronunciat, diſtinct. 15. & 16. Porrò ſi Chriſtus aut Apoſtoli injunxerunt Chriſtianis quadrageſimale jejunium, certè Apoſtoli ipſi illud obſervâſſent at contrarium potiùs apparet ex Matth. 9. 15.

Abſtinere à jejunio die Dominico non eſt Traditio Apoſtolica.

Alterum exemplum de ſeptem Ordinibus, ſi regula reſtringenda eſt ad Eccleſiaſticas conſtitutiones non eſt appoſitum: quia ſeptem illos Ordines Bellarminus vult eſſe totidem Sacramenta quæ proinde à ſolo Chriſto inſtitui poterant. Fruſtra autem Bellarm. antiquum uſum officiorum, quæ ad iſtos Ordines ſpectant, recenſet, cum neque univerſalem uſum probare poſſit, neque quæſtio ſit num talia officia aut munera olim fuerint in Eccleſiâ, ſed num ejuſmodi munera aut ordines, ut vocant, ſint Sacramenta. Neque ſine inſigni calumniâ Calvinum reprehendit quaſi dixiſſet lib. 4. Inſtitutionum cap. 19. §. 24. Ordines in mores eſſe inventum novitium de quo nuſquam legitur niſi apud Sorboniſtas & Canoniſtas, intelligens talia munera „ non fuiſſe olim in uſu. Calvinus enim ibi diſertè ait: De Veteri„ bus Acoluthis, Oſtiariis & Lectoribus, alibi dictum eſt, cum Ec„ cleſiæ ordinem exponeremus: nobis hîc propoſitum eſt duntaxat „ pugnare contra novitium illud inventum de ſeptemplici Sacra„ mento in ordinibus Eccleſiaſticis, de quo nuſquam alibi quàm

Apoſtoli non tradiderunt Sacramentū ſeptem ordinum.

Calvinus vindicatus.

Digitized by Google

„ apud ineptos illos Rabulas Sorboniſtas & Canoniſtas legitur. Quanquam ſi omnia munera quæ memorantur à veteribus & nominatim in illâ Epiſtolâ quam citat Ignatii ad Antiochenſes, conſtituant peculiares ordines, certè multo plures quàm ſeptem ſunt ordines. Apud alios autem pauciores quàm ſeptem enumerantur. Nam Canones qui dicuntur Apoſtolici nominant tantum Epiſcopum, Presbyterum, Lectorem, Diaconum & Cantorem, omiſſis Exorciſtâ, Oſtiario & Acolutho. Lombardus lib. 4. diſtinct. 24. cap. de Presbyteris ait ex ſacris Ordinibus ſolos Diaconatum & Presbyteratum (ſub quo comprehendit Epiſcopatum) primitivam Eccleſiam habuiſſe, & de his ſolis præceptum Apoſtoli nos habere: Subdiaconos verò & Acoluthos, procedente tempore Eccleſiam ſibi conſtituiſſe. Idem legitur apud Gratianum diſtinct. 21.

Lombardus.

Quarta etiam Bellarmini regula eſt falſa.

„ Quarta regula. Cùm omnes Doctores Eccleſiæ communi conſenſu docent aliquid ex Apoſtolicâ Traditione deſcendere ſive in Concilio generali congregati, ſive ſcribentes ſeorſim, illud credendum eſt Apoſtolicam eſſe Traditionem. Ratio eſt, quia alioqui tota Eccleſia erraret. Exemplum primi generis eſt imaginum veneratio à Concilio Nicæno decreta. Exemplum ſecundi vix invenitur ſi debeant omnes penitus Patres qui ſcripſerunt expreſsè aliquid dicere: tamen videtur ſufficere ſi aliquot Patres magni nominis expreſsè id aſſerant, & cæteri non contradicant, cùm tamen ejus rei meminerint. Hac regulâ probantur eſſe ab Apoſtolica Traditione ritus qui ſervantur in Baptiſmo, & qui Baptizatur Baptizetur aquâ prius à Sacerdote Benedictâ, & quod jubeatur ab renunciare Satanæ, quòd ſignetur ſigno Crucis, quod ungatur oleo benedicto, id enim aſſerunt Baſilius de Sp. Sancto cap. 27. Tertullianus de Coronâ militis & alii quidam: nemo autem unquam contradixit, cùm nullus fere ſit Veterum qui non meminerit harum cæremoniarum tanquam in Eccleſiâ ab omnibus receptarum. Idem dici poteſt de Quadrageſimâ. *Reſp.* Si conſenſus omnium Doctorum omnium ætatum proferri poſſet, magni momenti eſſet regula: at nec in unâ quidem ætate oſtendi poteſt quid omnes Doctores doceant, neque omnes in ullo unquam Concilio convocari poſſunt, neque omnes libros edunt, neque in libris de omnibus dogmatibus ſcribunt, neque omnium libri ſuperſunt, neque omnes ad manus noſtras perveniunt: neque à majori parte veritas pendet. Et generalia Concilia etiam frequentiſſimè errare poſſe & erràſſe

(quæ

Digitized by Google

(quæ ſcilicet & quatenus à Papâ non ſunt approbata) fatentur Jeſuitæ. Itaque hæc regula prorſus incerta & fallax eſt: & ſophiſticè admodum proponitur à Bellarmino. Primo in genere meminit conſenſus omnium Doctorum: ſed mox diſtinguit inter convocatos in Concilio & ſeorſim ſcribentes: in neutrâ parte omnes intelligit. In priore parte Doctores ſpectantur unius temporis; in poſteriori, Doctores variarum ætatum, ut in exemplis patet, & poſteriorem partem aliter proponit in regulâ, aliter reſtringit in exemplis.

Exemplum prioris partis de veneratione imaginum repugnat regulæ: quia plurimi Doctores diſſenſerunt, & in variis Synodis paulò antè & paulò poſt Concilium illud Nicænum ſecundum, contraria ſententia definita eſt, & vix in ullâ aliâ re unquam major diſcordia, factio & contentio viſa eſt, ut fusè oſtendit inter alios Philippus Mornæus de Euchariſtiâ lib. 2. cap. 3. & 4.

Exemplis poſterioris generis regula accommodari non poteſt niſi ad modum Lesbiæ inflectatur, ut tantum non fatetur ipſe Bellarm. & ne ſic quidem per omnia quadrat. Nam pro conſenſu omnium Doctorum per paucos tantùm nominat Bellarm. nec multò plures citare poteſt. Porrò, exempla non ſunt de neceſſitate fidei, ſi intelligantur per ea externi ritus: alioqui certum eſt abrenunciationem Satanæ in ipſa Baptiſmi inſtitutione ſignificari. Et ſi omnia quibus utimur, ſanctificantur per Verbum Dei & preces, 1. Tim. 4. quantò magis Sacra Symbola à Deo inſtituta ita ſanctificari conſentaneum eſt.

Denique ſi ſecundum hanc regulam priſci Patres Chiliaſtarum errorem examinâſſent, eum pro Apoſtolicâ Traditione amplexi eſſent: quippe in primis iſtis ſæculis aliquot Patres magni nominis Papiam ſequuti, Traditionem Apoſtolicam præ ſe ferentem, expreſsè iſtud dogma aſſeruerunt: ut Irenæus, Juſtinus Martyr, Origenes, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, nec eorum temporibus alii contradixerunt, qui ejus rei meminerunt. Poſteà autem contradixerunt pii Patres inveteratum errorem qui ſpecioſo Traditionis Apoſtolicæ nomine multis impoſuit ex ſacris Literis refellentes.

„ Quinta regula. Id credendum eſt ex Apoſtolicâ Traditione „ deſcendere quod pro tali habetur in illis Eccleſiis ubi eſt integra & „ continuata ſucceſſio ab Apoſtolis. Hanc regulam tradit Irenæus, „ lib. 3. cap. 3. & Tertull. lib. de Præſcriptionibus. Si ergo in aliquâ Eccleſiâ aſcendendo per Epiſcopos perveniamus ad Apoſto- *Falſitas regulæ quintæ.*

„lum

„ lum aliquem, & non poſſit oſtendi quod ullus eorum Epiſcopo-
„ rum introduxerit novam Doctrinam, certi ſumus ibi conſervari
„ Apoſtolicas Traditiones. Et quidem olim inveniebatur ſucceſſio
„ non interrupta, non ſolùm Romæ ſed etiam Epheſi, Corinthi,
„ Antiochiæ, Alexandriæ, Hieroſolymæ, & alibi: ac propterea Ter-
„ tullianus remittit homines ad quamlibet ex Apoſtolicis Eccleſiis.
„ At nunc defecit certa ſucceſſio in omnibus Eccleſiis Apoſtolicis
„ præterquam in Romanâ: ideoque ex teſtimonio hujus ſolius Ec-
„ cleſiæ ſumi poteſt certum argumentum ad probandas Apoſtolicas
„ Traditiones.

Reſp. Hinc videre eſt quò tendat Bellarminus, nempe ut omnem auctoritatem, eamque abſolutam Romanæ Eccleſiæ tribuat, hoc eſt, Romano Pontifici. Id enim ſolenne eſt Jeſuitis ut Eccleſiæ nomen Reſtringant ad Romanam, eamque ad unum Pontificem, cui ſoli tribuunt infallibilitatem, & quem appellant Virtualem Eccleſiam. Huc itaque ſumma redit poſt varias ambages, eas eſſe veras Traditiones quas Eccleſia Romana ſeu Papa dicit eſſe tales. Præclarè ſcilicet defendet ſe reus ſuo ipſius teſtimonio. Sed operæpretium eſt advertere quo artificio procedat Bellarminus, & ut dolus pateat, referamus ad Syllogiſmum ad hunc modum: Omnes Eccleſiæ in quibus eſt integra & continuata ſucceſſio ab Apoſtolis in Traditionibus aſſignandis ab errore immunes ſunt: At ſola Romana Eccleſia eſt talis: Ergo. Minorem, quæ maximè controverſa eſt, ſumit gratis: Majorem probat auctoritate Irenæi & Tertulliani. Sed eorum teſtimoniis abutitur: neque enim illi in citatis locis loquuntur de infallibilitate Eccleſiæ, neq; de Traditionibus non ſcriptis, ſed de confirmatione Doctrinæ ſcriptæ ſecundariâ, nempe per Traditionem & ſucceſſionem continuatam tum temporis notam in Eccleſiis quas Apoſtoli plantaverant aut rigaverant, ad refellendos Hæreticos, qui Traditionis nomine abutebantur. Conſulite quæ nos diximus de horum teſtimoniis & ſimili teſtimonio Vincentii Lyrinenſis in lib. ſuperiori cap. 28.

Cæterùm, quod ad Majorem attinet, ambiguum eſt quod dicitur de integrâ & continuatâ ſucceſſione: nam vel intelligitur nuda ſucceſſio perſonarum; & ſic Major apertè falſa eſt: ſi quidem Arianæ Eccleſiæ talem ſucceſſionem oſtendere poterant: vel intelligitur ſucceſſio perſonarum ſimul cum doctrinâ; & ſic eſt petitio quæſiti: Nam ſi ſuccedat Doctrina Apoſtolica integra, ſine additione, de-

tractione,

tractione, aut variatione, in conſeſſo eſt nullum eſſe errorem in iſta Doctrinâ. Talem autem ſucceſſionem convenire Romanæ Eccleſiæ pernegamus. Imo neque ſucceſſionem perſonalem in eâ perpetuam eſſe patet ex multis & diuturnis Schiſmatibus quæ in iſtâ Eccleſiâ accidiſſe notiſſimum eſt ex hiſtoriis. Sophiſticè autem regulam explicat Bellarminus cùm ait, ſi in iſta ſucceſſione non poſſit oſtendi quod ullus Epiſcoporum introduxerit novam Doctrinam: Nam ſatis eſt ad errorem aut incertitudinem demonſtrandam, ſi ex Verbo Dei oſtendatur novam Doctrinam eſſe introductam, licet oſtendi non poſſit in longo præſertim temporis tractu à quo ſit introducta, ut præclarè monet Vincentius Lyrinenſis Commentarii cap. 39.

* Porro fallacia regulæ ex ipſo Bellarmino patet. Nam etiam illæ Eccleſiæ in quibus eſt integra & continuata ſucceſſio ab Apoſtolis, poſſunt deficere, ac proinde non ſunt ab errore immunes: quod Bellarminus oſtendit uſu veniſſe in omnibus aliis Eccleſiis præterquam in Romanâ. Ergo nullam vim habet generalis Regula, nec accommodari poteſt ulli Eccleſiæ, niſi ſupponatur eam non poſſe deficere, id quod eſt in quæſtione. Nec minùs quàm Orthodoxi, jactare poterant hanc regulam primi Hæretici Epiſcopi, qui ad ſuum uſque tempus integram & continuatam ſucceſſionem ab Apoſtolis poterant oſtendere. Quod ſi objiceretur ipſos introduxiſſe novam Doctrinam, tum non de ſucceſſione; ſed de novitate & veritate Doctrinæ ex Scripturis inquirendum eſſet: alioqui nunquam convincerentur illi ſuam Doctrinam eſſe novam.

Denique ex exemplis antè allatis patet etiam illas Eccleſias, quæ alioqui non minus quam Romana integram & continuatam ſucceſſionem ab Apoſtolis vendicare poterant, in variis Traditionibus à Romanâ Eccleſiâ antiquâ & præſente diſcrepâſſe. Et quidem variæ Eccleſiæ varia & contraria ſibi ab Apoſtolis tradita eſſe contendebant: quod etiam verè ab iis affirmatum defendit Azorius Inſtitu- *Azorius.*
„ tionum Mor. lib. 8. cap. 4. Diverſæ (inquit) Traditiones ab Apo-
„ ſtolis promanârunt: per Orientem enim Traditione ab Apoſto-
„ lis derivatâ Sabbatum, ſicut dies Dominica piè & Religiosè cele-
„ bratur, & tamen per Occidentem Sabbato jejunium ſervabatur,
„ Traditione, ut ego exiſtimo, à Petro Apoſtolo acceptâ.

Commune omnibus iſtis regulis eſt. 1. Quòd incerto nitantur fundamento, puta infallibilitate Eccleſiæ, quam Jeſuitæ reſtrin-

Digitized by Google

gunt ad unum Papam. 2. Quia aut planè impoſſibiles ſunt aut Majoris difficultatis & controverſiæ quàm id quod quæritur. Quis enim aut quotuſquiſque ſcire poteſt certò & oſtendere integram & non interruptam & continuatam in aliquâ Ecclesiâ ſucceſſionem ab Apoſtolis tum doctrinæ tum perſonarum; aut quid univerſa Eccleſia & omnes Doctores teneant aut ſervent? Quod ſi univerſæ Eccleſiæ nomine præſentem Eccleſiam intelligant, ut explicat Gretſerus, ridiculi ſunt qui ab univerſâ Eccleſiâ omnes qui Pontificiis contradicunt, id eſt, magnam Chriſtianorum partem excludentes, regulam controverſiæ dirimendæ, alterius partis, quæ rea peragitur arbitrium ſtatuunt.

Ex dictis patet vanas & fallaces eſſe omnes regulas à Bellarmino aſſignatas ad veras Chriſti & Apoſtolorum de rebus fidei, & morum Traditiones diſcernendas. Eodemque modo refelli poſſunt regulæ ab aliis traditæ, ut ſatis conſtet, ſi ab unicâ illâ Sacræ Scripturæ normâ recedatur, in rebus divinis nihil certi inveniri poſſe.

CAP. IX.

Alia Argumenta à ratione ſumpta.

HACTENUS primum argumentum à ratione ſumptum contra Traditionis Pontificias, & reſponſionem ad inſtantias Bellarm. fusè proſecuti ſumus. Reliqua argumenta breviter perſtringemus.

Secunda ratio probans Traditiones nõ eſſe Verbum Dei *Eſ.* 40. 8. 1. *Pet.* 1. 23. 25. *Pſ.* 19. 9. *Mat.* 5. 18.

Sit itaque ſecunda ratio hæc: Verbum Dei quo nititur doctrina fidei & morum manet in æternum, ſaltem ad conſummationem ſæculi: At Traditiones non manent, &c. Ergo. Major patet ex Eſaiæ 40. 8. 1. Pet. 1. 23. 25. Pſal. 19. 9. Mat. 5. 18. Non hîc loquimur de modo tradendi Verbum Dei, ſed de doctrinâ ipſa traditâ. Nec nunc ſpectamus utrum liber aliquis Sacræ Scripturæ perierit aut perire poſſit, ſed nullum dogma fidei & morum intercidiſſe aſſerimus. Id quod adeo verum eſt, ut ipſa etiam Lex cæremonialis, licet conſummata ſit, tamen in hunc diem integra conſervata ſit, & in finem Mundi conſervanda: ne dum ut ullum præceptum morale aut articulus fidei perire poſſit.

Traditiones nõ ſunt æterna & immutabiles.

Minor probatur, quia Pontificii plerique aſſerunt Traditiones non minùs fuiſſe neceſſarias in Veteri Teſtamento quàm in Novo. Et

Et certè ſi in libris Veteris Teſtamenti integra doctrina ſalutis, & omnia ad fidem & mores neceſſaria comprehenſa ſint, & nihil ultra addendum fuerit, quantò magis accedente clarâ luce Evangelii in libris Novi Teſtamenti nihil ultrà deſiderabimus. At ſi quæ fuerunt tales Traditiones Veteris Teſtamenti, eæ omnes perierunt. Bellarminus & alii qui contendunt fuiſſe Traditiones in Judaicâ Eccleſiâ, quæ continebant remedium contra peccatum originale in fæminis & pueris ante octavum diem morientibus, quibus deerat Sacramentum Circumciſionis, quænam fuerint iſtæ divinare non poſſunt. Propterea alii ex Pontificiis negant ullam fuiſſe Traditionem non ſcriptam apud Judæos, quos refellit Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei cap. 8. contextu *His adde*. Et quidem veriſimilius eſt nullam fuiſſe apud Judæos quam omnes intercidiſſe. Etenim ſi intercidere poſſunt partes neceſſariæ Verbi Dei in Veteri Teſtamento, non minus intercidere poſſunt in Novo Teſtamento. Notiſſimum enim eſt Judaicam Eccleſiam fuiſſe fidiſſimam cuſtodem oraculorum Dei. Neque quiſquam antiquorum negligentiam & infidelitatem in hoc genere iis imputavit.

Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei cap. 1.

Tertia ratio: Verbum Dei quo nititur fides eſt determinatum: At Traditiones non ſunt determinatæ: Ergo. Major patet, quia ut Verbum ſcriptum eſt determinatum, ita Verbum non ſcriptum (ſi daretur) pariter determinatum eſſe conſentaneum eſt: alioqui fides determinari non poteſt. Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei, cap. 9. ait Eccleſiam nunc non regi novis revelationibus quia ædificata eſt ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum Epheſ. 2. At fundamentum Eccleſiæ non eſt indeterminatum. Porrò Regula fidei debet eſſe determinata: nam quod eſt indeterminatum id certo ſcire non poteſt, multo minùs poteſt eſſe norma ad alia ſcienda & examinanda.

Tertia ratio. Traditiones non ſunt determinatæ.

Minor patet, quia nullis limitibus Traditionum farrago circumſcribitur. Concilium Tridentinum quod Seſſ. 4. ſanxit Traditiones tanquam vel ore tenus à Chriſto, vel à Sp. Sancto Apoſtolis dictatas, & continuâ ſucceſſione in Eccleſiâ conſervatas, pari pietatis affectu & reverentiâ cum libris Veteris & Novi Teſtamenti ſuſcipiendas & venerandas, non definivit quænam ſint ejuſmodi Traditiones, prout libros Canonicos definivit: cum tamen non minùs periculi ſit falſas Traditiones pro veris, quam adulterina ſcripta pro genuinis ſuſcipere, ſi quidem ſunt ejuſdem auctoritatis: & nemo

Digitized by Google

poſſit ſuſcipere ac venerari quod determinatè non novit: noſſe autem nemo poteſt juxta Pontificiorum doctrinam, quod non eſt definitum ab Eccleſiâ. Cum ergo Eccleſia non definiverit quænam ſint veræ Traditiones, periculum eſt ne falſæ Traditiones accipiantur pro veris, & hac in re perpetuò fluctuet eorum fides neceſſe eſt.

Eccleſia præſens nō poteſt cudere novos articulos fidei.

Cæterùm nullus Pontificum aut Pontificiorum audet certam & perfectam Traditionum enumerationem edere, imò ſecundum ipſorum placita, ne poteſt quidem. Nam ut hoc ſibi commune refugium ſtatuunt, ut, quicquid ex Scripturâ probare non poſſunt, ex traditione ortam eſſe dicant: ita Jeſuitæ Eccleſiæ præſenti non minorem poteſtatem tribuunt quàm Eccleſiæ Apoſtolicæ: illamque aſſerunt novos articulos fidei ſtatuere & addere poſſe antiquis, quos ſcilicet ex poſteriori colligendum eſt eſſe Apoſtolicos, non alio argumento, quàm quia Eccleſia, quæ errare non poteſt, ſic ſtatuit. Nec deſunt inter eos qui aſſerunt poſſe eſſe novas Traditiones ad fidem & mores ſpectantes, quæ ab Apoſtolis non ſunt conditæ aut explicatæ.

Bellarminus.

Bellarminus contra Barclaium diſputans de poteſtate quam tribuit Papæ deponendi reges & ad mortem tradendi, ubi ſe deſtitutum videt omni teſtimonio Scripturæ & antiquitatis, ita ſe tuetur. Non „ rectè (inquit) de Eccleſiâ ſentit, qui nihil admittit niſi quod ex„ preſsè in Veteri Eccleſiâ ſumptum aut factum eſſe legit, quaſi „ Eccleſia poſterioris temporis deſiêrit eſſe Eccleſia, aut facultatem „ non habeat explicandi & declarandi, ſtatuendi etiam & jubendi „ quæ ad fidem & mores Chriſtianos pertinent.

Vaſques.

Vaſques Jeſuita ſermonem faciens de mandato Apoſtoli, 1. Cor. 11. 28. de edendo pane & bibendo de poculo, tom. 2. diſpnt. 216. „ numero 60. Licet (inquit) concederemus hoc fuiſſe Apoſtolo„ rum præceptum, nihilominus Eccleſia & Summus Pontifex po„ tuerunt illud juſtis de cauſis abrogare. Neque enim Major fuit poteſtas Apoſtolorum, quàm Eccleſiæ & Pontificis in ferendis præceptis. Et certe Concilium Conſtantienſe Seſſ. 23. apertè definit, licet Chriſtus adminiſtraverit Euchariſtiam ſub utraque ſpecie panis & vini, & licet in primitiva Eccleſiâ hoc Sacramentum reciperetur fidelibus ſub utraque ſpecie, tamen hoc non obſtante Laïcis communicandum eſſe ſub unâ ſpecie.

Stapletonus.

Stapletonus in relectionis Scholaſticæ Contrsverſiâ 5. quæſt. 2. art. 3.

„ art. 3. Variæ (inquit) Scripturæ receptæ ſunt in Canonem à mul„ tis ſæculis, idque auctoritate decernentis Eccleſiæ quæ ab Apoſto„ lis & eorum proximis ſucceſſoribus receptæ non erant. Item „ art. 4. Eccleſia Apoſtolis longo pòſt tempore ſuccedens, quoſdam „ declaravit Canonicos Scripturarum libros, qui tempore Apoſto„ lorum dubii ſunt habiti. Præſens autem Eccleſia ab illa ſucceden„ te nullo modo differentem habet poteſtatem. Ergo & præſentem „ Eccleſiam, idem facere poſſe non eſt improbabile. Et paulò „ pòſt. Librum Hermæ Paſtoris nomine inſcriptum & conſtitu„ tiones Apoſtolicas à Clemente editas & ſimiles libros in Cano„ nem Scripturæ ſi præſens Eccleſia referret, nulla ratio obſtat quin eos pro Canonicis admittere debeamus. Similia habet in opere de principiis fidei Doctrinalibus lib. 9. cap. 12. & in auctoritatis Eccleſiaſticæ defenſione lib. 2. cap. 11. Cùm autem objicitur, Eccleſiam ſuccedentem Apoſtolis inniti antiquæ fidei, & antiquis Scripturis & Traditionibus Veteris Eccleſiæ, reſpondet illud verum eſſe non de rebus ipſis, ſed de modo & viâ quâ utitur Eccleſia in definiendis dubiis. Nam aliud (inquit) eſt credere quid Eccleſia præſens definire poſſit, aliud verò inveſtigare quâ viâ ac ratione ad veram definitionem pervenire valeat. Unde manifeſta eſt ejus ſententia, nova dogmata nunc poſſe tradi quæ non ſunt tradita ab Apoſtolis. Idem enim cenſet de aliis articulis fidei, ut ex loco citato de defenſione auctoritatis Eccleſiaſticæ patet. Porrò alios ex Pontificiis antiquioribus, puta Durandum, Joannem Driedonem & Thomam Waldenſem contrarium ſtatuentes refellit in libro iſto nono de principiis fidei doctrinalibus cap. 12. 13. 14.

Salmeron Jeſuita in tom. 13. diſp. 6. ait doctrinam fidei admittere additionem in eſſentialibus, & in 8. diſput. contextu *At„ que hæc, &c.* Non ſub Apoſtolis (inquit) omnia occurrunt, ut poſ„ ſint ab iis omnia decidi, & ut in alio ſtatu fuerit Eccleſia ſub Apo„ ſtolis quàm ſit modò, vel fuerit poſt illa tempora. Deinde natura „ noſtra non omnia ſimul doceri poteſt, &c. In injuriam igitur „ Sp. Sancti qui ungit unctione viva membra Chriſti, & qui uſque „ modo operatur, rejicitur quicquid non eſt dudum ab Apoſtolis, &c. „ Poſſunt ergo eſſe novæ Traditiones ad fidem & mores ſpectantes, „ licet ab Apoſtolis non ſint conditæ aut explicatæ. *Salmeron.*

Et niſi huc confugiant, quâ alia quæſo ratione defendere poſſunt Pontificii novitia ſua dogmata quorum ſucceſſionem à Traditione

Digitized by Google

Apoſtolicâ nequeunt oſtendere, (cujus nullum veſtigium extat in legitimis monumentis primorum ſæculorum) de invocatione ſanctorum, communione ſub unâ ſpecie, gratiâ collatâ ex opere operato, imaginibus Trinitatis, adoratione hoſtiæ, imaginum,& reliquiarum, votis monaſticis, poteſtate Papæ in abdicandis Regibus, ac neci tradendis, in Regnis diſtribuendis, in diſpenſando à votis & juramentis, & in liberandis animabus à Purgatorio, de indulgentiis, ac Theſauro Eccleſiæ ex paſſionibus Chriſti & operibus ſuper erogationis Sanctorum diſtribuenda pro Papæ arbitrio, & precibus & officiis Eccleſiaſticis in ignota linguâ celebrandis, limbo infantum, miſſis privatis nemine communicante, arcendo populum à lectione Scripturæ, de exemptione Clericorum à poteſtate civili, & de libris Apocryphis additis Canoni, cui adhuc plures addi poſſe, quam ſtatuit Concilium Tridentinum contendit Stapletonus.

Cùm itaque dicant hæc & hujuſmodi nova dogmata ab Eccleſiâ ſtatuta eſſe, & adhuc Eccleſiam habere poteſtatem alia addendi, neceſſe eſt fateantur talia aut à Chriſto & Apoſtolis, non eſſe tradita,quod eſt contra Concilium Tridentinum & Bellarminum lib.4. de Verbo Dei cap. 9. in initio: aut poſtquam tradita ſunt à Chriſto & Apoſtolis, ea intercidiſſe & obſoleviſſe, ac demum renovata ac redintegrata eſſe: Atque ita Eccleſiam iſtius temporis ſupinæ negligentiæ & infidelitatis arguunt, quam ut columnam & fundamentum veritatis, oportuit fideliter & diligenter Traditiones Apoſtolicas conſervâſſe, cùm tamen hinc ſequatur eam in neceſſariis defeciſſe. Diſputamus enim de dogmatibus neceſſariis ad fidem & mores. Neque verò alia ejus generis ſunt nobis neceſſaria, quàm quæ fuerunt olim neceſſaria Apoſtolorum tempore. Quod ſi dicant poſt definitionem Eccleſiæ dogmata evadere neceſſaria, quæ olim non erant neceſſaria, id concedi non poteſt ab iis, qui fatentur omnia dogmata neceſſaria olim definita, & tradita eſſe à Chriſto & Apoſtolis, neque verò definitio ſubſequentis Eccleſiæ majorem vim habet, quàm definitio Chriſti & Apoſtolicæ Eccleſiæ.

Denique ſi inter Eccleſiam Apoſtolicam, & Eccleſiam longo tempore ſubſequentem defecerint talia dogmata, tum non poſſunt referri ad iſtas Traditiones, quas pro Verbo Dei agnoſcit Concilium Tridentinum: eas enim continuâ ſucceſſione per manus traditas, & in Eccleſiâ conſervatas eſſe prædicat. Quod ſi talis ſucceſſio longo tempore defeciſſe agnoſcatur, adeo ut nullis monumentis

conſtare

Digitized by Google

conſtare poſſit vel Apoſtolos iſta tradidiſſe, vel antiquitus agnita, credita aut obſervata fuiſſe, aut ex iis per neceſſariam conſequentiam deduci poſſe (talia ſunt exempla pleraque â nobis allata) certè non aliter quàm novâ revelatione inſtaurari poterant. At nunc Eccleſia novis revelationibus non regitur, ut docet Bellar. loco citato.

Quarta ratio. Quod à piis vitio vertitur impiis Judæis ac hæreticis ac errandi cauſam præbet, id fugiendum eſt: At Traditionibus non ſcriptis niti, &c. Ergo. Major manifeſta eſt. Minor probatur, quod ad prius membrum attinet: quia Chriſtus in Evangelio ſæpe hoc nomine reprehendit Phariſæos Mat. 5. 21. & 15. 5. Marc. 7. 1. &c. Paulus notans zelum ſuum perverſum ante converſionem, ait ſe ſummè effectâſſe Traditiones Gal. 1. 14. Hæc præcipa cauſa eſt omnium fere errorum qui Judaicam Synagogam infeſtabant, & nunc etiam infeſtant, quod Traditionibus non ſcriptis, quaſi acceptis à Moyſe & Prophetis adhæreret; & quod Talmud & Cabbalam Scripturæ æquiparet, aut etiam anteferat: ut oſtendit Hieronymus à Sanctâ Fide lib. 2. in principio. Sixtus Senenſis Biblioth. lib. 2. ad vocabulum *Traditiones*, Buxtorfius Synagogæ Judaicæ cap. 1. & multi alii.

Quarta ratio. Inaentio Traditionum vitium fuit Judæorum & hæreticorum Mat. 5. 21. & 15. 5. Marc. 7. 1. Gal. 1. 14.

Irenæus ſermonem faciens de hæreticis ſui temporis, lib. 1. cap. 1. „ Abundantiùs (inquit) gloriantur plus quàm cæteri cognoviſſe ſe de „ iis quæ non ſunt ſcripta legentes. Et cap. 24. Jeſum (inquit) di„ cunt in myſterio Diſcipulis & Apoſtolis ſeorſum loquutum, & ab „ illis expoſtulâſſe ut dignis & aſſentientibus ſeorſum hæc traderent. Item lib. 2. c. 46. ait hæreticos dum aſſerunt ea quæ nullâ Scripturæ parte continentur, dicere, in abſcondito hæc Salvatorem docuiſſe, non „ omnes ſed aliquos Diſcipulorum qui poſſent capere. Et lib. 3. „ cap. 2. Cùm ex Scripturis arguuntur in accuſationem convertun„ tur ipſarum Scripturarum quaſi non rectè habeant, neque ſint ex „ auctoritate, & quia variè ſunt dictæ, & quia non poſſit inveniri „ veritas ab his qui neſciant Traditionem: non enim per literas tra„ ditam illam, ſed per vivam vocem, ob quam cauſam & Paulum di„ xiſſe, Sapientiam loquimur inter perfectos. Hujuſmodi hæreticos „ refellens Irenæus lib. 3. cap. 14. citans verba illa Pauli Act. 20. 27. *Non ſubtraxit ut annunciarem vobis omnem ſententiam Dei, &c.* Apo„ ſtoli ſimpliciter & nemini invidentes, quæ didicerant ipſi à Do„ mino omnibus tradebant. Et cap. 15. Doctrina Apoſtolorum manifeſta

Irenæus.

„ manifeſta eſt firma & nihil ſubtrahens, neque alia quidem in abſ-
„ condito, alia verò in manifeſto docuerunt, hoc enim fictorum &
„ pravè ſeducentium, & hypocritarum eſt molimen.

Tertullianus. „ Tertullianus lib. de Præſcriptionibus. Solent (inquit) dicere
„ non omnia Apoſtolos ſciſſe; vel omnia quidem ſciſſe, ſed non
„ omnia omnibus tradidiſſe, ſed quædam palam & univerſis, quæ-
„ dam ſecretò & paucis demandâſſe. Hos multis refutat ibidem.

Auguſtinus. „ Auguſtinus in Joannem Tract. 97. Omnes inſipientiſſimi hæ-
„ retici, qui ſe Chriſtianos vocari volunt, audacias figmentorum
„ ſuorum, quas maximè exhorret ſenſus humanus, hac occaſione
„ Evangelicæ ſententiæ colorare conantur, ubi Dominus ait, *Adhuc*
„ *multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò.* Quaſi hæc ipſa
„ ſint quæ tunc Diſcipuli portare non poterant.

Altera pars Minoris, nempe quòd prætextus Traditionum non ſcriptarum errandi cauſam dedit, patet ex iiſdem teſtimoniis & exemplis modò citatis; & quod in primis etiam Eccleſiæ Chriſtianæ ſæculis, magnis & piis Viris Traditionum opinio impoſuerit, ut cap. 7. oſtendimus.

Refelluntur exceptiones Pontificiorum. Reſpondent Adverſarii hac ratione reprobari Traditiones falſas, non autem veras. At inquam, Chriſtus, Apoſtoli, & pii Patres quoties errores refellunt ex Traditione non ſcriptâ ortos, nuſquam ſubſtituunt alias Traditiones non ſcriptas quaſi veras & genuinas, ſed perpetuò Doctrinam ſcriptam inculcant & ad Scripturam provocant.

Reſp. Bellarminus ad nonnulla ex teſtimoniis ſuprà citatis, quibus oſtendebatur Pontificios ſimiles eſſe antiquis hæreticis, qui ſolebant abſcondere ſua dogmata, ac dicere Chriſtum & Apoſtolos quædam palàm omnibus prædicâſſe, quædam occultè quibuſdam tantum tradidiſſe. Reſpondet; inquam, hæreticos eſſe ſimias Catholicorum, & propterea velle ipſos etiam habere arcana myſteria, ſed in hoc differre à Pontificiis, quod illorum myſteria celentur ob tur-
„ pitudinem, at noſtra (inquit) myſteria traduntur ſolùm quibuſ-
„ dam, non quia timeant lucem, ſed vel quia non eſt opus ut illa
„ ſciantur ab omnibus, vel quia non ſunt omnes capaces. Et hoc
„ puto voluiſſe Dominum cum ait, Mat. 10. *Quod in aure audiſtis, prædicate ſuper tecta*, nimirum ſi opus fuerit & Joan. 18. *Ego palam*
„ *loquutus ſum mundo, & in occulto loquutus ſum nihil*, id eſt, nihil dixi,
„ quod non poſſit ubique dici quod attinet ad veritatem, & puritatem

dictorum,

„ dictorum, cum quo tamen non pugnat, ut aliqua ſeorſum diſcipu-
„ lis expoſuerit.

Sed contrà: Pontificii ſunt potius ſimiæ ſuperſtitioſorum Judæorum & hæreticorum, à quibus rationem illam occultandi iſta ſua dogmata quaſi myſtica acceperunt, non autem à Chriſto & Apoſtolis: ut patet ex verbis illis citatis Mat. 10. & Joan. 18. item ex variis admonitionibus, votis, & praxi Apoſtolorum Act. 20. 27. & 26. 22. Rom. 15. 19. Eph. 1. 17. Col. 1. 9, 10. & 3. 16. 2 Pet. 3. 18. Queruntur quidem ſæpe de imperfectione & ruditate eorum ad quos ſcribunt, ita ut neceſſe habuerint identidem ſe ad eorum captum demittere, ſed omnes volunt ad perfectionem aſpirare 1 Cor. 3. 1, 2. Heb. 5. 12. Phil. 3. 15. Col. 1. 28. *Act. 20. 27 & 26. 22. Rom. 15. 19. Eph. 1. 17. Col. 1. 9. 10. & 3. 16. 2 Pet. 3. 18. 1 Cor. 3. 1, 2 Heb. 5. 12. Phil. 3. 15. Col. 1. 28.*

Reſtrictiones autem & exceptiones illæ, quas auſus eſt Bellarm. ex ſuo cerebro addere verbis illis Chriſti quæ citavit ex Matt. 10. & Joan. 18. enervant ac evertunt genuinam verborum ſententiam & ſcopum Chriſti: nam quod ad priorem locum attinet, opus eſt ut Chriſti mandato obtemperetur, neque ullus Princeps aut Dominus æquo animo ferret, ſi nullam ipſe cautionem adhibuit, ut miniſtri ſtatuerent exequendum ejus mandatum ſi opus ſit. Tertull. de Præ- *Tertullianus.*
„ ſcript. cap. 26. ſic locum hunc explicat: Dominus palam dixit ſi-
„ ne ullâ ſignificatione alicujus taciti Sacramenti, ipſe præceperat
„ ſiquid in tenebris & in abſcondito audîſſent, in luce & in tecto
„ prædicarent. Ipſe per ſimilitudinem præfiguraverat, ne unam jo-
„ tam, id eſt, unum verbum ſine fructu in abdito reſervarent, &c.
„ Sic Theophilactus ad dictum locum: Quæ ex me audiviſtis ea
„ dicite cum ſummâ libertate & ſummâ vocis claritate ut omnes
„ audiant.

Quod ad poſteriorem locum attinet, cùm Pontifex examinaret Chriſtum de Doctrinâ & Diſcipulis, quis credat Chriſtum Jeſuiticâ uſum eſſe reſervatione, cùm reſpondit ſe nihil in occulto loquutum eſſe, & aut eos qui ipſum publicè audiverunt, ſcire quæ dixerat? Imo verò (regerere potuit Pontifex, ſi hanc reſervationem ſubolfeciſſet) tu in occulto alia docuiſti, quorum oportet te rationem reddere. At Chriſtus oſtendit ſe contrariam iniiſſe rationem quàm impoſtores, qui zizania ſua clam ſerere, & in occulto Doctrinam ſuam ſpargere ſolent: *Nam qui mala agit odit lucem, nec venit ad lucem ne arguantur opera ipſius: qui verò dat operam veritati, venit ad lucem, ut manifeſta ſiant opera ipſius, quòd ſecundum Deum facta fuerint* Joan. 3. 20, 21. *Theophilactus.*

Quod autem ait Bellarminus veteres hæreticos occultâſſe myſteria ſua ob turpitudinem, hæc non eſt generalis ratio, neque enim omnia erant talia, ſed quia ob vanitatem & falſitatem refugiebant lucem: & hæc ratio non minùs convenit myſteriis Pontificiorum. Illa verò ratio quam aſſignat Bellarminus occultandi myſteria, quia non opus eſt ut ſciantur ab omnibus, non eſt idonea: neque enim protinus occultandum eſt quod non opus eſt ſciri ab omnibus, niſi etiam expediat id neſcire à multis. Talia autem non ſunt dogmata fidei & morum, de quibus contendimus. Neque illa eſt idonea ratio, quia omnes non ſunt capaces. An enim ulla proferri poſſunt myſteria in Traditione occultata ſubliniora, captumque noſtrum magis ſuperantia, quam quæ extant revelata in Scripturis, ut myſterium Trinitatis, Incarnationis Verbi, &c. His adde, quòd multò magis arceant populum à Scripturâ, cujus promiſcuam lectionem prohibent quàm à Traditionibus, quorum uſus magnâ ex parte eſt communis, ut Invocationis Sanctorum, Adorationis imaginum, &c.

CAP. X.

Teſtimonia Patrum & aliorum contra Traditiones.

PRÆTER teſtimonia Patrum & aliorum quæ ad ſufficientiam & perfectionem Scripturæ elucidandam ſuprà citavimus, pauca alia hic ſubjiciemus quæ Traditiones directè attingunt.

Cyprianus. Cyprianus in epiſt. ad Pompejanum contra epiſtolam Stephani „ Epiſcopi Romani: Unde (inquit) eſt iſta Traditio, utrumne de Do„ minicâ & Evangelicâ auctoritate deſcendens, an de Apoſtolorum „ mandatis, atque epiſtolis veniens? ea enim facienda eſſe quæ ſcri„ pta ſunt Deus teſtatur, & proponit ad Jeſum Navæ dicens, *Non* „ *recedet liber Legis hujus ex ore tuo, ſed meditaberis in eo die ac nocte, ut* „ *obſerves facere omnia quæ ſcripta ſunt.* Si ergo in Evangelio præci„ pitur aut Apoſtolorum epiſtolis, aut actibus continetur, obſervetur „ hæc Sancta Traditio, &c. *Joſ. 1. 8.*

Reſponſio Bellarmini refutatur. „ Reſpondet Bellarminus Cyprianum hæc ſcripſiſſe cum errorem „ ſuum tueri vellet de rebaptizando, & ideo non mirum, ſi more „ errantium tunc ratiocinaretur, ideoque Auguſtinum lib. 5. contra „ Donat. cap. 23. & ſequentibus hanc epiſtolam refelliſſe. Præterea

(in-

Digitized by Google

,, (inquit) etſi Cyprianus, illam unam Traditionem de Baptiſmo re-
,, jiciebat, quia contra Scripturas eſſe putabat: tamen non propterea
,, rejici volebat alias, quæ etſi in Scripturis non ſint, tamen cum Scri-
,, pturis non pugnant.

Sed poſterior pars hujus reſponſionis apertè falſa eſt: nam ex verbis Cypriani citatis, clariſſimum eſt eum rejicere Traditionem iſtam, non quia adverſatur Scripturæ, ſed quia non continetur in Scripturâ. Prior autem pars reſponſionis inepta eſt: nam licet Cyprianus erraverit in concluſione de rebaptizando, non tamen ſequitur ſingulas argumentorum ejus partes eſſe falſas. Ille quidem ſic arguit: Nullum dogma non ſcriptum admittendum eſt: At ratum eſſe baptiſmum hæreticorum eſt dogma non ſcriptum: Ergo. Concluſio hìc falſa eſt, & minor propoſitio, non autem major: neque enim Orthodoxi Patres errorem ullum objecerunt Cypriano circa Scripturas aut Traditiones. Imo Auguſtinus qui ex inſtituto refellit opinionem Cypriani de rebaptizando, laudat iſtam ſententiam *Auguſtinus.*
,, ejus in lib. 5. de Baptiſmo contra Donat. cap. 26. Quod (inquit)
,, nos admonet Cyprianus ut ad fontem recurramus, id eſt, ad Apo-
,, ſtolicam Traditionem, optimum eſt & ſine dubitatione facien-
,, dum: Deinde docet hoc traditum eſſe ab Apoſtolis, & Traditio-
,, nem ſcriptam profert ex epiſt. ad Eph. 4. *Quod ſit unus Deus & unus*
,, *Chriſtus, & una ſpes, & una Fides, & una Eccleſia & Baptiſma unum.*
Ex quo loco cum pluribus aliis Scripturæ locis collato probat unum Baptiſma manere etiam in iis qui non habent unam Eccleſiam. Dixit quidem Auguſt. in eodem lib. cap. 23. multa eſſe quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta benè creduntur, quanquam ſcripta non reperiantur. Sed ſi hæc ad dogmata referantur, intelligendum eſt ea non eſſe expreſsè ſcripta, non quod ex Scripturis non poſſint deduci. Nam Auguſtinus illud ipſum quod erat in quæſtione ex Scripturis paſſim confirmat, & fidem noſtram omnem ex Scripturis pendere paſſim docet, ut ex variis teſtimoniis ejus ſuprà citatis patet.

,, Tertullianus in lib. de oratione cap. 12. Sed quoniam unum *Tertullianus.*
,, aliquod attigimus varia obſervationis, non pigebit cætera quo-
,, que denotare, quibus vanitas exprobranda eſt, ſiquidem ſine
,, ullius aut Dominici aut Apoſtolici præcepti auctoritate fiunt:
,, hujuſmodi enim non Religioni ſed ſuperſtitioni deputantur. Hîc Tertullianus vanitatis ac ſuperſtitionis arguit, quæ in Religione

Digitized by Google

Dominico aut Apoſtolico præcepto non nituntur, præceptum autem ſcriptum intelligi ex verborum ſerie patet.

Hilarius. Hilarius in Pſal. 132. rejiciens eorum ſententiam, qui dixerunt Angelos concupiſcentes filias hominum deſcendiſſe in montem Her-„ monem. Hæc (inquit) prætermittamus, quæ enim in libro Legis „ non continentur, ea nec nôſſe debemus. Significat ea quæ fide cognoſcenda ſunt ex Scripturis eſſe petenda: & hîc meminit Legis, id eſt, librorum Moſis, quia loquitur de amore Angelorum, quem nonnulli colligunt ex Gen. 6. 2. *Gen. 6. 2.*

Baſilius. Baſilius Magnus in tract. de regulis brevioribus initio hanc pro-„ ponit interrogationem. An liceat aut conducat alicui ut ſibi ipſi „ permittat facere aut dicere, quæ recta exiſtimat, ſine teſtimonio „ Divinarum Scripturarum. Reſpondet diſtinguendo: Quoniam „ eorum quæ apud nos in uſu ſunt, vel rerum vel verborum, alia di-„ ſtinctè tradita ſunt in Scripturâ, alia ſunt prætermiſſa, de iis qui-„ dem quæ ſcripta ſunt, in univerſum nulli poteſtas permiſſa eſt, eo-„ rum aliquid, vel quæ vetita ſunt facere, vel quæ juſſa prætermit-„ tere. De iis verò quæ ſilentio involuta ſunt, habemus regulam „ nobis traditam ab Apoſtolo Paulo, cùm dicit, *Omnia mihi licent,* „ *ſed non omnia ædificant, &c.* Unde patet ex ſententiâ Baſilii nihil ut ſuâ naturâ neceſſarium à nobis requiri quod non continetur in Sacrâ Scripturâ.

Cyrillus Alexandrinus. Cyrillus Alexandrinus Glaphyrorum in Geneſin lib. 2. Quod „ Sacra Scriptura non dixit quanam ratione admittemus, atque pro „ veris habebimus?

Hieronymus. Hieronymus adverſus Helvidium: Sed ut hæc quæ ſcripta ſunt non negamus, ita ea quæ non ſunt ſcripta renuimus. Natum Deum eſſe ex Virgine credimus; quia legimus; Mariam nupſiſſe poſt partum non credemus, quia non legimus. Item in Haggæi cap. 1. Quæ „ abſque auctoritate & teſtimonio Scripturarum quaſi Traditio-„ ne Apoſtolicâ ſponte reperiunt atque confingunt percutit gla-„ dius Dei.

Damaſcenus. Joannes Damaſcenus de Orthodoxâ fide lib. 1. cap. 1. Deus ipſe „ primitus per Legem & Prophetas deinde per unigenitum filium „ ſuum nobis ſui ipſius cognitionis indulſit conſortium, cuncta igi-„ tur quæ tradita ſunt & per Legem & per Prophetas, & Apoſtolos „ & Evangeliſtas ſuſcipimus, agnoſcimus, veneramur, & approba-„ mus, nihil ultra perquirentes.

Huc

Digitized by Google

Marſilius Patavinus.

Huc accedunt ex Pontificiis Marſilius Patavinus in libro qui in- „ ſcribitur defenſor pacis. Ante tamen benè ſe habet reminiſci quod „ diximus juxta ſententiam beati Auguſtini, & infallibilem ratio- „ nem in Scripturâ firmatam, videlicet, quod nulli ſermoni vel Scri- „ pturæ certam fidem ſeu credulitatem aut confeſſionem veritatis „ præſtare tenemur de neceſſitate ſalutis, niſi eis quæ Canonicæ ap- „ pellantur, id eſt, quæ in volumine Bibliæ continentur,& ex iis quæ „ ad has neceſſariò ſequuntur.

Georgorius Ederus.

Georgorius Ederus in œconomia Bibliorum lib. 1. Quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, ea procul dubio præſcripta ſunt omnia.

CAP. XI.

Præmunitiones de uſu vocabuli Traditionis ad ſolvendum argumenta adverſariorum.

Superest ut ad argumenta Adverſariorum reſpondeamus, quibus vel ſufficientiam & perfectionem Scripturæ impugnant; vel Traditionum additionem confirmant. Sed præter ea quæ cap. 1. ad ſtatum controverſiæ elucidandum propoſuimus, nonnullæ aliæ hypotheſes, quibus declaratur uſus vocabuli *Traditionis* apud Eccleſiaſticos ſcriptores præmittendæ ſunt: quandoquidem Pontificii ubicunque fere legunt vocabulum *Traditionis* in Scripturâ aut Patribus, inde cauſæ ſuæ patrocinium arripiunt, etſi nihil inde deduci poſſit firmiter contra nos, qui non in quocunque ſenſu aut genere Traditiones rejicimus.

Prima hypotheſis. Traditio aliquando ſumitur pro actu tradendi, aliquando pro re tradita.

Prima hypotheſis. Traditio Græcè παράδοσις (ut alias ſignificationes ab inſtituto noſtro alienas prætermittamus) accipitur pro inſtructione aut inſtitutione ab uno communicatâ alii. In hoc ſenſu uſurpatur vel pro actu ſeu ratione tradendi, vel pro objecto ſeu re traditâ. Ita diſtinguuntur & illæ voces inſtructio, inſtitutio, ſectio, propoſitio, concluſio & ſimiles. Sed in hac diſputatione frequentiſſimè accipitur pro re traditâ.

Secunda. Traditio ſeu res tradita tam ſit per Scri-

II. hypotheſis. Nomen *Traditionis* (loquimur autem de Traditione Divinâ & Apoſtolicâ) cùm intelligitur de re traditâ ſæpiſſimè latè ſumitur pro qualibet doctrinâ, hiſtoriâ, aut obſervatione, quæ ab uno quovis modo communicatur alteri ſive ſcripto, ſive voce,

pturam quàm ſine Scripturâ. 2. Theſſ. 2. 15. 1 Cor. 15. 3.

ſive in Sacris Scripturis, ſive extra eas: nam de doctrinâ ſcriptâ in ſacris Literis uſurpari conſtat, 2. Theſſ. 2. 15. 1. Cor. 15. 3. & ex verbis Cypriani in præcedente cap. citatis. Item ex verbis illis Ba- „ ſilii lib. 3. contra Funomium. Id (inquit) palam adverſatur Traditioni ſacri Baptiſinatis, *Ite & Baptizate in nomine Patris, Filii, & Sp. Sancti.* Aliquando nomen *Traditionis* à Theologis accommodatur ad ſignificandum id quod in ſacris Literis non eſt ſcriptum, nempe cum Traditio Scripturæ opponitur. Tertullianus lib. de Coronâ „ militis. Si legem (inquit) poſtules, Scripturam nullam invenies, Traditio tibi prætenditur auctrix.

Tertullianus.

Tertia. Traditio aliquando includit Scripturâ aliquando contra diſtinguntur Scriptura.

III. Hyp. Sic etiam Traditio cùm ſumitur pro actu vel modo tradendi, aliquando ſumitur latè, ut complectatur totam Scripturam. Sic Act. 6. 14. *Audivimus eum cum diceret Jeſum iſtum Nazarenum deſtructurum hunc locum*, & mutaturum τὰ ἔθη ἃ παρέδωκεν ἡμῖν Μωϋσῆς ritus quos tradidit nobis Moſes. Vulgatus Interpres reddit Traditiones quas tradidit nobis Moſes. Intelligitur autem hîc lex Moſis ſcripta, ut & notat Bellarm. lib. 4. de Verb. Dei cap. 2. aliquando verò contradiſtinguitur à Scripturâ ut ſignificet communicationem rei per vivam vocem. Sic non ex Scripturâ, ſed ex ſolâ Traditione, & ante & poſt editam Scripturam Novi Teſtamenti multi homines & populi fidem ſuam hauſerunt. Huc ſpectat quod ſcribit Irenæus lib. „ 3. cap. 4. Quid autem, ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas reli- „ quiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi Traditionis, quam „ tradiderunt ii quibus committebant Eccleſias, cui ordinationi aſ- „ ſentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum qui in Chriſtum cre- „ dunt, ſine charactere, vel atramento; ſcriptam habentes per Spi- „ ritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterem Traditionem diligenter „ cuſtodientes, in unum credentes Deum fabricatorem Cœli & „ Terræ per Chriſtum Jeſum Dei Filium, &c. Hîc non diverſæ res traditæ, ſed diverſus tradendi modus denotatur, nempe vel per Scripturam vel citra Scripturam.

Irenæus.

Quarta. Traditio extra-ſcripturalis κατά τι, primò eſt quæ initio non ſcribebatur, ſed poſtea ſcripta eſt.

IV. Cum Traditio reſtringitur ad ea quæ in Sacris Scripturis non extant, & traditio non ſcripta dicitur, id vel intelligitur abſolutè, ut talis traditio nullo modo in ſacris Literis contineatur, vel κατά τι ſeu quodammodo, ut ratione quarundam circumſtantiarum dici poſſit non ſcripta in ſacris Literis, licet quod ad rem ipſam attinet, ſit ſcripta. Atqui hoc poſteriori ſenſu variis modis nomen *Traditionis* uſurpatur. 1. Traditio dicitur quæ primitùs non fuit ſcripta in ſacris Literis,

teris, licet poſteà fuerit ſcripta, ita Pereſius in primâ parte, ſecundo *Pereſius.*
„ poſtulato. Traditio (inquit) contractiùs ſumi ſolet pro doctrinâ
„ ore tenus primitùs acceptâ; ſive poſteà Scripturis authenticis fue-
„ rit demandata ſive non. Apoſtolus enim ait 1. Cor. 11. *Ego accepi*
„ *à Domino quod & tradidi vobis, quod Dominus Jeſus eâ nocte quâ trade-*
„ *batur, &c.* Et Chriſtus Mat. ult. Apoſtolis præcipit ut doceant
„ gentes ad quas mittebantur, obſervare, quæcunque ipſe mandavit
„ & tradidit illis, quorum multa poſteà Scripturis Canonicis com-
„ mendârunt nonnulli ex Apoſtolis & Diſcipulis Domini. Denique
„ totum Evangelium dici poteſt hoc modo traditio, eò quod per vi-
„ vam Chriſti & Apoſtolorum vocem primitùs in cordibus homi-
„ num diſſeminatum eſt, licet poſteà per ſacros Evangeliſtas in
„ Scripturis fuerit digeſtum.

2. Traditio contra diſtinguitur à Scripturâ, quæ ſcilicet non ex- *Secundò,*
tat in Scripturâ eodem ordine, aut in uno & eodem loco, licet res *qua non eſt*
ipſa iiſdem propè verbis in Scripturâ reperiatur ſparſim in diverſis *in Scriptu-*
locis: quâ ratione Symbolum Apoſtolicum à nonnullis Patribus *râ ſimul*
Traditionibus accenſetur. Sic inter opera Baſilii in lib. de Sp. San- *ſed ſpar-*
„ cto cap. 27. legitur: Omitto cætera: ipſam fidei profeſſionem, *ſim.* *Baſilius.*
„ quâ credimus in Patrem, Filium, & Sp. Sanctum, è quibus ha-
bemus ſcriptis? Notanda ſunt verba Thomæ in ſecunda ſecundæ
quæſt. 1. art. 9. ubi proponit hanc objectionem. Videtur (inquit) *Aquinas.*
„ quòd inconvenienter articuli fidei in Symbolo proponuntur, quia
„ Sacra Scriptura eſt regula fidei cui nec addere nec ſubtrahere li-
„ cet: ergo illicitum fuit aliud Symbolum inſtituere quaſi regulam
„ fidei poſt Sacram Scripturam editam. Deinde reſpondet: Quia
„ plerique aliis negotiis occupati ſtudio ſacrarum Literarum vacare
„ non poſſunt, neceſſarium fuit, ut ex ſententiis Sacræ Scripturæ
„ aliquid manifeſtum ſummariè colligeretur, quod proponeretur
„ omnibus ad credendum, quod quidem non eſt additum Scripturæ
„ Sacræ, ſed potiùs ex Sacra Scripturâ ſumptum. Sic ante eum Au- *Auguſti-*
guſtinus de Symbolo ad Catechumenos lib. 1. cap. 1. Illa verba quæ *nus.*
„ audîſtis, per divinas Scripturas ſparſa ſunt, ſed inde collecta & ad
„ unum redacta.

3 Traditio κατά τι non ſcripta dicitur, quæ non continetur in Scrip- *Tertiò qua*
turis expreſsè, aut diſertè, ſed per æquivalentiam aut conſequentiam *non habe-*
ex Scripturis deducitur, aut approbata oſtenditur; ut Pædobaptiſ- *tur in Scri-*
mus, & quod baptiſmus hæreticorũ ſit ratus nec iterandus, qui ſcilicet *ptura ex-* *preſsè ſed* *per conſe-* *quentiam.*
in

Digitized by Google

in debitâ formâ eſt adminiſtratus, & ſimilia, quæ Stapletonus dicit eſſe Traditiones non ſcriptas, licet fateatur ex Scripturis per neceſſariam collectionem inferri, & partim ex Scripturis, partim ex conſuetudine Eccleſiaſticâ à Patribus defendi, in relectione Scholaſticâ controverſ. 5. art. 2. ibidem ad Traditionem non ſcriptam refert omnem ſcripti verbi interpretationem certam & authenticam maximè contra hæreticos, vel propter hæreſes definitam.

Concilium Epheſinũ. Huc ſpectant vocabula quædam quæ pii Patres & Concilia uſurpârunt, ut doctrinam ſcriptam explicarent contra hæreticos: ut in Concilio Epheſino primo contra Neſtorianos determinatum eſt beatam Virginem rectè appellari poſſe, & appellandam eſſe θεοτόκον Deiparam. *Nicænum.* Sic contra Arianos in Concilio Nicæno primo decretum eſt filium eſſe ὁμοούσιον, id eſt, conſubſtantialem Patri. Idem cenſendum eſt de vocabulis *Trinitatis*, trium Hypoſtaſium ſeu perſonarũ ac proceſſionis Sp. Sancti, quæ hoc prætextu rejecerunt veteres hæretici, quod in Scripturis non reperirentur, ſed Orthodoxi oſtenderunt rem ipſam in Scripturis contineri, & perinde eſſe ea quæ ex Scripturis rectè colliguntur, atque ea quæ ſcribuntur. *Et multi Patres.* Baſilius de fide, Hilarius lib. contra Conſtantium Auguſtinum, & lib. de Synodis contra Arianos ſub finem, Athanaſius in Epiſtolâ. Quod Synodus Nicæna congruis & piis verbis decreta ſua expoſuerit, & in Epiſtola de ſententiâ Dionyſii, Cyrillus lib. 1. Dialog. de Trinitate, Gregorius Nazianzenus Oratione 37. quæ eſt 5. de Theologia & agit de Sp. Sancto, Ambroſius de fide contra Arianos, cap. 4. & 5. Auguſt. lib. 2. contra Maximinum & Epiſtola 174. & Epiſt. 178. & in Joan. tract. 97. & Anſelmus de proceſſione Sp. Sancti contra Græcos. Imo ipſe Bellarm. lib. 2. de Chriſto cap. 2. dicit retineri ab Eccleſiâ nomine illa *Eſſentiam*, ὁμοούσιον, *Hypoſtaſin*, *Subſtantiam*, *Perſonam*, *Proprietatem*, *Relationem*, *Circum-inceſſionem*, *Trinitatem*, quia utilia ſunt ad explicanda myſteria Scripturæ, & licet ea ex Scripturis non habeantur, tamen habentur eorum ſemina & æquivalentia, idque ſeqq. cap. probat, unde patet malâ fide à Pontificiis ex his vocabulis argumenta contra nos adduci ad probandas Traditiones non ſcriptas in dogmatibus fidei.

Sed ſimpliciter hæc & talia, non dicenda ſunt non ſcripta ſed ſcripta: ſiquidem pariter continetur in Scripturâ quod ex Scripturæ ſenſu elicitur, ac id quod verbatim exprimitur: *Hilarius.* ut Hilarius monet in „ epiſt. ad Conſtantium: Scripturæ non in Legendo ſunt ſed in intelligendo:

„ telligendo: & Hieronymus in 1.cap.epiſt. ad Gal. Ne putemus in verbis Scripturarum eſſe Evangelium ſed in ſenſu. Similiter etiam inter Pontificios Joannes de Turre crematâ Cardinalis ſummæ de Eccleſia lib. 1. parte 2. cap. 8. Petrus de Aliaco Cardinalis Cameracenſis in primum ſententiarum quæſt. 1. art. 3. Melchior Canus Epiſcopus Canarienſis locorum Theologicorum lib. 12. cap. 16. Janſenius Epiſcopus Gandavenſis Harmoniæ cap. 17. Salmeron Jeſuita nono Prolegomenon prima quinquagena Canon. 7. & Gabriel Vaſques Jeſuita in primam partem Thomæ, tom. 2. diſput. 110. cap. 1. docent duobus modis aliquid in Scripturâ contineri, aut quod expreſsè in eâ ponitur, aut quod neceſſariâ conſequentiâ inde deducitur. *Multiqus Pontificii.*

Quis neget in lib. Moſis doceri reſurrectionem mortuorum, etſi doctrina hæc totidem verbis in eis non reperiatur? Cum Chriſtus ipſe Mat. 22. contra Sadducæos (qui libros Moſis duntaxat recipiebant) eam probet ex Exodi 3. 6. Sic Act. 10. 43. Petrus ait *Huic*, id eſt, *Jeſu Chriſto omnes Prophetæ teſtimonium dant, remiſſionem peccatorum accepturum per nomen ejus quemvis qui credit in eum.* Item. Act. 18. 28. Apollos dicitur, *Redarguiſſe Judæos vehementer oſtendens per Scripturas*, ſcilicet Veteris Teſtamenti *Jeſum eſſe Chriſtum illum.* Cum tamen in Veteri Teſtamento hoc ipſum non legatur ſed per neceſſariam conſequentiam inde deducatur. Et niſi hoc agnoſceretur, fruſtra Chriſtus Judæos remiſiſſet ad Scripturas, Joan. 5. 39. *Scrutamini Scripturas, illæ teſtificantur de me.* Neque adhuc convinci poſſent Judæi ex Scripturis de adventu Meſſiæ. *Act. 10. 43.* *Act. 18. 28.* *Jo. 5. 39.*

Sciendum eſt autem duobus modis aliquid dici poſſe contineri in Scripturis implicitè, quod non explicitè ſeu totidem verbis in eâ exprimitur. 1. Si verba æquivalentia reperiantur in Scripturâ, ut Bellarminus dixit de verbis *Trinitate*, ὁμοούσιος, &c. in loco ſuprà citato: nam quid aliud eſt ὁμοούσιος quàm quod dicit Chriſtus, *Ego de Deo Patre exivi, & ego & Pater unum ſumus*, ut ait Ambroſius lib. de fide cap. 5. 2. Si deducatur ex Scripturâ per neceſſariam conſequentiam (quæ naturali etiam Logicâ perſpici poteſt) idque non tantum cum utraq; propoſitio ex quâ concluſio ſyllogiſticè infertur eſt in Scripturâ: ſed etiam cùm altera præmiſſarum ſumitur ex Scripturâ, altera verò certa eſt lumine naturali, nempe vel ſenſuum judicio vel inrefragabili ratione. Id quod Melchior Canus lib. 6. cap. ult. ſatis aptè „ explicat: ubi docet non illud modo ad doctrinam Catholicam *Quæ ſint in Scripturâ implicitè.* *Bellarminus.* *Canus.*

„ pertinere, quod Apoſtolis expreſsè revelatum eſt, verum etiam „ quod ex alterâ propoſitione revelatâ, & alterâ certâ in lumine na- „ turali Syllogiſmo collectioneque evidenti conficitur: ut Chriſtum „ Dominum habere voluntates duas, duos intellectus, utriuſque „ item actiones & creatam & increatam, aut Chriſtum etiam ridere „ ſuapte naturâ, ut homines cæteros poſſe, in ſacris Literis non ha- „ betur expreſſum: ſed quoniam traditum in illis eſt Filium Dei eſſe „ hominem, & naturali ratione conſtat omnem hominem habere „ voluntatem, intellectumque creatum, operationeſque utriuſque „ potentiæ etiam creatas, omnem item hominem ut flere, ita etiam „ ridere poſſe; qui unumquodque eorum negaverit hæreticus judi- „ cabitur, quia negando conſequens, negat proinde antecedens ex „ quo illud colligebatur, hoc eſt, Filium Dei eſſe hominem.

Qinta hypotheſis. Quædam ſunt in Scripturâ actu quædam virtute.

V. hyp. Aliquid in Scripturâ contineri dicitur, vel actu vel virtute. Actu dicimus contineri, quod eſt in Scripturâ vel expreſsè & ſecundum ſenſum & verba, vel ſecundum ſenſum ſolum aut neceſſariam conſequentiam, ut explicatum eſt. Virtute autem dicimus contineri in Scripturâ, quod nihil addit Scripturæ, ſed teſtimonium verum perhibet de Scripturâ, aut de rebus in Scriptura contentis: cujuſmodi eſt teſtimonium Eccleſiæ, quòd hic aut ille liber ſit Canonicus, & de numero librorum Canonicorum, & de numero Sacramentorum: quippe teſtimonium virtute eſt in re teſtificatâ, & numerus numerans in re numeratâ. Neque enim teſtimonium aut traditio Eccleſiæ efficit ut liber ſit Canonicus, ſed quia liber eſt revera divinus ſeu Canonicus, ideo traditio quæ dicit librum eſſe talem, vera eſt: & quia hic & ille & iſte liber & cæteri ſunt Canonici, ideo verum eſſe tot eſſe libros Canonicos. Et quia habemus in Novo Teſtamento inſtitutionem Baptiſmi & Cœnæ Dominicæ, ideo rectè concludimus duo eſſe Sacramenta Novi Teſtamenti: & ſi quis ibi poſſet alia Sacramenta reperire, tum majorem numerum Sacramentorum colligeret: neq; verum numerum indicando aliquid Scripturæ adderet. Sic ſi Logica aliqua perfecta ederetur, neceſſe eſſet ut complecteretur omnia præcepta Logica, & ut illa omnia eſſent vera & homogenea. Atque id ſufficeret, licet ipſa Logica nihil apertè diceret aut de auctore, aut de perfectione ſuâ, aut de numero & veritate præceptorum. Neque ſi quis teſtimonium perhiberet iis de rebus, aliquid quod deeſſet Logicæ adderet aut ſuppleret. Idem dicendum eſt de Theologiâ perfectâ quicunque eam ſcriberet, multò magis.

Digitized by Google

gis de ſacrâ Scripturâ, cujus divina auctoritas ex inſitâ luce patet, ut oſtendimus lib. præcedenti, cap. 17.

Traditiones non ſcriptæ vocantur opera ſecundùm Scripturâ.

VI. hyp. Traditionum non ſcriptarum nomine intelliguntur, 1. Vita exemplaris Apoſtolorum, ſeu bona opera Chriſtianis ad imitationem propoſita. 2. Narrationes quædam hiſtoricæ extra ſacram Scripturam. 3. Nonnulli ritus Eccleſiaſtici qui ad externum ordinem cultûs Dei, aut politias Eccleſiaſticas pertinent.

Chryſoſtomus.

De primo genere Chryſoſtomus interpretans verba illa Apoſtoli, 2. Theſſ. 3. 6. *Denunciamus vobis fratres in nomine Domini noſtri Jeſu, ut ſubducatis vos ab omni fratre qui inordinatè ambulat*, καὶ μὴ κατὰ τὴν παράδοσιν, *& non ſecundum Traditionem quam accepit à nobis.* Chryſoſtomus „ inquam ſcribens in illa verba ait Apoſtolum intelligere Traditio„ nem quæ fit per opera, & Dominum hanc ſemper dicere Traditionem. Eodem modo interpretantur Scholia Græca apud Oecumenum. Παράδοσιν ἣν διὰ τῶν ἔργων ὑμῖν παρέδωκα τύπος γενόμενος ὑμῖν, Tradi„ tionem quam operibus vobis tradidi factus vobis typus. Et certè in verbis proximè ſequentibus Apoſtolus ſui imitationem proponit.

Oecumenius.

Quædam etiam hiſtoricæ.

Secundi generis exemplum eſt perpetua virginitas beatæ Mariæ. De neceſſitate fidei ſecundum Scripturas credendum eſt Mariam Virginem fuiſſe uſque ad partum: ſed quod totâ deinceps vitâ virgo manſerit, etſi piè credi poteſt, nec contradicendum videtur, non eſt tamen habendum pro neceſſario articulo fidei Chriſtianæ.

Et ritus Eccleſiaſtici ſecundùm regulas Apoſtolicas.

De tertio genere, id eſt, ritibus Eccleſiaſticis ad externum ordinem ſpectantibus, cùm nullus poſſit eſſe ordo aut politia ſine ritibus, conſtitutionibus, aut obſervationibus hujus generis, facilè concedimus ejuſmodi nonnulla ab Apoſtolis eſſe inſtituta aut approbata, nec omnia particularia in hoc genere eſſe ſcripta; quanquam quot & quæ talia fuerint, præter ea quæ ſunt ſcripta nemo certò definire poteſt: nunc enim confunduntur cum antiquis conſtitutionibus, aut conſuetudinibus Eccleſiaſticis, quarum pleriſque ut majorem auctoritatem conciliarent, nonnulli olim ad Apoſtolos retulerunt.

Auguſtinus.

Auguſtinus in epiſt. 118. hujuſmodi ritus non ſcriptos diſtinguit in duo genera: alii enim ſunt particulares, qui per loca terrarum Re„ gioneſque variantur: ſicuti eſt, quod alii jejunant Sabbato, alii ve„ rò non: alii quotidie communicant Corpore & Sanguine Domi„ nico, alii certis diebus accipiunt. Totum (inquit) hoc genus li„ beras habet obſervationes. Nec diſciplina ulla eſt in his melior

„ gravi prudentique Chriſtiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quamcunque forte devenerit. Alii verò ritus ſunt univerſales de quibus ſic ſtatuit: Illa quæ non ſcripta ſed tradita „ cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum Orbe obſervantur, dantur „ intelligi vel ab ipſis Apoſtolis vel plenariis Conciliis, quorum eſt „ in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendari, atq; ſtatuta reti- „ neri: ſicuti quod Dominica Paſſio & Reſurrectio & Aſcenſcioni „ Cœlum & Adventus de Cœlo S. Sancti anniverſariâ ſolennitate celebrantur. Et quæ ſunt hujus generis docet eſſe ab omnibus obſervanda. Sed neque hæc neque illa eandem habent cùm divinis præceptis auctoritatem: neque ſuâ naturâ obligant conſcientiam extra caſum ſcandali, ſed quatenus præſcribuntur ab Eccleſiâ. Nec naturâ ſuâ ſunt immutabilia, licet mutari non debeant, niſi eâdem auctoritate, quâ conſtituta ſunt. Nititur autem eorum æquitas regulis generalibus in Scripturâ traditis, ut omnia fiaat ad ædificationem & ordine, ac decenter in Eccleſiâ: quas generales regulas particularibus circumſtantiis accommodare, munus eſt Eccleſiæ, & de ejuſmodi rebus Canones conſtituere quibus filios Eccleſiæ parere oportet.

Apoſtolici quidam ritus ſunt mutabiles.

Quod autem Apoſtolica inſtituta hujus generis mutari poſſint, patet in iis etiam exemplis quæ in Scripturâ extant. Nam jampridem abolita eſt illa conſtitutio Apoſtolica Act. 15. de ſanguine & ſuffocato non comedendo, ut docet Auguſt. contra Fauſtum, l. 32. c. 13.

Lorinus.

„ Et Lorinus Jeſuita in Actor. 15. ait legem merè poſitivam remo- „ to ſcandalo, contemptu, & periculo alio, non adeo arctè videri obligare. Sic Agaparum uſus Apoſtolorum tempore & aliquandiu poſteà uſurpatus nunc deſiit. Ita nunc per omnia non habet apud nos locum quod ſcribit Apoſtolus, 1. Cor. 11. de aperiendo aut operiendo capite. Olim indicium erat dignitatis aperto capite loqui: nunc viris aperto capite dicere vel audire indicium eſt ſubjectionis. Civile apud nos eſt, reverentiæ & honoris ergo caput aperire; ſed apud Turcas & Arabes, qui capita non aperiunt, hoc eſſet incivile. Itaque pro ratione circumſtantiarum hæc & talia variantur. Item Traditiones illas non ſcriptas, quæ Apoſtolis à Patribus aſcribebantur, ut trinam immerſionem in Baptiſmo, precandum eſſe erecto corpore, ſeu ſtando, non autem genibus flexis diebus Dominicis & toto tempore inter Paſcha & Pentecoſten, jam pridem exoleviſſe conſtat.

Idem

Digitized by Google

Idem etiam cenſendum de omnibus ritibus Eccleſiaſticis non ſcriptis, qui continuantur in Eccleſiâ, non quòd ſuâ naturâ ſint immutabiles, ſed quia non mutantur nec mutandi ſunt eo quod, & quamdiu regulis illis in Sacrâ Scripturâ præſcriptis conſentanei ſunt.

Sed longe alio loco habendi ſunt ritus ad eſſentiam cultus Divini & diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſpectantes: qui ſuâ naturâ ſunt immutabiles & perpetui ac ſcripto Dei Verbo continentur: cujuſmodi ſunt ritus Sacramentorū Divinâ auctoritate præſcripti Mat. 28. 1 Cor. 11. ordo miniſterii Eccleſiaſtici Act. 14. 23. excommunicationis cenſura 1 Cor. 5. &c. quanquam Pontificii varia quæ ſunt hujus generis inſtituta Chriſti & Apoſtolorum ac Divina etiam præcepta violare ac mutare audent pro arbitrio Pontificis Romani cui iſta ſubjici volunt. Sic Gregorius de Valentiâ in tom. 3. comment. Theologic. diſput. 1. quæſt. 1. puncto 7. § 44. docet non tantum mutari & aboleri poſſe Traditiones Apoſtolorum quas tradiderunt ad certum duntaxat tempus duraturas, cujuſmodi ſunt de ſanguine & ſuffocato non comedendo Act. 15. ſed etiam alias, quas abſque temporis limitatione tradiderunt. Ad hoc genus (inquit) multi ritus Eccleſiæ „ Veteris pertinuerunt, qui modo non ſunt in uſu, ut communio „ Laicorum ſub utrâque ſpecie, & aliquando quidem omnium qui„ cunque ſacrificio Miſſæ intereſſent. Sic ille ingenuè fatetur communionem ſub unâ ſpecie & privatam Miſſam introducta eſſe contra Traditionem Apoſtolicam & antiquam conſuetudinem: idemque de priori indicat Concilium Conſtantienſe Seſſ. 13.

Pontificii mutant ritus Sacramentorum maximè ſubſtantiales.

Gregorius de Valentiâ.

Concilium Tridentinum de eâdem re verba faciens Seſſione 21. „ cap. 2. Declarat (inquit) Synodus hanc poteſtatem, in Eccleſiâ „ perpetuam fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione ſalvâ illo„ rum ſubſtantiâ ea ſtatueret vel mutaret quæ ſuſcipientium utilita„ ti ſeu Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret. Additur quidem hîc exceptio ſalvâ illorum ſubſtantiâ: ſed hîc Papa ſibi judicis partes aſſumit, ut determinet quid ad ſubſtantiam Sacramentorum pertineat quid non, itaque quicquid mutaverit, dicet pro arbitrio id ad ſubſtantiam Sacramenti non pertinere, alioqui quis exiſtimaverit alteram partem Sacramenti nempe poculum, de quo dixit Chriſtus, *Bibite ex hoc omnes* ad Sacramenti ſubſtantiam non pertinere, & communionem (quæ tollitur in privatâ miſsâ) non eſſe de eſſentiâ Euchariſtiæ, cum Apoſtolus dicat 1 Cor. 10. 16, *Poculum benedictionis cui benedicimus:*

Concilium Tridentinum.

Digitized by Google

dicimus nonne communio Sanguinis Chriſti eſt? Panis quem frangimus nonne communio Corporis Chriſti eſt? Quoniam unus Panis, unum Corpus multi ſumus: nam omnes ex uno illo pane participamus. Et diſerta ſunt verba inſtitutionis, expreſſumque Chriſti mandatum, *accipite, edite*, quæ verba ridiculè recitantur in miſsâ privatâ, cum nemo ſit qui mandato pareat.

Gloſſa ordinaria.

,, Gloſſa in decreti primam partem diſtinct. 34. Can. 18. Papa ,, (inquit) diſpenſat contra Apoſtolum, Item in Canonem 6. decreti 2. partis cauſæ 25. Satis poteſt ſuſtineri quod Papa contra Apoſtolum diſpenſat. Sed addit exceptionem: Non tamen in his quæ pertinent ad articulos fidei. At illi volunt Papam habere auctoritatem interpretandi Scripturam, & judicandi quid pertineat ad fidem & quid non. Unde ſubjungit: Diſpenſat in Evangelio interpretando ipſum: & paulò antè dixit: Papa contra Dominum diſpenſavit, qui dixit *vovete* & *reddite*, & tamen Papa abſolvit à juramento & voto. Innocentius 3. Papa (ut legitur in decretal. lib. 3. tit. 8. ,, cap. 4.) ait ſecundum plenitudinem poteſtatis de jure poſſumus ,, ſupra jus diſpenſare. Hujus dicti ratio redditur ibidem in Gloſsâ. ,, Nam contra Apoſtolum diſpenſat, & contra Canones Apoſtolo- ,, rum, item contra Vetus Teſtamentum in decimis non dandis, item ,, in voto, item in juramento. Et hæc ſingula confirmat teſtimoniis ex decreto & decretalibus petitis. Plura etiam exempla addi poſſunt in quibus diſpenſandi poteſtatem aſſumit Papa: abſolvit enim ſubditos ab obedientiâ principibus debitâ: diſpenſat (ut loquuntur) in ſcortatione, cum publica lupanaria Romæ permittat ex quibus non modicum quæſtum facit: diſpenſat in legibus quæ ſpectant ad inceſtum, cùm permittat matrimonium in gradibus à Deo prohibitis: licet ipſe contrà in multò pluribus gradibus matrimonium prohibeat, quàm Deus inſtituit. Quâ de re ſic ſtatuit Concil. Trident.

Concilium Tridentinum.

,, Seſſ. 24. Can. 3. Siquis dixerit, eos tantum conſanguinitatis & ,, affinitatis gradus qui Levitico exprimuntur, poſſe impedire matri- ,, monium contrahendum, & dirimere contractum: nec poſſe Ec- ,, cleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, ut plures ,, impediant & dirimant, anathema ſit.

Decretales tribuunt Papæ poteſtatem nefandam.

In Decretal. lib. 1. tit. 7. cap. 3. habetur epiſtola Innocentii 3. ,, in quâ dicit. Non enim homo ſed Deus ſeparat quos Romanus ,, Pontifex diſſolvit, qui non puri hominis ſed veri Dei vicem gerit ,, in terris. In hunc locum ſic habet Gloſſa. Unde dicitur habere

„ cœleſte arbitrium: ideo etiam naturam rerum mutat, ſubſtantia-
„ lia unius rei applicando alii, & de nullo poteſt aliquid facere, &
„ ſententiam quæ nulla eſt facit aliquam: quia in his, quæ vult, eſt
„ ei pro ratione voluntas, nec eſt qui dicat ei cur ita facis? ipſe
„ enim poteſt ſupra jus diſpenſare: idem de injuſtitiâ poteſt fa-
„ cere juſtitiam, corrigendo jura & mutando; & plenitudinem ob-
„ tinet poteſtatis. Singula hæc confirmat variis Canonibus & de-
„ cretis.

„ Bellarminus etiam contra Barclaium cap. 31. In bono ſenſu
„ (inquit) Chriſtus Petro poteſtatem dedit faciendi de peccato non
„ peccatum, & de non peccato peccatum.

Cum itaque tantum poteſtatis tribuatur Papæ in mutandis ac relaxandis præceptis Dei & Apoſtolorum ſcriptis, quantò faciliùs poterit fingere, figere ac refigere Traditiones non ſcriptas: præſertim ſi id concedatur, quod ſcribit Bellar. lib. 4. de Pont. Romano cap. 5.
„ Si Papa (inquit) erraret præcipiendo vitia vel prohibendo virtutes
„ teneretur Eccleſia credere vitia eſſe bona, & virtutes malas, niſi
„ vellet contra conſcientiam peccare.

Etiam Bellarminus.

Sed ut ad inſtitutum redeamus, revocandum eſt in memoriam quod primo capite diximus, in hac controverſiâ de Traditionibus nos intelligere tantum dogmata ad fidem & mores neceſſaria (cujus generis omnia in Scripturis contineri aſſerimus) non autem ritus Eccleſiaſticos, qui ad externum ordinem ſpectant aut hiſtoricas narrationes, quæ ſalvâ fide aut citra diſpendium ſalutis ignorari poſſunt: de ejuſmodi enim rebus Traditiones aliquas non ſcriptas ab Apoſtolis manâſſe non negamus: quanquam multa etiam id genus, hoc ſpecioſo titulo immeritò venditata eſſe conſtat. Contrà verò Stapletonus principiorum doctrinal. lib. 12. cap. 5. initio. Multa (inquit) non
„ ſolùm piè & Religioſè, in cultu Divino geſta, ſed etiam ad ſalutem
„ neceſſaria & neceſſariè credenda in Scripturis non ſunt compre-
„ henſa, ſed ſolâ Eccleſiæ auctoritate commendata vel approbata.
„ Item in Relect. Scholaſt. Controv. 4. quæſt. 1. art. 3. ad arg. 12.
„ Traditiones aſſerit eſſe in rebus fidei & morum, etiamſi nullo Scripturarum aut evidenti aut probabili teſtimonio confirmentur.

Rectè Stapletonus proponit controverſiæ ſtatum de Traditionibus.

CAP.

CAP. XII.

Reſpondetur ad Argumenta Adverſariorum è Sacris Literis petita.

QUONIAM eôdem ſpectant argumenta Pontificiorum quibus quoad dogmata ad fidem & mores neceſſaria vel ſufficientiam Scripturæ impugnant, vel neceſſitatem addendi *Traditiones* non ſcriptas inferunt: idcirco nos ea indiſcriminatim examinabimus, initio facto ſecundum methodum propoſitam ab argumentis è Sacrâ Scripturâ petitis.

Jo. 16. 12. non probat Traditiones. Primum teſtimonium Joan. 16. 12. *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo* & Joan. 21. 25. *Sunt & alia multa, quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros.* Hinc infert Bellarminus multa Dominum feciſſe & dixiſſe quæ non ſunt ſcripta: id quod nos libenter concedimus: ſed dicimus, tantum poſteà ſcriptum eſſe ab Apoſtolis & „ Evangeliſtis quantum ſatis eſt. Pergit Bellar. Quæ Chriſtus pro„ miſit ſe dicturum Joan. 16. 12. ea haud dubiè dixit poſt reſur„ rectionem ſuam ut Lucas teſtatur Actor, 1. 3. *Per dies quadragin„ ta apparens eis & loquens de regno Dei.* At de geſtis & verbis Domi„ ni poſt reſurrectionem pauciſſima ſcripſerunt Evangeliſtæ. Non „ eſt autem credibile Apoſtolos iſta non tradidiſſe Eccleſiæ.

Reſp. in iſto loco Joan. 16. 12. quæ dicenda habebat Chriſtus, & tunc portare non poterant Apoſtoli, illa non remittit ad tempus illud quo verſaturus eſſet cum illis in corpore poſt reſurrectionem, ſed ad adventum Sp. Sancti qui introducturus erat eos in omnem veritatem, quam & vivâ voce prædicaverunt, & ſcripto complexi ſunt, quantum Deo ſatis viſum eſt ad ædificandam Eccleſiam. Deinde per quadraginta illos dies Chriſtus quidem identidem apparuit Apoſtolis, ſed non toto iſto tempore, ſe eis præſentem ex habuit. Et licet totum illud ſpatium impendiſſet in iis erudiendis, an parum videbitur ſi omnem ſapientiam, quæ in Sacris Literis continetur, eis notam feciſſet, licet nihil ultrà addidiſſet.

Certiſſimum eſt autem Chriſtum & ante mortem & poſt mortem ante aſcenſionem docuiſſe Apoſtolos quæ ſcripta ſunt, ut appa-

Digitized by Google

ret ex luculento illius ſermone, Luc. ult. & multis aliis locis. At nullo argumento oſtendi poteſt eum docuiſſe alia ad fidem & mores neceſſaria quæ non ſunt ſcripta. Neque neceſſe eſt ut concedamus alia Sp. Sanct. ſuggeſſiſſe quàm quæ Chriſtus docuerat. Dicit enim ipſe Joan. 14. 26. *Spiritus Sanctus docebit vos omnia & ſuggeret vobis omnia, quæ dixi vobis.* Unde Cyrillus Catecheſi 16. notat: non dixit, doce-
,, bit ſolum, ſed & ſuggeret quæcunque dixi vobis. Non enim alia Chriſti præcepta, alia Sancti Spiritûs, ſed eadem. Sic Janſenius in
,, Concordiâ explicans iſta verba ait: Hæc multa non erant diverſa
,, ab his quæ hactenus Dominus præſens docuerat, ſed plenior & clarior eorum explicatio. Utcunque eſt, reſtat Adverſariis probandum iſta non eſſe ſcripta quæ ad fidem & mores neceſſaria ſunt. *Io. 14. 26. Cyrillus.*

Cæterùm hîc notandum eſt Pontificios ut veteres hæreticos imitantur in aſſertione Traditionum, ſicut oſtendimus cap. 9. ad quartam rationem, ita etiam ab iiſdem argumenta mutuari, quæ jam pridem à Patribus ſunt refutata. Id de hoc argumento notum eſt ex Auguſtino in Joan. Tract. 97. cujus verba ibidem recitavimus.

Denique quid ineptius eſt, quàm exiſtimare dogmata illa non ſcripta, quæ Pontificii ad Traditiones referunt, fuiſſe iſta, quæ tum Apoſtoli portare non poterant, quaſi ejuſmodi Traditiones ſint altiora myſteria, quàm quæ ſcripta extant, de Trinitate, Dei Incarnatione, &c. cùm contrà conſtet eas à tardiſſimis, indoctiſſi-
,, mis, & ignaviſſimis facilè intelligi. Sed ut ait Auguſt. in Tract. 96.
,, in Joan. Quæ nam ſint iſta, quæ ipſe non dixit, temerarium eſt
,, velle præſumere & dicere. Et poſteà. Quæ cùm ipſe tacuerit,
,, quis noſtrûm dicat, iſta vel illa ſunt? Aut ſi dicere audeat, un-
,, de probat?

Quod ad alterum illum locum attinet quem citat Bellar. ex Joan. ultimo, notum eſt in illis verbis eſſe hyperbolen: quam tamen Traditionibus ſuis non ſcriptis accommodari vix ferent Pontificii, quaſi totus Mundus non poſſet capere eorum Traditiones. Explicandus autem eſt locus conferendo cum verbis iſtis Joan. 20. 30, 31. *Multa alia ſigna edidit Jeſus quæ non ſunt ſcripta in hoc libro: hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis Jeſum eſſe Chriſtum illum, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.* Ubi docet, licet multa non ſint ſcripta, tamen ea quæ ſunt ſcripta ſufficere ad fidem & ſalutem. Sic Auguſtinus & Cyrillus in Commentariis ſuis in Joannem verba iſta explicant. Quibus aſtipulari videtur etiam Lucas Brugenſis, ut nos oſtendimus *Neque Joannis 21. 25. Ioan 20. 30, 31.*

cap. 3. ad finem explicationis primi argumenti. Item Janſenius in Concordia: Scripſerat Joannes poſt alios tres Evangeliſtas, & ea fere ſcripſit quæ alii prætermiſerunt. Scripſerant autem Evangeliſtæ omnia quæ erant ad Fidem, Religionem, & mores magis neceſſaria: quibus qui non credit, neque pluribus Fidem habiturus eſſet: qui verò credit, alia non ſunt ei neceſſaria.

Reſpondetur ad arg. Bellarmini ex 1 Cor. 11.

Secundum teſtimonium citat Bellar. ex 1 Cor. 11. Ubi Paulus (inquit) duas quæſtiones tractat. unam de modo orandi in Eccleſiâ, alteram de modo ſumendæ Euchariſtiæ, primam exorditur à Traditione ver. 2. *Laudo vos quod per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Chryſoſtomus & Theophylactus notant hoc loco Apoſtolum loqui de præceptis non ſcriptis: nec non Epiphanius hæreſi 61. & Baſilius lib. de Sp. Sancto. cap. 29. & Damaſcenus lib. 4. cap. 17. Deinde quia adhuc aliquid deerat præceptis traditis, addit ut etiam hoc ſervent, ut viri in Eccleſiâ orent capite aperto, mulieres capite velato. Et ut oſtendat multum tribuendum eſſe Traditioni & conſuetudini Eccleſiæ etiam ſine ſcripto, concludit: *Si quis videtur contentioſus, eſſe nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei.* Alteram quæſtionem exorditur etiam à Traditione. *Ego* (inquit) *accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Et concludit. *Cætera cum venero, diſponam.* Quid autem diſpoſuerit, nuſquam ſcriptum invenitur. Meritò autem cenſent Catholici, eum non ſolum diſpoſuiſſe quæ ad ritus & Cæremonias pertinebant, ſed etiam tradidiſſe alia graviora, ut de ordinatione miniſtrorum, de ſacrificio altaris, de aliorum Sacramentorum formâ & materiâ: nec hæretici poſſunt contrarium oſtendere.

Reſp. Ex locis citatis nihil inferri poteſt contra nos, niſi demonſtretur 1. Præcepta quæ tradidit Apoſtolus Corinthiis de quibus loquitur, nuſquam eſſe ſcripta quoad rem ipſam & ſubſtantiam. 2. Ea omnia eſſe dogmata ad fidem & mores neceſſaria. 3. Quænam illa ſint quæ Apoſtolus tradidit & nuſquam ſcripta extant. At nihil horum oſtendi poteſt: nam 1. nonnulla ſaltem præcepta quæ anteà tradidit Apoſtolis in hac epiſtolâ ſcripta eſſe patet ex verſ. 25, &c. 2. Apoſtolum loqui non tantùm de dogmatibus, ſed de ritibus iiſque non perpetuò duraturis patet ex præceptis illis de aperiendo & operiendo capite in Eccleſiâ. 3. Quænam illa ſint ſive dogmata alibi ſcripta, ſive ritus non ſcripti, nemo ſine inſigni temeritate affirmare poteſt: ut de ſimili dixit Auguſtinus in Joann. tract. 96.

Quod

Digitized by Google

Quod autem ad Patres citatos attinet, nos Patrum teſtimonia ſuo loco conſiderabimus. Nihil autem contra nos facit ſi exiſtimetur Apoſtolum ibi loqui de præceptis non ſcriptis, niſi tria illa quæ ſuprà diximus pariter demonſtrentur. Chryſoſtomus quidem in loco citato „ notat Apoſtolū ſine ſcripto multa illis tradidiſſe, quæ tamen poſteà „ ſcripto complexus eſt. Quoniam ergo de his (inquit) jam admo- „ nuerat præſens, & fortè alii quidem audierunt, alii verò non parue- „ runt, propterea etiam per epiſtolam eis rurſus, tanquam ſapiens „ medicus verba infundens peccata corrigit. *Chryſoſtomus.*

Quod Paulus negat ſe & Eccleſiam Dei talem habere conſuetudinem qualem habent contentioſi, non probat nihil unquam excipi poſſe contra conſuetudinem, multò minùs probat ulla eſſe dogmata ad fidem & mores neceſſaria, quæ ſolâ conſuetudine citra Scripturam nituntur, nam & hæc ipſa conſuetudo, ne ſimus contentioſi, probatur in Sacrâ Scripturâ. Loquitur quidem Apoſtolus ibi de certis ritibus, in quibus & talibus, magni faciendam eſſe conſuetudinem Eccleſiæ agnoſcimus: & tamen ex iiſdem exemplis patet conſuetudinem iſtam eſſe variabilem.

In doctrinâ autem conſuetudini aliquoties veritas opponitur, neque contraria conſuetudo veritati præjudicare debet. Tertullianus „ de Virginibus velandis cap. 1. Veritati nemo præſcribere poteſt, „ non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privile- „ gium Regionum. Ex his enim fere conſuetudo initium ab aliquâ „ ignorantiâ vel ſimplicitate ſortita, in uſum per ſucceſſionem corro- „ boratur, & ita adverſus veritatem vindicatur: ſed Dominus noſter „ Chriſtus veritatem ſe, non conſuetudinem cognominavit: quodcunque adverſus veritatem ſapit, hoc erit hæreſis etiamſi vetus con- „ ſuetudo. Cyprianus ad Anbaianum: fruſtra quidam, qui ratione „ vincuntur, conſuetudinem nobis apponunt, quaſi conſuetudo major „ ſit veritate. Item ad Pompejum. Conſuetudo ſine veritate vetuſtas „ erroris eſt. *Conſuetudo non debet opprimi veritati. Tertullianus. Cyprianus.*

Quod ad verba illa attinet, *Cætera cum venero diſponam.* Quæ ſint iſta cætera, nihil moramur conjecturam Pontificiorum: quæ enim illi ſine idoneâ ratione & auctoritate proferunt, tam liberum eſt nobis negare quàm illis affirmare. Ridiculum autem eſt quod Bellarminus hîc & alibi Gretſerus paſſim, cum deficiunt in probatione, nihil aliud habent, quod dicunt quàm adverſarios ſuos non poſſe contrarium oſtendere: etenim oponenti & affirmanti, non autem reſpondenti &

Digitized by Google

neganti incumbit probatio. Cæterum Chryſoſtomus, Oecumenius, Theophilactus, Ambroſius, Anſelmus, & Thomas hæc verba Apoſtoli non de novis dogmatibus, ſed de quibuſdam negotiis non valdè urgentibus, neque tanti momenti aut periculi ad correctionem morum, aut ordinem Eccleſiæ ſpectantibus accipiunt: cujuſmodi res verbum διατάξομαι proprie reſpicit, nempe quia τάξιν, id eſt, ordinem ſpectant.

2 Theſſ. 2. 15. non probat Traditiones.

Tertium teſtimonium, quo quidem maximè nituntur Pontificii, eſt 2 Theſſ. 2. 15. *State & tenete Traditiones quas didiciſtis ſive per ſermonem ſive per epiſtolam noſtram.* Hinc inferunt dari dogmata ad fidem & mores neceſſaria, præter ea quæ in Scripturâ extant. Sed nulla apparet ratio conſequutionis. Hinc quidem colligitur Apoſtolum Theſſalonicenſes docuiſſe tum per vivam vocem, tum per epiſtolam, & tenenda eſſe quæ utrovis modo docuit. Sed ex vi horum verborum non ſequitur eum alia docuiſſe vivâ voce quàm quæ ſcripto tradidit: nam etſi planè eadem utroque modo tradidiſſet, ſenſus verborum ſatis conſtaret.

At inquit Bellarminus, particula illa disjunctiva *ſive* apertè indicat diverſa eſſe quæ voce tradiderat, & quæ ſcripſerat. Reſp. particulam illam non neceſſariò denotare diverſitatem rerum Traditarum, ſed diverſum modum tradendi; alioqui ſequeretur nulla quæ tradidit Apoſtolus per epiſtolam, eſſe etiam tradita vivâ voce. At contrarium maniſeſtum eſt ex 1. epiſt. 4. 1. &c. & cap. 5. 2. & poſter. epiſt. 2. 5. & 3. 10. Imo verò omnia dogmata neceſſaria, quæ tradita ſunt in his epiſtolis, etiam vivâ voce Apoſtolum tradidiſſe patet ex „ confeſſione ipſius Bellarmini hoc ipſo loco: Sine dubio (inquit) totum Evangelium plenè illis prædicaverat: ut etiam colligitur ex cap. 1. & 2. prior. epiſt. Quod ſi ergo, cùm Apoſtolus loquitur de iis quæ ſunt tradita, ſivè per ſermonem ſive per epiſtolam ſuam, colligere licet ob particulam disjunctivam, non omnia eſſe tradita ſcripto, eâdem ratione colligendum eſt, non omnia tradita eſſe ab Apoſtolo, per ſermonem, quod falſum eſt ipſo Bellarmino teſte. Sic de eadem re, ſed de diverſo modo uſurpatur particula ſive Rom. 14. 8. *ſive vivamus ſive moriamus, Domini ſumus*, & ſæpè alias.

Deinde, nos facilè concedimus non omnia dogmata neceſſaria tradita eſſe in iſtis epiſtolis ad Theſſalonicenſes, ac proinde alia tradita eſſe à Paulo, quæ non ſunt in iis ſcripta: ſed non ſequitur alibi non eſſe ſcripta in Veteri & Novo Teſtamento: cum in confeſſo

ſit

ſit Apoſtolum omnia docuiſſe neceſſaria, & ipſe profiteatur ſe nihil dixiſſe extra ea quæ Prophetæ & Moſes futura prædixerunt, Act. 26. 22. Imò verò ex hypotheſibus ipſius Bellarmini ſequitur omnes Traditiones de quibus hic loquitur Apoſtolus eſſe perſcriptas, ſi modò Traditionum nomine intelligantur dogmata ad fidem & mores neceſſaria, de quibus ſolùm diſputamus. Etenim Bellarm. lib. 4. „ de Verbo Dei cap. 11. context. *His notatis* dicit illa omnia ſcripta „ eſſe ab Apoſtolis quæ ſunt omnibus neceſſaria, & quæ ipſi palam „ omnibus vulgò prædicaverant: & Irenæum verè dicere Apoſtolos „ ſcripſiſſe quæ prædicaverant in Mundo: ſed hoc non eſſe contra „ Traditiones: quia non prædicaverunt Populis omnia, ſed ſolùm ea, „ quæ illis neceſſaria, vel utilia erant, & cætera ſeorſim perfectioribus tradiderunt. At Apoſtolus non loquitur hìc de aliis quàm quæ prædicata erant communiter Eccleſiæ Theſſalonicenſium ad quam ſcribit hanc Epiſtolam, non autem quæ ſeorſim tradita erant perfectioribus. Idem dici poteſt de pleriſque aliis teſtimoniis, quæ ex Sacris Scripturis pro Traditionibus citat. Notandum eſt etiam poſt Epiſtolas ad Theſſalonicenſes, maximam partem Novi Teſtamenti ſcriptam exiſtimari. Non mirum igitur ſi Apoſtolus, præter ea quæ tum erant ſcripta, alia commendet quæ poſteà erant ſcribenda. *Act. 26. 22.*

„ Inſtat Bellarm. duobus modis. Primò, in hoc ipſo (inquit) ca„ pite dicit, ſe illis prædicaſſe de Antichriſto & præter alia docuiſſe, „ quando eſſet venturus verſ. 5. & 6. *Annon meminiſtis me, cum adhuc* „ *eſſem apud vos hoc dixiſſe vobis: & nunc quid eum retineat noſtis.* Hoc „ autem nuſquam ſcriptum eſt, quando ſcilicet ſit Antichriſtus ven„ turus. Quare Auguſtinus de Civitate Dei, lib. 20. cap. 19. dicit „ illos ſciviſſe quod Apoſtolus docuerat vivâ voce: nos autem non „ poſſe id ſcire: ergo non omnia ſcripta ſunt quæ Apoſtolus dixit.

Reſp. Fallacia eſt ab ignoratione Elenchi: neque enim nos dicimus omnia quæ Apoſtolus dixit, eſſe ſcripta, ſed omnia neceſſaria ad fidem & mores eſſe ſcripta. At hoc exemplum de tempore adventus Antichriſti non eſt ejuſmodi. Imo quid hac de re dixerit Apoſtolus, probat Bellarm. ex Auguſtino id nos non poſſe ſcire: Ergo non habemus hac de re Traditionem, & hæc res nec continetur in verbo ſcripto neq; non ſcripto: aut ſi hæc res habenda ſit neceſſaria, tum Verbũ Dei & ſcriptum & non ſcriptum non continebit omnia neceſſaria: neque Eccleſia fidus cuſtos Traditionum cenſebitur, ſi interciderunt Traditiones etiam neceſſariæ. Quanquam Apo-

ſtolus illic non loquitur de definito tempore adventus Antichriſti; quod ſi ſciviſſent Theſſalonicenſes non tam facilè ſeducti eſſent, ut putarent Chriſti adventum inſtare: quod refellit initio ejuſdem capitis: ſed indefinitè loquitur de eo quod detinet, ne reveletur. Idque alii intelligunt, non revelatum iri quamdiu ſtaret imperium Romanum: alii, donec Evangelium per univerſum orbem prædicaretur: quâ de re non eſt hujus loci diſputare. Cæterum ut non poteſt certò ſtatui, num hoc, an illud, an aliud intellexerit Apoſtolus: ita id quod illic tacitè deſignat, alibi non eſſe ſcriptum, nemo poteſt aſſeverare, cum ſigna adventus Antichriſti alibi memorentur, præſertim in Apocalypſi.

„ Deinde inſtat Bellarm. Sive (inquit) ſcripta poſteà fuerunt, ſi-„ ve non quæ Apoſtolus docuerat, non multum refert, quantum ad „ argumentum quod ex hoc loco colligimus, quia Apoſtolus ſimpli-„ citer præcipit, ut non minùs obſervent, quæ acceperant ſine ſcri-„ pto, quàm quæ per Epiſtolam. Reſp. Hic iterum eſt ignoratio Elenchi: neque quiſquam negat obſervanda eſſe quæ acceperant ab Apoſtolo, ſive per Sermonem ſive per Epiſtolam. Proinde ſi nihil aliud ex hoc loco colligat, tum id probat, quod nemo negat.

Poſtremo confirmat Bellarm. argumentum ſuum teſtimoniis aliquot Patrum, quæ ſuo loco examinabimus.

Reſpondetur ad Bellarmini argumentum ex 1. Tim. ult. 20. 1. Tim. 1. 13. & 2. 1.

„ Quartum teſtimonium Bellarmini eſt 1. Tim. ult. 20. *Timothee* „ *depoſitum cuſtodi* 2. Tim. 1. 13. *Formam habe ſanorum verborum, quæ à* „ *me audiſti in fide & dilectione in Chriſto Jeſu. Bonum depoſitum cuſtodi* „ & cap. 2. 1. *Tu ergo fili mi confortari in gratiâ quæ eſt in Chriſto Jeſu,* „ *& quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus* „ *qui idonei erunt & alios docere.*

„ In his locis (inquit Bellarm.) non poteſt intelligi Scriptura, ſed „ theſaurus doctrinæ, intelligentia dogmatum divinorum, id eſt, „ tam ſenſus Scripturarum quàm aliorum dogmatum: quam totam „ doctrinam propagari volunt per Traditionem, ut explicant Chry-„ ſoſtomus & Theophylactus in hunc locum. quò alludit etiam Ire-„ næus lib. 3. cap. 4. & lib. 4. cap. 43. & facilè ex ipſis verbis col-„ ligitur. Nam ſi loqueretur de verbis ſcriptis non tam anxiè com-„ mendaret depoſitum. ſcripturæ enim facilè conſervantur in thecis „ & à librariis: Apoſtolus autem vult ſervari per Sp. Sanctum in „ pectore Timothei. Et deinde non adderet, *Hæc commenda fideli-* „ *bus qui idonei erunt & alios docere*, ſed diceret, commenda librariis

ut

„ ut multa exempla tranſcribant, nec diceret, *Quæ audiſti à me per*
„ *multos teſtes*, ſed quæ ſcripſi tibi: itaque non verba ſolùm, ſed et-
„ iam ſenſum, ac multò magis hunc quàm illa Timotheo Apoſtolus commendat, ac ut per manus tradat ſucceſſoribus ſuis jubet; Vide de hoc loco Commonitorium Vincentii Lyrinenſis.

Reſp. Ex teſtimoniis citatis nihil prorſus colligit Bellarm. neque colligere quiſquam poteſt, ſive ex iſtis teſtimoniis, ſive ex accommodatione Bellarmini quo probatur inſtitutum, nempe dari dogmata ad fidem & mores neceſſaria, quæ non continentur in ſacris Literis: ſed multa congerit aliena & inepta. 1. ait Apoſtolum in iis verbis commendare doctrinam divinam, & non verba ſolùm ſed etiam ſenſum, id ipſum nos ultro concedimus: licet Lyranus & Cajetanus in hunc locum nomine *Depoſiti* gregem Timotheo commiſſum intelligant: alii verò ipſum munus Timothei & dona Sp. S. quibus inſtructus erat ad ædificationem Eccleſiæ: ut Thomas & Gloſſa interlinearis. Et quod 2. ait Apoſtolum velle totam doctrinam propagari per Traditionem, puta per prædicationem aut inſtructionem vivæ vocis. Neque quiſquam hoc negat. Ideoque in iſtis probandis de quibus nulla eſt controverſia, ſive auctoritate Patrum, ſive rationibus, fruſtra laborat Bellarminus.

Itaque hîc primò peccat Bellarm. ignoratione Elenchi, probans id quaſi controverſum, quod eſt in confeſſo, & à ſtatu controverſiæ alienum. Deinde, cùm concedimus Paulum loqui de doctrinâ dogmatum divinorum, gratis ſumit Bellarminus dogmata divina eſſe non tantùm ſenſum Scripturæ, ſed alia dogmata extra Scripturam. Atque hæc eſt manifeſta petitio quæſiti, cùm id de quo ſola eſt controverſia ſine ullâ ratione aſſerat, nec probet nec probare poſſit ex locis citatis.

Tertiò pueriliter abutitur ambiguitate vocum *Scriptura* & *Traditionis*. Cum enim Traditio ſumatur vel pro modo tradendi putà vivâ voce, vel pro re traditâ, juxta primam hypotheſin, item Scriptura vel pro modo ſcribendi, ac externâ figurâ ac lineamentis ſcriptionis, aut pro re ſcriptâ ſeu ſenſu, Bellarminus de utraque loquitur ſecundum priorem acceptionem: ſed in hac controverſiâ utraque vox ſumitur poſteriori modo. Neque enim quæritur an ſacra dogmata ſint propaganda tantùm ſcribendo, & non etiam Traditione vivæ vocis: ſed an ſint alia dogmata neceſſaria, præter ea quæ ſunt ſignificata in Sacrâ Scripturâ. Proinde abſurdè Bellarminus hic oponit

ponit Scripturam & theſaurum doctrinæ, aut Scripturam & ſenſum Scripturæ: quaſi Scriptura non ſit, aut in Scripturâ non contineatur theſaurus doctrinæ: & quaſi ii qui aut nominant aut citant Scripturam, intelligant Scripturam ſine ſenſu: cum contrà potiùs ſenſum intelligant quàm verba. Adeo ut, ſi ſenſus congruat, licet verba non ſint eadem, non dubitent ſacri ſcriptores, etiam Scripturam appellare: ut nos ſuprà oſtendimus cap. 11. hyp. 4. membro 3. & plurimis exemplis Novi Teſtamenti probari poteſt, cùm citatur Scriptura eodem ſenſu, ſed non iiſdem verbis.

Quod ſi Scripturam accipientes pro picturâ literarum abſtrahamus à ſenſu ipſius, tum dicere licet nullam nunc extare Scripturam Divinam. Neque enim nunc extat autographum Dei vel hominum *θεοπνεύστων*. Prætereà ſi Bellarminus recte hîc diſputat, Apoſtolum in verbis citatis cùm intelligat rem ſcriptam ſeu ſenſum Scripturæ non intelligere Scripturam, eodem jure nobis arguere licet Apoſtolum, cùm intelligat rem traditam non intelligere Traditiones.

Porrò Bellarminus ſibi contradicit. Nam primò ait Apoſtolum nomine *Depoſiti* non poſſe intelligere Scripturam, ſed theſaurum doctrinæ, id eſt, tam ſenſum Scripturæ quàm aliorum dogmatum: deinde ait Apoſtolum non ſolùm verba, ſed etiam ſenſum commendare, ac proptereà dicit eum verba etiam commendare verba ſcilicet tam ſcripta quàm prolata, nam de verbis ſcriptis proximè loquebatur. Denique nullum hîc diſcrimen facit inter librum Scripturæ & codicem quem libet profanum, qui pariter in thecis recondi, & librariis committi ſolet.

Quid ſit Pauli depoſitum. Rom. 3. 2. 1. Tim. 1. 11. Gregorius Magnus.

Quod autem depoſiti appellatio congruat Scripturæ, ex ſimili phraſi patet Rom. 3. 2. ubi Apoſtolus ait *Judæis credita eſſe eloquia Dei*, & 1. Tim. 1. 11. ubi ait *Evangelium Dei ſibi eſſe concreditum*; nam *Depoſitum* & *Concreditum* eandem hîc vim habere videntur. Quis autem ſanus ex iſtis locis colligat oracula Judæis, & Evangelium Paulo concreditum, non eſſe ſcripta? Gregorius Magnus in Job. lib. 18. cap. 14. apertè verba Pauli de depoſito, interpretatur de Scripturâ. „ Qui ad veræ prædicationis verba (inquit) ſe præparat, neceſſe eſt „ ut cauſarum origines à ſacris paginis ſumat, & omne quod loqui„ tur, ad divinæ auctoritatis fundamentum revocet, ut enim prædi„ ximus: ſæpe hæretici dum ſua ſtudent perverſa aſtruere, ea pro„ ferunt, quæ profecto in ſacrorum librorum paginis non tenentur. „ Unde diſcipulum ſuum prædicator egregius admonet dicens, *ô Ti*„ *mothea depoſitum cuſtodi.*

Sic

Digitized by Google

Sic & verba illa 2. Tim. 2. 2. (*Quæ audiſti à me per multos teſtes hæc commenda fidelibus*) quibus Bellarm. abutitur ad Traditiones non ſcriptas confirmandas, de doctrinâ ſacrarum Literarum accipiunt Gloſſa Ordinaria, Lyranus, Anſelmus, & Thomas in Commentariis in hæc verba, qui per *Multos teſtes* intelligunt legem & Prophetas, ſeu Scripturam Veteris Teſtamenti. Similia habent Oecumenius & Theophylactus.

In teſtimoniis Patrum à Bellarmino citatis nullum verbum habetur de Traditionibus non ſcriptis. Imò Vincentius Lyrinenſis in „ Commonit. cap. 2. apertè aſſerit perfectum eſſe Scripturarum Ca- „ nonem, ſibique ad omnia ſatis ſuperque ſufficiere. Dicit quidem duplici modo fidem eſſe muniendam, primò ſcilicet divini verbi auctoritate, deinde Eccleſiæ Catholicæ Traditione, ſed non duo eſſe genera dogmatum, alia ſcripta, alia tradita. His ipſis locis 1. Tim. 6. 20. & 2. Tim. 1. 13. abuſi ſunt etiam veteres hæretici ad Traditiones ſuas ſtabiliendas, quas perfectioribus clam traditas prædicabant, dicentes Apoſtolos non omnia omnibus revelâſſe, ſed quædam palam & univerſis, quædam ſecretò & paucis demandâſſe, & hæc Paulum *Depoſiti* nomine intellexiſſe. Sed Tertullianus eos refellit, & verum ſenſum iſtorum verborum indicat de præſcriptionibus, cap. 25. ex quo pariter Pontificii convincuntur.

Quintum teſtimonium ex 2. & 3. Epiſtola Joannis: *Multa habens ſcribere vobis, nolui per chartam & atramentum.* Ex his (inquit Bellar.) intelligimus multa ab Apoſtolo Joanne dicta eſſe Diſcipulis, & per Diſcipulos Eccleſiæ univerſæ, quæ tamen ſcripta non ſunt. Reſp. Hîc primò eſt fallacia ab ignoratione Elenchi. Nam nos concedimus Chriſtum & Apoſtolos multa dixiſſe & feciſſe, quæ non ſunt ſcripta: 2. Eſt fallacia à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Ex verbis enim citatis nihil aliud inferri poteſt quàm multa à Joanne dicta aut dicenda, quæ non ſunt ſcripta in iſtis duobus Epiſtoliis, non autem quæ abſolutè non ſunt ſcripta in ſacris Literis, & hic rurſus occurrit illud Auguſtini: Hæc cùm ipſe tacuerit, quis noſtrum dicat hæc vel illa ſunt, aut ſi dicere audeat, unde probat?

Reſpondetur ad Bellarm. arg. ex 1. & 2. Epiſtolâ Ioannis.

Auguſtinus.

Hactenus reſponſum eſt ad omnia teſtimonia à Bellarmino citata. Quæ alii addunt ex aliis Scripturæ teſtimoniis argumenta, ex dictis aut ipſa locorum inſpectione facillimè dilui poſſunt: adeo ut in iis diſcutiendis tempus terere ſupervacuum cenſeamus.

Digitized by Google

CAP. XIII.

Reſpondetur ad primum argumentum Pontificiorum à ratione ſumptum contra ſufficientiam Scripturæ.

CONTRA ſufficientiam Scripturæ in doctrinâ fidei & morum Primò ſic diſputat Bellarminus. Si Scriptura contineret ſufficienter dogmata fidei & morum, vel ſinguli libri per ſe ſunt ſufficientes, vel totus Canon ſimul ſumptus eſt ſufficiens: At neutrum dici poteſt: Ergo: probatur prior pars Minoris: quia videmus ſingulos Evangeliſtas non omnia continere: & ſi unus liber continet ſufficienter omnia, non opus fuit tot libris. Probatur poſterior pars Minoris ad hunc modum. Si multi libri verè ſacri & Canonici periêrunt: tunc totus Canon qui nunc extat non eſt ſufficiens: At verum prius: Ergo & poſterius. Probatur aſſumptum primo auctoritate Chryſoſtomi hom. 9. in Mat. Multa (inquit) ex „ Propheticis periêre monumentis, quod ex hiſtoriâ Paralipomenon „ probari poteſt. Deſides enim cùm eſſent Judæi, nec deſides mo- „ dò, ſed etiam impii, alia quidem perdiderunt negligenter, alia „ verò tùm incenderunt, tum conciderunt. Idem docet hom. 7. in „ 1. Cor. Deinde idem oſtenditur variis exemplis prior. Paralip. ult. „ 24. Geſta David priora & noviſſima ſcripta ſunt in libro Samuel „ Videntis & in libro Nathan Prophetæ atq; in Volumine Gad vi- „ dentis & 2. Paral. 9. 29. Reliqua opera Solomonis ſcripta ſunt in „ verbis Nathã Prophetæ & in libris Achiæ Salonitæ, in viſione quo- „ que Zedo videntis & lib. 3. Reg. 4. Locutus eſt Solomon tria millia parabolarum, & fuerunt Carmina ejus quinq; millia. Ubi nam ſunt hæc omnia? Ex Teſtam. Nov. periit Epiſtola Pauli ad Laodicenſes, cujus ipſe meminit Col. ultima, & forte alia ad Corinthios, cujus mentio fieri videtur 2. Cor. 5. 9.

Nulli libri Canonici periêrunt. Chryſoſtomi error.

Reſp. Negatur Minor primi Syllogiſmi, & in iſta Minore poſterior pars disjunctionis. Proſyllogiſmi autem quo probatur negari poteſt utraque propoſitio, & primò quidem Major: nam etſi Canonis etiam qui nunc extat, unus aliquis aut alter liber, v. c. liber Eſtheræ, Epiſtola ad Philemonem, ſecunda & tertia Epiſtola Joannis intercideren: non tamen ſequitur reliquum Canonem non eſſe ſufficien-

Digitized by Google

ſufficientem, ſeu non continere omnia dogmata ad fidem & mores neceſſaria. Divinâ enim bonitate nobis datus eſt Canon, non tantùm ſufficiens ad neceſſaria, ſed etiam multiplici utilitate abundans: in quo pleraque fidei & morum dogmata non tantùm ſemel proponuntur, ſed etiam identidem ad infirmitatem noſtram ſublevandam repetuntur, inculcantur, explicantur, & confirmantur. Et cùm in Scripturâ eadem ſæpiùs iterentur & varia tradantur, quorum cognitio non eſt ſimpliciter neceſſaria, abſurdum eſt exiſtimare Sp. Sanctum voluiſſe ſuum opus in neceſſariis deficere. Hæc igitur longè diverſa ſunt, quæ Bellarminus dolosè confundit, totum Canonem Scripturarum ſimul ſumptum eſſe ſufficientem, & totum Canonem eſſe neceſſarium ad hoc ut ſufficiens doctrina habeatur. Prius quidem nos aſſerimus: at poſterius falsò & veteratoriè nobis affingit Bellarminus. Quocirca niſi Adverſarii probent in libris quos intercidiſſe aiunt contineri alia dogmata ad fidem & mores neceſſaria, quæ non continentur in iis libris qui extant, nihil ad rem dicunt.

Joannes Pineda de rebus Solomonis lib. 1. cap. 1. quæſt. 8. ait nullum inconveniens videri quòd liber qui aliquando fuit de Canone, poſteà interciderit: quia videlicet ſequenti tempore, vel non tam utilis, vel non tam neceſſarius, vel propter alium divinæ providentiæ finem, ita tamen ut ille uſus quem habebat in Eccleſiâ, poſſit aliis libris ſuppleri. *Pineda.*

Deinde Minor Proſyllogiſmi iſtius etiam negari poteſt. Nam etſi non deſint nonnulli ex veteribus & recentioribus, & inter noſtros & adverſarios, qui aſſerunt aut concedunt libros aliquos ſacri Canonis intercidiſſe, tamen id ipſum non minore auctoritate & ratione ab aliis negatur. Hanc ſententiam tuetur inter Patres Auguſtinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 38. inter recentiores ex noſtris Junius, Polanus, Perkinſus, Mortonus, Chamierus, Tilenus, Rivetus, Ameſius, Gerardus, ad hoc ipſum argumentum Bellarmini reſpondentes & varii alii. Inter Pontificios Salmeron Prolegomeno 9. Can. 4. Stapletonus in Princip. Doctrinal. l. 9. c. 5. & lib. 2. de Defenſione Eccleſiaſticæ auctoritatis contra Witakerum cap. 1. Salmeron loco citato non minùs indignum Eccleſiâ affirmat unius libri Canonici amiſſionem, quàm unius Sacramenti jacturam. Id ipſum variis argumentis confirmat: quia ſi libri aliqui Canonici amiſſi eſſent, ſequeretur Eccleſiam non fuiſſe Depoſiti ſibi à Deo traditi fidelem cuſtodem. Neque id providentiæ Dei & curæ quam habet

de Eccleſiâ congruit: qui contra omnes machinationes & vires adverſariorum, Sacræ Scripturæ theſaurum conſervavit, unde fit ut facilius ſit Cœlum ac Terram præterire, quàm unum legis jota aut apicem excidere Mat. 5. 18. Lucæ 16. 17.

Mat. 5. 18. Luc. 16. 17.

Porrò non eſſe omiſſos ullos libros Canonicos iiſdem rationibus oſtenditur, quibus Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei cap. 1. & 2. docet editionem Hebraicam Moſis & Prophetarum nunquam periiſſe, & Sacram Scripturam non eſſe corruptam à Judæis.

Bellarminus Chryſoſtomo hîc adverſatur, & ſibi ipſi.

Nunc reſpondeamus ad argumenta quibus Bellarminus probat libros aliquos Canonicos intercidiſſe. Primum ſumit ab auctoritate Chryſoſtomi, cui nos opponimus auctoritatem Auguſtini, imò ipſum Bellarminum, qui in lib. 2. de Verbo Dei cap. 2. rationes quibus Chryſoſtomus hîc utitur ab impietate & negligentiâ Judæorum refellit: eoſque ab iſta criminatione in conſervandis libris Sacris vindicat.

Ubi & quomodo Chriſtus vocetur Nazaræus

Porro neque illa ratio fuit idonea quâ inducebatur Chryſoſtomus, ut putaret nonnulla in Veteri Teſtamento deſiderari: nempe in hom. 9. in Mat. quia non potuit reperire locum in Veteri Teſtamento qui citatur à Matthæo, cap. 2. ult. *Nazaræus vocabitur.* Et hom. 7. in 1. Cor. quia non potuit reperire verba illa citata, 1. Cor. 2. 9. *Quæ oculus non vidit, &c.* Non enim verſatus fuit in Hebræis fontibus in quibus faciliùs illa reperiſſet, quàm in editione Græcâ 70. Interpretum quæ aliquoties ab Hebraicâ veritate diſcedit. Sed parum conſideravit Chryſoſtomus, tum cùm verba illa citarent Matthæus & Paulus, libros illos extitiſſe ex quibus deſumpta ſunt, alioqui fruſtra citâſſent: adeoque ſi interciderint, id accidiſſe poſt Apoſtolorum tempora, ac proinde id non tam Judæis, quàm Chriſtianæ Eccleſiæ vitio vertendum, quod vix concedent Pontificii. Ideoque vix quiſquam nunc, opinor, hac in re aſſentitur Chryſoſtomo, ut ad libros deperditos, ſed potiùs ad eos qui extant hæc teſtimonia referant. Nam juxta Hebraicam veritatem licet in editione 70. Interpretum verba aliter ſe habeant, quod notavit Hieronymus de optimo genere interpretandi ad Pammachium, Poſterius teſtimonium extat apud Eſaiam 64. 4.

De priore tres ſunt celebriores ſententiæ. 1. Quod cùm vox *Nazaræus* ſignificet idem quod Sanctus (deducitur enim à radice נזר quod eſt ſeparare, unde *Nazaræi* appellabantur illi qui ſeparati erant Deo ſeu ſancti) Chriſtus à Prophetis paſſim appellatur *Sanctus.*

Secun-

Secunda ſententia eſt, quòd verba quæ uſurpantur de typis Chriſti transferuntur ad Chriſtum qui eſt ipſa veritas. Sic clarus extat locus de Sampſone Jud. 13. 5. *Quia nazaræus Dei erit puer inde ab utero*: *Iud.13.5.*
Sic Joſephus Geneſ. 49. 26. & Deut. 33. 16. appellatur *Nazaræus* *Gen.49.*
ſeu *ſeparatus inter fratres ſuos.* Quæcunque enim in typis illis Joſe- *26.Deut.*
pho, Sampſone, & iis qui voto Nazaræorum ſe obſtrinxerunt, ad- *33.16.*
umbrata ſunt, in Chriſto complementum habuerunt. Sic quod de agno Paſchali ſcriptum eſt Exod. 12. 46. in Chriſto impletum di- *Ex.12.46.*
citur, cùm milites non fregerunt ejus crura Joan. 19. 36. Tertia *Io.19.36.*
ſententia eſt quòd Chriſtus dicatur *Nazaræus* נֵצֶר id eſt, germen, flos, ſurculus, quo nomine appellatur ab Eſaia 11. 1. & obſervandum eſt hoc nomen eſſe à radice נָצַר quod eſt ſervare, cuſtodire, quâ ratione etiam optimè quadrat Chriſto. Porrò voci נֵצֶר æquipollet & affinis eſt vox צֶמַח quod etiam germen ſignificat, quo nomine etiam Chriſtus appellatur Eſ. 4. 2. Jer. 23. 5. & 33. 15. Zach. 3. *Eſ.4.2.*
verſ. 8. & clariſſimè Zach. 6. 12. Ecce vir צֶמַח oriens ſive ger- *Ier.23.5.* *& 33.15.*
men nomen ejus. Eôdem autem recidit ſive appelletur נֵצֶר ſive *Zach.3.8.* *& 6.12.*
צֶמַח ſi quidem eandem vim utraque vox habet.

Prima & tertia ſententia eſt Hieronymi ſcribentis in locum iſtum Mat. & in Eſ. 11. 1. qui etiam epiſtolâ ad Pammachium de optimo genere interpretandi, hunc locum memorat inter ea quæ non reperiuntur in verſione 70. Interpretum, ſed in fontibus Hebræis extant, quem ſequuntur in tertiâ ſententiâ multi Orthodoxi & etiam Pontificii, ut Lyranus, Janſenius, Maldonatus, Lucas Brugenſis, Eſtius, &c. Primam ſententiam ſequitur Arias Montanus in annotationibus in Mat. &c. Secundæ ſententiæ auctor eſt Bucerus qui primus advertiſſe dicitur ſimilitudinem eorum verborum, cum iis quæ dicuntur de Sampſone Judic. 13. 5. quem ſequitur Calvinus (& addit etiam illam comparationem cum Joſepho) item Beza, Witakerus, &c.

Hîc obiter notandum eſt in hac appellatione aliud Deum, aliud vulgus ſpectâſſe. Vulgo enim Chriſtus appellatur Nazaræus ab Urbe Nazaret in quâ degebat, at Dei conſilium altius erat, ut ſub hoc nomine myſteria in Veteri Teſtamento præfigurata & prædicta in eo compleri oſtenderet. Et hîc elucet admirabilis Dei ſapientia:

Digitized by Google

cùm Chriſtum oportet in terris non glorioſâ ſed vili ſpecie apparere Eſ. 53. obtineri non poterat ab imperitâ plebe, multò minùs à primoribus & proceribus Judæorum hoſtibus ipſius infenſiſſimis, ut inſignẽ Nazaræi titulum ei tribuerent, quaſi aut hominem Deo ſeparatum & ſanctificatum, aut germen & ſurculum illum quo Meſſiam denotârunt prophetæ agnoſcerent. Sed annitente Diabolo ne palam innoteſceret, eum natum eſſe Bethlehemi ſecundum oraculum
Mich.5.2. prophetæ de Meſſiâ Micheæ 5. 2. Mat. 2.6. facilè evenit ut ab Ur-
Mat.2.6. be ignobili Nazaret, in quâ educatus erat Nazaræus appellaretur: qua ratione adverſarii contendebant eum non eſſe Chriſtum illum
Joan.7.42. Joan. 7. 42. & contemptim eum Nazaræum appellabant, atque
Joan.1.47. id ipſum bono Nathanaeli ſcrupulum injecit Joan. 1. 47. quo nomine cùm etiam amici ejus & ipſe, adeoque omnes paſſim uterentur, factum eſt ut ex communi appellatione proprium cognomen Naza-
Act.26.9. ræi ſortiretur, idque Divino conſilio, ut myſteria à prophetis olim eo nomine deſignata, in eo impleta eſſe ſignificaretur. Sic Deus poteſt dicta & facta hominum nihil tale ſpectantium, imò contrà contendentium in gloriam ſuam convertere. Sic Cajaphas hoſtis Chriſti infeſtiſſimus, quamvis neſciens quid diceret, prophetavit de ne-
Jo.11.49. & 18.14. ceſſitate & efficaciâ mortis Chriſti Joan. 11. 49. & 18. 14. Sic Pilatus nobilem illum titulum Chriſti tribus linguis deſcriptum cruci impoſuit.

Ex tribus ſententiis quas recitavimus, prima & ſecunda conveniunt in communi ratione ſumpta à radice נָזַר cujus media litera eſt *zajin*, at tertia ſententia derivat vocem à radice נָצַר diverſæ ſignificationis, cujus media litera *tſadi*, & ſunt qui Urbem Nazareth ſcribendam autument Hebraicè per *tſadi*, quia ſcilicet ita ſcribitur in Syriacâ tranſlatione Novi Teſtamenti & in titulo crucis quæ Romæ aſſervatur, quæ ratio videtur confirmare tertiam ſententiam. Sed cũ Urbs Nazareth non reperiatur in Veteri Teſtamento, & in Græca linguâ Novi Teſtamenti quæ eſt authentica ſcribatur per ζ quod reſpondet Hebraico *zajin* & non per τς aut θς aut ſimplex σ quâ ratione potius exprimendum eſſet *tſadi*, Reſpondetur majorem habendam eſſe rationem Græci textus quàm Syriacæ verſionis aut illius inſcriptionis quæ dicitur Romæ aſſervari Dominicæ crucis.

Prætereà facilè accidit ut in propriis nominibus fiat tranſmutatio literarum affinium quæ etiam in vocalibus frequentiùs accidit, unde

fit

fit ut apud 70 Interpretes Nazaræus dicatur Ναζηραῖος & aliquando Ναζαραῖος, in Novo autem Teſtamento ſæpiſſimè Ναζωραῖος aliquando Ναζαραῖος aliquando Ναζαρηνός. Adde quod Druſius in Commentario priore vocum Hebraicarum Novi Teſtamenti ad vocem Nazareth notet in Syrorum dialecto permutari literas *zaijn* & *tſadi*.

Cæterum quæcunque demum harum ſententiarum præferenda eſt (quod diſcutere non eſt hujus loci) id ſatis eſt ad inſtitutum noſtrum in hoc doctos convenire quòd teſtimonium iſtud citetur ex iis libris qui extant in Veteri Teſtamento.

Scripta Nathanis, Gaddi & aliorum inſerta ſunt libris Canonicis. Num. 21. 14 Joſ. 10. 13. 2 Sam. 1.18. 1 Reg. 14. 19. 2 Par. 12. 15. & 20. 34. Judæ 14.

Itaque his omiſſis tranſeamus ad alteram rationem Bellarmini, quâ probare nititur aliquos libros Canonicos periiſſe quæ ſumitur à quibuſdam exemplis ſeu inſtantiis ſuprà memoratis quibus aliæ addi poſſunt, ut liber bellorum Domini Num. 21. 14. liber Iaſes ſeu juſti aut juſtorum Joſ. 10. 13. & 2 Sam. 1. 18. liber Chronicorum Regum Iſraëlis & Regum Judæ 1 Reg. 14. 19. & ſæpe alibi, liber Semaiæ 2 Paral. 12. 15. liber Jehu filii Hanani 2 Paral. 20. 34. & concio Enochi Judæ 14.

Hìc gemina occurrit reſponſio. Prima, ſi negetur illos libros intercidiſſe. Secunda, ſi negetur eos fuiſſe Canonicos, quibus accedit tertia, quod accipiantur quædam exempla pro libris ſcriptis qui non ſunt libri. Et quidem aliquot ex libris qui objiciuntur non intercidiſſe probabiliter defendunt varii non tantum ex noſtris (quos ſuo more hoc nomine maledictis inceſſit Gretſerus) ſed etiam ex Pontificiis celebrioribus, nam ſcripta Nathanis & Gadi Prophetarum quorum mentio fit 2 Paral. ult. inſerta eſſe libris Samuelis qui continent hiſtoriam rerum poſt ejus obitum geſtarum, notant Paulus Epiſcopus Burgenſis additione ad Commentarios; Lyra in iſtum locum, & Sixtus Senenſis Biblioth. lib. 1. ad 1. & 2 lib. Regum, licet in 2. lib. aliter loquatur, & Genebrardus in Chronologiâ ad annum 3066. & Ludovicus de Tena Epiſcopus Hiſpanus. Imo inter opera Hieronymi tom. 3. in tractatu de quæſtionibus Hebraicis in libros Regum idem aſſeritur ad explicationem eorum verborum „ 2 Sam. 1. 18. *Ecce ſcriptum eſt in libro Iaſes* ſeu *in libro Iuſtorum*. Li„ber Juſtorum (inquit) liber Samuelis eſt ubi continentur prophe„tæ juſti Samuel videlicet, Gad, & Nathan, in quorum libro ſcri„ptum eſſe perhibetur qualiter Saul recedens à timore Domini per„inobedientiam ſuam periit. Sic nonnulli cenſent ſcripta Nathanis,

Ahiæ,

2 *Par.* 12. 15. & 13. 22. & 20. 34. Ahiæ, Semaiæ & Jehu quorum mentio fit 2 Paralip. 12. 15. & 13. 22. & 20. 34. contineri in libris Regum.

Quod autem Bellarminus & alii conjiciunt ex 1 Cor. 5. 9. Apoſtolum aliam epiſtolam ſcripſiſſe ad Corinthios, quæ nunc non extat. Reſpondetur ab aliis non aliam, ſed illam ipſam quam ſcribebat priorem ad Corinthios intelligi, & Apoſtolum reſpicere ad verba præcedentia in eodē capite: adeoque verba illa ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ reddenda eſſe ſcripſi vobis in hac epiſtola, aut ſaltem ita eſſe intelligenda. Sicut Col. 4. 16. ubi dicitur *Cum lecta fuerit* ἡ ἐπιστολὴ Vetus Interpres habet *Epiſtola hæc*. Et ſic intellexerunt verba illa 1 Cor. 5. 9. Græci Patres, qui vim Græcæ linguæ optimè intellexerunt, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius.

Sed in hac reſponſione non immoramur, nam altera generalior eſt & tutior: nempe ut negetur ſcripta quæ interciderunt Prophetarum & Apoſtolorum eſſe Canonica. Neque enim veriſimile eſt Prophetas & Apoſtolos nihil unquam aliud ſcripſiſſe quàm quod in Sacris Literis extat. Et quid vetat quo minus Prophetæ poſſent multa ſcribere more humano, & humano ſpiritu & induſtriâ ſive de privatis ſive de publicis negotiis, aut ut viri alii pii & ſancti ordinariâ Sp. Sancti gratiâ prædıti nonnulla ad veritatem Divinam, Religionem, & pietatem ſpectantia præſcribere, quæ ipſi ſecernere poterant ab iis, quæ extraordinariè & immediatè dictata à Deo acceperunt: ut hæc ſola in Canonem relata fuerint non autem reliqua. Imò in ſcribendo, ut in vivendo aliquos eorum peccare potuiſſe, patet ex epiſtolâ illâ Davidis ad Joabum in causâ Uriæ.

Secundum Auguſtinum omnia Prophetarum ſcripta non erant Canonica.

Auguſtinus de Civit. Dei lib. 17. cap. ult. In magna (inquit) multitudine Prophetarum perpauci ea ſcripſerunt, quæ auctoritatem Canonis obtinerent. Idem de Civit. Dei lib. 18. cap. 38. In hiſtoriâ (inquit) Regum Iuda & Regum Iſraël, commemorantur plurima, quæ ibi non explicantur, & in libris aliis inveniri dicuntur, quos Prophetæ ſcripſerunt: nec tamen inveniuntur in Canone, quem populus Dei recepit: cujus rei, fateor, cauſa me latet, niſi quod exiſtimo etiam ipſos, quibus ea quæ in auctoritatem Religionis eſſe deberent, Sanctus utique Sp. revelabat, alia ſicut homines hiſtoricâ diligentiâ, alia ſicut Prophetas inſpiratione Divinâ ſcribere potuiſſe. Atque hæc ita fuiſſe diſtincta, ut illa tanquam ipſis, iſta verò tanquam Deo per ipſos loquenti judicaretur

„ tur eſſe tribuenda: ac ſic illa pertinerent ad ubertatem cognitio-
„ nis, hæc ad Religionis auctoritatem, in quâ auctoritate cuſtoditur
„ Canon.

Licet ergo concedatur libros iſtos qui in Sacris Literis, ut dictum eſt, citantur, non extare, negandum eſt tamen propterea aliquam partem Sacri Canonis intercidiſſe, cùm oſtendi non poſſit ullos alios fuiſſe libros Canonicos præter eos quos nunc habemus. Sic liber bellorum Domini citatus Num. 21. 14. Liber Jaſer ſeu Juſti aut Juſtorum Joſ. 10. 13. & 2 Sam. 1. 18. liber Chronicorum Regum Iſraël, & liber Chronicorum Regum Juda, qui ſæpe citantur in libris Regum, & in 2 Paralip. 24. ult. cenſeri poſſunt utiles hiſtoriæ à piis viris perſcriptæ, licet non immediatè à Deo dictatæ. De duobus illis prioribus variæ ſunt doctorum ſententiæ, quas memorat Sixtus Senenſis Biblioth. lib. 2. illud autem obſervandum eſt, cùm nominatur liber bellorum Domini Num. 21. 14. non intelligi neceſſariò aliquam ſeparatam Scripturam, nam vox סֵפֶר non ſemper ſignificat librum ut communiter liber accipitur, ſed Catalogum, recenſionem, aut narrationem: quo ſenſu Mat. 1. 1. nominatur liber generationis Jeſu Chriſti.

In lib. 1. Reg. (qui Latinis eſt liber tertius) cap. 4. 32. mentio non fit librorum Solomonis ſed dictorum, puta parabolarum ter mille & carminum mille & quinque (non quinquies mille ut habet Latina editio) & ſermonum de arboribus; beſtiis, volucribus, reptilibus & piſcibus, quæ omnia aut aliqua ſcribi potuiſſe non negamus: ſed Theologica illa omnia fuiſſe nedum Canonica, quis aſſerere audeat?

Similiter Judæ 14. non citatur liber aliquis Enochi, ſed Prophetia, quam Traditione non ſcriptâ propagatam eſſe veriſimile eſt, quæ nullam aliam doctrinam habet quam quæ variis Scripturæ locis continetur. Eſt quidem liber qui Enochi appellatur, ſed conſtat eum eſſe Apocryphum, ut docet Auguſt. de Civit. Dei lib. 18. cap. 38. Sed ſive Apoſtolus ex Traditione, ſive ex Apocrypho libro citaverit, perinde eſt, qui potuit vera à falſis ſecernere tum in Traditionibus, tum in libris Apocryphis, & ſententiis nonnullis etiam Ethnicorum Canonicam impertiri auctoritatem: ſicut Paulus uſurpans ſententiam illam Menandri, *Mores bonos commercia corrumpunt mala* 1 Cor. 14. 33. eam ſanctificavit. *Enochi Prophetia non fuit liber.*

Quod dixit Bellar. certum eſſe, periiſſe epiſtolam Pauli ad Laodicenſes, *Nullam Paulus ad*

Laodicenſes epiſtolam ſcripſit. dicenſes, cujus mentio fit Col. ult. id retractat in recognitione operum ſuorum cap. 1. & meritò. Nam in Græcâ editione authenticâ legitur τὴν ἐκ Λαοδικείας, id eſt, epiſtolam miſſam Laodiceâ, non Laodiceam ſeu ad Laodicenſes. Chryſoſtomus in illa verba ait exiſtimari hanc eſſe epiſtolam à Laodicenſibus ſcriptam ad Paulum non à Paulo ad eos. Baronius Cardinalis tomo 1. ad annum 60. numero 13. *Baronius.* „ Libentius (inquit) Chryſoſtomo & Theodoreto adhæremus quàm cæteris, ut nulla ſcripta fuerit à Paulo epiſtola ad Laodicenſes. Et vulgata editio Latina huic ſententiæ favere videtur: appellat enim eam epiſtolam Laodicenſium. Theophylactus & alii conjiciunt hîc intelligi epiſtolam Pauli priorem ad Timotheum. Nam in ſubſcriptione quæ ſubjungitur iſti epiſtolæ in Græcis Codicibus, dicitur eam ſcriptam eſſe Laodiceâ. Non diſſimilia tradit Sixtus Senenſis in Biblio. lib. 2. ad nomen *Paulus*, & de hac epiſtolâ & de illa quam Bellar. ait ſcriptam eſſe ad Corinthios præter eas duas quæ extant.

Canonis auctoritas non eſt ab Eccleſiâ ſed ex internis argumentis ſumitur. Duo ſuperſunt incommoda tollenda quæ hanc ſententiam premere videntur. Primò enim Stapletonus in princip. doctrinal. lib. 9. cap. 6. de & defenſione auctor. Eccleſiaſt. lib. 2. cap. 1. ex hoc fundamento quod quædam prophetarum & Apoſtolorum ſcripta in Canonem non ſunt recepta colligit Canonis auctoritatem à ſolâ Eccleſiâ, neceſſario petendam eſſe. Sed neganda eſt conſequentia: nam oportet ut ſit aliqua ratio ob quam Eccleſia diſcreverit eos libros qui non ſunt Canonici à Canonicis. Neque enim Eccleſiam pro arbitrio, ſine ratione alios libros in Canonem recepiſſe, alios verò non item, credibile eſt. Iſta autem ratio perpetua eſt, adeo ut quæ Eccleſiam priſcam movit, eadem nos movere debeat, ut ſimiliter judicemus & de iis libris qui extant, & de aliis ſi extarent. Ergo Canonis auctoritas non à ſolâ Eccleſiâ, nec primariò ab Eccleſiæ auctoritate, ſed primariò à ratione quæ movit Eccleſiam, putà ab ipsâ inſitâ luce Scripturæ pendet, & ſecundario quidem à teſtimonio Eccleſiæ probatur. Quâ de re nos fuſiùs diſſeruimus lib. 3. cap. 17. Nec dubium eſt ipſos Prophetas & Apoſtolos diſcreviſſe ſcripta ſua Canonica à non Canonicis, nec pari auctoritate Eccleſiæ commendâſſe. Atque hoc ipſum innuit etiam Auguſtinus in loco iſto citato de Civit. Dei lib. 18. cap. 38. Nullam autem rationem affert ab auctoritate Eccleſiæ, ſed à genio ipſorum librorum.

Deinde

Digitized by Google

Vult Witakerus nullum ullius Prophetæ ſcriptum periiſſe.

Deinde Witakerus noſter qui contrariam ſententiam tuetur in reſponſione ad defenſionem Stapletoni lib. 2. ſic arguit: Cùm Pro„ phetæ fuerint extraordinarii Doctores Eccleſiæ, quos Deus au„ diendos eſſe per omnia juſſit, cumque Scripturæ ex eo quod Pro„ pheticæ ſunt, Sacræ & Canonicæ eſſe cognoſcuntur, quicquid „ Propheta aliquis edidit, & Eccleſiæ commendavit, id inſpiratione „ Divina ſcriptum fuit. Ad demonſtrandam Scripturæ alicujus au„ ctoritatem ſufficere ſemper exiſtimatum eſt, ſi librum Propheti„ cum vel Apoſtolicum eſſe conſtaret. Periculoſum autem eſt di„ cere Prophetas & Apoſtolos aliquid edidiſſe, quod Canonicam „ auctoritatem non mereatur: nam ſi aliquid ediderunt indignum Ca„ none, & reliquis ſuis ſcriptis fidem abrogârunt, & contra muneris ſui dignitatem fecerunt.

Sed reſponſio ex ipſo Witakero colligi poteſt in præcedentibus, nempe ut dicamus quæcunque ſcripſerunt Prophetæ & Apoſtoli ut Prophetæ & Apoſtoli & à Deo inſpirati ad publicam inſtitutionem Eccleſiæ, ea in Canonem recepta eſſe: non autem ſi alio conſilio ſcripſerunt, quàm ut in Canonem reciperentur. Nam ut multa dixerunt & fecerunt, ita ſcripſerunt aut ſcribere potuerunt, ut privati aut ut pii homines communi & ordinario modo, ut non omnia quæ Notarius aliquis ſcribit ſunt authentica, ſed quæ ut Notarius ex officio ſcribit, neque id ſatis eſt ut Scriptura ſit Canonica, quòd à Propheta & Apoſtolo ſcripta fuerit, niſi ex materiâ & modo ſcribendi, aut commendatione Divina vel hominum θεοπνεύστως conſtet eam Divinitus eſſe dictatam & conſignatam in eum finem. Nunc autem nihil periculi eſt ne quidquam per ea ſcripta derogetur auctoritati Prophetarum & Apoſtolorum, cùm nulla nunc extent præterea quæ in Canone reperiuntur.

Eſdras Veteris & Ioannes Novi Teſtamenti libros omnes approbârunt.

Cæterum conſentaneum eſt ſingulos libros Canonicos hoc nomine ab ipſorum ſcriptoribus Prophetis & Apoſtolis Eccleſiæ eſſe commendatos, & omnes libros Veteris Teſtamenti primum ab Eſdra Prophetâ collectos. Deinde à Chriſto & Apoſtolis approbatos, ac poſtremò totum Canonem etiam Novi Teſtamenti à Joanne abſolutum & comprobatum eſſe.

Quod diximus de Eſdra patet ex eo quod communi omnium auctorum Judæorum & Chriſtianorum conſenſu cognoſcitur Ezram reparâſſe Scripturam, quod non ita intelligendum eſt, quaſi libri penitus fuerint conſumpti & amiſſi in vaſtatione & captivitate Babylonicâ

Digitized by Google

lonicâ, & Eſdras novâ revelatione fretus eos denuò dictaverit, ut dicitur in Apocrypho lib. Eſdræ 2 (qui dicitur lib. 4. Eſdræ) cap. 4. Sed quod ille, ut teſtatur Elias Levita in præfatione tertiâ libri Maſoreth libros illos paſſim neglectos & diſperſos collegerit, à ſcriptis non Canonicis ſecreverit, & librariorum mendis ſublatis, multa exemplaria fideliter deſcripta publicaverit, atque ad hanc rem uſus eſt etiam operâ & conſilio virorum centum viginti magnæ Synagogæ, inter quos erant illi quinque Prophetæ, Haggæus, Zacharias, Malachias, & Nehemias: ut intelligatur hoc non humano, ſed Divino conſilio factum eſſe. Hac de re fuſiùs agit Buxtorfius in Commentario Maſoretico cap. 11. & aſſentitur Bellar. de Verb. Dei l. 2. c. 1.

Joannem autem poſt omnes reliquos Apoſtolos vixiſſe, ſcripſiſſe, & extremam manum impoſuiſſe Novo Teſtamento, colligitur ex Hieronymi libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, & Prooemio in Commentariorum in Evangelium Matthæi, Cyrilli Prologo in Pſalmos, Athanaſio in Synopſi, Epiphanio hæreſi 51. Euſebio hiſtor. Eccleſ. lib. 3. cap. 20. & 24. & præfatione quæ præmittitur Auguſtini Commentariis in Joannem, item ex Theophylacto in Matthæum & Lucam, & variis aliis.

C A P. XIV.

Reſpondetur ad alias rationes Pontificiorum.

Deus præcepit ſui verbi ſcriptionem.

Secunda ratio Bellar. ſumitur ex diſcrimine quod eſt inter prædicationem & Scripturam Apoſtolorum: cujus tria ſunt membra. ,, Primum membrum. Si Chriſto & Apoſtolis fuiſſet propoſitum ,, Verbum Dei coarctandi & reſtringendi ad Scripturam, inprimis ,, rem tanti momenti Chriſtus apertè præcepiſſet, & Apoſtoli alicu- ,, bi teſtarentur ſe ex Domini mandato ſcribere, quemadmodum ex ,, Domini mandato in toto orbe docuerunt: Ad id nuſquā legimus; E.

Reſp 1. retorqueri poteſt argumentum, nam ſi Chriſto & Apoſtolis propoſitum fuiſſet tradere aliud Verb. Dei re vel ſubſtantiâ diverſum ab eo quod ſcriptū eſt ab Apoſtolis, in primis rem tanti momenti, Chriſtus apertè præcepiſſet, & Apoſtoli alicubi teſtarentur, ſe ex Domini mandato illud tradere: At id nuſquam legimus: Ergo. In hoc argumento manifeſtior eſt ratio conſequentiæ Maj. quàm in præcedente, quia major eſt controverſia, num Traditiones quæ citra & extra Scripturam proponuntur ſint Verb. Dei, quam utrum Sacra Scriptura ſit Verbum Dei. Minor etiam non minùs manifeſta eſt: nam

in

in omnibus teſtimoniis quæ Pontificii citant aut citare poſſunt ex ſacris Literis nihil tale reperitur.

Secunda reſponſio. Si intelligit Bellar. neceſſarium fuiſſe externum mandatum Chriſti, aut teſtimonium Apoſtolorũ totidem verbis expreſſum, neganda eſt Maj. nam ſatis eſt internum mandatum quod à Deo inſpirati ſcriberent, & ſatis eſt Apoſtolos hoc re ipſa teſtatos eſſe, cùm divinam Scripturam exhibuerunt. Quod ſi generaliter accipitur mandatum Chriſti, & teſtimonium Apoſtolorum, neganda eſt Minor: non enim eſt dubitandum Apoſtolos ſcribendo teſtatos eſſe ſuam obedientiam, mandato inſpirantis Dei. Tota enim Scriptura eſt divinitus inſpirata 2. Tim. 3. 16. Et Irenæus l. 3. c. 1. Evangelium (inquit) præconiaverunt Apoſtoli, poſteà verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt. Auguſtinus de conſenſu Evangeliſtarũ „ cap. 35. Quicquid Chriſtus (inquit) de ſuis factis & dictis nos legere voluit hoc ſcribendum Apoſtolis tanquam ſuis manibus imperavit. Greg. Magnus lib. 4. Epiſtolarum Epiſt. 84. Quid eſt Scriptura Sacra, niſi quædam Epiſtola Omnipotentis Dei ad creaturam ſuam? Epiſtola enim tribuitur Regi aut Principi cujus nomine ſcribitur, non ſcribæ aut amanuenſi à quo ſcribitur, qui ſi nomine principis aliquid ſcribit ſine ejus mandato, in Crimen Læſæ Majeſtatis incidit.

Irenæus. *Auguſtinus.* *Gregorius Magnus.*

Gregor. de Valent. de Analyſi fidei l. 8. c. 5. & Comment. Theologic. tom. 3. diſp. 1. q. 1. punt. 7. q. 8. p. 24. aſſerit, ob eam cauſam ſcriptorem ſacrum agi à Sp. S. quia etſi ſponte quidem ſcribat, at ſcribit tamen omnino neceſſariò; ita ut (Spiritu ſic efficaciter volente) minimè in ipſius arbitrio ſit poſitum ſcribere aut non ſcribere, aut alio modo, alio tempore, aliis verbis ſcribere.

Quod autem aſſerit Bellarm. Apoſtolos nuſquam teſtari ſe ex mandato Domini ſcribere, quemadmodum ex Domini mandato in toto Orbe docuerunt, partim falſum, partim ineptum eſt. Falſum eſt, nam ut nihil prætereà dicam, de reali teſtimonio Apoſtolorũ, qui id ipſum re ipſâ & facto teſtati ſunt, Joannes in Apocalypſi ſæpenumero teſtatur disertè, ſe ex mandato Domini ſcripſiſſe cap. 1. 11. 19. & 2. 1. 8. 12. 18. & 3. 1. 7. 14. & 14. 13. & 19. 9. & 21. 5. Etſi autem mandatum directè ad ſolum librum referri videtur, tamen cùm ſimilis occurrat ratio in reliquis libris ſcribendis, colligere licet, reliquos quoque libros ex mandato divino perſcriptos eſſe. Sic in Veteri Teſtamento plurima extant mandata, quibus Deus oracula ſua ſcribi præcepit, ut Exod. 17. 14. & 34. 27. Eſ. 8. 1. & 30. 8. Jerem. 30. 2. & 36. 2. Ezech. 24. 2. & 43. 11. Habac. 2. 2.

Apoc. 1. 11. 19. & 2. 1. 8. 12. 18. & 3. 1. 7. 14. & 14. 13. & 19. 9. & 21. 5. *Exod.* 17. 14. & 34. 27. *Eſ.* 8. 1. & 30. 8. *Jer.* 30. 2. & 36. 2. *Ezech.* 24. 2. & 43. 11. *Habac.* 2. 2.

Ineptum eſt, nam cum Chriſtus apertè mandaverit Apoſtolis, διδάσκειν καὶ μαθητεύειν docere omnes gentes, ac ut diſcipulos inſtruere Mat. 19. 20 (quod ſit partim vivâ voce, partim ſcripto) quis audebit illud reſtringere ad vivam vocem & modum docendi per Scripturam excludere? Præſertim cùm multò manifeſtius appareat, Apoſtolos per Scripturam quàm per vivam vocem docere omnes gentes uſque ad conſummationem ſæculi.

Apoſtoli etſi ex occaſione tamen divinâ inſpiratione omnes ſcripſerunt.

Secundum membrum. Si Apoſtoli, non de ſcribendo, ſed de prædicando Evangelio primariâ intentione cogitârint, non fuit eis propoſitum Verbum Dei coarctare & reſtringere ad Scripturam. At prius. Ergo. Minorem probat, quia ad prædicandum vivâ voce non expectârunt Apoſtoli oblatam occaſionem, vel neceſſitatem, ſed ſponte ſuâ & ex proprio inſtituto perrexerunt; at ad ſcribendum non niſi neceſſitate quâdam coacti animum applicuerunt, idque probat variis exemplis.

Euſebius.

,, Matthæum (inquit) ſcribit Euſebius lib. 3. hiſtoriæ cap. 24. ,, vel 28. in alia editione ex occaſione ſcripſiſſe, quia cùm prædi-,, càſſet Hebræis & ad gentes ire pararet, utile judicavit ſi iis quos ,, corpore deſerebat aliquod memoriale doctrinæ ſuæ relinque-,, ret, Marcum refert idem Euſeb. lib. 2. hiſtoriæ cap. 15. com-,, pulſum precibus Romanorum ſcripſiſſe Evangelium, Lucam ,, idem Euſeb. tradit. lib. 3. hiſtoriæ cap. 24. ideo ſcripſiſſe, quia ,, viderat multos alios temerè præſumpſiſſe, ea literis mandare quæ ,, non perfectè noverant, nimirum ut nos abſtraheret ab incertis ,, aliorum narrationibus. Joannem ſcribit Hieronymus in lib. de ,, ſcriptoribus Eccleſiaſticis compulſum fuiſſe ab Aſiæ Epiſcopis ,, poſt reliquos Evangeliſtas Evangelium ſcribere propter Ebioni-,, tarum Deitatem Chriſti negantium hæreſin tunc exorientem.

Reſp. 1. ad Maj. in quâ (ut in priore etiam argumento) quod dicitur de reſtrictione ad Scripturam ambiguè dicitur, nam vel intelligitur Scriptura tantum ipſorum Apoſtolorum, vel Sacra Scriptura in genere. Si priore modo intelligatur, eſt fallacia ab ignoratione Elenchi: neque enim hîc quæritur utrum fuerit propoſitum, Apoſtolis univerſam ſuam doctrinam ad Scripturam ſuam reſtringege, ſed utrum hoc fuerit propoſitum Spiritui Sancto univerſum Verbum Dei de rebus ad fidem & mores neceſſariis includere in corpore Scripturæ Prophetarum & Apoſtolorum, ſeu in Vetere & Novo Teſtamento; neque enim aſſerimus Samuelem, verbi causâ, aut Nehe-

Nehemiam aut Eſaiam, aut Jeremiam, aut Petrum, aut Mattheum inſtituiſſe ut omnia ſcriberentur à ſe aut ab aliis. Quod ad eos attinet, ſatis eſt ut inſtituerent eam partem Scripturæ literis mandare, quam Spiritus Sanctus eis dictavit. Nihil obſtat tamen quominùs Spiritus Sanctus potuerit inſtituere, per diverſos amanuenſes diverſis ætatibus & ſæculis degentes, totum corpus doctrinæ omnibus numeris abſolutum ſcripto complecti. Atque hoc conſtat ex facto, ut ſuprà probavimus: etenim quod fecit Sp. Sanctus, id procul dubio inſtituit.

Si poſteriori modo intelligatur, id eſt, ſi ſumatur reſtrictio ad Sacram Scripturam in genere ſumptam: neganda eſt Maj. Nam etſi Apoſtoli nihil ſcripſiſſent; non ſequitur tamen eis non fuiſſe propoſitum reſtringere doctrinam ſuam, adeoque Verbum Dei ad Scripturam. Hoc inſtituto Chriſtus jubet ſcrutari Scripturas, Joan. 5. 39. & Paulus profitetur, ſe nihil dixiſſe extra ea quæ Moſes & Prophetæ futura prædixerunt, Act. 26. 22. *Jo. 5. 39. Act. 26. 22.*

Deinde Reſp. ad Min. quod ſit neganda: nam ſive vivâ voce prædicârunt, ſive ſcripſerunt, cur non de utrovis pariter primariâ, aut ejuſdem ordinis intentione cogitârunt? An non primariò intenderunt docere omnes gentes? At id fit non minùs ſcripto quàm vivâ voce, ut dictum eſt: imò utroque modo prædicârunt Apoſtoli „ ut ſcribit Tertullianus de præſcriptionibus cap. 21. Quod autem „ (inquit) prædicaverint Apoſtoli, id eſt, quid illis Chriſtus reve- „ laverit, & hic præſcribam non aliter probari debere niſi per eaſ- „ dem Eccleſias quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando „ tam vivâ (quod aiunt) voce, quàm per Epiſtolas poſteà. *Tertullianus.*

Neque verò ſequitur, ſi Apoſtoli oblatâ occaſione, aut urgente quadam neceſſitate ſcripſerunt, eos non ſponte ſuâ, & ex proprio inſtituto ſcripſiſſe: quaſi verò Apoſtoli non arripuerunt omnes occaſiones prædicandi, & agnoverunt ſibi neceſſitatem impoſitam Evangelizandi, ut de ſe ſcribit Paulus 1. Cor. 9. 16. *Si Evangelizem, non eſt quod glorier, neceſſitas enim mihi incumbit, væ autem mihi niſi Evangelizem.* Ideoque jubet Timotheum 1. Epiſt. 4. 2. *Prædicare, inſtare opportunè inopportunè.* Sed hæc neceſſitas non repugnat proprio inſtituto & conſilio Apoſtolorum, neque enim intelligitur ulla neceſſitas abſoluta aut violenta; acti quidem erant à Spiritu Sancto, tum in ſcribendo, tum in loquendo, ſed motu voluntario & placido, ſcientes & prudentes, non tanquam vates profani & fanatici qui furore *1. Cor. 9. 16. 1. Tim. 4. 5.*

Digitized by Google

rore perciti oracula fundebant inſcii aut inconſiderantes.

Deinde quod de certis rebus aut perſonis, certâ occaſione ad ſingularem hominem, aut particulares Eccleſias ſcriptum eſt ab Apoſtolis, non reſtringendum eſt ad illas circumſtantias, ſed illud tenen-

Rom. 15. 4. dum eſt quod docet Apoſtolus Rom. 15. 4. *Quæ ante ſcripta ſunt, ad nos docendos ante ſcripta ſunt, ut per tolerantiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* Proinde etiam Paulus dicit ad Corinthios etſi certâ occaſione de certis rebus quæ ipſorum intererant ſcribat, tamen Epiſtolæ uſum extendit ad omnes ubivis terrarum Chriſtianos, 1. Cor. 12.

Toletus. „ Toletus Cardinalis in Lucam præfatione annotatione 11. Et„ iamſi (inquit) Lucas uni Theophilo Evangelium ſuum ſcripſerat, „ non tamen pro illo ſolo ſcripſit, ſicut & Paulus multas Epiſtolas „ aut hominibus particularibus aut provinciæ ſcripſit, quæ tamen in

Maldonatus. utilitatem totius Eccleſiæ ordinabantur. Similia tradit Maldonatus Jeſuita in Luc. 1. 3.

Denique Bellarm. dum memorat graviſſimas occaſiones & neceſſarias cauſas quibus Apoſtoli ad ſcribendum incitabantur (quæ nunc & perpetuò, non minùs quam olim locum habent) tantùm abeſt ut nobis adverſetur, ut potiùs magnopere noſtram ſententiam confirmet, non tantum de inſigni utilitate, ſed etiam de gravi neceſſitate Scripturæ, quam ipſe prius evertere conabatur. Id quod probant teſtimonia à Bellarm. citata, quibus plura alia adjungi poſſunt.

Non neceſſe eſt ut Apoſtoli ſcriberent Symbola, aut Catechiſmos. Tertium membrum eſt argumentum quo probari videtur Minor præcedentis Syllogiſmi ad hunc modum. Si doctrinam ſuam literis conſignare ex profeſſo voluiſſent Apoſtoli, certè Catechiſmum aut ſimilem librum confeciſſent, idque vel ſinguli per ſe feciſſent, vel ſimul congregati communi operâ, at id non fecerunt: E. Prob. Min. nam alii Hiſtoriam ſcripſerunt ut Evangeliſtæ, alii Epiſtolas ex occaſione ut Petrus, Paulus, Jacobus, Judas, Joannes, & in iis non niſi obiter diſputationes de dogmatibus tractaverunt.

Reſp. 1. Negatur Maj. nihil enim obſtat quo minùs potuerint doctrinam ſuam tradere, vel in hiſtoriam dictorum & actorum Chriſti & Apoſtolorum (nullum enim eſt dogma fidei quod non eſt inter acta Chriſti, vel ſaltem dictum à Chriſto & Apoſtolis) vel in Epiſtolis in quibus ex inſtituto tractantur, quæ ad fidem mores, & ordinem Eccleſiæ ſpectant. Quod autem Bellarm. ait, in iis non niſi

niſi obiter diſputationes de dogmatibus tractari, apertè falſum eſt. Quis enim neſcit in Epiſtolis ad Rom. Cor. Gal. Hebr. & in cæteris ex inſtituto plenas diſputationes de dogmatibus tractari: quanquã nihil eſt ad rem quod Bellar. de diſputationibus loquitur: ſatis enim eſt, & Luce meridianâ clarius, quod in iis dogmata fidei & morum de induſtriâ tradantur, aut diſertè inde eliciantur, ſive diſputentur ſive non. Illud autem non ſine admirabili Dei conſilio factum eſt quod diverſi homines, diverſis locis, temporibus, & occaſionibus ſcribentes variâ methodo & ſtylo, divinam veritatem tradiderunt, ſine ullâ repugnantiâ aut diſcrepantiâ (quod in nullâ aliâ re unquam evenit) ut manifeſtum ſit, non humanâ operâ, induſtriâ, arte, conſpiratione, aut inſtituto; ſed divino inſtinctu & inſpiratione, in eâdem doctrinâ unanîmes conveniſſe, & commune opus pro ſuâ ſingulos parte, nihil autem in communi tractantes abſolviſſe. Nihil verò obſtat, quod non omnes Apoſtoli ſcripſerint: nam quod à quibuſdam factum eſt, ab omnibus procul dubio fuit approbatum.

Prætereo, quia non eſt ad rem quod dicit hîc Bellarm. Symbolum ab Apoſtolis vivâ voce traditum eſſe, non autem ſcriptum, idque probat variis Patrum teſtimoniis, in quibus tamen de ſcripturâ Symboli, nihil aut affirmatur aut negatur.

Terta ratio Bellarmini eſt à more hæreticorum ad hunc modum. Communi conſenſu hæretici omnium ætatum rejiciunt Traditiones, & provocant, ad ſcripturas quaſi ſufficientes: Ergo contra exiſtimandum eſt Scripturam non eſſe ſufficientem, & recipiendas eſſe Traditiones extra Scripturam.

Hæretici quà tales non provocant ad Scripturas ſed ſunt lucifuga Scripturarum.

Reſp. Nulla eſt ratio hujus conſequentiæ, niſi intelligatur in antecedente hæreticos ut hæreticos ita facere ac docere. Nulli enim ſunt tam perverſi hæretici quin aliquid boni & veri aſſerant ac defendant, neque enim æquum eſt ut oves pellem ſuam abjiciant, quòd eam interdum lupus induat. An quia Satanas ex Scripturis aliquando argutatus eſt, ideo imitatores Satanæ cenſendi ſunt qui ex Scripturis arguunt? Quod ſi ſic intelligatur antecedens, nempe hæreticos ut hæreticos ita facere, tum & falſum eſt, & eſt manifeſta petitio quæſiti: neque id probant, aut probare poſſunt Adverſarii.

Deinde etiam antecedens ſimpliciter ſumptum falſum eſt: neque enim in hac re oſtendi poteſt communis conſenſus hæreticorum: & ipſe Bellarm. ult. cap. hujus lib. reſpondens ad quartum argumentum noſtrorum, contrarium docet. Etenim plurimi hæretici, quo„ niam à Scripturis arguuntur, in accuſationem Scripturarum con-

„ vertuntur, quaſi non rectè habeant, & non poſſit ex his inveniri veritas ab iis qui neſciunt Traditionem, ut docet Irenæus lib. 3. c. 2. & Traditionibus non ſcriptis nitentes in hæreſes & errores inciderunt, ut nos ſuprà oſtendimus cap. 9. in quartâ ratione.

Irenæus.

Antecedens de communi conſenſu hæreticorum probat Bellarm. Inductione, ſed inductione valde imperfectâ quæ non probat inſtitutum, cujus tamen nos ſingula membra examinabimus.

Marcionitæ tam Scripturas quam Traditiones rejiciebant.

„ I. De Valentinianis (inquit) Marcionitis, & ſimilibus teſtantur „ Irenæus lib. 3. cap. 2. & Tertullianus de Præſcriptionibus quod Traditiones Eccleſiæ non ſcriptas rejicerent.

Irenæus. Idem docet lib. 1. cap. 1. & 24. & lib. 2. cap. 46.

Reſp. Irenæus in eodem cap. teſtatur eoſdem hæreticos, à Scripturâ provocare ad Traditiones non ſcriptas, ſed eos neque Scripturis, neque Traditioni convenire; Ideoque eos refellit utroque modo, id eſt, tum Scripturâ, tum Traditione: non quod alia doctrina contineatur in Traditione quæ non eſt in Scripturâ: nam eandem doctrinam utroque modo confirmat. Per Traditionem enim intelligit modum tradendi, non rem traditam: nec verbum ullum facit de Traditione quaſi de dogmate non ſcripto.

Tertullianus.

Similiter Tertull. in lib. citato docet eoſdem hæreticos accuſare Scripturam imperfectionis cap. 17. & urgere Traditiones non ſcriptas præter Scripturam hoc prætextu, quod licet Apoſtoli omnia ſciverint, non tamen omnia omnibus tradiderunt, ſed quædam palam & univerſis, quædam ſecretò & paucis demandârunt cap. 22. & 25. Docet autem hos refelli Traditione Eccleſiæ, ſimiliter intelligens modum tradendi, non doctrinam traditam diverſam à Scripturâ. Non enim de aliâ doctrinâ loquitur, quàm de articulis fidei qui in Symbolo compræhenduntur, ac proinde in Scripturâ diſertè explicantur, ut patet ex cap. 13. Sic per Traditionem intelligit non doctrinam aliquam extra Scripturam, ſed Eccleſiæ perpetuam teſtificationem & profeſſionem de doctrinâ ſua; vel *Traducem fidei* (ſic enim loquitur in cap. 20.) inde ab Apoſtolis in Eccleſiâ uſque conſervatam, cujus fundamentum in Scripturis extat, & frequenter quidem Tertullianus provocat ad Scripturas contra Hæreticos, quos vocat *Lucifugas Scripturarum* lib. de Reſurrectione carnis cap. 47. Vide teſtimonia à nobis allata ſuprà cap. 5.

Cyprianus malè annumeratur hæreticis.

II. ait: Cyprianus cum errorem de Anabaptiſmo defendere vel„ let: non aliter id facere potuit quàm à Traditione ad Scripturam „ provocando, ut apparet ex Epiſtolâ ejuſdem ad Pompeium, & ex „ alterâ ad Jubajanum.

Reſp.

Reſp. Indigniſſimum eſt quod ad probandum communem conſenſum hæreticorum, exemplum Cypriani annumeret, quaſi Martyr ille laudatiſſimus hæreticis accenſendus eſſet, de quo honorificentiſſimè ſemper loquitur Auguſtinus; etiam ibi ubi hunc errorem ejus refellit. Et Bellarm. ipſe lib. de Conciliis cap. 5. ait Cyprianum ſemper habitum eſſe in numero Catholicorum. Cæterum utcunque Cyprianus cum Concilio Africano erraverit, in opinione de hæreticis rebaptizandis, nullus tamen ſanctorum Patrum qui ei reſtiterunt, id ei vitio vertit, quod ad Scripturam provocaverit, imò hoc nomine laudatur ab Auguſtino, ut oſtendimus ſuprà cap. 10. ad teſtimonium Cypriani.

III. ait. Donatiſtæ quoque ſemper Scripturas urgebant, & Beatus Auguſtinus eis Traditiones, & Eccleſiæ conſuetudinem objiciebat. Lib de unitate Eccleſiæ cap. 19. & alibi.

Non fuit Donatiſtarum error provocare ad Scripturas.

Reſp. Donatiſtæ non hæretici propriè ſed Schiſmatici habiti ſunt, quòd ab unitate Eccleſiæ ſe ſeparaverint, contrà quàm fecit Cyprianus cujus auctoritate errorem ſuum tuebantur, de Baptiſmo à ſceleratis accepto iterando; præter quam culpam & errorem, nihil aliud eis objicitur ab antiquis Patribus; nec quiſquam eorum unquam illos vituperavit quòd Scripturas urgerent, ſed quod malè explicarent & applicarent ad Schiſmatis ſui defenſionem. Imo Auguſtinus eos etiam mutuò ad Scripturas provocat, & ex Scripturis refellit; additâ etiam, fateor, interdum Traditione ſeu praxi & conſuetudine Eccleſiæ, non quâ confirmet dogma aliquod non ſcriptum; nam id quod controverſum erat probat utraque ratione, & Scripturâ & Traditione ſeu conſuetudine Eccleſiæ; & identidem ad ſolam Scripturam provocat: cujus rei hanc rationem aſſignat ipſe Bellarm. in hoc lib. cap. 11. contexta Reſpondeo videri, quia in illis quæſtionibus quæ tunc erant extabant in Scripturâ clariſſima te-,, ſtimonia; Et hæc ratio (inquit) præcipuè locum habet contra ,, Donatiſtas in quæſtione de Eccleſiâ.

Ariani, Neſtoriani, & alii hæretici non ſunt à Patribus reprehenſi quod diſputarēt ex Scripturis.

,, IV. ait Arianos nullo modo quidquam præter Scripturas ad-,, miſiſſe, teſtatur Hilarius, qui in libro contra Conſtantium introdu-,, cit Arianum dicentem: *Nolo verba quæ non ſcripta ſunt, Legi.* Idem ,, de Arianis teſtatur Auguſtinus lib. 1. contra Maximinum in Princi-,, pio: Arianos quoque Traditiones rejeciſſe ſcribit Epiphanius hæ-,, reſi 75. Idem de Eunomianis patet ex Baſilio lib. de Sp. Sancto ,, cap. 27. & 29. Idem de Neſtorio, Eutychete, Dioſcoro refert

Digitized by Google

„ Baſilius Ancyranus Epiſcopus in confeſſione Catholicâ quam re-
„ citavit in 7. Synodo actione prima. Idem de Apoſtolicis ſui tem-
„ poris Bernardus hom. 66. in Cantica. Idem de Joanne Wiclefo
„ Thomas Waldenſis lib. 2. doctrinæ fidei antiquæ cap. 19.

Auguſtinus.

Reſp. Nunquam Orthodoxi Arianos reprehenderunt, quod ad Scripturæ judicium in dogmatibus controverſis appellârunt; imò id ipſum ſeriò laudârunt & poſtulârunt. Hilarius de Trinitate lib. 3.
„ Benè habet (inquit) ut iis quæ ſcripta ſunt contentus ſis. Atha-
„ naſius in Epiſtolâ de Synodo Ariminenſi. Fruſtra circumcurſantes
„ prætexunt ſe ob fidem Synodos poſtulare, cum ſit divina Scriptura
„ omnibus potentior. Baſilius in Epiſt. 80. de Arianis agens ait,
„ ἡ θεόπνευστος ἡμῖν διαιτησάτω γραφὴ judicet nos, ſeu, litem inter nos di-
„ rimat Scriptura divinitus inſpiratâ, & apud quos inveniuntur do-
„ gmata divinis oraculis conſona, illis omnino veritatis adjudice-
„ tur ſententia.

Auguſtinus contra Maximinum Arianum Epiſcopum; Nunc nec
„ ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe, tanquam præjudicatu-
„ rus proferre Concilium, nec ego hujus auctoritate, nec tu illius
„ detineris: Scripturarum auctoritatibus, non quorumcunque pro-
„ priis, ſed utriſque communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum
„ cauſâ, ratio cum ratione concertet. Ambroſ. lib. 1. de fide ad
„ Gratianum Auguſtum cap. 4. Nolo argumento credas, & no-
„ ſtræ diſputationi, Scripturas interrogemus, &c. Multa ejuſmodi teſtimonia congeri poſſunt; ſed hoc vitio vertit Arianis, non quod res ipſas, ſed quod vocabula quibus damnabatur eorum hæreſis ex Scripturis demonſtrari poſtulabant, quod iniquum eſſe oſtendimus cap. 11. in hyp. 4. membro 3. Atque hoc ſolum oſtendunt teſtimonia à Bellarmino citata.

Idem cenſendum eſt de reliquis veteribus hæreticis à Bellarm. nominatis (excepto Aerio) quos ex Sacris Scripturis refutârunt antiqui Patres, neque verò eorum hæreſis Traditioni non ſcriptæ ſimpliciter, ſed Traditioni ſcriptæ, id eſt, doctrinæ Sacræ Scripturæ repugnabant. Et illi rejecerunt Traditionem Eccleſiæ, quæ in Scripturâ re ipsâ continetur, licet non totidem verbis exprimatur: adeoque illi voce tenus, non reipſa Scripturæ adhærebant in controverſiis ſuis cum Orthodoxis.

Baſilius Ancyranus.

Nihil autem hic moramur teſtimonia quæ citat Bellarm. Baſilii Ancyrani Epiſcopi (qui ex Iconoclaſta factus eſt Iconolatra) in con-

confeſſione quam recitavit in Pſeudo-Synodo Nicænâ ſecunda circa annum Domini 786. Bernardi, qui etſi vir bonus, tamen corrupto ſæculo vixit, cujus ſuperſtitionem aliquatenus redolevit, ac Thomæ Waldenſis recentioris Pontificii, quanquam eorum teſtimonia ſi rectè examinentur nihil adverſus nos faciunt.

Floruit ann. 1150.

Quod ad Aerium attinet, ſi Arianus fuit (ut aſſerit Epiphanius) idem de eo eatenus cenſendum ac de illis. Sed quod ad reliquas ejus opiniones attinet, de diſtinctione Epiſcopi & Presbyteri, de Paſchate celebrando, de recitandis defunctorum nominibus inter precandum, & orando pro iis, de ſtatis jejuniorum diebus, quæ negantur ab Aerio, non ſpectant ad præſentem controverſiam, neque enim ſunt de rebus neceſſariis ad fidem & mores. Meritò damnavit Aerius orationes pro defunctis. Reliqua fere ſpectant ad diſciplinam Eccleſiæ, in qua Traditionem, & legitimam Eccleſiæ auctoritatem plurimum habere momenti cenſendum eſt. Gretſerus in hoc argumento ſic defendit Bellar. quaſi Bellarminus hîc intelligeret ſolum Traditiones Apoſtolicas Eccleſiæ Catholicæ à quibus hæretici, vel penitus vel ex parte defecerunt. Verùm nimis ineptus eſſet Bellarminus ſi tam manifeſte nugaretur, & peteret quæſitum, prout Gretſerus ejus argumentum format. Calviniſtæ (inquit) „ & Lutheriſtæ pertinaciter repudiant Traditiones Apoſtolicas more veterum hæreticorum. Ergo ſunt hæretici. Antecedens autem dupliciter falſum eſt, nam neque ii quos ille vocat Calviniſtas & Lutheriſtas, rejiciunt Traditiones Apoſtolicas (& hoc ipſum eſt quod eſt in quæſtione) nec hæreſeos in veteri Eccleſiâ ulli hoc nomine damnati ſunt. Quod in rebus ad fidem & mores neceſſariis, de quibus ſolùm quæſtio eſt, negârunt non ſcriptam aliquam Traditionem.

Aerii error fuit in ritibus potius quàm dogmatibus.

Gretſerus malè defendit Bellarminum.

Quarta ratio Bellarmini ſumitur à more omnium gentium, quibus commune (inquit) eſt habere Traditiones non ſcriptas: id quod probat inductione tri-membri. 1. Judæos, inquit, habuiſſe aliquas Traditiones extra Scripturam, docent Origenes hom. 5. in Numeros & in Commentario capitis tertii ad Romanos, & Hilarius in Pſal. 2. nec non Anatolius apud Euſebium lib. 7. hiſtoriæ cap. 28. Deinde omnes profanæ Reſpublicæ magnâ ex parte legibus non ſcriptis reguntur. 3. Nobiliſſimi Philoſophorum, Pythagoras & Socrates, cùm plurima docuerint, nihil tamen aut parum ſcripſerunt. Denique in Jure Civili, lege *Diuturna*, paragrapho de legibus, & in

Judæi pib nullas habebant Traditiones non ſcriptas.

Digitized by Google

Jure Canonico diſtinctione 1. Canone *Conſuetudo*, eadem tribuitur auctoritas Legi ſcriptæ & conſuetudini non ſcriptæ. Itaque natura quodammodo ipſa clamare videtur Traditiones non ſcriptas, vel neceſſarias, vel certè utiliſſimas eſſe.

Reſp. infirmiſſimum eſt hoc argumentum quod ad nullam certam formam reduci poteſt, ut ejus neceſſitas appareat, ideoque ex instituto confusè & ambiguè loquitur Bellar. Etenim ſi diſtinctè loqueretur, ſtatim appareret vanitas argumenti. Si intelligat eſſe morem omnium Gentium in genere uti non ſolum ſcriptis, ſed etiam aliquâ re non ſcriptâ, nihil ad rem dicit, nam id nemo dubitat fieri,& in Eccleſiâ, & extra Eccleſiam paſſim. Si verò diceret eſſe morem omnium Gentium in rebus ad fidem & mores neceſſariis (de quibus ſolùm diſputamus) præter verbum ſcriptum habere Traditiones Divinas non ſcriptas, manifeſtè falſum diceret.

Quod ad primum membrum Inductionis de Judæis, ipſe oſtendit non eſſe certum: Quia non deſunt (inquit) aliqui Catholicorum qui negant ullam fuiſſe Traditionem non ſcriptam apud Judæos, unde apparet non eſſe hæreticum aſſerere in Veteri Teſtamento non fuiſſe Traditiones non ſcriptas in rebus fidei & morum, cùm nihilominus ſint Catholici qui id aſſerunt. Poſtquam igitur locupletavit Deus verbum ſuum additione Novi Teſtamenti, multò minùs videtur eſſe hæreſis negare Traditiones ejuſmodi non ſcriptas in Chriſtianâ Eccleſiâ. Nos igitur in eâdem ſententiâ ſumus cum iſtis Catholicis quos ait Bellar. negare ullam fuiſſe Traditionem non ſcriptam apud Judæos, nempe Divinitus mandatam, aut commendatam, nam *Eſ.29.13.* de perverſo more Judæorum qui hoc nomine reprehenduntur Eſ.29. *Mat.15.9.* 13. Mat.15.9. ſeu de Traditionibus Cabaliſticis ac Talmudiſticis nemo dubitat.

Neque verò teſtimonia à Bellar. citata probant inſtitutum. Origenis & Anatolii teſtimonia aliena ſunt, & quod Hilarius loquitur de interpretatione Legis traditâ à Moſe, & conſervatâ deinceps à ſapientibus, id non ſpectat ad Traditiones non ſcriptas, de quibus eſt quæſtio: ſiquidem nos in hac controverſiâ non dividimus ſcripturam à ſenſu & interpretatione Scripturæ, ſed quicquid in Scripturâ continetur ſecundum ſenſum & veram interpretationem, id ut ſcriptum non minùs quàm quod totidem verbis exprimitur, agnoſcimus. Quanquam hoc prætextu quod Moſes ſecretiora Legis quibuſdam ſenioribus tradiderit, Cabaliſtæ vaniſſima ſua figmenta venditant.

Digitized by Google

venditant. Ad verba autem Hilarii Eraſmus annotavit *non credo.*

Reliqua inductionis membra de more profanarum Gentium & hominum non quadrant inſtituto. Neque enim ex humano more & ingenio æſtimanda eſt Divina ſapientia: nullus homo aut hominum cœtus poteſt doctrinam ſuam aut regulam vivendi perfectam & perpetuam ſcripto comprehendere: hæc eſt unius Dei prærogativa. Leges etiam humanæ pleræque omnes ſunt mutabiles: at Divina Veritas de quâ agitur, æterna eſt & invariabilis.

Quinta ratio Bellarmini ſumitur ab Eccleſiæ dignitate: Si (inquit) omnia eſſent ſcripta idque apertiſſimè, ut hæretici dicunt, nullum eſſet privilegium aut dignitas Eccleſiæ præ hæreticis, Paganis, aut Judæis. At poſterius abſurdum: E. & prius. Probatur connexio, Quia ſic, inquit, nihil minus ſcirent hæretici & Pagani & Judæi de myſteriis fidei noſtræ quàm nos ipſi, atque Antiſtites noſtri ſciunt: „ neque eſſet verum quod ait Irenæus lib. 3. cap. 4. In ſolam Eccle„ ſiam tanquam depoſitorium dives repoſitam ab Apoſtolis ſcien„ tiam rerum Divinarum. *Negatio Traditionum nihil detrahit dignitati Eccleſiæ.*

Reſp. 1. Hìc eſt fallacia ab ignoratione Elenchi, neque enim noſtri, quos hæreticorum nomine intelligit Bellarm. dicunt omnia in Scripturis eſſe apertiſſimè ſcripta: neque aliud dicunt quàm quod dicit Auguſtinus de Doctrinâ Chriſtianâ lib. 2. cap. 9. In iis quæ „ apertè poſita ſunt in Scripturâ, inveniuntur omnia quæ continent fidem moreſque vivendi. Quanquam in Scripturis multa ardua, difficilia, & quæ nobis ſunt obſcura contineri non diffitentur, quâ de re nos fuſiùs egimus lib. ſuperiori in quinque primis capitibus.

Deinde neganda eſt connexi conſequentia. 1. Quia præter cognitionem & ſcientiam multa ſunt alia privilegia Eccleſiæ. 2. Quia in rebus fidei & myſteriis Religionis, illa ſola cognitio laudanda eſt quæ cum fide conjungitur. Talem autem notitiam rerum Divinarum non habent Pagani, Judæi, & Hæretici. Neque fides hiſtorica magni momenti eſt citra fidem ſalutarem, quâ notitia Verbi Dei applicatur ad ſalutem, alioqui non minùs eſſet hactenus prærogativa Diabolorum quàm Eccleſiæ, quibus notiſſima ſunt omnia myſteria fidei, *ac credunt etiam & contremiſcunt* Iac. 2. 19. Huc ſpectat quod ait Apoſt. 1 Cor. 2. 14. *Animalem hominem non eſſe capacem eorum quæ ſunt Spiritus Dei, ſunt enim ei ſtultitia, nec poteſt ea cognoſcere, quia ſpiritualiter dijudicantur.* *Iac. 2. 19. 1 Cor. 2. 14.*

Tertiò, non eſt dubitandum magnum eſſe privilegium Eccleſiæ,

Digitized by Google

præ Paganis, Judæis & Hæreticis, in doctrinâ in Sacris Literis revelatâ,& ipſa poſſeſſione Sacræ Scripturæ. Cùm Apoſt. ad Rom. 3. 2. & 9. 4. inter prærogativas Judæorum hanc primariam nominat, quòd eis credita ſunt eloquia Dei, quis dubitat Sacram Scripturam Veteris Teſtamenti eo nomine intelligi aut comprehendi? Imo de Lege ſcriptâ loquens Moſes Deut. 4. 6. ait hanc eſſe ſapientiam & prudentiam eorum ante oculos populorum quâ omnibus aliis gentibus præcellerent, *Quia audientes omnia iſta ſtatuta dicent, tantum gens iſta maxima populus ſapiens eſt & prudens, &c.*

Rom. 3. 2. & 9. 4.

Deut. 4. 6.

Similia legere eſt in Pſal. 147. verſ. 19, 20. & ſermonem eſſe in iſtis locis de lege ſcriptâ patet, ſi conferantur cum verbis quæ habentur Exod. 24. 3, 4.

Sic Iren. (cum in loco à Bellar. citato ait) In Eccleſiam tanquam „ in depoſitorium dives, collata eſſe omnia quæ ſunt veritatis, & om„ nis quicunque velit ſumat ex ea potum vitæ, doctrinam ſcriptam „ intellexit, ut patet ex enumeratione dogmatum, quam ibidem ſubjungit; ſaltem in illo depoſitorio doctrinam ſcriptam comprehendi, quis adeo impudens eſt qui neget? Neque loquitur de depoſitorio ſeu Theſauro abſcondendo, ſed expendendo & communicando omnibus qui velint ejus participes eſſe: ut omnes (inquit) quicunque velit ſumat ex eâ potum vitæ. Item Tertull. in lib. de præſcript. oſtendit Sacrarum Scripturarum jus, integritatem, ſenſum, ac legitimum uſum cap. 15. 17. & 19, eſſe penes ſolam veram Eccleſiam. Pagani non recipiunt Scripturam: Judæi rejiciunt Novum Teſtamentum: hæretici varii varias Sacræ Scripturæ partes aſpernantur, eiſque quas agnoſcunt, abutuntur.

Denique cùm nullæ ſint Traditiones Pontificiæ quin alicubi ſcriptæ extent, non minus facilè communicari poſſunt exteris ex libris aliorum authorum quàm ex libris Sacræ Scripturæ, præſertim cùm multò magis ſoliciti ſint adverſarii ne Sacra Scriptura profanetur, cujus uſus communis ab iis interdicitur.

Profundiſſima Chriſtianiſmi myſteria tradita ſunt ſcripta.

Sexta Bellarmini ratio hæc eſt: Dignitas multorum myſteriorum ſilentium requirit, nec decet ut in Scripturis quæ à toto mundo leguntur, explicentur, ſi enim ad videnda tremenda myſteria Miſſæ non licet admittere ullos non baptizatos, quomodo licebit eis eadem ſcripta tradere? Hinc Dominus ſeorſim diſcipulis interpretabatur parabolas quas populo loquutus erat Luc. 8. & Apoſtolus ait 1 Cor. *Sapientiam loquimur inter perfectos*: & paſſim Veteres cum de Sacramento

mento Euchariſtiæ loquuntur dicere ſolent, *Nôrunt fideles, nôrunt initiati*, hanc rationem attingunt Dionyſius Eccleſ. hierarchiæ cap. 1. Origenes hom. 5. in Num. Baſil, cap. 27. lib. de Sp. S. & Innocentius primus in epiſt. 7.

Reſp. Hoc arg. ad formam commodè redigi non poteſt, ideoque cùm varia hîc congerantur ut ſcopæ diſſolutæ, ne cauſentur adverſarii ſi ad formam ſyllogiſticam referamus, nos ut enervemus vim argumenti, ad ſingula membra ut proponuntur reſpondebimus: ubi primum hoc in genere annotaverimus, hoc argumentum mutuo ſumptum eſſe à veteribus hæreticis, qui hoc eodem prætextu Traditiones non ſcriptas & myſteria ſua occulta tuebantur, & ſimiliter abutebantur dicto illo Pauli *Sapientiam loquimur inter perfectos*, cùm contrà Chriſtus & Apoſtoli palam prædicârint, & prædicari voluerint totam doctrinam Chriſtianam, ut ſuprà fuſiùs oſtendimus cap. 9. ad quartam rationem.

Primò, ſi dignitas myſteriorum ſilentium requireret, ac propterea non ſcribenda eſſent, tum quò digniora ſunt myſteria eò magis celanda & non ſcribenda eſſent, at nulla ſunt digniora myſteria quàm quæ in Sacris Literis ſcribuntur, ut de Trinitate, Incarnatione Dei, Sacramentis, &c.

Secundò, multæ ſunt Traditiones Pontificiæ quæ ſcriptæ extant in aliis libris quorum uſus communis magis permittitur quàm Bibliorùm, adeoque facilius à communi uſu & notitiâ removerentur, ſi in ſolis Sacris Literis extarent, quàm cùm in aliis libris ſcribuntur.

Tertio, quæ ſilentium requirunt ſicut non ſunt ſcribenda ut paſſim legantur, ita non ſunt prædicanda ut paſſim audiantur. At pleræque omnes Traditiones Pontificiæ, non minùs ſi non magis prædicantur & promulgantur quàm doctrina ſcripta. Verbi causâ, invocatio Sanctorum, Quadrageſima, &c. & ſi quæ Traditiones occultentur, eæ ſunt certæ cæremoniæ, de quibus non eſt præcipua controverſia, non autem dogmata ad Religionis fundamentum ſpectantia.

Quartò, myſteria quæ vocat Miſſæ non ſcripta, ſi ad dogmata fidei aut eſſentiam Sacramenti referantur, ſunt hominum commenta futilia, figmenta ſuperſtitioſa, & inſignes corruptelæ Divinæ inſtitutionis: ſi verò dicantur pertinere ad externum ordinem, tum propriè non ſunt myſteria, nec ad præſentem diſputationem ſpectant. Pontificii quidem ſacroſanctam Euchariſtiam à Domino inſtitutam

Mmm con-

convertunt in hiſtrionicam ſcenam & execrandam Idololatriam ſub Miſſæ nomine, in quâ plurima inveniuntur non ſcripta & Scripturæ contraria, at ipſa Euchariſtia plenè & planè non ſemel ſed quater deſcribitur. Et licet fingamus omnia in Miſſa additamenta eſſe Sacra & Divina, num quiſquam tamen ex adverſariis tam perfrictæ frontis eſt, ut dicat majora myſteria in Miſsâ eſſe illa quæ non ſunt ſcripta, quàm quæ de Euchariſtiâ à tribus Evangeliſtis & à Paulo perſcripta ſunt?

Quintò, quod Bellar. ait ad videnda tremenda myſteria Miſſæ nefas eſſe admittere ullos non baptizatos, ac proinde multò minùs licere eadem ſcripto tradere, nullius momenti eſt.

Fatemur non baptizatis nefas eſſe participare Sacram Euchariſtiam: concedimus etiam laudabili Eccleſiæ conſuetudine olim receptum fuiſſe, ut non tantùm infideles non baptizati, ſed etiam Catechumeni non intereſſent Sacris myſteriis peragendis: cùm conſentaneum ſit ut nemo ſit otioſus ſpectator qui Euchariſtiam non ipſe participat, etiamſi baptizatus ſit & adultus: ut inter Canones Apoſtolorum Can. 9. præcipitur, & qui contrà faciunt ſeverè reprehenduntur à Chryſoſtomo hom. 3. in epiſt. ad Epheſ. & hom. 18. in poſter. ad Cor. Nihil tamen vetat quin doctrina Euchariſtiæ & prædicari & ſcribi poſſit, ut ſcriptam eſſe conſtat à Paulo & Evangeliſtis, & Juſtinus Martyr etiam in ſecundâ Apologiâ ad imperatores Ethnicos de myſteriis Euchariſtiæ ſcribit, quanquam certum eſt fideles & initiatos meliùs ea nôſſe debere quæ experti ſunt quàm alios.

Sexto, etſi Chriſtus ſeorſim interpretabatur diſcipulis parabolas quas populo loquutus erat Luc. 8. tamen & parabolæ & ipſarum expoſitiones ſcriptæ ſunt. Et quod iis in tenebris & in aurem dictum eſt, jubet eos in luce palàm prædicare Mat. 10. & notat Chryſoſtomus in ea verba, id ideo Chriſtum præcepiſſe iis nequid ſubticendum aut celandum putent.

Septimò. Sapientia quam ait Paulus ſe loqui inter perfectos 1 Cor. 2. 6. non eſt alia, quàm cujus meminit verſ. 2. dicens *Non ſtatui quicquam ſcire inter vos quàm Jeſum Chriſtum, eumque crucifixum, qui Judæis infidelibus offendiculum, Græcis verò ſtultitia, ipſis autem vocatis Dei potentia ac ſapientia eſt.* Sic iſta ſapientia quæ infidelibus & animalibus hominibus videtur ſtultitia habetur vera ſapientia à perfectis & ſpiritualibus, id eſt, ab iis qui in fide firmiores ſunt & uberiori

riori ſpiritûs gratia pollent 1 Cor. 1. 13, 14. & cap. 2. v. 14, 15. & ſic verba iſta accipiunt interpretes Chryſoſtomus, Oecumenius, Theophylactus, Ambroſius, Primaſius, Hieronymus, Theodoretus, &c.

Octavo, ex Patribus quos citat Bellarminus, alii loquuntur de diverſo modo tradendi, non de diverſis rebus traditis: alii non de dogmatibus ſed de ritibus, ut intereà omittam quæ excipi poſſunt contra eorum auctoritatem.

CAP. XV.

Reſpondetur ad exempla Adverſariorum & primò ad ea quæ utrique Teſtamento communia affert Bellarminus.

POSTREMA Adverſariorum ratio ſumitur à variis inſtantiis ſeu exemplis Traditionum, quas dicunt ad fidem pertinere, & ignorari non poſſe,& tamen in Scripturis non contineri. Hæ partim ſpectant ad Vetus Teſtamentum, partim ad Novum, partim communes ſunt utrique. In ſingulis generibus varia exempla memorat Bellar. lib. 4. de Verbo Dei cap. 4. quæ nos primùm perpendemus, deinde quæ ab aliis redduntur, perſtringemus.

„ Et ut à communibus ordiamur. Primò neceſſe eſt (inquit Bellar.) „ nôſſe extare libros aliquos, verè Divinos. 2. Non ſatis eſt ſcire „ eſſe Scripturam Divinam, ſed oportet ſcire quæ ſit illa. 3. Opor- „ tet non ſolûm ſcire qui ſunt Libri Sacri ſed etiam in particulari iſtos qui ſunt in manibus eſſe illos: atque hæc tria nullo modo ex Scripturis haberi poſſunt. *Coincidunt & confunduntur Bellarmini inſtantiæ tres primæ.*

R. Secundum & tertium exemplum coincidunt. Nam ſi ſciam plenè, quæ ſit Scriptura, oportet ſciam hunc aut illum librum eſſe Sacrum & incorruptum, & ſi novero ſingulos libros & partes Scripturæ eſſe Divinas, tum ſciam oportet quæ ſit Scriptura Divina. Item primum exemplum ex ſecundo pendet. Nam ſi intelligatur quæ ſit Sacra Scriptura, dubitari non poteſt quin ſit Sacra Scriptura. Imò verò ſi primum exemplum ſeorſim ſumatur, non eſt dubium illud in Scripturâ apertiſſimè contineri. Quoties enim in Scripturis Prophetarum & Apoſtolorum inculcatur hoc aut illud eſſe Verbum Dei, & hæc aut iſta dixiſſe Deum & Chriſtum? Notæ ſunt *Docetur in Scripturâ Scripturam eſſe Divinam.*

Digitized by Google

ſunt iſtæ ſententiæ Scripturæ de Scripturâ. *Scrutamini Scripturas ut impleretur Scriptura*, *oportet impleri Scripturas*, *Tota Scriptura eſt Divinitùs inſpirata, &c.* Alphonſus de Caſtro contra hæreſes lib. 1. cap. 2. & Bellar. ipſe lib. 1. de Verbo Dei cap. 2. ex ipſa Scripturâ manifeſtè colligunt Scripturas aliquas Divinas eſſe.

„ At (inquit Bellar.) Etiamſi Scriptura dicat libros Prophetarum „ & Apoſtolorum eſſe Divinos: tamen, non certò credam niſi priùs „ credidero Scripturam quæ hoc dicit eſſe Divinam: nam etiam in „ Alcorano Mahometis paſſim legimus ipſum Alcoranum de Cœlo „ à Deo miſſum, & tamen ei non credimus. At (inquam) hæc re„ſponſio Bellarmini ab inſtituto prorſus aliena eſt. Neque enim hîc quæritur, quam ob rationem credendum ſit Scripturæ, aut quæ ſit auctoritas Scripturæ (quod alterius eſt loci, & nos nonnihil eâ de re diximus lib. ſuperiori cap. 17.) ſed quid contineatur in Scripturâ, aut colligi poſſit ex Scripturâ. At certo certius eſt in Scripturâ doceri aliquam Scripturam Divinam eſſe. Alioqui, ſi reſponſio Bellarmini idonea eſſet, eâdem ratione dici poſſet, nihil prorſus ex Scripturæ teſtimonio ſciri, etiam eorum, quæ apertiſſimè ibi dicuntur: verbi causâ de Chriſti genealogiâ, crucifixione, reſurrectio„ne, &c. idem enim hîc regeri poteſt, Etiamſi Scriptura dicat, „ tamen non certò credam niſi priùs credidero Scripturam quæ hoc „ dicit eſſe Divinam, adeoque res hîc abit in infinitum. Nam etſi Scriptura teſtaretur diſertiſſimè hanc eſſe Sacram Scripturam, & libros ſingulos Scripturæ eſſe iſtos ipſos incorruptos, qui perhibentur, tamen in promptu eſſet idem regerere: *Etiamſi id Scriptura dicat, &c.* idemque dici poſſet de illâ Scripturâ quæ teſtimonium perhibet de hac, & de eâ quæ de iſta teſtatur, & ſic in infinitum. Neque hæc difficultas tollitur confugiendo ad Traditiones; nam prorſus eadem eſt ratio: verbi causâ, unde ſciam perpetuam Virginitatem Mariæ? Quia ſcilicet Traditio hoc docet: at etiamſi Traditio hoc dicat, tamen non certò id credam, niſi prius credidero Traditionem quæ hoc dicit eſſe Divinam. At unde ſciam Traditionem, quæ hoc dicit, eſſe Divinam, niſi auctoritate alterius Traditionis, & illam rurſus auctoritate alterius, & ita deinceps in infinitum?

Quæſtio qui ſciam Scripturam aut Traditionem eſſe Divinam ſecundum Pontificios procedit in infinitum.

Scripturam eſſe Dei Verbum eſt principium indemonſtrabile à priori.

Sed inepti ſunt qui ſic argutantur: nam & Verbum Dei eſſe credendum, & Scripturam Sacram eſſe Verbum Dei: utrumque eſt principium primum & indemonſtrabile, quod à priori demonſtrari non

non poteſt, licet hoc multis argumentis à poſteriori confirmetur, ut lib. præcedenti cap. 17. oſtendimus.

Sic patet vanam eſſe primam inſtantiam Bellarmini. Quòd ad ſecundam & tertiam attinet, quæ nam ſit Scriptura, aut quòd hic aut ille liber Scripturæ ſit genuinus aut incorruptus. R. Utrumque hoc virtute contineri in Scripturâ, ut planè oſtendimus ſuprà cap. 11. in 5. hypotheſi. Nam teſtimonium Eccleſiæ, ſeu Traditio, quæ dicit hanc eſſe Scripturam divinam, aut hunc aut illum librum eſſe Canonicum, nihil addit Scripturæ, ſed teſtatur Scripturam aut librum eſſe revera illud quod eſt. Quemadmodum ſi quis revera habeat & dicat ſibi ſuppetere tabulas à majoribus ad ſe continua ſerie tranſmiſſas, in quibus jus ſuum ad hæreditatem paternam ſufficienter oſtenditur, ſeu quæ continent omnia ad eum finem neceſſaria, nunquid ridiculus eſſet qui objiceret, eas tabulas non ſufficere, quia in iis nihil exprimitur de ipſarum ſufficientiâ, & quòd ſint authenticæ & incorruptæ & transmiſſæ à majoribus ſuis ad ipſum: etſi requiratur ut ſint tales?

Per Eccleſiâ teſtimonium cognoſco à poſteriori Matthæi Evangeliū eſſe verbū Dei, ſed anteà verum fuit, & ex argumentis internis cognoſcibile.

„ At (inquit Bellar.) Quomodo colligemus ex Scripturâ Evan-
„ gelia Marci & Lucæ eſſe vera, & Evangelia Thomæ & Bartholo-
„ mæi eſſe falſa, Epiſtolam ad Romanos eſſe verè Pauli, Epiſtolam
„ ad Laodicenſes, quæ nunc circumfertur non eſſe Pauli? Reſponſio hîc eadem occurrit quæ priùs. Sophiſticè enim Bellarm, permutat quæſtionem: neque enim hic agitur de auctoritate, aut notis Sacræ Scripturæ, de quibus nos alibi, nam quocunque modo aut ratione colligitur auctoritas Sacræ Scripturæ, aut alicujus partis Scripturæ, nihil colligitur aliud quàm quod revera eſt in Scripturâ.

Cæterum quod ad quæſtionem ipſam attinet (etſi non eſt hujus loci) nos facilè concedimus Traditionem, quæ nihil eſt aliud, quàm continuatum teſtimonium Eccleſiæ eſſe argumentum magni momenti, quo dignoſcitur Scriptura, ejuſque partes: ſed hujuſmodi Traditio nihil addit Scripturæ, ut dictum eſt, ſed tantum oſtendit quod eſt in Scripturâ. Neque hæc eſt prima ratio dignoſcendæ auctoritatis Scripturæ: nam ante Traditionem ſeu teſtimonium Eccleſiæ, Epiſtola Pauli ad Romanos (verbi causâ) erat revera divina Scriptura, & quòd erat dignoſci potuit.

Et hîc ulteriùs quæri poteſt, quomodo ipſe Paulus noverit Epiſtolam ſuam eſſe divinam: & quomodo ſancti Patriarchæ & Prophetæ vocem Dei agnoverint, cùm Samuel primâ & ſecundâ vice à

Deo vocatus, eam ignoraverit? Non dubium eſt eas divinitatis notas Verbo Dei eſſe impreſſas, ut per ſe, id eſt, ſine ullo medio argumento, ſaltem externo, dignoſci poſſit, & dignoſcatur ab iis, qui quantum ſatis eſt luminis ſpiritualis à Deo acceperunt. Quod Verbum Dei non ſtatim à nobis percipiatur, non accidit ob ejus obſcuritatem, ſed ob noſtram cæcitatem aut infirmitatem. *Animalis homo, non capit ea quæ ſunt Spiritus Dei. Spiritus dijudicat omnia:* Ipſi enim regeniti in hac vitâ partim ſunt animales, partim Spirituales. *Ex parte tantùm cognoſcunt, & vident per ſpeculum & ænigma*, alii quidem clariùs, alii obſcurius, pro diversâ menſurâ Spiritûs: & quidem quò ſunt rudiores & infirmiores, eò pluribus opus habent adminiculis, adjutoribus, & ductoribus: quibus non nituntur, poſtquam firmiores evadunt. Sic Samuel primò ab Eli monitus vocem Dei novit, at poſteà per ſe dignovit. Sic mulier illa Joann. 4. primò Samaritanis Chriſtum indicavit, & ut crederent, excitavit. At mox mulieri dixerunt, *Non ampliùs propter tuos ſermones credimus: ipſi enim audivimus & ſcimus hunc eſſe verè Servatorem illum mundi, Chriſtum.* Ita Deus quidem verbum ſuum immediatè Prophetis & Apoſtolis patefecit, & eorum miniſterio ac indicio Eccleſiæ iſtius temporis manifeſtavit, ac deinceps perpetuâ Traditione, ſeu teſtimonio Eccleſiæ fidelibus ſuccedentibus: ita tamen ut quotquot fide divinâ Scripturæ credunt, non eorum teſtimonio nitantur, ſed ſolâ Dei auctoritate, quam per ſe in Scripturis relucentem, ipſi tandem beneficio Sp. Sancti percipiunt. Quemadmodum ſi tabellarius mihi tradat literas ab amico & indicet à quo acceperit, non tam ex illius Traditione & relatione, ſed multò magis ex characterum formâ, ſtylo, materiâ, & ejuſmodi notis inſitis genuinas eſſe agnoſco.

1. Cor. 2. 14. 15.

Alexander Halenſis.

Huc accommodari poteſt quod ſcribit Alexander Halenſis 3. 4. „ 78. memb. 2. Ratio (inquit) & fides quæ ex ratione eſt ſe habent ad fidem gratuitam ſicut præambula diſpoſitio ad formam. Diſponit „ enim animam ad receptionem luminis, quo aſſentit primæ verita- „ ti propter ſe, ſed per modum naturæ, non gratiæ, & dicitur ipſum „ introducere ſicut ſeta filum, & tunc ratio ceſſat humana, quando ei innititur fides introducta.

Porro eadem ratione dignoſcuntur falſa & adulterina ſcripta quæ Apoſtolis tribuuntur, & à genuinis diſcernuntur, nam eadem eſt norma recti & obliqui: quâ de re legatur Auguſtinus contra Fauſtum lib. 33. cap. 6. & 12. & de conſenſu Evangeliſtarum lib. 1. c. 2.

Ambro-

Ambroſius procemio in Lucam, Hieronymus procemio in Matthæum, & Euſebius hiſtoriæ lib. 3. cap. 22. Item Concilii Africani lib. 2. de partibus divinæ legis cap. 29.

Ex dictis patet quàm impudenter Bellarminus dicat Veteres uno ore teſtari, non aliunde nos habere, Scripturam eſſe divinam, quàm ex Traditione non ſcriptâ. Nullus enim Patrum quos citat, id teſtatur. Multi contra teſtantur, qui auctoritatẽ Scripturæ aliâ ratione oſtendunt, quàm ſolâ Traditione: ut patet ex teſtimoniis nuper citatis, quibus multa alia adjici poſſunt, ut Origenis de principiis lib. 4. c. 1. Auguſtini confeſſionum l. 6. c. 5. Chryſoſtomi in Mat. hom. 1. & in Joann. hom. 1. Theodoreti de Græcarum affectionum curatione. Serm. 6. 9. Imò ex ipſis Pontificiis Baptiſtæ Mantuani de patientiâ l. 3. c. 6. Auguſt. Steuchi in principio Coſmopœæ, Melchioris Cani locorum Theologicorum l. 2. c. 8. Gregorii de Valentiâ de Analyſi fidei lib. 1. cap. 15. & 20. & ipſius Bellarmini lib. 1. de Verbo Dei cap. 2. & Stapletoni defenſionis Eccleſiaſticæ lib. 2. cap. 5. ſect. 8.

Non eſt neceſſe ſcire quis ſcripſerit ſingulos libros Scripturæ.

Interim notandum eſt, non eſſe neceſſarium ad ſalutem ſcire qui ſint ſcriptores ſingulorum librorum Sacræ Scripturæ, ſeu Spiritus Sancti amanuenſes. Nam verbi causâ, non certò ſcitur quis ſcripſerit librum Judicum, & inter doctos ſine diſpendio ſalutis controvertitur, & quis ſit auctor Epiſtolæ ad Hebræos.

Non neceſſe eſt abſolutè ad ſalutẽ, credere ſingulos Scripturæ libros eſſe divinos.

Diſquiri etiam poteſt an abſolutè neceſſarium ſit credere omnes libros, qui in Canone Scripturarum continentur eſſe verè divinos. Nam conſtat à piis & doctis olim dubitatum eſſe de auctoritate aliquot librorum, ut Epiſtolæ ad Hebræos, Jacobi, Judæ, poſterioris Petri, ſecundæ & tertiæ Joannis, & Apocalypſeos, ut videre eſt apud Euſeb. lib. 3. cap. 22. & Hieron. in lib. 3. Epiſtolarum ad Dardanum.

Imò verò, ſi nonnulli ex vulgo, fide tantùm humanâ, nempe propter auctoritatem Eccleſiæ, & ſimilia argumenta externa, credant libros Scripturæ eſſe divinos, dummodo fide divinâ amplectantur dogmata ad ſalutem neceſſaria, minimè dubitandum videtur eos ſervari poſſe. Non igitur videtur abſolutè neceſſarium omnibus ad ſalutem, ut fide divinâ credant hos aut illos libros eſſe divinos, ſed hæc aut illa dogmata eſſe divina quocunque modo ſint tradita, ſive vivâ voce, ſive per Scripturam.

Cæterùm hæc immeritò objiciuntur à Pontificiis qui tantopere impugnant neceſſitatem Scripturæ, ut Bellarm. diſputavit hoc lib. 1. cap. 4. & lib. 3. de Eccleſia cap. 14. Credere (inquit) hiſtorias

Vete-

,, Veteris Teſtamenti, vel Evangelia Marci & Lucæ eſſe Canonica
,, ſcripta, imo ullas eſſe divinas Scripturas non eſt omnino neceſſa-
,, rium ad ſalutem: nam ſine hac fide multi ſalvati ſunt antequam
,, ſcripturæ ſcriberentur, & poſteà tempore Novi Teſtamenti, mul-
,, tæ barbaræ nationes de quibus ſcribit Irenæus lib. 3. cap. 4. Quid autem cenſendum ſit de neceſſitate Scripturæ ſatis ſuprà oſtendimus, cap. 2.

Hæreticus eſt qui obſtinati negat ullum Scripturæ librum eſſe divinum, non item qui de aliquibus dubitat.

At (inquiet aliquis) ſi non eſt divinâ fide credendum, Sacram Scripturam & ſingulos ejus libros eſſe Canonicos, non erit hæreticus qui id negaverit: at poſterius eſt falſum: ergo & prius. R. non à nobis negari credendum eſſe fide divinâ Scripturam eſſe Canonicam & ſingulos ejus libros, & omnes particulas librorum eſſe divinas: omnes enim ſic debent credere. Sed aliud eſt quærere quid debeant homines credere & quid ex neceſſitate ſalutis ſit credendum. Quicquid in Scripturâ dicitur fide Theologicâ credendum eſt ſi modum revelandi ſpectes, licet multa ibi contineantur, quæ non ſunt articuli aut dogmata fidei, ſi materiam ſpectes aut neceſſitatem ad ſalutem. Omnia divinitùs revelata divinâ fide credenda ſunt: ſed tamen ſancti (quæ eſt eorum infirmitas) multa ejuſmodi non credunt, cum ſcilicet ignorant ea eſſe divinitus revelata, nec ſunt abſolute neceſſaria ad ſalutem. Sed aliud eſt non credere talia abſolutè, ac non credere fide divinâ quod piis contingere poteſt ex infirmitate: aliud præfractè negare, more hæreticorum. Itaque non tantùm hæreticum cenſemus qui negaverit totam Scripturam eſſe Canonicam, ſed qui ullum librum Scripturæ nunquam in Eccleſiâ controverſum pertinaciter negaverit, hæreticis accenſendum eſſe cenſemus, ſed non eodem loco habendum, cui de libris olim controverſis non eſt ſatis perſuaſum, multo minùs qui recipit omnes Sacræ Scripturæ libros tanquam divinos, licet non ad eam perfectionem pervenerit, ut fide divinâ quæ ſolâ Dei auctoritate nititur, ſed tantum humanâ perſuaſione id credat.

Neceſſe eſt ut omnis fides divina reſolvatur in Verbū Dei.

Unde patet non eſſe abſolutè neceſſarium, ut omnium fides divina reſolvatur in Scripturam, quanquam neceſſe eſt ut reſolvatur in Verbum Dei. Nam etſi in Analyſi fidei lib. priori cap. 17. duplicem proceſſum notavimus, quo utuntur firmiores inter fideles poſt Scripturam agnitam: tamen unus tantùm proceſſus eſt abſolutè neceſſarius, quo nitebantur fideles ante Scripturam editam, & rudiores adhuc contenti ſunt, ad hunc modum Verbum Dei credendum

Digitized by Google

dum eſt: hoc autem eſt Verbum Dei, Ergo eſt credendum.

Objicit Bellarm. contra id quod dixit Calvinus, Scripturas per ſe diſcerni ab iis, qui quantum ſatis, à Sp. S. illuminati ſunt. Cur (inquit) Lutherus judicavit Epiſtolam Jacobi ſtramineam, & Calvinus Apoſtolicam, ſi uterque Sp. Sanctum habuit. Reſponſio ex dictis colligitur: quia non ex æquo omnibus fidelibus, neque iiſdem omni tempore, & in omnibus rebus prælucet Spiritus. Neque cuiquam ex ſanctis, in hac vitâ ordinariè, tanta menſura datur Spiritûs ut nuſquam labi aut errare poſſent: neque ſi quis ob infirmitatem humanam erret in Scripturis dignoſcendis, magis ſequitur eas per ſe non diſcerni lumine Spiritûs, quàm qualitates ſenſiles per ſe non diſcerni à ſenſibus, licet ſenſorio malè affecto erretur nonnunquam. ***Lutherus non magis dubitavit de Epiſtolâ Iacobi quâ Cajetanus.***

Sed in ſcriptis Lutheri non reperitur quod objicit Bellarm. Quod ſi Lutherus putavit Epiſtolam Jacobi non eſſe Canonicam, multos olim magnos pioſque viros habuit erroris ſocios, in veteri Eccleſiâ (ut dictum eſt) & errorem hunc ipſe correxiſſe dicitur. Nam præclarum illud Dei organum, prout ad pleniorem veritatis agnitionem non ſtatim ſed paulatim, Dei gratiâ pervênit, ita infirmitatem ſuam humanam ingenuè agnoſcit. Unde in præfatione operum ſuorum. Oro (inquit) pium Lectorem ut iſta legat cum judicio & multâ miſeratione, & ſciat me aliquando Monachum fuiſſe.

Nec levius in ejuſmodi erratum eſt à Pontificiis doctoribus celeberrimis. Cardinalis Cajetanus dubitavit etiam de Epiſtolâ Jacobi, & Epiſtolam ad Hebræos in præfatione ſuâ in eam non tantùm negat eſſe Canonicam, ſed auctorem illius erràſſe aſſerit, non ſolùm in verbis, ſed etiam in ſenſu & ſententiâ Scripturarum, & contra veteris Scripturæ veritatem nonnulla ſcripſiſſe. Iſto nomine reprehenditur ab Ambroſio Catharino, ut docet Sixtus Senenſis Bib. lib. 6. Annotatione 327. & 337.

Imo, ſi Stapletoni credimus, non erit Traditio Apoſtolica Epiſtolam Jacobi eſſe Canonicam. Non enim dici poteſt Traditio Apoſtolica, quæ non erat Apoſtolorum tempore; at ille in relectione principiorum controver. 5. quæſt. 2. art. 3. ait Epiſtolam Jacobi, & alias varias Scripturas receptas eſſe in Canonem à multis ſæculis, idque auctoritate diſcernentis Eccleſiæ quæ ab Apoſtolis & eorum proximis ſucceſſoribus receptæ non erant.

Deinde objicit Bellarm. Brentium & Chemnitium agnoſcere hanc ſaltem Traditionem non ſcriptam eſſe recipiendam, nempe ***Brentius non putavit Tradi-***

tionem non ſcriptam, Scripturâ eſſe Verbum Dei. quæ ſit Sacra Scriptura. R. Quòd recipienda ſit iſta Traditio nemo pius dubitat, ſed quod illam appellet non ſcriptam, fallacia eſt ab ambiguitate vocabuli, de quâ diximus cap. 11. Nunquam enim Brentius, Chemnitius, aut ullus ex noſtris dixit eam eſſe Traditionem abſolutè non ſcriptam, aut quæ quidquam addit Scripturæ, ut ob hanc rationem Scriptura non ſufficiens dicatur: quin potius hanc ipſam Traditionem pertinere ad commendationem auctoritatis, perfectionis, & ſufficientiæ quæ eſt in Scripturâ.

Explicatio quæſtionis qui ſciatur Scripturâ eſſe Verbum Dei. Verùm ut adhuc tota hæc quæſtio melius expediatur, unde ſcilicet ſciatur Scripturam eſſe divinam, & hoc aut illud eſſe Verbum Dei, ſeu Deum hoc aut illud revelâſſe: & ut quid cenſendum ſit de perplexis multorum hac de re diſputationibus, intelligatur, hæ diſtinctiones obſervandæ ſunt.

Primò *Fides* & *Credere* duobus modis ſumuntur, latè & ſtrictè. Late *Fides* & *Credere* ſignificant quamlibet aſſenſum qui præbetur, ſive principiis per ſe, ſive concluſioni propter aliud, nempe propter argumentum vel artificiale, quod appellamus rationem, vel inartificiale quod teſtimonium dicitur. Strictè autem *Fides* & *Credere* denotant aſſenſum, qui præbetur ob ſolum argumentum inartificiale ſeu teſtimonium.

Atque ita, prout duplex eſt teſtimonium, ſcilicet divinum & humanum: ita duplex eſt *Fides*, divina & humana: ut nihil interim dicamus de teſtimonio Angelorum, & rerum brutarum ac inanimatarum, quæ ſuum etiam, licet diverſo modo, teſtimonium perhibere dicuntur.

Teſtimonium divinum idem eſt quod revelatio divina. Teſtimonium autem & revelatio duobus modis accipiuntur, vel in concreto pro re revelatâ & teſtimonio declaratâ, quà revelata & declarata eſt: vel in abſtracto pro actu revelandi & teſtificandi.

His poſitis, ſi quæratur, unde credam Scripturam & hoc aut illud Verbum Dei, putà Incarnationem filii, & Reſurrectionem carnis: dico me fide divinâ illud credere, nempe propter revelationem divinam ſeu teſtimonium divinum. Ita profiteor me credere rem revelatam & teſtatam, propter auctoritatem Dei revelantis & teſtantis, ſeu propter revelationem & teſtificationem divinam, ſumendo hæc vocabula in abſtracto. Siquis ulteriùs quærat, unde ſciam Scripturam à Deo eſſe revelatam, ſeu eſſe Verbum Dei: vel hoc aut illud in Scripturâ eſſe à Deo revelatum: dicere poſſum multis motivis & argumen-

Scripturâ à Deo revelatam ſcitur per argumenta multa à poſteriori.

argumentis à poſteriori animum meum præparatum, adductum, vel inductum eſſe ut id crederet: ſed demum à Sp. Sancto illuſtratum, veritatem illam per ſe immediatè agnoviſſe, & in eâ acquieviſſe, ut in principio primo quod nullo argumento à priori demonſtrari poſſit: cujus cognitio nec eſt ſcientia propriè dicta, nec opinio quæ pendet à ratione, nec fides quæ nititur teſtimonio, ſed dicitur νοῦς vel intelligentia, & eſt quaſi ſenſus, viſio, vel intuitio intellectualis; quâ intellectus rem in ſe ac per ſe immediatè percipit ac agnoſcit, & ſicut in principiis merè naturalibus id naturali facultate mens agit, ita in principio hoc divino à Spiritu Sanct. mens illuſtrata & revelata idem præſtat.

Sed illa concluſio à mente illuſtratâ per Spiritum apprehenditur ut principiũ, non per ſcientiam, opinionem, aut fidem, ſed per intelligentiã.

Unde nihil eſt incommodi, ſi dicamus fide divinâ non credendum eſſe Scripturam Sacram eſſe Verbum Dei. Quare licet non contineretur in Scripturâ illa traditio quæ ſit Scriptura (ut re ipsâ contineri oſtendimus) tamen inde non concludi poſſet, dari aliquem articulum fidei, qui non continetur in Scripturâ. Nam licet latè ſumpto vocabulo concedamus id fide divinâ credi: tamen ſtrictè & propriè loquendo non eſt articulus fidei. Nam fides teſtimonio nititur aut argumento: iſta autem propoſitio, Scripturam eſſe Verbum Dei, non neceſſariò nititur teſtimonio aliquo divino aut humano aut argumento.

Scriptura eſt Dei Verbum, non eſt articulus fidei ſtrictè ſumptus.

Agnoſcimus teſtimonio Eccleſiæ id probari: ſed hoc eſt teſtimonium humanum, quod non gignit divinam fidem aut aſſenſum, & argumentum à poſteriori, à quo non pendet Scripturæ auctoritas. Nam priùs Scriptura erat divina (& quod erat cognoſci potuit) antequam id teſtaretur Eccleſia.

Teſtimonium Eccleſiæ non gignit fidẽ divinam.

Concedimus id ipſum oſtenſum eſſe teſtimonio Apoſtolorum, quod divinum eſſe agnoſcimus: ſed etiam hoc teſtimonium eſt argumentum à poſteriori ſumptum. Et niſi teſtimonium hoc Apoſtolorum in Scripturâ contineretur, fides ejus penderet à teſtimonio Eccleſiæ: quomodo enim alioqui conſtaret nobis, hoc Apoſtolos dixiſſe, niſi id teſtaretur Eccleſia, & ſic reſolveretur fides noſtra in teſtimonium humanum in quod fides divina reſolvi non poteſt? Aut ſi fide divinâ credam illud teſtimonium Apoſtolorum, neceſſe eſt ut illud teſtimonium probetur per aliud teſtimonium divinum, atque hoc rurſus per aliud, & ita in infinitum: aut tandem perveniatur ad illud teſtimonium quod per ſe creditur & non per fidem, ſeu, quod divinâ ſuâ auctoritate nos certos reddat, adeoque tandem

Fides reſolvitur in principium ſuâ luce evidens cui non per fidem, ſed per ſe aſſentitur.

con-

Digitized by Google

conficietur id quod volumus, fidem reſolvi in principium ſpirituali luce evidens, cui non per fidem, ſed per ſe aſſentimur.

Spiritus agit tam in mentem quàm objectum, non tamen Spiritus teſtimonium eſt argumentum diſcurſivum.

Concedimus etiam teſtimonium Sp. Sancti omnino eſſe neceſſarium ad hanc veritatem ſpiritualem dignoſcendam: ſed negamus aſſenſum noſtrum de auctoritate Scripturæ niti teſtimonio Sp. Sancti, ut argumento diſcurſivo. Agnoſcimus duplicem hîc operam Sp. Sancti: unam in mentem hominis quam illuſtrat & perficit: alteram in objectum, quod menti aperit, explicat, & applicat. Sed ſicut in naturali cognitione, deſtinguitur lumen rationis, quo aliquid percipitur, & docens ac dicens ab argumentis mediis, quibus aliquid explicatur, perſuadetur, & confirmatur: ita hîc etiam faciendum, ut fuſiùs lib. ſuperiori cap. 17. oſtendimus.

Aliquando teſtimoniũ Spiritus eſt argumentũ externum.

Sed fingamus etiam teſtimonium Sp. Sancti eſſe argumentum quo probatur Scripturam eſſe Verbum Dei: ſicut poteſt Deus teſtimonium etiam externum ferre de Verbo ſuo quod ſit verbum ſuum, prout ſæpe occurrit apud Prophetas, *Hæc dicit Dominus*, eôdem tamen res recidit. Nam tandem perveniamus neceſſe eſt ad illud teſtimonium, cui non per fidem, ſeu propter aliud teſtimonium, ſed per ſe aſſentiendum ſit. At nulla eſt major auctoritas, quàm revelatio ſeu teſtificatio divina: in quam cùm reſolvitur noſtra fides, quâ credimus Scripturæ, nihil vetat quin in ea nos acquieſcamus, tanquam primo principio, in quo ſiſtitur reſolutio fidei: præſertim, cùm omnia alia teſtimonia, quæ ad eam confirmandam accedunt, eam conſequantur, & præſupponant, non autem naturâ præcedant.

Tandem ſiſtitur fides in revelatione divinâ cui non per fidem ſed per ſe aſſentimus.

At objiciunt nonnulli, non poſſe nos fide divinâ credere veritatem rerum revelatarum, niſi eâdem fide credamus earum revelationem, ſeu Deum illas revelaſſe: adeoque neminem poſſe propter Scripturæ auctoritatem, fide divinâ credere veritatem eorum dogmatum, quæ in Scripturâ revelantur, niſi eadem fide divinâ credat Scripturam eſſe Verbum Dei: quia ſupponunt aut fide divinâ, aut tantum fide humanâ, credi Scripturam eſſe Verbum Dei. Quod ſi fide tantum humanâ credatur Scripturam eſſe Verbum Dei, tum ſequetur majorem certitudinem fundari in minore, quod eſt abſurdum. Nam certitudo quam habemus de rebus revelatis, pendet à certitudine quam habemus, de earum revelatione.

Scitur Scriptura eſſe Scriptura per ſe certius quàm per ullam fidem.

Sed hæc tota argumentatio pendet ex falsâ hypotheſi: nam nec per fidem divinam, nec humanam, id eſt, non omninò per fidem propriè dictam, primariò ſcimus Scripturam eſſe Verbum Dei; ſed

per

Digitized by Google

per ſe: ideoque ſi fides ſtrictè ſumatur, negatur argumentum: ſin late ſumatur, concedimus eadem fide, ſeu certitudine Divinâ cognoſci res revelatas, & earum revelationem.

Revera autem non minor, ſed potiùs major & potior eſt certitudo quam habemus de revelatione, quàm certitudo de rebus revelatis, licet utraque ſit Divina. Quemadmodum non eodem cognitionis modo, in rebus naturalibus cognoſcimus principia & concluſionem: ſed huic per ſcientiam, illis per intelligentiam aſſentimur, intelligentia autem potior eſt, quàm ſcientia: & habitus principiorum nobilior ac certior, quàm habitus concluſionis.

Conferantur cum iis, quæ lib. ſuperiori cap. 7. diſſeruimus de analyſi fidei: & difficultates omnes hac de re, opinor, expedientur.

Nunc autem ut ad inſtitutum redeamus, reſponſio noſtra ad inſtantiam Bellarmini de Traditione quæ ſit Divina Scriptura, & qui ſunt libri genuini Scripturæ, triplex eſt. 1. Quòd non eſt abſolutè neceſſarium ad ſalutem, ſcire diſtinctè quæ ſit Divina Scriptura, & qui ſint ſinguli libri Scripturæ. Controverſia autem inter nos & Pontificios eſt de rebus ad ſalutem neceſſariis, num eæ omnes contineantur in Scripturâ. 2. Quòd iſta Traditio non eſt articulus aut dogma fidei propriè loquendo, ſed principium per ſe notum, quod præſupponitur, & quo nititur fides. Quæſtio enim inter nos & Pontificios non eſt, utrum Scriptura ſit Verbum Dei: ſed cùm conveniat inter nos, & præſupponatur Scripturam eſſe Verbum Dei ſeu teſtimonium Dei, quæritur num illud teſtimonium complectatur omnia, quæ Deus voluit teſtificari, ut neceſſaria ad ſalutem: ut in rebus forenſibus, ſi quæreretur de teſtimonio alicujus teſtis, num complecteretur omnia neceſſaria ad cauſam, nempe omnia de quibus judex in tali cauſâ, teſtimonium requirit: quod non propterea dicetur eſſe inſufficiens, etiamſi teſtis nihil ipſe teſtetur de fide & auctoritate ſuâ. 3. Quòd iſta Traditio non ſit non ſcripta abſolutè, ſeu planè extra Scripturam: ſed virtute & re ipsâ contineatur in Scripturâ. Ita patet infirmiſſimam eſſe hanc inſtantiam, quâ Pontificii tanquam Achille ſuo & irrefragabili argumento maximè gloriantur. Etenim cùm ſic formandum ſit argumentum: Traditio quod hæc ſit Scriptura Divina, & quòd hi ſint libri Canonici eſt dogma fidei neceſſarium ad ſalutem, at non continetur in Scripturâ. Ergo. perſpicuum eſt utramque propoſitionem eſſe falſam.

Reſponſionis accommodatio ad Bellarmini inſtantias.

Hactenus reſponſum eſt ad tres inſtantias Bellarmini quæ maxi-

mi momenti habentur à Pontificiis.

Quarta Bellarmini inſtantia.

Quarta Bellarmini inſtantia eſt quaſi adverſus hominem ad hunc modum. Hæretici (ſic appellat Orthodoxos) credunt nullum eſſe Verbum Dei niſi ſcriptum; At hoc in totâ Scripturâ non invenitur: Ergo aliquid credunt, quod in Scripturâ non invenitur. Reſponſio in promptu eſt, Minorem eſſe falſam. Omnia enim illa argumenta è Sacris Literis petita, quibus antè probavimus Scripturam eſſe ſufficientem in neceſſariis, evincunt nullum eſſe Verbum Dei non ſcriptum, in rebus ad fidem & mores neceſſariis, quod re & ſubſtantiâ eſt à ſcripto Verbo diverſum: (nam ſi illud in Scripturâ invenitur, hoc quoque contineri certum eſt) quibus accedunt & iſta teſtimonia Scripturæ quibus Traditiones Pontificias refellimus. Quare hîc eſt manifeſta petitio quæſiti, cum id gratis ſumitur, quod præcipuè eſt in quæſtione.

Nullum eſſe Verbum Dei niſi ſcriptum habetur in Scripturâ.

Et licet non haberetur, tamen eſt credendum.

Sed ut magis perſpicua ſit vanitas, tum hujus argumenti, tum præcedentium, ponimus id quod haud dubiè fieri poteſt, Deum ejuſmodi ſcriptum Verbum tradidiſſe, quod univerſam Theologiam ſeu totam doctrinam fidei & morum complecteretur, & tamen in eo nullam ſententiam extare de tali ſufficientiâ & perfectione iſtius operis; annon quæſo credendum eſſet, nullum dari Verbum non ſcriptum à verbo ſcripto diverſum? Supponimus enim totum Verbum eſſe ſcriptum, attamen eandem vim tunc haberet argumentum Bellarmini quam nunc habet, ut ſcilicet concludatur aliquid credendum eſſe, quod non eſt ſcriptum; quod eſt incommodum contra hypotheſin. At poſitis iis quæ fieri poſſunt, nihil ſequitur incommodi. Unde patet argumentum illud inanem eſſe cavillationem.

Vera autem ſolutio petenda eſt ex illa 5. hypotheſi, quam cap. 11. explicavimus, & quâ uſi ſumus in reſponſione ad præcedentes inſtantias: nempe etſi nulla extaret ſententia de perfectione & ſufficientiâ Scripturæ, ſeu quod nullum ſit Verbum Dei à ſcripto diverſum, tamen hoc ipſum re ipsâ in Scripturâ contineri, quam ponimus eſſe ſufficientem, & omnibus numeris abſolutam.

Pontificii amant cum ratione inſanire.

Adverſarii autem cæcutiunt, & evaneſcunt in ratiocinationibus ſuis: ut caſſibus ſuis irretiti malint in multò graviora abſurda incidere, quàm commodam explicationem ferre. Non deſunt enim ex iis qui dicunt fieri non poſſe ut univerſum Verbum Dei ſcribatur: atque ſic ratiocinantur quaſi Deus ipſe non poſſet univerſam Theologiam, & omnia credenda ſcripto complecti, quod ad blaſphemiam

accedere

accedere videtur. Sic enim Gretſerus in defenſione cap. 5. lib. 4.
„ Bellar. de Verbo Dei. Quid (inquit) quod fieri non potuit, ut om- *Gretſerus.*
„ nes Traditiones ſcriberentur: quod evidentiſſimè patet exemplo
„ librorum Canonicorum. Faciamus enim in Evangelio Matthæi
„ Divinitus præſcriptum eſſe, *hoc Evangelium eſt Sacrum, Divinum, &*
„ *Canonicum*, at tamen abſque Traditionis ope, nemo poſterorum
„ potuiſſet ſcire num hæc libri præſcriptio & inſcriptio vera eſſet an
„ mendax. Huc accedit prout alibi diſputat in defenſione lib. 4.
„ cap. 4. Etſi concedatur abſque Traditione cognoſci quod tota
„ Scriptura ſit Divinitus inſpirata ex 2 Tim. 3. 16. Si quis admiſſo
„ iſto Pauli teſtimonio, concederet non eam, quæ hodie extat, eſſe
„ illam Veteris Teſtamenti Scripturam, de quâ Apoſtolus loquitur,
„ ſed aliam quandam quæ interciderit: tum neceſſariò ad Traditio-
„ nem confugiendum eſſe: ut reformata Eccleſia dicit illud teſtimo-
„ nium non pertinere ad libros Tobiæ, Judith, Maccabæorum, &c.
„ ſed ad alios duntaxat.

„ Sic hîc dici poteſt, etſi talis inſcriptio Evangelio Matthæi præ-
„ miſſa eſſet, & admitteretur eam eſſe teſtimonium Divinum: ta-
„ men quomodo ſciri poſſet, ſine Traditione, Evangelium quod nunc
„ habemus ſecundum Matthæum, eſſe illud ipſum Evangelium Mat-
„ thæi de quo ſermo eſt in illa inſcriptione? Nam dici poſſet, aliud intelligi Evangelium Matthæi, quod interciderit, aut hoc Evangelium Matthæi, poſt illam inſcriptionem eſſe variis modis depravatum, interpolatum, mutilatum, aut auctum. Sic enim ille diſputat, quaſi abſolutè ἀδύνατον eſſet, ut omnes Traditiones, ſeu totum Verbum Dei ſcriberetur.

Sed paulò cautiùs loqui videtur in defenſione cap. 8. lib. 4. Non
„ poteſt (inquit) fieri, ut, licet omnia conſcripta eſſent, Traditione
„ omni penitus careremus, ſed uti novo Dei miraculo, quo cujuſ-
„ vis hominis Scripturam legentis intellectus ita illuſtraretur, ut
„ ipſam veritatem ſtatim evidenter & abſque ullâ controverſiâ aſ-
„ ſequeretur.

Sed præter ea quæ ſuprà ſuppoſuimus 1. Quod Deus univerſam Theologiam ſcripto complexus eſſet. 2 Quod in eâ Scripturâ nihil de ſufficientiâ ejus ſcriberetur; adjiciamus hanc tertiam hypotheſin, novo ſcilicet miraculo, omnes ſtatim & evidenter veritatem & Divinitatem Scripturæ poſſe perſpicere: nihilominus tamen, eandem, quam nunc vim haberet argumentum Bellarmini, nec aliter re-

ſpondendum.

Digitized by Google

ſpondendum eſſet, quàm nunc reſpondimus. Neque verò minus ſufficienter dogmata perſcripta eſſent, ſive id homines perſpicerent, ſive non perſpicerent.

Luminis Spiritus neceſſitas non probat inſufficientiam Scripturæ. Sed hoc tantùm certum evadit, ut Verbum Dei agnoſcamus, opus nobis eſſe lumine Spiritus, qui ubi vult, & quantum vult, ſpirat & illuſtrat. Atque hoc lumen æquè neceſſarium eſt, ſive verbum ſcriptum, ſive non ſcriptum intelligatur. Neque hinc magis arguitur inſufficientia verbi ſcripti, quàm Verbi Dei in genere, quod tam Verbum ſcriptum quàm non ſcriptum ex ſententiâ Pontificiorum complectitur.

Tertullianus. Huc ſpectat quod dicit Tertullianus de Præſcriptionibus cap. 8. „ Nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Jeſum, nec inquiſi„tione poſt Evangelium, cùm credimus, nihil deſideramus amplius „ credere, hoc enim prius credimus, non eſſe quod ultra quærere „ debeamus.

Quinta Bellarmini inſtantia. Quinta inſtantia Bellarmini. Neceſſe eſt (inquit) non ſolùm Scri„pturam poſſe legere, ſed etiam intelligere. At ſæpiſſimè Scriptura „ ambigua & perplexa eſt, ut niſi ab aliquo qui errare non poſſit, ex„plicetur, non poſſit intelligi: igitur ſola non ſufficit. Exempla ſunt „ plurima, nam æqualitas Divinarum perſonarum, proceſſio Spiri„tus Sancti à Patre & Filio, peccatum originis, deſcenſus Chriſti „ ad inferos, & multa ſimilia deducuntur quidem ex Sacris Literis, „ ſed non adeò facilè, ut ſi ſolis pugnandum ſit Scripturæ teſtimo„niis, nunquam lites cum protervis finiri poſſint. Notandum eſt „ enim duo eſſe in Scripturâ, voces ſcriptas, & ſenſum in eis inclu„ſum, voces ſunt quaſi vagina, ſenſus eſt ipſe gladius Spiritûs. Ex „ his duobus primum habetur ab omnibus, non item ſecundum: ne„que enim poſſumus in plurimis locis certi eſſe de ſecundo, niſi „ accedat Traditio. Et hoc fortè dicere voluit Baſilius de Sp. San„cto cap. 27. cùm ait, ſine Traditionibus non ſcriptis Evange„lium eſſe purum nomen, id eſt, eſſe tantùm voces & verba ſi„ne ſenſu.

Senſus Scripturæ eſt in verbis Scripturæ. Reſp. Hoc argumentum multis nominibus eſſe vitioſum. Nam 1. eſt ignoratio Elenchi: nihil enim ad rem concludit. Concludendum enim eſſet aliquid dari neceſſarium ad fidem & mores quod non continetur in Scripturâ: at Bellar. in hoc ipſo loco fatetur id de quo inſtat, nempe ſenſum Scripturæ eſſe in Scripturâ. Notandum enim eſt (inquit) duo eſſe in Scripturâ, voces ſcriptas & ſenſum in eis incluſum.

incluſum. Et in hac controverſiâ nemo noſtrum intelligit Scripturæ verba ſine ſenſu, ſed Scripturam nominantes verba ſignificantia, imò magis ſenſum, quàm verba intelligimus, ut anteà monuimus.

Secundo Bellar. in verbis iſtis concluſionem alienam ambiguè bis ſubjicit. 1. Cum concludit Scripturam non ſufficere, quia eget interprete. 2. Cùm colligit nos non poſſe certos eſſe de ſenſu Scripturæ niſi accedat Traditio. Nam quod ad poſterius attinet, ludit in ambiguitate vocabuli *Traditionis*: accipit enim Traditionem pro modo tradendi, non pro re traditâ extra Scripturam, contrà quàm ipſe monuit *Traditionis* vocabulum ſumendum eſſe in hac controverſiâ. Deinde, quod ad utrumque dictum attinet, nihil concludit contra nos, qui nunquam exiſtimavimus abſolutè Scripturam ſolam ſufficere ad fidem: cum præter Scripturam agnoſcamus, etiam neceſſariam eſſe ordinariè ad fidem gignendam, prædicationem Verbi Dei, ſeu explicationem Scripturæ, ac Traditionem ſenſus Scripturæ, ac Paſtores & Doctores Eccleſiæ, nec non operationem Sp. Sancti (neque verò hoc eſt controverſum) ſed dicimus Scripturam in genere ſuo ſufficere, nempe in genere doctrinæ & revelationis Divinæ, id eſt, continere doctrinam & revelationem ſufficientem ad ſalutem: cui, in rebus neceſſariis, nulla alia extranea doctrina addenda ſit.

Scriptura eſt ad ſalutem ſufficiens, non abſolutè, ſed in ſuo genere ſcilicet doctrinæ & revelationis Divinæ.

Tertio, quod addit Bellar. de interprete infallibili, falſum eſt, quaſi Scriptura non poſſet intelligi niſi ab eo qui errare non poſſit (unum Papam intelligit) explicetur. Multi enim intellexerunt Scripturam, ſaltem quantum ad ſalutem ſatis eſt, ſine operâ Papæ: & nos anteà oſtendimus Papam non minùs quam alios homines, eſſe errori obnoxium. Neque verò Pontificii ab omnibus Papis qui unquam extiterunt aut extabunt accipere poſſunt totius Scripturæ interpretationem indubitatam. Etenim Pontificii Doctores multùm inter ſe diſſentiunt in explicatione multorum Scripturæ locorum.

Quartò. Altera Concluſio Bellarmini alteram evertit: nam ſi Scriptura non eſt ſufficiens, quia eget interprete infallibili, certè ſi præſto eſt infallibilis Interpres, poſſumus certi eſſe de ſenſu Scripturæ, etiamſi non accedat Traditio. Neque enim dicent Pontificii Papam in interpretatione Scripturæ neceſſariò niti Traditione: nam cum nulla extitit Traditio de ſenſu totius Scripturæ (alioqui non diſſentirent interpretes Catholici) certè ſi Papa poteſt infallibiliter interpretari, ubi deeſt Traditio, non negabunt eum poſſe etiam ſine errore interpretari alibi citra opem Traditionis, ac ſi non extaret.

Ooo Quan-

Quanquam mirum eſt Papas omnes adeo invidere bono Eccleſiæ, ut cùm poſſint, noluit tamen exhibere certam & indubitatam univerſæ Scripturæ explicationem.

Quintò. indigna ſunt iſta epitheta Scripturæ Chriſtianis auribus, cum appellat eam ſæpiſſimè ambiguam & perplexam, quæ potiùs Apollinis & Diaboli reſponſis, quàm Divinis oraculis conveniunt. Loquitur Bellar. hìc de eo quod neceſſe eſt à nobis intelligi in Scripturâ. Et tota quidem hæc diſputatio eſt de rebus neceſſariis ad fidem & mores. Etſi autem Scriptura in nonnullis locis ratione noſtri, vel ,, etiam noſtro vitio ſit obſcura nobis: tamen in his quæ apertè in Scripturâ poſita ſunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem, moreſque vivendi, ut diſertè loquitur Auguſtinus de Doctrinâ Chri-,, ſtiana lib. 2. cap. 9. Et omnia clara ſunt & plana ex Scripturis ,, Divinis, quæcunque neceſſaria ſunt, manifeſta ſunt, ut ait Chry-,, ſoſtomus in 2 Theſſal. hom. 3. & obſcuriora loca per planiora explicanda ſunt: Nam Sacra Scriptura ſeipſam exponit, & auditorem errare non ſinit (ut ait idem in Gen. hom. 13.) Bellarminus autem ipſe fatetur lib. 4. de Verbo Dei cap. 11. §. Reſpondeo loquitur Origenes, obſcuriſſimas quæſtiones de rebus Sacris, ut plurimum non habere teſtimonium Traditionis in totâ Eccleſiâ receptæ.

Auguſtinus. *Bellarminus.*

Divinitas filii & Spiritus fortius ex Scripturâ quàm Traditione probatur.

Sextò, quod ad exempla Bellarmini attinet de qualitate Divinarum perſonarum, proceſſione Sp. Sancti à Patre & Filio, & peccato originis, nonnulli quidem ex Pontificiis dicunt hæc non omninò contineri in Scripturis. At Bellarminus paulò modeſtiùs ait ægrè deduci ex Scripturis. Sed Patres clarè & manifeſtè hæc deducunt ex Scripturis. Eadem eſt ratio exempli de deſcenſu Chriſti ad inferos, ſi ſano modo intelligatur.

At (inquit Bellarm.) ſi in his dogmatibus, ſolis pugnandum ſit Scripturæ teſtimoniis, nunquam lites cum protervis finiri poſſunt. Imo, inquam, nihilo magis movebuntur protervi, auctoritate Traditionum non ſcriptarum: cum hujuſmodi protervis ſi nobis agendum ſit, meminerimus dictorum Apoſtoli 1 Cor. 11. 16. Tit. 3. 10. 2 Theſſ. 3. 2.

1 Cor. 11. 16 Tit. 3. 10. 2 Theſſ. 3. 2

Baſilius non hic Proteſtantibus adverſatur.

Septimò, ſi is ſit ſenſus Baſilii quem ei tribuit Bellarm. in loco quem citat, nihil facit contra nos, quibus illud placet Hieronymi in ,, 1. ad Galatas. Ne putemus in verbis Scripturarum eſſe Evange-,, lium, ſed in ſenſu: & Hilarii in epiſtolâ ad Conſtantium. Scriptu-,, ræ non in legendo ſunt, ſed in intelligendo. Quanquam revera

Baſilius

Baſilius (ſi modo illud caput ſit verè Baſilii, de quo docti dubitant) loquitur ibi non de Scripturâ, ſed de prædicatione Evangelii, nec de Traditione ſenſus Scripturæ ſeu interpretatione, ſed περὶ ἐθῶν de con-
„ ſuetudinibus Eccleſiæ in Sacris peragendis. Sic enim verba ejus
„ ſonant: Si conſuetudines quæ ſcripto proditæ non ſunt, tanquam
„ non multum habentes momenti, conemur rejicere, imprudentes
„ graviſſimum Evangelio detrimentum inferemus: imò potiùs
„ τὸ κήρυγμα, ipſam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahe-
„ mus. Subjungit autem exempla ſtatim variorum rituum in Eccleſiâ
„ uſurpatorum: nempe intelligit ſine iſtis ritibus prædicationem vi-
„ deri nudam.

Lutherus aliquandiu purgatorium & alios errores credidit.

Sexta Bellarmini inſtantia eſt adverſus Lutherum: Lutherus (inquit) credidit purgatorium eſſe: ſic enim ait in aſſertionibus art. 37. Ego & credo purgatorium eſſe, & conſulo ſuadeoque credendum: & tamen in art. illo 37. aſſerit purgatorium non poſſe probari ex Sacris Literis.

Reſp. 1. Revocandum eſt in memoriam quod ante monuimus, Lutherum è tenebris Pontificiis non ſtatim emerſiſſe: qui licet initio opinionem habuerit de purgatorio, poſtea tamen eam penitus abdicavit. Id quod Bellarm. probè novit & teſtatur in lib. 1. de purgatorio cap. 2. Dixi Lutherum opinionem habuiſſe de purgatorio, ut enim aſſeruit purgatorium non poſſe probari ex Sacris Literis, ita credidit purgatorium non ut rem certam, ſed ut probabilem, nam ibidem ait ſe ita credere purgatorium eſſe, ut Thomam eſſe ſanctum, nempe non fide Divinâ, ſed opinione humanâ.

2. Inhumanum eſt & iniquum Lutheri errores, præſertim quos ipſe abdicavit, orthodoxis, qui eos rejiciunt, objicere: quaſi verò nobis in promptu non eſſet præcipuorum Doctorum Pontificiorum errata iis reponere, quæ tamen indignum clamitarent Romanæ Eccleſiæ attribui. Qualis quantuſque vir Cardinalis Cajetanus à Pontificiis habeatur, prædicat inter alios Sixtus Senenſis Bibliothecæ lib. 4. attamen in ejus Commentariis Veteris & Novi Teſtamenti ducentos & plures errores notavit Ambroſius Catarinus frater ordinis prædicatorum. Petrum Lombardum univerſa Schola Pontificia quingenteos prope annos magiſtrum κατ' ἐξοχὴν & antonomaſticè appellavit; viginti tamen ſex articuli notantur in determinatione Pariſienſis facultatis Theologicæ, in quibus erravit, aut (ut loquuntur) non tenetur Magiſter, qui enumerantur in fine operis Lombardi.

Cajetani errores ducenti.

Lombardi 26.

3. Quod

Purgatorium non probatur ex Scripturâ. 3. Quod ad rem ipſam attinet, non auſus eſt Bellar. dicere purgatorium eſſe abſolutè Traditionem non ſcriptam, cùm ipſe multis locis Scripturæ id ſtabilire fatagat: quanquam reverà non modò in Scripturâ, ſed etiam contra Scripturam aſſeritur. At alii ex Pontificiis malunt purgatorium Traditione quàm Scripturâ niti, ut Lindanus *Lindanus.* Panopliæ lib.4.cap.100. Petrus à Soto in inſtitutione Chriſtianâ. *Petrus à Soto.* Licet (inquit) in Scripturâ, nihil perſpicuè de purgatorio Tra- „ datur, tamen multa credenda quæ ſcripta non ſunt. Et Roffenſis *Roffenſis.* „ in confutatione Lutheri. Tametſi ex Scripturis probari non poſſit „ purgatorium, veritas ejus nihilominus Chriſtianis omnibus creden- „ da eſt. Perionius in Theologicis. *Perionius.* Solus (inquit) locus 2 Maccab. „ cap. 11. depromi poteſt ex Scripturis Divinis qui apertè docet preces & ſacrificia prodeſſe mortuis. Sed nos in libro de Verbo Dei oſtendimus & librum illum eſſe Apocryphum, & locum iſtum nihil ad purgatorium ſpectare.

CAP. XVI.

Reſpondetur ad exempla quæ ad Vetus Teſtamentum ſpectantia affert.

HACTENUS de inſtantiis Bellarmini utrique Teſtamento communibus: ſequuntur tres inſtantiæ quæ ad Vetus Teſtamentum ſpectant.

Inſtantia Bellarmini ſeptima. „ Septima igitur inſtantia ſic habet. Tempore (inquit) Teſta- „ menti Veteris, ſine dubio, non minus fœminæ quàm viri reme- „ dium aliquod habebant, quo à peccato originali purgarentur: & „ tamen pro maſculis inſtituta erat circumciſio ſecundum auctorum opinionem: quid autem eſſet pro fœminis, nuſquam habet Scriptura.

Octava. „ Octava inſtantia. Eodem tempore non eſt ullo modo credibile, „ non fuiſſe remedium ullum pro maſculis morientibus ante octavum „ diem, quo ſolo poterant circumcidi, & tamen nihil extat hac de re „ in Scripturâ.

Nona. „ Nona inſtantia. Tempore Veteris Teſtamenti Gentiles multi „ ſalvari poterant & ſalvabantur, & verè ad Eccleſiam pertinebant, „ ut patet ex Job & amicis ejus, & tamen nihil prorſus de eorum ju- „ ſtificatione à peccato originali, aliiſque peccatis in Scripturâ ha- „ betur.

Digitized by Google

Ad has inſtantias reſpondemus 1. Quòd non attingant præcipuam controverſiam quæ nobis cum Adverſariis intercedit. Origo enim controverſiæ hinc eſt, quod Adverſarii multa ſtatuunt Chriſtianis neceſſariò credenda quæ in Scripturâ nullum habent fundamentum. Hinc eſt quæſtio num univerſa Scriptura Veteris & Novi Teſtamenti complectatur omnia dogmata ad ſalutem neceſſaria: etſi enim agnoſcimus Scripturam poſt Pentateuchum Moſis editum, ſemper fuiſſe pro ſtatu Eccleſiæ perfectam & ſufficientem, (ut anteà monuimus) licet progreſſu temporis, pro ratione diſpenſationis divinæ, magis magiſque illuſtrata & explicata fuerit: tamen non eſſet quod multùm laboraremus adverſus Pontificios, licet magnam Scripturæ partem ſufficere negârint, ſi univerſam ſufficientem agnoſcerent.

R. Earum nulla eſt cognitu neceſſaria.

Quæ autem in tribus prædictis inſtantiis objiciuntur, certum eſt non eſſe nunc nobis ſcitu neceſſaria ad ſalutem aut ad fidem & mores. Et ſi hujuſmodi inſtantiæ valerent, non tantùm ex his concluderetur Verbum Dei ſcriptum non ſufficere, ſed omninò Verbum Dei in genere ſeu verbum tum ſcriptum, tum non ſcriptum ut vocant, minimè eſſe regulam fidei totalem & adæquatam, contra quàm Bellarm. ipſe docet lib. 4. de Verbo Dei cap. ultimo §. *Dico ſecundò.* Nam ut Pontificii dicunt, ea quæ objiciuntur non poſſe haberi ex Scripturâ: ita nec ex Traditionibus ſuppleri poſſunt, cùm ea planè eſſe ignota ipſi fateantur, ut Bellarm. de Baptiſmo cap. 4. §. *Reſpondeo totum.* Unde ſequitur ex ipſorum doctrinâ Eccleſiam maleſidam fuiſſe cuſtodem Traditionum, quæ iſtas tam præclaras ſcilicet Traditiones amiſerit.

Nec ſciri poteſt per Traditionem etiam non ſcriptum.

Deinde negamus ullas fuiſſe ejuſmodi Traditiones, quæ non extant in Scripturâ. Si loqueretur Bellarm. de remedio propriè dicto, quo propriè juſtificantur & purgantur homines à peccato originali & aliis peccatis, in promptu eſſet reſponſio, illud remedium eſſe omnibus electis commune, tam ſub Veteri quàm ſub Novo Teſtamento, tum viris, tum fæminis, tum Judæis, tum Gentilibus, tum adultis, tum infantibus etiam ſub Lege ante octavum diem mortuis, quod quidem in Scripturâ diſertè continetur, nempe Sanguinem & meritum Chriſti ſecundum fædus & promiſſionem Dei. *Semen mulieris conteret caput ſerpentis, In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Sed Bellarm. loquitur de Sacramentali remedio, putà de circumciſione, & de eo quod vicem ejus ſupplet: atque ita loquitur quaſi circumciſio,

cumciſio, & quod ejus vicem ſupplet, propriè, & ex opere operato (ut loquuntur Pontificii) juſtificaret & purgaret à peccato. Nam alioqui ſi concedatur, quod res eſt, circumciſionem fuiſſe tantùm ſignaculum & ſigillum obſignans purgationem à peccato, inde ſequeretur (cùm gratia Dei non ſit alligata ſignis viſibilibus) Circumciſionem non fuiſſe abſolutè neceſſariam ad ſalutem (adeo ut quod dicitur de reliquis Sacramentis, non defectus ſed contemptus ejus damnârit,) id eſt, fuiſſe neceſſariam tantum neceſſitate præcepti non autem neceſſitate medii. Unde efficitur non fuiſſe neceſſariam circumciſionem aliis aut alias, quàm quibus & quando præcipiebatur: neque eos quibus tempore Veteris Teſtamenti non competebat aut non præcipiebatur opus habuiſſe alio Sacramento quaſi Vicario.

Aquinas. „ Thomas in par. 3. quæſt. 70. art. 4. ait, Sicut ante inſtitutionem „ circumciſionis ſola fides Chriſti juſtificabat tam pueros quàm a„ dultos: ita etiam & circumciſione datâ.

Nihilominus tamen ſi vult hîc Bellarm. (ut verba ejus præ ſe ferunt) circumciſionem propriè juſtificare & purgare à peccato, apertè ſibi contradicit: cùm in lib. 2. de Sacramentis in genere cap. 13. 14. in hoc diſtinguat Sacramenta Veteris & Novi Teſtamenti, quod hæc quidem juſtificent, illa autem minimè. Sic Concilium Florentinum & Tridentinum ſolis Sacramentis Novi Teſtamenti tribuunt vim juſtificandi: quanquam revera totum hoc diſcrimen commentitium ſit.

Ipſo fatente Bellarmino. Cæterùm Bellarm. prævidens, ſi clare ſuam ſententiam hîc explicaret, nullam vim habituras has inſtantias, ideò obſcurè, perplexè, & ſophiſticè loquitur, cùm affirmat, ſine dubio non minùs „ fæminas quàm viros remedium habuiſſe, quo à peccato originali „ purgarentur: & tamen ſubjungit, pro maſculis inſtitutam fuiſſe „ circumciſionē in hoc remedium, non abſolutè ſed ſecundum mul„ torum opinionem: quam opinionem ipſe in memorato loco refutat. Et in lib. de Sacramento Baptiſmi cap. 4. §. *Reſpondeo totum,* „ ait multos Veteres negare circumciſionem datam eſſe in remedium contra peccatum.

Porrò non convenit inter Pontificios hac de re, nam teſte Bel„ larm. lib. 4. de Verbo Dei cap. 8. non deſunt aliqui Catholico„ rum, qui negant ullam fuiſſe Traditionem non ſcriptam apud Ju-

Janſenius. dæos. Janſenius Concordantiæ Evangelicæ cap. 100. 20. in hæc „ verba, *Quæcunque dixerunt, facite* ait, Quod uni Judæorum populo per

„ lo per Moſen ſatis diligenter perſcripta eſſent quæcunque ad Re-
„ ligionem pertinerent, & juſtitiam inter homines ſervandam. Et
Bellarm. licet hîc affirmet, ſine dubio fuiſſe Traditionem non ſcri-
ptam de tali remedio, tamen in lib. de Baptiſmo prædicto cap. & §.
„ ait rem eſſe incertam. Non ſcimus (inquit) num ante octavum
„ diem haberent infantes Judæorum aliquod remedium, & quod
illud eſſet. Imo potiùs certum eſt illud eſſe fictitium: nam cùm lex
multò minutiora complectatur, quæ ratio afferri poteſt, cur illud
omitteret, quod majori populi parti, puta infantibus ante octavum
diem morientibus, & fæminis omnibus neceſſarium dicitur. Neque
enim negligit lex ea quæ ad fæminas pertinent, qualia ſunt de puer-
peræ purgatione Levit. 12. Quid quod ipſi Judæi, qui circumciſio-
nem perpetuò retinuerunt, & Traditionibus ſupra modum indul-
gent, nullam talem Traditionem uſurpent aut agnoſcant?

Præterea falſum eſt circumciſionem tantùm inſtitutam eſſe pro maſculis: etſi enim fiebat tantùm in maſculis, non tamen fiebat tantum pro maſculis, ſed erat in ſignum fœderis pro univerſo ſemine Abrahami Geneſ. 17. 7. Sic Sanguine Agni Paſchalis etſi nullus Iſraëlitarum fuerit aſperſus, ſed tantùm poſtes domûs: tamen uſus & beneficium pertinebat ad omnes qui erant in domo Exod. 12. 13. 23. Uſus enim & fructus ejuſmodi Sacramentorum & ſignorum pendet ab inſtitutione. Fruſtra itaque Gretſerus objicit idem dici poſſe de Baptiſmo: quaſi eadem ratione Baptiſmus virorum dici poſſet ſufficere pro fæminis, cùm Baptiſmus ex inſtitutione non reſtringatur ad maſculos ſicut Circumciſio.

Circumciſio inſtituta etiam pro familiis licet non in iis. Gen. 17. 7. Exod. 12. 13. 23.

Lombardus nullum tale remedium agnoſcit quod vicem ſupplecet Circumciſionis in fæminis & parvulis non circumciſis. Nam lib. 4. diſt. 1. ad Lit. G. ubi quærit de viris qui fuerunt ante Circumciſionem, & de fæminis quæ fuerunt ante & poſt, quod remedium contra peccatum habuerint, reſpondet ſic: Quidam dicunt ſa-
„ crificia & oblationes eis valuiſſe ad remiſſionem peccati: ſed me-
„ lius eſt dicere illos, qui de Abraham prodiêrunt, per Circumciſio-
„ nem juſtificatos, mulieres verè per fidem & operationem bonam:
„ vel ſuam, ſi adultæ erant, vel parentum, ſi parvulæ: eos verè, qui
fuerunt ante Circumciſionem, parvulos in fide parentum juſtifica-
„ tos: Et citat verba Gregorii Magni in 4. Moral. cap. 2. Quod
„ apud nos (inquit) valet aqua Baptiſmi, hoc egit apud Veteres pro
„ parvulis ſola fides, vel pro majoribus virtus ſacrificii: vel pro his
qui

Lombardus.

„ qui ex Abrahæ ſtirpe prodiêrunt, miniſterium Circumciſionis.

Thomas. „ Thomas par. 3. qu. 70. art. 4. Si aliqui (inquit) mortui ſunt „ incircumciſi in deſerto, eadem eſt ratio de his & de iis qui mo-„ riebantur ante Circumciſionis inſtitutionem. Quod etiam intelli-„ gendum eſt de pueris qui moriebantur ante octavum diem tempore Legis. Nempe ex ejus ſententiâ, ſola fides ſufficiebat vel propria, vel parentum.

Hugo lib. 1. de Sacramentis cap. 2. & Biel lib. 4. Sententiarum diſp. 1. quæſt. 4. docent fæminas olim ſalvatas fuiſſe ſolâ fide, ſacrificiis, & oblationibus, aliiſque Legis cæremoniis purificatas. Sic Vaſques in tertiam Thomæ qu. 61. art. 1. diſp. 163. cap. 2. contendit ſolâ parentum fide, fuiſſe tum temporis ſervatos infantes. Idem docet Alexander Halenſis in Summa par. 4. qu. 4. art. 3. Andradius defenſ. lib. 2. fol. 125. aſſerit Judæos, nullos habuiſſe ritus Religioſos vice Circumciſionis quibus ſanctificarentur ſeu purgarentur fæminæ & infantes ante octavum diem.

Eckius. „ Eckius tom. 3. de Circumciſione hom. 1. Quæritur (inquit) „ quod fuit remedium culpæ originalis parvulis ante legem datam „ Circumciſionis, ut etiam maſculis, qui ante octavum diem moriebantur: Reſpondetur: nullo unquam tempore Deus ſuos dimiſit ſine interiori medicinâ.

Adde quod abſurdè admodum Bellarm. urgeat fuiſſe aliquod remedium infantibus Judæorum ad eorum ſalutem & purgationem qui ante Circumciſionem obiêrunt, cùm Infantes Chriſtianorum non baptizatos (etſi id nec ſuo nec parentum vitio accidat) omnes ſine remedio damnari ſtatuat lib. de Baptiſmo cap. 4. etſi procul dubio multò uberior ſit gratia Novi Teſtamenti quàm Veteris.

Vana Gretſeri exceptio. Objicit Gretſerus, quomodocunque dicatur fæminas & infantes expiatos eſſe ab originali peccato, & aliis peccatis ſive per Circumciſionem marium, ſive per fidem parentum aut Eccleſiæ, ſive per ſacrificia & oblationes, id ex Scripturâ non conſtare, ac proinde ex Traditione hauriendum eſſe.

R. Non eſt noſtrum defendere omnia Scholaſticorum dicta, ſed ex teſtimoniis citatis patet, quàm parum conſentiant inter ſe Pontificii Doctores: nobis ad argumentum ſatis eſt negare, quod gratis aſſerit Bellar. ullum externum remedium vice Circumciſionis neceſſarium fuiſſe fæminis aut infantibus ante octavum diem mortuis. Nam cùm tale remedium nec in lege Moſis tradatur, in quâ omnes

ritus

ritus populo Judaico neceſſarii plenè explicantur, nec ab ullo mortalium explicetur, nec à Judæis adhuc uſurpetur, nec requiri ullus Patrum docuerit, nos meritò nullum tale fuiſſe credimus, & cum Eckio tenemus, licet externum ſignum defuerit, nullo unquam tempore Deum ſuos dimiſiſſe abſque interiori medicinâ, nempe merito Chriſti per internam operationem Sp. Sancti accommodato.

Quod autem Circumciſionis ſignum, aut id quod Circumciſione ſignatur, pertinuerit ad fœminas ſatis clarum eſt ex Geneſ. 17. ubi promiſſio extenditur ad ſemen Abrahami: niſi fortè fœminas excludunt à ſemine Abrahami.

Quomodo dicuntur infantes ſalvari per fidem parentū aut Eccleſiæ.

Quod autem dicitur infantes ante Circumciſionem mortuos (eadem eſt ratio de Baptiſmo) ſervari per fidem parentum aut Eccleſiæ, nihil aliud intelligimus, quàm eos ſervari vi fœderis, ſecundum illud, *Ero Deus tuus & ſeminis tui, &c.* promiſſio enim illa tantùm ſpectat ad fideles aut ad Eccleſiam fidelium. Certum eſt Deum in adultis requirere ut conditionem fœderis fidem propriam, fidem (inquam) vivam, quæ operatur per charitatem; infantes autem cùm non habeant fidem actualem, Deus non requirit eam, aut ullam aliam ab iis conditionem præſtandam, cujus ea ætas non eſt capax, ſed ipſe applicat iis medicinam, quam illi ſibi applicare nequeunt: neque fides parentum aut Eccleſiæ eſt ullum remedium purgativum aut inſtrumentum applicativum, ſed conditio reſtringens fœdus ad liberos fidelium aut Eccleſiæ, quâ diſcernuntur à liberis infidelium & Ethnicorum, ad quos iſta promiſſio & prærogativa non ſpectat.

Itaque fides illa parentum & Eccleſiæ in hoc opere non meretur nomen cauſæ, ne inſtrumentalis quidem, niſi forte appellare liceat cauſam ſine quâ non. Atque ſic nihil aliud dicimus, quàm quod ſatis apertè continetur in Scripturâ. Nam promiſſiones de redemptione noſtrâ & expiatione per Chriſtum ſatis luculentè extant in Vet. & Nov. Teſt. & fœdus Dei cum Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, & ſemine eorum ſæpius inculcatur: quod etiam fœdus ad nos & omnes credentes ſpectat, quorum omnium Abrahamus pater eſt ſpiritualis, ut abunde docet Apoſt. Rom. 4.

Nullus ex gentibus ſalvatus eſt, niſi per fidem in Chriſtum venturum.

Deniq; quod ad poſtremam inſtantiam attinet de Gentilibus, ſatis eſt nobis negare, Gentiles qui tempore Veteris Teſtamenti ſalvati ſunt, habuiſſe alia media ſalutis, quàm quæ in Scripturâ revelata Judæis competebant: Adverſariorum eſt, qui temerè & gratis id affirmant, exemplo aliquo oſtendere, quod non poſſunt. Quid au-

Digitized by Google

tem de talibus gentilibus cenſendum ſit, nos nonnihil ſuprà monuimus cap. 2. §. *In ſecundo membro.*

Auguſtinus.

Interim notanda ſunt verba Auguſtini lib. de Civit. Dei 18. cap. „ 47. ubi de Job loquitur. Divinitus proviſum fuiſſe non dubito, ut „ ex hoc uno ſciremus, etiam per alias gentes eſſe potuiſſe, qui ſe- „ cundum Deum vixerunt eique placuerunt pertinentes ad ſpiritua- „ lem Hieruſalem: quod nemini conceſſum fuiſſe credendum eſt, „ niſi cui divinitus revelatus eſt unus mediator Dei & hominum, „ homo Chriſtus Jeſus, qui venturus erat in carne: ſic antiquis ſan- „ ctis prænunciabatur, quemadmodum nobis veniſſe nunciatus eſt, „ ut una eademque fides per ipſum, omnes in Dei civitatem, in domum Dei, in Dei templum prædeſtinatos perducat ad Deum.

CAP. XVII.

Reſpondetur ad tres inſtantias Bellarmini quæ ad Novum Teſtamentum ſpectant.

SUPERSUNT tres inſtantiæ Bellarmini quæ ad Novum Teſtamentum ſpectant.

Prima Bellarmini inſtantia.

„ Decima itaque inſtantia ſic ſe habet. Credendum (inquit) eſt „ beatam Mariam ſemper fuiſſe Virginem contra errorem Helvidii, „ ut ſemper tota Eccleſia credidit, & tamen nullum de hac re eſt in „ Scripturis teſtimonium.

Virginitas Mariæ ad natum Ieſum eſt de fide.

Chriſtus natus ſecundum modum communẽ juxta pleroſque Patres. Mat.1.26. Luc.1,34.

Reſponſio patet ex 6. hyp. quam capite 11. præpoſuimus, & explicatione ſtatus controverſiæ qua ibidem & cap. 1. oſtendimus. De virginitate autem Mariæ tria traduntur. 1. Eam fuiſſe virginem uſque ad natum Chriſtum quem abſque operâ aut ſemine virili concepit: id quod neceſſariò credendum eſt tanquam præcipuus fidei articulus, & diſertiſſimè in Scripturâ docetur. 2. In partu, Virginitatis clauſtra, ut vocant, non fuiſſe aperta: quaſi Maria non communi aliarum mulierum more enixa ſit, ſed ex ejus utero clauſo miraculoſe infans prodiērit. At hoc nihil ad virginitatem ſpectat quæ non poſt conceptionem, ſed ante eam copulâ virili tollitur. Neque aliter Scriptura Mariæ virginitatem explicat, quàm quòd non cognoverit virum Mat.1.26. Luc. 1.34. Deinde hoc non eſt articulus fidei neque certum, cùm nonnulli Patres contrà loquantur ut Tertull. lib. de carne cap. 4. Ignatius ad Trallianos, Ambroſius in Luc. 2.23. Theo-

Digitized by Google

Theophylactus in eundem, Origenes hom. 15. in Lucam, Irenæus lib. 4. cap. 65. Ruffinus in Symbolum, Epiphanius hæreſi 78. quibus phraſis Scripturæ magis conſentanea videtur cùm loquitur de partu Mariæ, de purgatione ejus poſt partum, & quòd Chriſtus recenſetur inter maſculos ad aperientes matricem Eſ. 7.14. Mat. 1. 21. 24.26. Luc.1.31.& 2.6.7.22.23. Quanquam alii reprobare conantur ex Ezech.44.2. (ut notat Hieronymus in eum locum) ubi Propheta loquens de portâ Sanctuarii ait, *Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & vir non tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam.* Sed Theologia Symbolica (ut loquuntur Scholaſtici) non eſt argumentativa: nempe ex allegoricâ interpretatione non colliguntur firma argumenta ad dogmata fidei ſtabilienda. Atque ipſe quidem Hieronymus locum aliter interpretatur & applicat ibidem. Et ſi accommodetur Mariæ, porta non dicitur clauſa ratione tranſitus Chriſti, qui eſt Dominus Deus Iſraël, ſed ratione alterius viri.

Eſ.7. 14. Mat.1.21. 34.26. Luc.1. 31. & 2. 6. 7. 22. 23.

Contraria Hieronymi ſententia malè fundata eſt.

Tertiò dicitur Mariam perpetuò manſiſſe Virginem, etiam poſt natum Chriſtum. Et hæc quidem ſententia communiter in Eccleſiâ recipitur, & piè creditur, ſed non ex neceſſitate fidei. Etenim in ejuſmodi rerum generibus, ſive hiſtoricis narrationibus, ſive ritibus Eccleſiaſticis, quæ ſacris Literis non repugnant (licet in iis non contineantur) & pietati ac moribus bonis ſunt conſentanea, magnam eſſe auctoritatem Eccleſiæ ultrò fatemur, modò ſuis limitibus coërceantur, neque divinis oraculis æquiparentur.

Perpetua Maria virginitas creditur piè, ſed non neceſſariò.

Helvidius autem non ideo damnatus eſt à Patribus, quòd Mariæ perpetuam virginitatem non crediderit ut articulum fidei, aut quòd de eâ dubitaverit, ſed quòd contrarium pertinaciter defenderit, & neceſſariò credendum ex auctoritate Scripturæ ſtatuerit. Atque Hieronymus contra Helvidium, & Epiphanius contra Antidicomarianitas, Ambroſius Epiſt. 79. & 81. & alii variis Scripturæ teſtimoniis eam ſententiam refellere conantur: quæ teſtimonia ſi ſatis firmiter inſtitutum probarent (qua de re hic non diſputamus) tum perpetua Virginitas Mariæ non eſſet Traditio non ſcripta, ſed ſcripta. Et quidem index Biblicus in regiis Bibliis ad vocabulum *Maria*, multis Scripturæ locis ſignificari perpetuam virginitatem Mariæ notat.

Cæterùm nos libenter Baſilium ſequimur in hom. de humanâ Chriſti generatione, ubi conſiderans verba illa Matthæi, *Non cognovit eam donec pepererit filium ſuum primogenitum,* ſubjungit: hoc verò

Baſilii hic ſententia optima eſt.

 nunc

„ nunc ſuſpicionem generat, ne forſan, poſtquam puritate ſuâ generationi Dominicæ per Sp. Sanctum adminiſtratæ ſervivit, tum demum nuptialia opera viro Maria non negaverit. Nos verò, licet nihil hoc doctrinæ pietatis officiat (nam donec diſpenſabatur Chriſti generatio neceſſaria erat virginitas: quid verò poſteà ſit factum ad myſterii hujus doctrinam non auxiè conquirendum eſt; Veruntamen ne hoc eorum, qui Chriſtum amant ferre cogantur aures, illa teſtimonia ſufficere putamus.

Undecima Bellarmini inſtantia.

„ Undecima inſtantia hæc eſt: Credendum eſt (inquit) in Novo Teſtamento Paſcha eſſe celebrandum die Dominico, nam hæretici habiti ſunt ab Eccleſiâ antiqua Quartodecimani: & tamen nihil hac de re extat in Sacrâ Scripturâ.

Contentio de Paſchate non fuit neceſſaria. Col. 2. 16.

R. Paſchatis obſervationem non eſſe inter dogmata fidei & morum ad ſalutem neceſſaria, ſed inter ritus Eccleſiæ, de quibus non agitur in hac controverſiâ. Apoſt. ad Col. 2. 16. inquiens, *Nemo vos judicet aut damnet reſpectu feſti*, ſatis indicat feſti obſervationem cujuſmodi eſt Paſcha non eſſe articulum fidei aut præceptum morale. Qui in Aſia eodem die quo Judæi, id eſt, decimoquarto die Lunæ poſt æquinoctium in quemcunque diem Septimanæ inciderat, Paſcha celebrabant, non minùs ſe Traditione tuebantur, quàm Occidentales qui diem Dominicum ſequentem obſervabant. Illi Traditionem Joannis & Philippi, hi Petri & Pauli obtendebant, neque ex hac diverſitate aliquid detrimenti cepit Religio: nec propterea boni Patres diſcordârunt, ſed pacem retinuerunt, & communionem mutuam, donec circiter annum Domini 196. Victor Epiſcopus Romanus ſupra modum iracundiâ inflatus, omnes in Aſiâ qui 14. die Lunæ Paſcha celebrabant excommunicare ſtatuiſſet: ob quod à variis Epiſcopis acriter reprehenſus eſt, inter quos Irenæus Epiſcopus Lugduni in Galliâ in eum per Epiſtolam graviter invectus eſt, tum æſtum iracundiæ illius incuſando, tum docendo quod Veteres qui in illius feſti obſervatione inter ipſos diſcrepabant, minimè fuere communione ſejuncti: quodque etiam Polycarpus Epiſcopus Smyrnæ cum Aniceto Epiſcopo Romano communicavit, minimeque cum illo diſſenſit, licet ex patriâ conſuetudine Smyrnæ ſervatâ feſtum illud 14. die obſervaret: ut tradunt Euſebius in 5. lib. hiſt. Eccleſ. cap. 22. 23. & Socrates hiſtoriæ lib. 5. cap. 21. Iſti planè docent ob hanc controverſiam non fuiſſe pacem ſolvendam, neque juſtam fuiſſe cauſam cur tantopere digladiarentur, ac proinde eam ad fidem.

Digitized by Google

fidem minimè pertinuiſſe. Imò ex Irenæo confirmat Euſebius ejuſmodi jejunii & Paſchatis diſſonantiâ, concordiam fidei commendatam eſſe.

Socrates ibidem ait neque Servatorem neque Apoſtolos Paſcha obſervandum Lege aliquâ præcepiſſe, ſed illud & alia feſta libero æquoque judicio eorum, qui in illis diebus beneficia acceperant recolenda reliquiſſe: & ſicut res aliæ multæ in locis quibuſque ex more quodam introductæ fuerunt, ita feſtum Paſchatis ex quadam conſuetudine apud ſingulos populos obſervationem privatam habuiſſe, id quod confirmat ex eventu, quod ſcilicet alio tempore hi, alio illi Paſcha obſervarent: quippe qui in eadem fide conſentiunt, iidem in ritibus & cæremoniis pro diversâ conſuetudine inter ipſos diſcrepant.

Similia tradit Sozomenus hiſt. Eccleſ. lib. 7. cap. 18. 19. ubi docet in Sangariano Novatianorum Concilio conſcriptum eſſe Canonem (quem ἀδιάφορον appellant) quo decretum eſt, ut unicuique liberum eſſet hoc feſtum, utcunque vellent celebrare, omnibus in unâ concordiâ & eodem cœtu ſimul perdurantibus. Idemque docet ante ſtatutum fuiſſe tempore Polycarpi. „Frivolum enim (inquit) meritò judicârunt, conſuetudinis gratiâ à ſe mutuò ſegregare eos qui in præcipuis Religionis capitibus conſentirent, neque enim eaſdem Traditiones per omnia ſimiles in omnibus Eccleſiis, quamvis inter ſe conſentiant, reperire poſſis. Similia etiam legere eſt apud Nicephorum hiſt. lib. 5. cap. 36, 37, 38, 39.

Hæc de re etiam ſcribit Socrates lib.5.c.20. Sozomenus.

At (inquiunt) Quartodecimani habiti ſunt hæretici ab antiquâ Eccleſiâ. E eſt de fide Paſcha celebrandum eſſe die Dominico.

Reſp. Nomen hæretici latius accipitur interdum à Patribus ut complectatur non tantùm eos qui pertinaciter errant in fide ſeu in fundamentalibus: ſed etiam qui alios quoſdam errores pertinaciter tuentur præſertim contra Canones ac Decreta Eccleſiæ. Ita fit, ut dum latiùs aut ſtrictiùs nomen hæretici accipiunt, alii plures alii pauciores hæreſes enumerent: ut notat Auguſt. in epiſt. & lib. de hæreſibus ad Quod vult Deum. „Quid autem faciet hæreticum (inquit ibidem) regulari quâdam definitione comprehendi, ſicut ego exiſtimo, aut omninò non poteſt aut difficillimè poteſt. Non ergo ſequitur, licet latè ſumptâ voce Quartodecimani appellati ſint hæretici, ideo eos erraſſe in fide. Etenim Epiphanius, etſi Quartodecimanos inter hæreticos numeret hæreſi 50. tamen ait

Quartodecimani dicebantur vocabulo.

eos omnia habere velut Eccleſiam, abberrare autem, eo quod non conſequentis doctrinæ ritum attendant. Et in Anacæphalæoſi ait: Audianos fidem per omnia habere ut Catholicam Eccleſiam: & tamen ſtatim ſubjungit eos Paſcha obſervare eodem die cum Judæis.

Quanquam autem diverſitas Paſchalis Obſervationis anteà tolerari poterat ſalvâ fide & charitate, tamen poſtquam exacerbata eſt contentio, ac deinde Decreto Concilii Nicæni, accedente auctoritate Conſtantini magni Imperatoris conſtitutum eſt, ut in Paſchate celebrando qui pauciores erant, conſuetudinem imitarentur eorum qui longè plures erant; adeoque omnes eodem die Dominico celebrarent, meritò reprehendendi ſunt, qui ob hujuſmodi ritum, pacem Eccleſiæ violant, etſi res eſſet in ſe indifferens. Imo quicunque aliquid ἀδιάφορον in alterutram partem definiret, tamquam in ſe aut ſuâ naturâ ad fidem neceſſarium hæreticis accenſendum eſſe, non deſunt viri docti qui exiſtiment.

Alphonſus de Caſtro.

„ Alphonſus de Caſtro agens de Quartodecimanis, inquit, Ad-
„ monere oportet Lectorem, ne putet hujus erroris tutores ideo di-
„ ci hæreticos, quia decimaquartâ Lunâ Paſcha celebrabant, ſed
„ quia ita neceſſariò eſſe faciendum credebant, poterant enim impu-
„ ne ipſum Paſcha decimaquartâ Lunâ celebrare, ſi Eccleſiæ id ſta-
„ tuiſſet, & tunc ſi ita celebrarent, non malè agerent, nunc verò poſt
„ Eccleſiæ ſtatutum, non licet alio die celebrare quàm die Domini-
„ co, qui autem decimaquarta Luna quocunque die veniat Paſcha
„ celebrat, quamvis malò agat, non tamen eſt hæreticus cenſendus,
„ niſi ita neceſſariò faciendum crediderit.

Quartodecimam quidam Iudaiſmum reducebant.

Et certè multùm intereſt inter Polycarpum, Polycratem, & cæteros pios Patres qui decimaquartâ Lunâ celebrabant, non quòd legalibus cæremoniis ſe obſtrictos crederent, ſed quod conſuetudinem Eccleſiarum ſuarum à Joanne & Philippo Apoſtolis derivatam (uti cenſebant) immutare noluerint ante generalis Concilii ſententiam, & inter Blaſtum, qui (ut ait Tertull. in fine lib. de Præſcriptionibus) latenter Judaiſmum voluit introducere, contendens Paſcha non aliter cuſtodiendum eſſe niſi ſecundum Legem Moſis decimoquarto die menſis: ita evangelicam gratiam evacuans, cum Chriſtum ad Legem relegat, Sabation etiam qui ex Judæo factus Chriſtianus idem contendebat: hoc modo Judaicæ Religioni, quâ animus ejus erat ante occupatus, ſervire laborans: ut tradunt Socrates lib. 5. cap. 20. & Sozomenus lib. 17. cap. 18. ita & eorum ſectatores

res

Digitized by Google

res qui Chriſtianos obligatos putabant ex Lege Moſis ad Paſcha celebrandum decimaquartâ Lunâ, hæreſin ſapiunt quæ ex Scripturâ refellitur Gal. 4. verſſ. 9, 10, 11. Col. 2. 16, &c. urgebant enim illud quod ſcribitur Exod. 12. 18. *Maledictus qui non fecerit Paſcha quartadecimâ die Menſis*, quaſi maledictio illa non minùs ad nos quàm ad Judæos pertineret, ut docet Epiphanius ad hæreſ. 50. *Gal. 4. 9, 10, 11. Col. 2. 16. Ex. 12. 18.*

Duodecima inſtantia Bellarmini hæc eſt, Credere oportet, & credunt (inquit) nobiſcum Lutherani & Calviniſtæ contra Anabaptiſtas, Baptiſmum parvulorum eſſe ratum, id autem ex ſolis Scripturis nec Catholici probant, nec Lutherani ullo modo poſſunt. Nam Lutherani exiſtimant Baptiſmum ſine fide actuali propriâ nihil valere; & propterea credunt infantes dum baptizantur actu credere, At hæc fides actualis infantium nullo modo ex Scripturis probari poteſt. *Duodecima Bellarmini inſtantia.*

Reſp. in hac inſtantiâ primò ſophiſticè aſſumit Bellar. ex ſolis Scripturis nec Catholicos probare nec Lutheranos probare poſſe. Neque enim quæritur quid ex ſolis Scripturis probetur, ſed num ea quæ ſunt neceſſario credenda, ex Scripturis omninò probentur. Nullum enim occurrit dogma fidei & morum quod non probatur alio etiam modo quàm ex Scripturis. Sunt quæ probantur argumentis à ratione ſumptis, & omnia probantur tum Scriptura tum Traditione. *Baptiſmus infantium probatur ex Scripturâ.*

Secundo minus aſſumit quam propoſuit, etenim cùm in propoſitione meminerit trium, ſcilicet Pontificiorum, quos voce *nobiſcum* denotavit, Lutheranorum & Calviniſtarum, in aſſumptione meminit tantùm duorum, ſcilicet Pontificiorum quos Catholicos vocat, & Lutheranorum, quaſi concederet Calviniſtas ſatis poſſe probare ex Scripturis ſolis Baptiſmum parvulorum. Et certò argumentum quo utitur contra Lutheranos non attingit eos quos appellat Calviniſtas. At nos non quærimus quid iſti aut illi faciant, aut ſecundum placita ſua facere poſſint, ſed num res ipſa ſimpliciter probari poſſit ex Scripturis, id quod ſi ab ullo poteſt, fieri, certè ſimpliciter poteſt fieri.

Tertiò quòd Baptiſmus infantium probetur ex Scripturis ſatis oſtenditur ex teſtimoniis ipſorum Adverſariorum Bellarm. de Baptiſmo cap. 8. tribus argumentis ex Scripturâ ſumptis probat 1. ex Analogia Circumciſionis quæ competebat infantibus. 2. Ex duobus locis Evangelii ſimul junctis, nempe ex loco Joan. 3. 5. *Niſi quis* *Bellarminus.* *Joan. 3. 5.*

renatus

renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei, & ex dicto Chriſti, *Sinite parvulos venire ad me, talium enim eſt* *Mat.19.13* *regnum Cœlorum.* Mat. 19. 13. Mar. 10. 13. Luc. 18. 15. Parvulos *Mar.10.13* ibi Matthæus & Marcus appellant παιδία, id eſt, puerulos, Lucas etiam *Luc.18.15* appellat βρέφη, id eſt, infantes. Tertium argumentum colligitur ex illis locis ubi dicuntur baptizatæ integræ familiæ, & Lydia & domus *Act.16.15.33. 1 Cor. 1.16.* ejus, cuſtos carceris & tota domus ejus Act. 16. 15. 33. Stephanæ domus 1 Cor. 1. 16.

Et alii. Idem ex Scripturis probant Catechiſmus Concilii Tridentini in doctrinâ de Baptiſmo, Gregorius de Valentiâ tom. 4. diſp. 4. quæſt. 3. puncto 1 Thom. 3. parte quæſt. 68. art. 9. Janſenius Concordantiæ cap. 20. & 100. & multi alii.

Vana Gretſeri diſtinctio. At Gretſerus in defenſione Bellarmini regerit probari quidem ex Scripturis, ſed non efficaciter, nec neceſſariò, apertè, & evidenter; ſed tantùm probabiliter. R. Videri quidem poteſt aliquid ex Scripturis probari, quod revera ex iis non probatur: ſed quicquid revera ex Scripturis probatur, id neceſſariò & efficaciter probatur: & hoc ipſum quod in quæſtione eſt, aſſerit ipſe Bellar. licet non inveniatur expreſsè mandatum, tamen colligi ſatis apertè ex Scripturis & deduci evidenter ex Scripturis, in lib. de Bapt. cap. 9. §. *Primum argumentum* & §. *Octavum argumentum.*

De fide actuali infantium melior eſt Lutheranorum mens quàm verba. Quartò quod attinet ad rationem quâ Bellarm. utitur adverſus Lutheranos de fide actuali infantium, nihil illi iſta de re ſtatuunt quod non exiſtimant Scripturæ auctoritate niti. Et ſi maximè errent, quotquot ex iis contendunt infantes actu credere, non ſequitur tamen eos in hoc errare, quod Baptiſmum infantium ex Scripturis aſſerant, aut quod fidem ſuam Scripturâ terminari velint, ſed quòd nonnulla Scripturæ loca perperam accipiant. Neque verò quæſtio eſt de rebus ad ſalutem neceſſariis, ſed ejuſmodi in quâ variæ opiniones tolerari poſſunt. Et mihi quidem videtur nonnullos ex Lutheranis in hac re magis incommodè loqui quàm ſentire, cum dicunt infantes actu credere.

Quoniam autem in verbis novi fœderis Chriſtus apertè conjungit fidem cum Baptiſmo, & omnes non credentes damnandos denun- *Mar. 16. 16.* ciat Mar. 16. 16. Joan. 3. 18. &c. hinc eſt quod omnes ſervandis infan- *Joan 3.18.* tibus fidem neceſſariam eſſe agnoſcant. Auguſtinus de verbis Apo- *Auguſtinus.* „ ſtoli Serm. 14. tom. 10. Inter credentes (inquit) baptizatos par- „ vulos numerabis, nec judicare ullo modo aliter audebis, ſi non vis eſſe

„ eſſe apertus hæreticus. Ergo ideo habent vitam æternam, quia qui „ credit in filium habet vitam æternam. Sed cùm infantes uſum rationis non habeant, nec facilè intelligi poſſit quomodo propriam fidem habeant aut exerceant, ideo fidem parentum & Eccleſiæ, mul- „ ti eis ſufficere autumant, ſicut Auguſt. ibidem docet ſufficere in- „ fanti, quod credat in altero; quia peccavit in altero. Plura in hanc ſententiam vide apud Auguſtinum epiſt. 23. fol. 19. I. & tom. 7. de peccatorum meritis & remiſſione contra Pelagianos lib. 1. cap. 19. fol. 143. C.

Verùm quoniam Propheta Habbakuk ait Juſtum fide ſuâ vivere: & cùm Chriſti Juſtitia & meritum fide applicetur, nec ſatis intelligi poſſit quomodo juſtitia alterius per fidem alienam applicari poſſit, ideo inquiri cœptum eſt, num dari poſſit aliqua fides infantium propria. Neque verò quidquam obſtat quo minùs fides iis tribuatur, quàm quod uſum rationis & liberi arbitrii non habent. Deut. 1. & Jon. ult. dicitur *infantes non cognoſcere diſcrimen boni & mali, & inter* „ *dextram ſuam & ſiniſtram.* Et Auguſt. epiſt. 57. Scire (inquit) Di- „ vina parvulos, quia nec humana adhuc noverint, ſi verbis velimus „ oſtendere, vereor ne ipſis ſenſibus noſtris facere videamur inju- „ riam, quando id loquendo ſuademus, ubi omnes vires officiumque ſermonis facillimè ſuperat evidentia veritatis. At ad fidem noſtram pertinet cognitio, aſſenſus, & fiducia, quæ ſunt opera rationis & liberi arbitrii. Ideoque facilè inter omnes convenit non talem dari poſſe fidem infantium, qualis eſt adultorum, ſeclusâ Dei miraculosâ operatione, de quâ hîc non agitur.

An in infantibus ſit fides ſecundum ſemen aut habitum.

Sed alii dicunt fidem convenire infantibus regenitis ſecundum radicem, aut ſemen: alii quoad habitum, non quoad actum, uſum, aut exercitium: adeo ut, ſicut infantes habent quidem intellectum & rationem, ſed non poſſunt actu intelligere & ratiocinari, ſic habeant fidem, licet non poſſint eam exercere: ut in dormiente, ebrio, & amente, manent habitus quos antè acquiſivêrunt, licet non poſſint intereà eos exercere. Idem ſentiendum de reliquis virtutibus infuſis, ut ſpe & charitate.

Atque hæc ſententia quæ dicit parvulis in Baptiſmo conferri gratiam informantem, & virtutes quo ad habitum, tanquam probabilior confirmatur à Clemente quinto Papâ, & Concilio Vienneſi anno 1311. & probatur à Thomâ 3. parte quæſt. 69. art. 6. & à Bellar. de Baptiſmo cap. 11. & ab aliis.

Digitized by Google

Lutheranorum mens. Lutheranorum autem ſententia quos hîc taxat Bellar. commodiſſimè explicatur in formulâ Concordiæ inter Theologos Saxoniæ & ſuperioris Germaniæ ann. Dom. 1536. (ut refert etiam Chemnitius in examine Concilii Tridentini part. 2. ubi agit de Baptiſm.) quod cum dicunt infantes fidem habere, non ſit imaginandum infantes intelligere aut ſentire motus fidei, ſed quòd Spirit. Sanctus in infantibus qui baptizantur, efficax ſit & operetur, ut regnum Dei, gratiam. & remiſſionem peccatorum, quæ in Baptiſmo offeruntur & donantur, accipere poſſint ſuo quodam modo, licet nobis nec ſatis cognito nec explicabili: quia illud medium, quo regnum Dei in verbo & Sacramentis oblatum accipitur, Scriptura vocat fidem, & credentes dicit accipere regnum Dei.

(a) Mat. 19.14. Marc.10. 14. Luc.18.16. (b) Io.3.5. Tit.5.3. (c) 1 Cor. 12.13. Rom.6.3. 5. Gal.3 27. (d) 2 Cor. 5.17. (e) Rom. 6.4.6. Gal.5.24. Col.2.12. 13.

In hac opinionum (ut videtur) varietate, illud tenendum eſt quod ex Sacris Literis docemur, & à nullâ partium negari poteſt (*a*) infantes, cum talium ſit regnum Cœlorum & multi in eâ ætate ad regnum Cœleſte transferantur (*b*) ideo in hac vitâ regenerari à Spirit. Sancto (*c*) Chriſto inſeri (*d*) & novas creaturas fieri, adeoque (*e*) mortificari & crucifigi in eis veterem hominem ſeu originale peccatum, & vivificari in iis novum hominem, hoc eſt, Dei imaginem & originalem juſtitiam in eis inſtaurari.

Certum eſt etiam Sp. Sanctum habitare in infantibus regenitis, ,, quamvis id neſciant. Sic enim eum neſciunt (inquit Auguſt. in ea-,, dem epiſt. 57.) quamvis ſit in eis, quemadmodum neſciunt & men-,, tem ſuam: cum in eis ratio quâ uti nondum poſſunt velut quædam ,, ſcintilla ſopita eſt excitanda ætatis acceſſu, & cum in eis habitat Spiritus, proculdubio in iis operatur: non enim dicitur habitare Spiritus ubi non operatur: operatur autem applicando eis meritum Chriſti, juſtificando & ſanctificando eos, ut quam eis tribuit vim ſanctitatis, ea in reipſa & opere exerant ſuo tempore, nempe cùm primum per ætatem agere poſſunt, ſeu exercere rationem & liberum arbitrium. Etſi ex hac vitâ in primâ ætate eripiantur, animæ ergaſtulo corporeo ſolutæ, & ab omni imperfectione liberatæ, quam acceperunt in hac vitâ ſanctitatem inchoatam tum conſummatam poſſident & exercent, ac tum quidem fides viſione, ſpes fruitione expletur, & charitas perpetuâ delectione exercetur.

Quædam Scholis diſputanda relinquuntur. Atque hæc quidem certa ſunt & ex Scripturis perſpicua. Iſta autem in ſcholis liberè diſputata ſunt & diſputari poſſunt: utrum fides propriè dicta ſit in ipſis infantibus, & an propriè loquendo credant, & an

& an in infantibus illa operatio Sp. Sancti, aut qualitas novæ creaturæ propriè appellari poſſit fides: & num Deus requirat fidem ab infantibus prout in adultis ut conditionem neceſſariam ad juſtificationem, ſeu ut inſtrumentum quo apprehendant juſtitiam Chriſti & ſalutem: & an iſta loca Scripturæ quæ neceſſitatem fidei ad homines ſervandos prædicant, extendi debeant ad infantes. Scriptura enim non eſt edita propter infantes, nec eſt utilis ad infantium, ſed ad adultorum doctrinam, redargutionem, correctionem, & diſciplinam quæ eſt in juſtitiâ. Et noſtrâ quidem nihil intereſt ſcire utrum Deus ab infantibus ullam requirat conditionem præſtandam, an ipſe tantùm operetur in iis nihil agentibus, ſed merè patientibus, ſupplens actione ſuâ quod illi non poſſunt facere: etſi ullam conditionem ab iis præſtandam requirat, quæ & qualis ſit illa, cùm certum ſit non eodem modo ſe rem habere in iis & adultis. Satis hoc eſt ad noſtram conſolationem quod clare docetur in Scripturâ, illam ætatulam etiam in fœdere comprehendi, & ad regnum Dei pertinere, & Divinitus adoptari, ac proinde Sacramento fœderis conſecrandam eſſe. Innocentius 3. Papa in epiſt. quæ extat inter decretales lib. 3. tit. 42. *Majores:* videtur relinquere pleraſque ex his ſententiis liberas: ubi recitat diverſas ſententias Theologorum, quod alii aſſerant in Baptiſmo parvulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri, nonnulli dicant dimitti peccata: & infundi virtutes quo ad habitum, non quo ad uſum. Ipſe autem diſertè aſſerit verba illa Chriſti, *qui crediderit & baptizatus fuerit ſervabitur, qui non crediderit condemnabitur,* „ pertinere tantùm ad adultos. Cum enim (inquit) non poſſint cre- „ dere parvuli ſed adulti, ob hoc tota auctoritas hæc eſt intelli- „ genda de adultis, quamvis nonnulli concedant quòd parvuli cre- „ dant, non per uſum ſed per habitum fidei. Sic opinionem de habitu fidei in infantibus refert potiùs ex aliorum quàm ſuâ ſententiâ. Et poſtea in Concilio iſto Viennenſi opinio de habitu fidei & aliarum virtutum in infantibus confirmatur, non ut dogma fidei neceſſarium, ſed ut probabilior ſententia.

Innocentii hæc moderatio.

Cæterum non aliter videtur ſtatuendum de virtute in infantibus regenitis, quàm de vitio ante regenerationem. Quod ſi ſanctitatem hanc novæ creaturæ in infantibus appellari volunt habitum infuſum, non contendemus de vocabulis: ſed eadem ratione peccatum originale appellari poſſe habitum inſitum aſſerimus: quanquam ſi accuratè loqui velimus, utrumque potius ad facultatem quam ad habi-

tum referendum eſſe, dicendum eſt: & Theologi cùm diſtinguunt peccatum originale ab actuali, ſub actuali peccato habitus vitiorum comprehendunt. Atque ut originale peccatum non eſt propriè infidelitas, deſperatio, odium, intemperantia, aut aliquod ſpeciale peccatum; ſed hæc in ſe omnia potentiâ complectitur, tanquam in ſemine, fonte, & radice: ita ſanctitas regenerationis in infantibus non eſt propriè fides, ſpes, charitas, aut aliqua particularis virtus, ſed vi & facultate complectitur omnes virtutes. Nam ut originale peccatum eſt averſio à bono, & propenſio ad malum: ita ſanctitas novæ creaturæ ei oppoſita eſt averſio à malo, & propenſio, inclinatio, & aptitudo ad bonum. Et ut ex originali peccato oritur omne peccatum actuale: ita ex dono regenerationis & renovationis, omnis virtus & actio bona. Ut enim arbor mala fert malos fructus, ita bona bonos: nam bonitas & pravitas, quæ eſt in opere, prius eſt in facultate à quâ promanat. Atque hæc obiter & rudi Minervâ de quæſtione circa infantium fidem, cujus accuratior tractatio eſt alterius loci. Nunc ad inſtitutum redeamus.

CAP. XVIII.

Reſpondetur ad inſtantias aliorum primò contra ſufficientiam Veteris Teſtamenti.

IAM examinavimus omnes quæ hîc à Bellar. afferuntur inſtantias. Plurimæ aliæ ab aliis aut ab ipſo alibi enumerantur: ſed ille videtur ſelegiſſe quæcunque ipſi videbantur alicujus momenti. Verum ne quid hac in parte deſideretur, nos etiam alias perſtringemus, quas ad certas claſſes referemus. Quæcunque enim afferunt Traditionum exempla, vel eò ſpectant ut probetur inſufficientia Scripturæ Veteris Teſtamenti, vel inſufficientia totius Scripturæ tum Veteris tum Novi Teſtamenti. Rurſum alia ſunt falſa, ſuperſtitioſa, & noxia, alia utcunque vera & utilia non tamen neceſſaria ad fidem, mores, & ſalutem, alia denique reipſa continentur in Scripturâ.

Quod ad inſtantias attinet, quibus ſufficientiam Scripturæ Veteris Teſtamenti impugnant, quanquam ineptæ ſunt, tamen, ut ſuprà monuimus, non eſſet quod multùm laboraremus, ſi ſufficientiam totius Scripturæ agnoſcerent, ut ex eâ omnia ad ſalutem neceſſaria haurienda concederent.

Inter

Digitized by Google

Interim inſtantias ab iis allatas contra ſufficientiam Veteris Teſtamenti, hæ non ſunt de rebus ad fidem, mores, & ſalutem neceſſariis, ac proinde extra oleas.

Traditiones in rebus non neceſſariis ſunt extra oleas.

Primò miraculum piſcinæ de quo legitur Joann. 5. Nam conſtat etiam plurima Chriſti ſigna, miracula & facta non eſſe ſcripta Joan. 20. 30. 31. & 21. ultimo.

Io 20.30. 31 & 21. ultimo.

Secundò nomina illa magorum *Jannes* & *Jambres* qui obſtiterunt Moſi, quorum meminit Apoſtolus 2. Tim. 3. 8. Remenſes in illum locum notant tales eſſe Traditiones, quibus Eccleſia novit nomina *Magorum* qui ab oriente ad Chriſtum adorandum venerunt, (hos appellant tres reges qui alibi ab illis nominantur *Melchior*, *Gaſpar*, & *Balthaſar*) & nomen pii latronis qui cum Chriſto Crucifixus eſt, quem appellant *Diſman*, ſicut & alterum *Giſman*, & nomen militis illius, qui Chriſti latus transfixit, quem Martyrem fuiſſe fingunt, & appellatum *Longinum*: quod nomen ἀπὸ τ λόγχης, id eſt, lancea quâ transfixit Chriſtum procul dubio confictum eſt. Sed hæc fabulæ ſunt, etſi non minùs vera eſſent quàm nomina *Jannis* & *Jambris*, ſalvâ tamen fide & ſalute ignorari poſſunt. Chryſoſtom. in 2. Tim. 3. 8. ait Paulum vel ex Traditione, vel ex ſpiritu nomina iſta *Magorum* didiciſſe. Sed eòdem recidit, cùm Spiritus ei in ſcribendo aſſiſteret, ſive immediatè hæc nomina ipſi dictaverit, ſive ex hominum Traditione aut hiſtoriâ veritatem oſtenderit, quomodo ex Arato, Menandro, & Epimenide ſententias deſumptas ſanctificavit Act. 17. 28. 1. Cor. 15. 33. Tit. 1. 12. Plinius lib. 30. naturalis hiſtoriæ cap. 1. recenſet Joannem inter Magos vetuſtiſſimum.

2. Tim. 3. 8.

Act. 17. 28 1. Cor. 15. 33. Tit. 1. 12.

Simile eſt quod Moſes ob apparitionem in monte Sinai dixerit, *Expavefactus ſum ac tremebundus* Heb. 12. 21.

Heb. 12. 21.

Tertiò Michaëlis pugna contra Satanam de corpore Moſis Judæ 9. Porro eadem ſententia legitur Zach. 3. 2. Ex quo loco Beda & Gloſſa Ordinaria notant Judam Apoſtolum hæc deſumpſiſſe, accipientes corpus Moſis allegoricè pro populo Iſraëlis.

Iud. 9. Zach. 3. 2.

Quartò, quod Enoch Prophetaverit de judicio extremo. Nam quod ad rem ipſam attinet, alibi docetur in Vet. Teſt. ut poſtea oſtendetur. Præterea quòd Prophetia Enochi à variis doctis intelligatur de judicio univerſalis diluvii, quod diſertè exponitur in Geneſi.

Quintò, conſuetudo reum dimittendi tempore Paſchatis, egregium ſcilicet exemplum Traditionis, quod incertum eſt fuerit ne novum an antiquum, probandum an vituperandum. De eo ſic ſcribit

Dimiſſio rei tempore Paſchatis fuit contraria legi.

„ bit Lucas Brugenſis in Mat. 27. 15. Quidam (inquit) reprobant „ hunc morem tanquam repugnantem officio Magiſtratûs & Legi Exod. 22. 18. *Maleficos non patieris vivere.* Alii, & quidem Veteres probant ut humanum & congruum exemplis quibuſdam veteribus,
1.Sam.14. 15. de Jonatha à populo liberato 1.Sam.14.45. & de homicidis fortuitis
Num.35. 22. Num. 35. 22. Maldonatus in hunc locum ait, in certum eſſe, an hoc fuerit novum privilegiũ à Romanis conceſſum, an vetus conſuetudo.

Origenes Tractatu 35. in Mat. ait eſſe novum privilegium Judæis à Romanis conceſſum: & certè Joſephus, qui antiquitates Judaicas diligenter conſcripſit, nullam facit mentionem hujus conſuetudinis. Cyrillus Alexandrinus ait, conſideranti ſibi unde conſuetudo hæc originem haberet, primum viſum eſſe id ab ipſis inventum eſſe: deinde videri hoc factum fuiſſe ad imitationem Legis quæ habetur Num. 35. 25. de cæde involuntariâ, quæ ut audiente populo fuit comprobata, erat Synagogæ judicare inter percuſſorem & propinquum ſanguinis, & liberare innocentem de manu ultoris. Ita videtur Cyrillus judicare hanc conſuetudinem natam eſſe ex occaſione legis & legitimæ praxeos per κακοζηλίαν. Quod enim lex ſtatuit de innocente liberando, illi perperam traxerunt ad ſontes & ſceleratos homines. Unde cap. 14. ait, Iniqui Judæi redarguuntur, voluntatem enim ſuam ſequentes, divina mandata contemnunt. Nam cum lex de homicida qui non ſponte cædem fecerit, fieri hoc juſſerit, famoſum ipſi latronem poſtulant.

Theophylactus. „ Quâ de re clariùs Theophylactus in Joann. 18. Dicere (inquit) „ poſſumus, quod Judæi docentes doctrinas & mandata hominum, „ plurima juxta ſua capita protulerunt, nec divinis uſi fuerunt legi„ bus: unde & hoc ita ſe habet, conſuetudo ab iis venit etiam abſque „ ratione, qualia multa abſque præſcripto legis. Imo contra legem factum eſt quæ hujuſmodi facinoroſos morte mulctandos ſtatuit,
Num.35. 31. Num. 35. 31. & notum eſt illud Solomonis: *Qui ſceleratum abſolvit & qui inſontem damnat, uterque Deo abominabilis eſt.* Prov.17.15. Quod
Pro.17.15. autem Auguſtinus ait Tract. 15. in Joannem: Non reprehendimus ô Judæi, quod per Paſcha liberatis nocentem, ſed quod occidiſtis innocentem, id non abſolutè ſed comparatè accipiendum eſt.

Aſperſio libri per ſanguinem aquâ mixtum &c. colligitur ex Moſe. Heb.9. 19. Sextò, quod in ſanctione fœderis quæ deſcribitur Exod. 24. non tantum mactati ſint vituli, ſed & hirci, & quod mixta fuerit aqua cum ſanguine, quâ & librum fœderis & totum populum Moyſes aſperſit, adhibitâ lanâ coccinâ & hyſſopo ut ſcribitur Heb. 9. 14.

Sed

Sed & hæc ipſa ex Moyſe colligi poſſunt. Nam quod altare & populum aſperſerit ſanguine, clarè dicitur Exod. 24. 6. & 8. in verſu 7. fit etiam mentio libri quem aſperſum fuiſſe ſanguine ex eo colligi poteſt, quod Moyſes intereà cùm tractaret & aſpergeret ſanguinem, librum ſumpſiſſe dicitur: & ante & poſtquam fit mentio ſumpti libri, mentio fit aſperſionis. Neque verò cùm aſperſit Moyſes altare & populum, ſeipſum & librum quem habebat in manibus ab aſperſione immunem fuiſſe putandum eſt: cùm eadem cauſa aſperſionis fuerit omnibus communis, nempe ut tali aſperſione extrinſecus ſanctificarentur in ſignum Sanguinis Chriſti, cui omnis interna ſanctificatio & purificatio accepta ferenda eſt.

Quod autem Apoſtolus loquitur illic de hircorum ſanguine, de aquâ & lanâ coccinâ & hyſſopo quorum non eſt mentio in iſto loco Exod. 24. ſatis hoc eſt quod ex aliis locis colligantur. Neque verò verba Apoſtoli reſtringenda ſunt ad illam ſolam hiſtoriam quæ memoratur Exod. 24. ſed ex Leviticâ inſtitutione plura alia conjungit: & ille etiam locus explicandus eſt ex collatione & analogiâ cum aliis locis. Hircorum oblatio memoratur Levit. 4. 22. & 9. 15. & 16. 15. &c. Hyſſopi fit mentio Exod. 12. 22. & Num. 19. 18. quò etiam alludit Pſaltes 51. 9. item mentio fit tum hyſſopi tum cocci Num. 19. 6. Levit. 14. 4. 6. ubi etiam fit mentio aquæ.

Exod. 24. *Levit. 4. 22. & 9. 15. & 16. 15.* *Exod. 12. 22.* *Num. 19. 18.* *Pſal. 51. 9.* *Ribera.*

Ribera Jeſuita in Epiſt. ad Hebræos locum hunc ſic explicat, Mihi quidem (inquit) videtur Paulus in lege doctiſſimus ex iſtis verbis Moyſis Exod. 24. atque ex aliis Sp. S. inſpirante intellexiſſe factum fuiſſe quod Moyſes tacuit, nam adhibitam fuiſſe aquam & lanam coccineam & hyſſopum illis adjunctum ex his verbis Moſis colligi poteſt cùm ait, ille ſumptum ſanguinem reſperſit in populum: ſanguine enim ſolo populus latè per campos diſperſus reſpergi non poterat niſi aqua ei admiſceretur, concreſceret enim frigore & denſior paulatim fieret, atque ad aſperſionem ineptior, oportebat ergo aquam admiſceri, vel ut excreſceret ſanguis (ut ait Abulenſis) vel ut clarior eſſet ad aſperſionem, ut hîc notat Lyranus, præſertim cùm ad alias purificationes adhiberi aquam jubeat lex. Atque hæc confirmat ex locis citatis, quanquam etiam Apoſtolus in eo loco nullam facit mentionem mixtionis aquæ, ſed tantùm ait ſumpſiſſe aquam, aquam autem ſumptam & uſurpatam eſſe in omnibus ſacrificiis ex lege notiſſimum eſt, qua & ſacrificia & ſacrificantes lavari neceſſe fuit. Similiter & Eſtius hunc locum explicat.

Septi-

Digitized by Google

Quomodo thuribulũ in Sancto Sanctorũ. Heb. 9. 4.

Septimò, quod ſanctum ſanctorum habuerat aureum thuribulum, & quod in arcâ fœderis erat urna aurea, habens manna & virgam illam Aaronis quæ germinavit Heb. 9. 4. cùm nihil tale ſcribatur in Veteri Teſtamento. Certè Cardinalis Cajetanus hoc argumento inter alia utitur ut probet Epiſtolam ad Hebræos non eſſe Canonicam: quaſi auctor ad Hebræos non tantùm aliquid adderet, ſed contradiceret Scripturæ Veteris Teſtamenti, cùm in 1. Reg. 8. 9. & 2. Chron. 5. 10. planè dicatur nihil fuiſſe in arcâ præter duas tabulas lapideas.

2. Reg. 8. 9. 1. Chron. 5. 10.

Sed illa omnia commodè explicari poſſunt, non tantùm ſine contradictionis periculo, ſed etiam ſine ullo ſupplemento Traditionis non ſcriptæ, aſtipulantibus etiam doctiſſimis ex Pontificiis. Quod de thuribulo dicitur, quidam putant ſermonem eſſe de thuribulo, in quo Pontifex maximus cum ſemel in anno ingrederetur ſanctum ſanctorum, adolebat Thymiama Levit. 16. 12. Apoſtolum autem dicere ſanctum ſanctorum habuiſſe hoc thuribulum, quia Pontifex illuc cum thuribulo ingrediebatur. Alii probabilius per θυμιατήριον intelligunt altare ſuffitus, quod nihil erat aliud quàm magnum thuribulum quod deſcribitur Exod. 30. & 37. Sic explicat Origenes hom. 9. in Exodum. Et hanc ſententiam inter Pontificios probant Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis in Exod. quæſt. 6. & in 3. Reg. 6. 16. & Franciſcus Ribera Jeſuita, lib. 2. de Templo cap. 8. & ſupplementum Commentarii ejus in cap. 9. ad Hebræos, & Guilielmus Eſtius in idem cap.

Levit. 16. 12.

At objicitur altare ſuffitus fuiſſe extra velum in ſancto, non in ſancto ſanctorum Exod. 30. 6. & 40. 5. cùm tamen in hoc loco ad Hebræos dicatur aureum thuribulum pertinere ad Sanctum Sanctorum. Reſpondet Ribera, altare ſuffitus fuiſſe factum ut deſerviret Sancto Sanctorum: ideoque propè collocatum fuiſſe, unde fumus thymiamatis ex proximo Sacrarium occuparet. Nam Exod. 30. 6. & 40. 5. Jubetur poni ante velum quod eſt ante arcam teſtimonii è „ regione operculi propitiatorii. Notandum autem eſt (inquit Eſtius) „ Apoſtolum, non ſic dicere tabernaculum in quo erat aureum thu- „ ribulum, ſed aureum habens thuribulum, videlicet proximè ſibi „ admotum, ut ipſi ſerviret ad uſum ſuprà dictum.

Quomodo arcâ fuit virga & urna.

Quod ad alteram difficultatem attinet de virgâ & urnâ, concedendum quidem eſt in arcâ, id eſt, intra arcam, nempe ſub operculo arcæ nihil fuiſſe incluſum præter duas tabulas, ut dicitur 1. Reg. 8 &

2. Chron.

2. Chron. 5. Nihil tamen vetat quin in arcâ, nempe in parte aliquâ exteriore arcæ, licet non intra ipſam fuerit urna & virga: quæ ſententia non videtur abſimilis vero Bellarmino lib. 1. de Verbo Dei cap. 17. §. *Reſpondeo tempore.* Certè urnam illam & virgam fuiſſe coram teſtimonio, id eſt, tabulis fæderis, quæ erant in arcâ, plane dicitur Exod. 16. 35. & Num. 17. 10. Atque hæc quidem benè conveniunt ut fuerint in parte aliquâ exteriore arcæ, & quod fuerint coram Teſtimonio quod erat intra Arcam.

Exod. 16. 35. Num. 17. 10.

Hervæus in hunc locum & Eſtius ſic explicant ut in arcâ dicantur fuiſſe urna & virga, quia juxta arcam erant, quod ſimilibus Scripturæ locis illuſtrant. Alii dicunt non eſſe neceſſe ut ita accipiamus verba Apoſtoli Heb. 9. 4. quaſi diceret virgam & urnam fuiſſe in arcâ, ſed tantùm in tabernaculo interiore: etenim ἐν ᾗ non eſſe referendum ad proximum antecedens κιβωτὸν, ſed ad remotius σκηνὴ tabernaculum, quod multis ſimilibus exemplis oſtendit Junius in Parallelis Quod autem urnam illam Apoſtolus appellet auream, etſi nihil de materiâ ejus deſertè reperiatur apud Moſen, id tamen facilè colligi poteſt ex analogiâ cæterorum vaſorum quæ ibi aſſervata fuerunt.

Octavò., Exorciſtarum inſtitutum, ordo, & ritus, quorum fit mentio Mat. 12. 27. Act. 19. 13. ex quibus locis colligunt talem fuiſſe ordinem apud Judæos in Veteri Teſtamento. Sed ex illis locis non probatur inſtitutum. Nam Exorciſtarum nomine vel intelligunt homines extraordinario Dei dono præditos, quo in nomine Dei Diabolos ejecerunt ex energumenis, aut intelligunt præſtigiatores, circulatores, & incantatores, qui malis artibus id aut præſtabant aut ſimulabant: aut denique ordinariam vocationem, ſeu certum ordinem in Eccleſiâ, ut nunc Pontificii inter ſeptem o rdines ponunt ordinem Exorciſtarum.

Exorciſtarum ordinariorum nullus ordo legitimus.

At nos facilè concedimus nihil de tali ordine ſeu ordinariâ vocatione legi aut in Veteri aut in Novo Teſtamento, nec talem agnoſcimus. In locis autem citatis ex Matthæo & Actis agitur de iis qui extraordinarium donum ejiciendo dæmonia aut habebant, aut arrogabant. Et Act. quidem 19. Judæi illi exorciſtæ omninò improbi circulatores deſignantur. Ac de talibus loqui Chriſtum Mat. 12 27. quidam putant, alioquin ſi intelligat eos qui legitimè dæmonia ejiciebant ſive diſcipulos ſuos ſive alios, certum eſt eum loqui non de ordinario munere ſed de extraordinario dono miracula edendi in nomine Dei; miracula autem non eſſe omnia ſcripta in confeſſo eſt.

Digitized by Google

Et hoc *χάρισμα* etiam in primitivâ Eccleſiâ non certo ordini Clericorum aſtrictum fuit, ſed aliis etiam Chriſtianis indifferenter, prout Spiritui viſum eſt communicare donum. Neque dæmonia arte aliquâ ejiciebantur à piis aut ejuſmodi incantationibus, quas Solomonem inveniſſe fabulatur Joſephus antiq. lib. 8. cap. 2. Sed invocato Dei aut Chriſti nomine: qui autem artem talem more Ethnicorum exercebant Judæi, à Juſtino Martyre damnantur in Dialogo cum
„ Tryphone. Per nomen (inquit) Filii Dei dæmonium omne adju-
„ ratum vincitur & ſubjicitur. Sin vos (compellat Judæos) per no-
„ men quodvis, qui vobis fuere Regum, aut juſtorum, aut Propheta-
„ rum, aut Patriarcharum adjuretis, non ſubjicietur vobis Dæmo-
„ nium aliquod. Cæterùm ſi quis veſtrum adjuret per Deum Abra-
„ hæ, Iſaac, Jacobi (nam is Chriſtus eſt) fortaſſe ſubjicietur. Exor-
„ ciſtæ certè veſtri jam arte quadam veluti gentes in adjurationibus
„ utuntur, & thymiamata & vincula adhibent.

Sequuntur exempla Traditionum de rebus aut omnino, aut ſaltem magis ſcitu neceſſariis, quas dicunt deſiderari non quidem abſolutè in Veteri Teſtamento, ſed in libris Moyſis, & tamen ipſi vix audent dicere ea nullo modo illic contineri, ſed vel non fuiſſe in lege Moyſis, vel non manifeſtũ fuiſſe Judæis ea in lege contineri.

Atqui non eſt nobis quæſtio quid Judæis manifeſtum ſit contineri in lege, ſed num omnia neceſſaria revera contineantur in verbo ſcripto, neque rejicimus Traditionem quæ explicat verbum ſcriptum, & licet Scripturam, ex quo edita & commendata eſt Eccleſiæ, ut Canon fidei & morum, pro ſtatu Eccleſiæ perfectam eſſe agnoſcamus, & Deum ſingulis ætatibus Eccleſiæ revelâſſe quantum ſatis eſt: tamen certo ordine & gradibus revelationem Divinæ Sapientiæ & voluntatis diſpenſatam eſſe manifeſtum eſt: ut quæ implicitè & obſcuriùs in libris Moyſis continentur, magis dilucidè & explicitè tradantur à Prophetis ſuccedentibus & clariſſimè in N. Teſtam.

Creatio Angelorũ habetur. Gen. 1. 2.

Exempla autem quæ afferunt ſunt hujuſmodi, creatio, & diſtincti ordines Angelorum, Diabolos eſſe, & à Deo creatos eſſe, immortalitalitas animæ, reſurrectio corporum, gloria ſanctorum in Cœlis, pœna damnatorum in inferno, & judicium noviſſimum.

Sed creationem Angelorum & Diabolorum male diſtinguunt: quaſi Diaboli non fuerint olim boni Angeli. Quo die aut tempore creati fuerunt Angeli, aut qui ſint eorum ordines aut diſtinctiones, non eſt ſcitu neceſſarium ad ſalutem, nec magis ſciri poteſt per Traditionem

ditionem quàm per Scripturam, etſi commentitius ille Dionyſius Areopagita multa hac de re temerè effutivit. Creatio eorum colligitur ex Gen. 2. 1. *Perfecti ſunt Cælum & Terra, & omnis exercitus eorum.* Nam nomine *Exercitus Cæli* comprehendi Angelos patet Gen. 32. 2. & Luc. 2. 13. ubi Angeli appellantur *Exercitus Dei*, & *Exercitus Cæleſtes*. Atque idem docet Baronius tom. 1. ad ann. 60. numero 16. *Propriè* (inquit) *militiam Cæleſtem conſtat eſſe nominatos Angelos.* Etſi non diffiteor *Solem, Lunam,* & *Stellas* eâdem appellatione contineri poſſe: Deum autem ſolum eſſe ens à nullo dependens, à ſe ſubſiſtens, & omnis entitatis fontem & auctorem patet ex ipſo nomine quod ſibi aſſumit Exod. 3. 14. 15. & 6. 3. *Jehovah, Ehjeh*, quæ ſunt à radice *Hajah* aut *Havah* quæ ſignificant eſſe, innuendo quòd in Deo & à Deo ſit omne eſſe. Joannes Apoſtolus Apocal. 1. illud nomen ſic explicat ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt, & α & ω primus & ultimus ſeu principium & finis: nempe ex eo, per eum, & in ipſum ſunt omnia, ut ait Paul Rom. 11. ult. Unde Thomas rectè concludit ſolum Deum eſſe ens per eſſentiam, omnia verò alia eſſe entia per participationem part. 1. quæſt. 6. art. 1.

Gen. 32. 2. *Luc.* 2. 13.

Exod. 3. 14. 15. & 6. 3.

Ex dictis ſequitur Angelos à Deo creatos eſſe, & nec à ſeipſis, nec ab æterno fuiſſe, cùm æternitas ſoli Deo propria ſit, ut ex iiſdem nominibus colligitur, & Deo ſoli tribuatur Deut. 33. 21. non autem creatos fuiſſe Angelos ante mundum probat ibidem Thomas ex primis verbis Geneſ. *In principio creavit Deus Cælum & Terram*, quod non eſſet verum ſi aliquid creâſſet ante ea. Idem ante eum notavit Auguſtinus de Civitate Dei, lib. 11. cap. 9. & Epiphanius in hæreſi 65. Nullum autem Angelorum, cùm crearetur, fuiſſe malum patet ex eo quod toties repetitur Gen. 1. Deum vidiſſe opera ſua fuiſſe bona. Unde neceſſario colligitur malos Angelos lapſos fuiſſe. Cæterùm Angelorum paſſim fit mentio in libris Moyſis ut Gen. 16. 7. 9. & 19. 1. & 28. 12. & 32. 1. &c. Item Diaboli malitia & aſtutia deſcribitur in hiſtoriâ lapſus ſub nomine *Serpentis* Gen. 3. Dæmoniorum etiam fit mentio Levit. 17. 7. & Deut. 32. 17.

Deut. 33. 21.

Gen. 16. 7. & 19. 3. & 28. 12. & 32. 1.

Animæ immortalitas rectè colligitur ex eo quod ſit à Deo inſpirata, & quòd homo ſit creatus ad Imaginem Dei, quæ inter alia immortalem animæ naturam quâ Deum immortalem refert, denotat (ut notat Tertull. contra Marcionem lib. 2. cap. 9. Athanaſius de Incarnatione Chriſti, Auguſtinus de Geneſi contra Manichæos, lib. 1. cap. 17. & alii) & quod cùm homo moritur dicitur

Levit. 17. 7. *Deut.* 32. 17.

 aggre-

Digitized by Google

Gen. 2. 58. & 5. 24. aggregari ad populum ſuum, Gen. 2. 58. & anima exire non perire Gen. 35. 18. Idem probatur ex aſſumptione Enochi Gen. 5. 24. *Pererius.* Pererius Jeſuita in Geneſ. cap. 2. verſ. 7. Non eſt dubitandun (inquit) ex his paucis verbis quibus Moyſes creationem animæ rationalis indicavit, demonſtrari poſſe animam hominis eſſe immortalem. Quod etiam multifariam & in hoc lib. & aliis ſuis libris Moyſes ſignificavit.

Mat. 22. 31. 32. Exod. 3. 6. Reſurrectionem corporum, quæ animæ immortalitatem etiam ſupponit probat ipſe Chriſtus, Mat. 22. 31. 32. ex Moſe Exod. 3. 6.

Beatitudo etiam Cœleſtis. Heb. 11. 9. 13. 14. 15. 16. Exod. 32. 33. Gen. 15. 1. Paradiſus, quo nomine ſtatus & locus Beatorum in Patria Cœleſti poſt hanc vitam deſignatur, ex Moyſis ſcriptis ſatis apertè deducitur ab Apoſtolo, Hebr. 11. verſ. 9. 13. 14. 15. 16. Hanc felicitatem juſtorum poſt mortem, agnovit etiam impius Propheta Balaamus qui talem mortem & finem optavit, qualis juſtis conceditur. Liber etiam vitæ de quo loquitur Moyſes Exod. 32. 33. indicat immortalem Beatitudinem juſtorum, & quod Deut. 5. 29. dicitur Beatos fore in ſempiternum qui Deum timent & obſervant ejus mandata. Et Gen. 15. 1. Deus ſeipſum pollicetur Abrahamo ut eximiam mercedem, proinde æternam mercedem promittit. *Gen. 49. 18.* Item Gen. 49. 18. Jacob moribundus profitetur ſe expectare ſalutem à Jehova. Ergo ſpe ſalutis in alterâ vita ſe confirmat.

Et miſeria inferni cũ noviſſimo judicio. Inferni mentio fit Deut. 32. 22. *Ignis* (inquit) *ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad infernum inferiorem.* De judicio noviſſimo etſi multò magis diſtincta teſtimonia inveniuntur in Prophetis & Novo Teſtamento quàm in libris Moſis, tamen quantum ſatis erat Eccleſiæ iſtius temporis revelatum eſt in iis libris de judicio Dei quod & ad hanc vitam & ad futuram extenditur. De judiciis Dei ad hanc vitam ſpectantibus nemini eſt dubium. Judicium quod ad alteram vitam ſpectat ſatis probant ea teſtimonia quæ animæ immortalitatem, Reſurrectionem mortuorum, præmia Cœleſtia & pœnas inferni probant. Præmia enim illa & pœnæ à Deo juſto judice diſtribuantur oportet. *Nunquid judex totius terræ non exercebit jus*, Gen. 18. 25. *Gen. 18. 25.* Etſi autem nihil traditum fuerit eis de uno die generalis judicii, tamen ſatis hoc erat ut unuſquiſque expectaret ſuo tempore proprium judicium, cùm eadem ſit ſententia & in proprio & communi judicio. Huc ſpectat illud Auguſtini in Epiſt. ad „ Heſychium, in quoquemque invenerit ſuus noviſſimus dies, in „ hoc eum comprehendet mundi noviſſimus dies, quoniam qualis

in

in die iſto unuſquiſque moritur, talis in die illo judicabitur.

Cæterùm de judicio noviſſimo rectè accipiuntur Verba illa Deut. 32. 22. ubi mentio fit ignis qui conſumet terram & proventum ejus, & inflammabit fundamenta montium. *Deut.32. 22.*

Atque ita in iſtis exemplis ipſi nos continuimus intra libros Moſis. Nam ſi quis negaret iſta in toto Veteri Teſtamento non reperiri, nimis manifeſta eſſet impudentia, & ingens teſtimoniorum multitudo contradiceret.

His addunt quidam in Veteri Teſtamento neceſſario credendum fuiſſe, ſacrificia reſpexiſſe Chriſtum: at id non doceri in Veteri Teſtamento. proinde quædam neceſſaria ibi deſiderari R. Aſſumptum eſſe contra Doctrinam Apoſtoli ad Hebræos, qui in magnâ parte ejus epiſtolæ, ex multis locis Veteris Teſtamenti probat omnia ſacrificia & ſacerdotes Legis ad Chriſtum reſpexiſſe, & in eo complementum habere, neque in ſe perfectionem ullam habuiſſe. Concedimus hæc obſcuriùs indicata fuiſſe ſub Lege & Vet. Teſtamento, ita enim poſtulabat ratio diſpenſationis Divinæ, ut progreſſu temporis, & præſertim cùm veritas typis ſuccederet, ut Major lux affulgeret.

Interim Lex pædagogus erat ad Chriſtum Gal. 3. 24. & prædictiones de Meſſiâ venturo in quem credebant pii ſatis luculentè extant in Veteri Teſtamento: & nihil fere in ejus vitâ & morte magni momenti accidit, quod non ante in Prophetarum monumentis prædictum eſt. *Huic* (inquit Petrus Act. 10. 43.) *omnes Prophetæ teſtimonium dant, remiſſionem peccatorum recepturum per nomen ejus quemvis qui crediderit in eum.* Et Paul. Act. 13. 38. *Notum ſit vobis fratres annunciari vobis remiſſionem peccatorum per iſtum, & ab omnibus, à quibus non potuiſtis per Legem Moſis juſtificari, quemvis credentem per hunc juſtificari.* Atque hoc ipſum docuit Paulus ſecundum Moſen & Prophetas: ſiquidem profitetur Act. 26. 22. *ſe nihil dicere extra ea quæ Moſes & Prophetæ futura prædixerunt.* Et certè ſi nihil aliud extaret, quam quod Eſ. 53. ſcriptum eſt, ſatis clarè explicantur ibi perpeſſiones Chriſti, & ſacrificium ejus propitiatorium. *Gal.3.24. Act.10.43. Act.13.38. Act.26.22.*

CAP. XIX.

Reſpondetur ad inſtantias aliorum contra ſufficientiam etiam Novi Teſtamenti.

Traditiones falſæ, quales multi Pontificiorum errores non ſunt in Scripturâ.

HActenus ſatis ſuperque de exemplis Traditionum quæ alii addiderunt contra ſufficientiam Veteris Teſtamenti, ſequuntur ea quæ adjiciuntur contra ſufficientiam etiam Novi Teſtamenti. Et hic primò occurrunt quæ ſunt falſa, ſuperſtitioſa, & noxia, & talia quidem libenter concedimus nullum habere fundamentum in Scripturâ: itidemque Traditione ullâ niti pernegamus. Ejuſmodi ſunt quæ jactantur Traditiones de Romanæ Eccleſiæ & Pontificis primatu: de Sacramentis Confirmationis, Ordinis, Matrimonii, & extremæ unctionis, de transſubſtantiatione, & ſacrificii oblatione in Euchariſtia: de invocatione Sanctorum, orationibus pro defunctis, auriculari confeſſione, de aquâ benedictâ, cœlibatu Clericorum, de imaginibus in templis, & earum cultu. Nos Scripturam eò perfectionem agnoſcimus, quòd ejuſmodi dogmata non contineat; Imò quòd argumenta abunde ſuppeditet ad ea refellenda. Quanquam mira hîc eſt Pontificiorum inconſtantia aut diſſonantia: qui etſi hæc & talia Traditionibus non ſcriptis, id eſt, quæ in Scripturâ non continentur, annumerant: tamen eas ex Scripturis probari identidem contendunt. Sed id faciunt ut rudiores decipiant, & ipſi ſibi effugia comparent, nunc ſub Scripturæ, nunc ſub Traditionum nomine latitantes, alioqui ſi firma argumenta ex Scripturis ſuppeterent, nunquam ad Traditiones non ſcriptas confugerent.

Secundi generis inſtantiæ ſunt de ejuſmodi rebus quæ etſi admitti poſſent ut utiles aut veræ, tamen non ſunt dogmata fidei & morum neceſſaria, adeoque à ſtatu controverſiæ aliena: verbi causâ.

Symbolum Apoſtolicum quoad materiam eſt in Scripturâ.

1. Symbolum ab Apoſtolis eſſe compoſitum & digeſtum. Nam quod ad rem ipſam attinet, articulos Symboli in Scripturâ extare non eſt dubitandum Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei cap. 11. agnoſcit illa omnia ſcripta eſſe ab Apoſtolis quæ ſunt ſimpliciter omnibus neceſſaria ad ſalutem *§. Primum eſt*, & *§. His notatis. §. Reſpondeo loquitur de illis.* Idem docet Thomas 2. 2. quæſt. 1. art. 9. ad 1. Plura hac de re ſuprà diximus cap. 11. ad hyp. 4. membrum 2.

Conſecratio aquæ &

2. Conſecratio aquæ in Baptiſmo & abrenunciatio Satanæ, hic etiam

Digitized by Google

etiam res ipſa continetur in Scripturâ, nam omnia ſanctificari per Verbum Dei & preces docet Apoſtolus 1 Tim. 4. 5. & abrenunciandum eſſe Satanæ paſſim Scriptura docet: imò ipſa verba inſtitutionis Baptiſmi evincunt: quippe qui baptizantur in nomine Patris, Filii, & Sp. Sancti, adeoque Deo dicantur, Satanæ renuncient oportet: ***nam qua concordia Deo cum Belial*** 2 Cor. 6. 15. etſi certa formula conſecrationis & abrenunciationis non exprimitur in Scripturâ, nec neceſſaria eſt ad ſalutem ut ſuprà monuimus cap. 8. ad regulam quartam.

abrenunciatio Satana in Baptiſmo ſunt in Scripturâ. 1 Tim. 4. 5.

3. Uſus fidejuſſorum in Baptiſmo, quos appellant compatres & commatres, ritus quidam eſt laudabilis & communibus Scripturæ regulis conformis, ſed non eſt dogma fidei & morum.

Fidejuſſores in Baptiſmo pertinent ad laudabiles ritus.

4. Cantatio Pſalmorum in rhythmum redactorum promiſcuè in templis. Atqui de Pſalmis, in laudem Dei cantandis tot occurrunt in Sacris Literis præcepta, ut etſi reſtringatur per certas circumſtantias, vix Traditio non ſcripta appellanda videatur.

Cantatio Pſalmorũ præcipitur in Verbo.

5. Aqua in Euchariſtiâ admixta vino inter res indifferentes à nobis cenſetur.

Aqua in vino Euchariſtia eſt res indifferens non neceſſaria.

6. Quadrageſimæ jejunium, item jejunia quartæ & ſextæ feriæ, quibus nonnulli etiam addiderunt jejunium ſabbati tanquam ex Traditione Petri Romæ olim maximè obſervatum. Sed de his ſatis diximus cap. 7. §. *Quadrageſimale* & §. *Similiter*, & cap. 8. ad regulam 2.

Jejunia non ſunt neceſſaria.

7. Signum crucis, & uſus Chriſmatis in Baptiſmo, de quibus non eſt hujus loci diſputare, utrum nunc legitimè uſurpentur annon. Sed ſatis hoc eſt intereà quod non ſint Traditiones neceſſariæ ad fidem & mores.

Multo minus ſignum crucis & Chriſma in Baptiſmo.

8. Sanguinem & ſuffocatum liberè comedi poſſe non obſtante Canone Apoſtolici Act. 15. 29. Atqui nos oſtendimus ſuprà cap. 11. ad 6. hyp. hanc & hujuſmodi conſtitutiones eſſe naturâ ſuâ mutabiles, & non obligare conſcientiam extra caſum ſcandali: ideoque ceſſante Judæorum infirmiorum ſcandalo, Chriſtianorum in iis rebus libertatem non fuiſſe alligatam. Cujus rei ratio non Traditionibus, ſed apertis Scripturæ teſtimoniis nititur Mat. 15. 11. Rom. 14. 14, 15. 1 Cor. 10. 25. Qomodo autem cæremoniæ Legales in genere, etiam poſt mortem Chriſti, ad tempus obſervandæ eſſent, conſulatur Auguſt. ep. 19. & in ſpecie de ſanguine & ſuffocato quid cenſendum ſit docet idem contra Fauſtum lib. 32. cap. 13.

Ceſſante ſcandalo Judæorum ceſſavit lex de ſuffocato & ſanguine.

Mat. 15. 11. Rom. 14. 14, 15. 1 Cor. 10. 25.

Sed

Sed nihilominus Concilium Conſtantinopolitanum Occumenicum ſuffocatorum uſum prohibuit circa annum 692. Canone 67. quod eo nomine reprehenditur à Baronio annalium tom. 8. ad annum 692. ſect. 30. & Concilium Wormacienſe Canone 65. circa annum Dom. 868. Item in novellis conſtitutionibus Leonis Philoſophi Imperatoris conſtitut. 58. ſub gravi pœnâ interdicitur nequis ſanguinem comedat circa annum 895. Unde patet ejuſmodi Apoſtolicam Traditionem de abrogando iſto Apoſtolorum Canone multis annis poſt eorum tempora non viguiſſe, quam nec adhuc Græca Eccleſia recepit. Et Zacharias Papa Romanus in epiſt. ad Bonifacium Archiepiſcopum Moguntinum quæ extat tom. 2. Conciliorum circa annum 750. non minùs ineptè Judaizat in variis ciborum generibus interdicendis.

Doctrina Trinitatis habetur in Scripturâ.

Poſtremò conſiderandæ ſunt inſtantiæ Traditiorum quas Adverſarii falsò objiciunt in Scripturis deſiderari, cùm reverà in iis contineantur.

Sic quidam Traditionibus non ſcriptis annumerant Trinitatem in Deitate, ſeu trium perſonarum in unâ ſubſtantiâ æqualitatem, earundemque per relativas proprietates diſtinctionem, Patrem eſſe ingenitum, Filium eſſe ὁμοούσιον, Spiritum Sanctum eſſe Deum & procedere à Patre & Filio. Sed licet hæc omnia, aut pleraque αὐτολεξεὶ ſeu totidem verbis in Scripturis non exprimantur, tamen quod ad rem ipſam & ſenſum attinet ea in Scripturis ſatis apertè continentur vel per æquivalentiam vel per neceſſariam conſequentiam, ut docet & probat ipſe Bellar. lib. 2. de Chriſto cap. 2.3.4.5.6. & 22. Qua de de re ſatis diximus ſuprà cap. 11. ad hyp. 4.

Item dogma de peccato originali.

Eadem eſt ratio de originali peccato: nam licet hæc vox non extet in Scripturâ, rem ipſam plurimis Scripturæ teſtimoniis probari manifeſtum eſt: cujuſmodi multa adducuntur à Bellarmino lib. 4. de amiſſione gratiæ & ſtatu peccati cap. 3. & 4. &c.

Nomen, natura, numerus & forma Sacramentorum habentur in Scripturis. Gen. 17. 11.

Simile eſt quod objiciunt de nomine & naturâ Sacramenti. De nomine non laboramus, ſatis eſt quod res ipſa in Sacris Literis reperitur, quanquam frequentiſſimè apud Latinum Interpretem occurrit vox Sacramenti, ſed in latiori ſenſu. Nam Græcam vocem μυστήριον paſſim Sacramentum interpretatur. Non deſunt voces Hebraicæ & Græcæ in Veteri & Novo Teſtamento quibus Sacramenta denotantur: ut Hebraicè אות ברית ſignum fœderis Gen. 17. 11. Græ-

Rom. 4. 11. cè σημεῖον, item σφραγὶς δικαιοσύνης Rom. 4. 11. At inquiet aliquis, iſta

vocabula

Digitized by Google

vocabula latiùs patent quam Sacramenta quæ appellantur Eccleſiæ. At inquam, ipſa Sacramenti vox apud Latinos, & μυστήριον apud Græcos latiùs patet, neq; vocē ullam unam propriam quæ non latius extenditur ſuppeditat nobis magis Traditio, quàm Scriptura, niſi reſtringatur, aut reſtrictè accipiatur: neque ulla periphraſis aptior occurrit quàm quæ in Scriptura extat, puta ſignum fœderis aut ſigillum juſtitiæ. Sed quicquid dicendum ſit de nomine, quod parum intereſt, certè naturam Sacramenti in Scripturâ non contineri falſum eſt. Etenim natura omnis generis continetur in ſingulis ſpeciebus. Quam itaque in Sacris Literis contineantur ſpecies puta Baptiſmus & Euchariſtia, in eis quoque naturam generis, id eſt, Sacramenti contineri neceſſe eſt.

Itidem objiciunt numerum Sacramentorum in Scripturis non contineri. Sed reſponſio patet ex 5. hyp. quam cap. 11. propoſuimus. Cum enim res numerata, ſcilicet ſingula Sacramenta in Scripturis contineantur, certum eſt numerum numerantem virtute in eis contineri: quippe numerus numerans virtute eſt in re numeratâ. Neque verò aliter extat numerus in rerum naturâ quàm ratione rerum numeratarum. Interim cum adulterina Pontificiorum Sacramenta in Scripturis non extent, ſeptenarium quem confingunt Sacramentorum numerum in eis minimè haberi agnoſcimus.

Porrò objiciunt multorum Sacramentorum formas in Scripturis deſiderari. R. de ſpuriis eorum Sacramentis concedimus, de legi-
„ timis negamus. Imo (inquit Stapletonus de auctoritate Eccleſiæ
„ circa dogmata non ſcripta) forma & adminiſtrandi modus tum
„ Baptiſmi tum Euchariſtiæ in Scripturis prorſus tacetur. Nihil
„ enim de Catechiſmo, nihil de Exorciſmo, nihil de ſolenni illo vo-
„ to & abrenunciatione, quæ omnia Baptiſmum præcedunt, ſcriptum eſt. Rurſum de formâ adminiſtrandæ Cœnæ Dominicæ cum pauca quædam ſcripſiſſet Apoſtolus 1. Cor. 11. *Cætera* (inquit) *cum venero diſponam.*

R. Nihil omittitur in Scripturâ, quod eſſentiale & neceſſarium eſt Baptiſmo & Euchariſtiæ: cum inſtitutio utriuſque ſatis diſertè in Scripturis explicetur, in quâ omnia neceſſaria continentur quæ ad formam eorum ſpectant. Si quid aliud in eorum adminiſtratione legitimè obſervatur, id non eſt de neceſſitate Sacramento, ſed ad externum ordinem referendum. Abrenunciationem Satanæ, quod ad rem ipſam attinet, ex Verbis inſtitutionis inferri jam diximus. Catechiſmum

Digitized by Google

chiſmum & Exorciſmum, cùm præcedant Baptiſmum (ut ait Stapletonus) & præcedant tempore non ſolùm naturâ, patet non ſpectare ad formam aut eſſentiam Baptiſmi.

Catechiſmus autem adultorum comprehenditur ſub mandato Chriſti: *Ite & docete omnes Gentes, baptizantes eos, &c.* Catechiſmus enim ad doctrinam ſpectat. Si Catechiſmi nomine intelligant quæſtiones quæ proponuntur infantibus, quaſi adultis ad quas alii reſpondent eorum nomine, minimè neceſſarius eſt ejuſmodi Catechiſmus, nequid gravius dicam. Exorciſmi qui energumenis olim adhibebantur, parum Baptiſmo conveniunt. Neque alio exorciſmo opus eſt, quam qui continetur in formulâ Baptiſmi, *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, & Spiritus S.* quâ ut Deo conſecrari, ita à Satanæ poteſtate vindicari declarantur.

Verba formalia Baptiſmi ſunt in Scripturâ.

Sunt quidam adeo impudentes, ut verba illa quæ ad formam Baptiſmi ſpectant, *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, & Sp. Sancti*, non à Scripturâ, ſed à Traditione accepta dicant, cum tamen Catechiſmus Concilii Tridentini part. 2. cap. 2. ſect. 13. disertè doceat hæc verba à Domino & ſervatore noſtro eſſe tradita, cum Apoſtoli Mat. 28. præcepit, *Euntes docete omnes Gentes baptizantes in eos nomine Patris, Filii, & Sp. Sancti.*

At inquiunt ex loco iſto Matthæi non neceſſariò colligitur in adminiſtrarione Baptiſmi proferenda eſſe illa verba *Ego te baptizi, &c.* multa enim talia præcepta extant quæ non urgent ut verba proferantur: ſed ſatis eſt quod ſignificatur verbis cogitatione intendere & re ipſa perficere, ut cùm dicitur 1 Cor. 10. 31. *Sive editis, ſive bibitis, ſive quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, non eſt neceſſe ut qui bibit pronunciet, *Ego bibo in gloriam Dei.* At hîc immane diſcrimen apparet. Quemadmodùm ſi præcipiatur militibus fortiter pugnare in gloriam, aut pro ſalute regis & patriæ, non eſt neceſſe ut inter pugnandum verba illa uſurpent: ſed ut rem ipſam perficiant, & finem animo intendant. Sed ſi præcipitur ut omnia edicta & literæ mandatoriæ unius viri, utpote Regis & Imperatoris nomine edantur, quis neſcit illius nomen tum uſurpandum & appellandum eſſe? Ita cùm Chriſtus ait ejicienda eſſe Dæmonia, & alia ſigna edenda in nomine ipſius, quis dubitet nomen Chriſti in adjuratione Dæmoniorum, & ejuſmodi ſignis perficiendis pronunciandum fuiſſe, ut apparet ex Act. 3. & 19. Eodem modo ſe res habet ut qui exigunt Sacramenta à militibus principis nomine, eum nominent neceſſe eſt: ſi cùm

1 Cor. 10. 31

ſi cùm militiæ Dei per Baptiſmum aſcribuntur & initiantur Chriſtiani, eum nominent quomodo ipſe præcepit oportet. Quanquam non eſt neceſſe ut verba illa præcisè totidem literis & ſyllabis uſurpent. Nam & idem Catechiſmus docet ſatis idonea eſſe verba illa quibus Græcæ Eccleſiæ paſſim utuntur, *Baptizetur ſervus Chriſti in nomine Patris, Filii, & Sp. Sancti*, idque ex ſententia & definitione Concilii Florentini.

In Euchariſtiæ formâ aliquid omiſſum eſſe ab Apoſtolo male colligunt ex illis verbis, *Cætera cum venero diſponam*, ut oſtendimus anteà cap. 12.

Item objiciunt non conſtare ex Scripturis, ſed ex ſolâ Traditione, quod Baptiſmus hæreticorum ſit ratus, ſeu, quod non ſint rebaptizandi qui ab hæreticis ſunt baptizati. R. Legitimum Baptiſmum eſſe iterandum omnino contra Scripturam, eſt, cùm unum tantùm eſſe unius legitimum Baptiſmum ſatis apertè ex Scripturâ probetur, tum ex analogiâ circumciſionis, quæ unà tantùm eſſe debet, tum quia Baptiſmus eſt lavacrum regenerationis Tit. 3. 5. Regeneratio autem una eſt, ſicut una generatio: tum quia apertè Apoſtolus ait Eph. 4. 5. *Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma.* Rurſus ſi Baptiſmus non fuerit legitimè adminiſtratus, adeo ut aliquid defuerit quod ad formam & eſſentiam Sacramenti pertinet, non dubium eſt quin illegitimo ſuccedere debeat legitimum Baptiſma: qua ratione non repetitur propriè Sacramentum cùm priùs nullum habeatur. Ita ſtatuit Synodus Nicæna can. 19. ut ſi qui ex Pauli Samoſateni ſectariis ad Eccleſiam converterentur, ii iterum baptizarentur: quod iſti hæretici Trinitatem negantes in nomine Trinitatis non baptizarent. Similiter ſtatuit Synodus Laodicena de iis qui converſi ſunt ab hæreſi Cataphrygum. Can. 8. Vide etiam Concilium Conſtantinopolitanum 1. Can. 7. & epiſtolam Baſilii ad Amphilochium Can. 47.

Baptiſma quorundam hæreticorum non eſſe repetendum probatur ex Scripturis. Tit. 3. 5. Eph. 4. 5.

Exiſtimare autem Baptiſma hoc ſolo nomine irritum eſſe, ſi ab hæretico adminiſtretur & ſuſcipiatur, etſi alioqui inſtitutio Chriſti omnino obſervata ſit, error quidem eſt, ſed non fundamentalis: in quem inciderunt Sanctus Cyprianus, multique alii Patres ejus ætatis cum variis Conciliis Africanis & Concilio Iconienſi: qui quidem non defendebant Anabaptiſmum ſeu iterationem Baptiſmi legitimi: ſed prius Baptiſma ab hæreticis collatum pro nullo habebant. Contraria autem ſententia quæ vera eſt, non eſt proprie dogma fidei, ſed condemnatio falſæ opinionis male accommodantis dogma fidei.

Digitized by Google

Non enim eſt dogma fidei Baptiſmum horum aut ejuſmodi hominum eſſe ratum & legitimum: ſed Baptiſma omne & ſolum eſſe ratum & legitimum in quo Chriſti inſtitutio obſervatur ſeu omnia à Chriſto requiſita, unde ſic procedit argumentum: Baptiſma legitimum non eſt iterandum: At Baptiſma quorundam hæreticorum (nempe qui non violant formam Baptiſmi) eſt legitimum. E. &c. Major eſt de fide & non negabatur à Patribus Africanis, & probatur ex Scripturâ, ut dictum eſt. Minor, etſi non ſit ſimpliciter de fide, probatur tamen etiam ex Scripturis in hunc modum: Omne Baptiſma eſt ratum & legitimum in quo obſervatur Chriſti inſtitutio, ſeu omnes conditiones à Chriſto requiſitæ: At Baptiſma quorundam hæreticorum eſt tale. E. Hîc major etiam eſt de fide & conformis Scripturæ, ex quâ diſcimus Chriſtum Sacramenta inſtituiſſe, & perfectam eſſe ejus inſtitutionem non eſt dubitandum. Minor probatur inductione omnium conditionum quæ in Scripturâ reperiuntur, extra quam nulla conditio petenda eſt (& quidem ſancti iſti Patres profitebantur ſe etiam intra Scripturam continere ut patet ex epiſt. Cypriani ad Pompejum, &c.) Adverſariorum eſt proferre inſtantiam: & quam proferunt inſtantiam (quaſi ſcilicet recta fides miniſtri ſit etiam conditio requiſita ad Baptiſmum legitimum) eam ex Scripturis probare. Eo quod etſi conantur, tamen cùm revera non poſſunt præſtare, patet noſtram ſententiam Scripturæ eſſe conſentaneam. Sic ſecundum Scripturas tuemur duo tantùm eſſe Sacramenta Novi Teſtamenti, Baptiſmum & Cœnam Domini: quia iſta & non plura invenire eſt in Scripturis. Ita cum fidem noſtram Scripturâ terminare volumus, hoc primum credimus, non eſſe quod ultra credere debeamus (ut loquitur Tertull. de Præſcriptionibus cap. 8.) & iterationem Baptiſmi non agnoſcimus, cùm ea nullo præcepto exemplo aut argumento ex Scripturis oſtendi poſſunt.

Auguſtinus hoc non negat.

Sed urget nos auctoritate Auguſtini qui de Baptiſmo contra Donatiſtas lib. 2. cap. 7. videtur appellare hanc conſuetudinem de non repetendo Baptiſmate Traditionem non ſcriptam. Quam (inquit) conſuetudinem credo ex Apoſtolicâ Traditione venientem, ſicut multa non inveniuntur in literis eorum, neque in Conciliis poſteriorum: & tamen, quia per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam non niſi ab ipſis tradita & commendata creduntur. Similia dicta etiam alibi apud eum occurrunt.

Sed

Sed reſponſio facilis eſt: loquitur enim Auguſt. ibi de conſuetudine non de dogmate, de facto & exemplo, non de jure, aut regulâ: & Traditionem non ſcriptam intelligit non ſimpliciter, ſed κατά τι ut ſupra expoſuimus cap. 11. ad 4. hyp. memb. 3. cùm in Scripturâ non exprimatur quidem talis conſuetudo aut praxis licet fundamentum & jus quo nititur, ex Scripturâ colligatur: alioqui ipſe ſibi contradiceret Auguſtinus, ſæpe enim & multùm in hoc argumento urget auctoritatem Scripturæ: ut in eodem opere lib. 1. cap. 7. Ne videar ,, (inquit) humanis argumentis id agere, ex Evangelio profero certa documenta. Item lib. 2. cap. 14. lib. 4. cap. 7. lib. 5. cap. 4. & 23. & 26. & lib. 6. cap. 1.

Similis eſt illa inſtantia de mulieribus ad Euchariſtiam admittendis. Nam etſi praxis, conſuetudo, & exempla nòn diſertè occurrant in Scripturis, tamen commune jus & æquitas, & regula, à quâ non excipiuntur mulieres, docetur in Scripturâ: cùm nihil in illo Sacramento viris ſit proprium, quod nō æquè ad mulieres ſpectet: ac proinde ſatis eſt nullam extare in Scripturâ exceptionem contra mulieres, aut reſtrictionem ad viros: præſertim cum univerſales ſententiæ alioqui fæminas complectantur neceſſe eſt, 1. Cor. 10. 17. ,, *Omnes ex uno illo pane participamus. Exploret homo*, id eſt, *quiſque*, *ſeipſum, & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat.* Item cùm res ſignificata pariter ad mulieres ſpectet, ſignum quoque, cujus æquè capaces ſunt ad eas quoque ſpectet neceſſe eſt, Jo. 6. 51. 53. 54. & 56.

Admittit Scriptura mulieres ad Euchariſtiam.

1. Cor. 10. 17. & 11. 20.

Ejuſdem farinæ eſt illa quoque inſtantia de non participandâ Euchariâ niſi poſt Baptiſmum. Id enim patet ex ipſa naturâ Sacramentorum, quæ ex ſacris Literis colligitur. Nam Baptiſmus dicitur *Lavacrum Regenerationis*, Tit. 3. 5. & Euchariſtia eſt alimenti ſpiritualis Sacramentum, ut apparet ex collatione verborum inſtitutionis cum Jo. 6. adeo ut ſicut prius eſt naſci quàm paſci, ſic Sacramentum Baptiſmi Sacramento Euchariſtiæ præeat neceſſe eſt, idemque confirmatur ex analogia circumciſionis & agni Paſchalis quibus noſtra Sacramenta reſpondent. Imò verò ipſa praxis & exempla in Sacris Literis ſatis clara ſunt. Nam ſtatim poſt converſionem ad fidem Baptiſmo initiari ſolebant ut patet ex Mat. 3. 6. Marc. 1. 5. Act. 2. 38. 41. & cap. 8. verſ. 12. 13. 38. & cap. 9. verſ. 18. cap. 10. verſ. 47. 48. & cap. 16. verſ. 15. 36. cap. 18. verſ. 8.

Docet Scriptura Baptiſmum antecedere Euchariſtiam.

Tit. 3. 5.

Mat. 3. 6. Mar. 1. 5. Act 2. 38. 41. & cap. 8. verſ. 12. 13. 38. & cap. 9. verſ. 18. cap. 10. verſ. 47. 48. & cap. 16. verſ. 15. 36. cap. 18. verſ. 8.

Mutatio Sabbati in Dominicū habetur in Scripturâ. Poſtremò (ut alia frivola omittam) objiciunt non haberi ex Scripturis mutationem Sabbati Judæorum, nempe ſeptimi diei à creatione recurrentis in diem Dominicum, qui primo ſeptimanæ die celebratur. Id quod nos negamus: nam primò Judaici Sabbati abrogatio ſatis aperte indicatur Col. 2. verſ. 16. 17. *Col.2.16.* *Nemo vos judicet ſeu damnet ob cibum vel potum, aut reſpectu feſti aut novilunii aut Sabbatorum: quæ ſunt umbra rerum futurarum, at corpus eſt Chriſti.* Deinde Dominici diei obſervatio in memoriam reſurrectionis Chriſti qui eo die reſurrexit ex variis Novi Teſtamenti locis colligitur, præſertim *Act.20.7.* ex Act. 20. verſ. 7. Ubi dicitur primo die Hebdomadis congregatos fuiſſe diſcipulos ad frangendum panem, id eſt, ad Euchariſtiam celebrandam & Paulum concionatum eſſe: innuendo eum fuiſſe diem Solennem quo in cætum Eccleſiaſticum convenerunt, & ex *1.Cor.16.2.* 1. Cor. 16. 2. ubi primo die ſeptimanæ collectam faciendam præcipit in uſum pauperum *Hieronymus.* Per unam Sabbati (inquit Hieronymus contra Vigilantium,) id eſt, die Dominico omnes conferre, quæ Hieroſolymam in Sanctorum ſolatio dirigantur præcipit. Quia ſcilicet eo die cætus Eccleſiaſticus celebrabatur, id quod pluribus eleganter exponit Chryſoſtomus hom. in hæc verba de collatione in Sanctos. *Eſtius.* Eſtius Doctor Pontificius in 1. Cor. cap. 16. Una Sabbatorum (in-„ quit) prima Septimanæ dies erat, quam Eccleſia jam ab illo tem-„ pore vocare cæpit diem Dominicam, quòd in ea Dominus reſur-„ rexiſſet à morte: ſic enim appellatur Apoc. 1. ut proinde diei Do-„ minicæ nomen & inſtitutionem ad Apoſtolos referendam eſſe non „ ſit dubitandum. Admodum verò congruenter diem Dominicam „ collectis faciendis aſſignat Apoſtolus, quòd in eo finitis operis „ totius hebdomadæ Deo vacaretur, ac de more per Apoſtolos in-„ ſtituto fierent oblationes fidelium.

Idem colligitur ex Apoc. 1. v. 10. ubi aperta fit mentio diei Dominici, *Fui* (inquit) *ſpiritu correptus die Dominico.* Ad eum locum Viegas Jeſuita obſervat diei Dominici antiquitatem; & Ribera Jeſuita. *Ribera.* Videmus hîc (inquit) etiam tempore Apoſtolorum mutatam eſſe Sab-„ bati ſolennitatem, & diei Dominicæ reſurrectionis celebrationem „ conſecratã, cujus meminit Paulus 1. Cor. 16. monens ut illo die col-„ lectæ fiant, quoniã tunc omnes conveniebant ſolennitatis diei cauſâ. Omitto quod Chriſtus reſurrectione ſuâ & ſolenni Sp. S. miſſione diem eum honoravit, ita eo potiſſimũ die quadraginta illos dies à reſurrectione ad aſcenſionem diſcipulis congregatis apparuerit. Jo. 20. 19. 20.

Digitized by Google

„ 19.20. Ex quo loco (inquit Maldonatus) tenuis quædam conjectu- *Maldonatus.*
„ ra ſumi poteſt Dominicam diem, aliquam ex Chriſti voluntate ori-
„ ginem ſumpſiſſe: Janſenius, Decorata (inquit) hac ratione eſt pri- *Ianſenius.*
„ ma dies Sabbatorum, quæ à reſurrectione Chriſti ſuam accipiens
celebritatem & nomenclaturam, Dominica dies vocari cæpta eſt.

„ Lucas Brugenſis in eum locum. Octavâ à reſurrectione ſuâ *Lucas Brugenſis.*
„ die, quæ erat prima Sabbati, ſicut fuerat dies reſurrectionis iterum
„ apparuit Jeſus diſcipulis ſuis congregatis, quaſi volens eum diem
„ honorare & conſecrare celebremque reddere conſpectu ac cultu
ſui, qui proinde dies Dominicus poſteà eſt appellatus.

Et multo luculentiùs Cyrillus Alexandrinus in hunc locum. Ani- *Cyrillus Alexandrinus.*
„ madverte (inquit) quia non ſimpliciter rem enarravit, ſed addidit
„ diligenter *Poſt octo dies, & omnibus in unum locum congregatis.* Diem
„ igitur octavum diem Dominicum eſſe neceſſe eſt, nam una Sabba-
„ torum cæteris apparuit, id eſt, die Dominico. Die poſtea dein-
„ ceps octavo, utriſque connumeratis extremis, congregati rurſus
„ diſcipuli, Thomâ præſente ſimili modo Dominum vident. Jure
„ igitur ſanctæ congregationes die octavo in Eccleſiâ fiunt.

Imo Catechiſmus Concilii Tridentini par. 3. cap. 4. p. 471. *Catechiſmus Concilii Tridentini.*
„ Apoſtoli (inquit) ex illis ſeptem diebus eum qui primus eſt, ad
„ divinum cultum conſecrare ſtatuerunt, quem & diem Dominicum
„ dixere: nam & S. Joannes in Apocalypſi diei Dominici meminit,
„ & Apoſtolus per unam Sabbati, quæ eſt dies Dominicus, ut S.
„ Chryſoſtomus interpretatur, collectas fieri jubet, ut intelligamus
„ jam tum in Eccleſiâ diem Dominicum ſanctum habitum fuiſſe.

„ Suarez de Religione lib. 4. cap. 4. dicit celebritatem Domini- *Suarez.*
„ cæ haberi ex communi uſu & ſenſu Eccleſiæ, & in ipſa Scripturâ
„ Novi Teſtamenti commendari.

At inquiunt, nullo præcepto in ſacris Literis ſancitam invenimus requiem & ſanctificationem diei Dominici. R. Hujus contrarium ſatis manifeſtum eſt iis qui id morale & perpetuum agnoſcunt in quarto Dicalogi præcepto, ut unus dies in ſeptimana Deo conſecretur: etſi diei ſeptimi à creatione ſanctificationem & rigidam quietem inter cæremonialia aut mutabilia in hac lege poſitivâ agnoſcant. Etenim ſi conſtat ex Scripturâ unum diem ſeptimanæ Deo conſecrandum eſſe, & Sabbatum Judæorum eſſe abolitum, ejuſque vice primum ſeptimanæ diem eſſe celebratum ab Apoſtolis, nemini poteſt eſſe dubium eum Deo dicandum eſſe, & officiis pietatis eo die vacan-

vacandum, & ab operibus quæ Dei cultum impediunt, abſtinendum eſſe. In ipſo Jure Canonico, Decretalium lib. 2. tit. 9. de feriis cap. Licet Alexander 3. Pontifex Romanus affirmat tam Veteris quàm Novi Teſtamenti paginam ſeptimum diem ad humanâ quietem ſpecialiter deputâſſe. Ubi Gloſſa, Vetus Teſtamentum (inquit) „ ad literam præcipiebat Sabbatum cuſtodiri, Novum verò ſpiritua- „ liter illud ſervat, primam diem pro ſeptima celebrando. Hinc Sua- „ rez Jeſuita de Religione lib. 2. cap. 2. Utrumque Teſtamentum „ (inquit) approbavit morem deputandi ad quietem humanam, „ ſeptimum quemque diem hebdomadæ: quod eſt formaliter depu- „ tare ſeptimum diem, licet materialiter non idem dies fuerit ſemper „ deputatus: & hoc modo verum eſt ſeptimum illum diem in Lege „ Veteri eſſe Sabbatum, in novâ verò eſſe Dominicam diem.

Decretales Alexandri tertii.

Suareſius.

Bellarminus.

„ Bellarm. de cultu Sanctorum lib. 3. cap. 11. Jus divinum requi- „ rebat ut unus dies hebdomadæ dicaretur cultui divino: non autem „ conveniebat, ut obſervaretur Sabbatum. Itaque Sabbatum ab Apoſtolis in diem Dominicum verſum eſt. Idque probat iiſdem locis Act. 20. 1. Cor. 16. & Apocal. 1. quos nos citavimus.

Quorundam Reformatorum Sabbato ſententia.

Cæterum cum non deſint in Eccleſiâ Reformatâ viri docti qui ſentiunt (rectè ne an ſecùs nunc non diſputo) in quarto præcepto nihil moraliter mandatum eſſe, quàm quod lege naturæ conſtat, non præcisè ſeptimum aut unum ſeptimanæ diem ſed indefinitè certos dies ad cultum Dei ſeparandos eſſe, & cum pro libertate Chriſtianâ hunc aut illum diem ſeligere fas eſſet, diem Dominicū conſtitutione aut conſuetudine Eccleſiæ, quæ ab Apoſtolis originem ducit, ſeparatum eſſe: ideoque ad objectionem Pontificiorum hæc etiam reſponſio adjungenda eſt, inſtantiam de tempore cultus Dei non pertinere ad ſtatum controverſiæ: in quâ quęritur non de ritibus aut circumſtantiis cultûs Dei, ſed de dogmatibus fidei aut morum.

Sabbatum fuit cultus pars, Dominica eſt cultus circumſtantia.

Et certè, quicquid dicendum eſt de eorum ſententiâ, quam nunc non eſt examinandi locus, omnino ſtatuendum videtur aliam fuiſſe rationem Sabbati Judæorum, aliam diei Dominici. Illud enim ex loco citato Col. 2. dicimus fuiſſe umbram rerum futurarum & cæremoniam quæ inter cætera adumbraverat quietem Chriſti in ſepulchro (ille enim uno integro die in ſepulchro obdormivit) & noſtram quietem ſpiritualem per eum partam, ac proinde partem fuiſſe cæremonialis cultus Dei à Chriſto conſummati: hunc autem ſubſtitutum fuiſſe non ut cæremoniam aut partem cultûs ſed ut circum-

ſtantiam

ſtantiam temporis, ordinis causâ, quo die cultus peragendus eſſet: ac proinde hunc diem præ alio non ſuâ ipſius ratione, ſed ob ſacra tantum exercitia ſacrum eſſe: neque quietem ejus diei per ſe placere Deo, ſed quatenus ſacris officiis inſervit.

„ Ignatius Apoſtolorum diſcipulus in Epiſt. ad Magneſianos, *Ignatius.*
„ Non igitur (inquit) Sabbatizemus Judaico more, velut otio gau-
„ dentes. Sed unuſquiſque noſtrum Sabbatizet ſpiritualiter, medi-
„ tatione legis gaudens, non corporis refocillatione & remiſſione;
„ opificium Dei admirans, non pridiana comedens, & tepida bi-
„ bens, & ad præſcripta ſpatia obambulans, & ſaltationibus plauſi-
„ buſque ſtupidis gaudens, at poſt Sabbatum omnis Chriſti amator
„ Dominicum celebret diem reſurrectioni conſecratum Dominicæ,
„ Reginam & principem omnium dierum, quam expectans Pro-
„ pheta dicebat, in finem pro octavâ in qua & vita noſtra exorta eſt
„ & per Chriſtum mors devicta.

At inſtant, Dominici diei obſervationem etiam ad doctrinam pertinere, quia vel Judæus vel hæreticus cenſendus eſſet qui eum non obſervaret. R. Eum non primariò & propriè hæreticum propterea cenſendum ſed Schiſmaticum. Verum quia Schiſma inveteratum degenerat in hæreſin, vel ob hanc unam cauſam quia non rectè ſentiunt Schiſmatici de articulo fidei qui eſt de Communione Sanctorum & præfractè contendunt ſeparandum eſſe ab Eccleſiâ aut cùm eâ non communicandum, cùm nulla ſit juſta cauſa ſeparationis, ideo ob pertinaciam in hoc gravi errore meritò hæreticis accenſendi ſunt ut Donatiſtæ, &c. Nec alio fere loco habendos cenſeremus qui Dominicum diem ſpernerent, etſi ejus inſtitutio ex ſacris Literis demonſtrari non poſſet, ſed tantùm obſervatio perpetuo uſu & praxi univerſalis Eccleſiæ confirmaretur: contra quam facere aut diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt, ut docet Auguſt. Epiſt. 118. ad Januarium. *Negantes Dominicum ſunt Schiſmatici & hæretici.*

CAP. XX.

Reſpondetur ad teſtimonia ab Adverſariis, citata, & primò Pontificum & Conciliorum.

Pontifices præferuntur omnibus patribus & Conciliis.

RESTAT ut ad argumenta Adverſariorum reſpondeamus quæ petuntur ab auctoritate humanâ, iſta in quatuor Claſſes diſtribuit

buit Bellarm. 1. Enumerans teſtimonia Pontificum Romanorum. 2. Conciliorum. 3. Patrum Græcorum. 4. Patrum Latinorum. Non videtur nobis hoc loco opportunũ de ordine litem Bellarmino movere, quòd Pontifices Romanos nolit annumerare Patribus, & Conciliis etiam generalibus præponat, ſed ad ſingula eodem ordine reſpondebimus: ubi præmiſerimus nonnullas communes hypotheſes, ex quibus pleræque omnes noſtræ reſponſiones petuntur.

Fundamẽta reſponſionum. 1. In primis ſtatus controverſiæ diligenter obſervandus eſt, & diverſa ſignificata vocabuli *Traditionis* quæ à nobis explicata ſunt cap. 1. & 11. hujus lib. qua ratione facilè innoteſcet, multa Patrum dicta de Traditionibus aliena eſſe à ſtatu controverſiæ.

2. Nullà datur auctoritas infallibilis in Eccleſiâ, quâ fides noſtra niti poteſt præterquam Sacræ Scripturæ. Proinde ab auctoritate Pontificum, Conciliorum, & Patrum, niſi conſentanea ſit Sacris Literis, nullum certum & neceſſarium argumentum deduci poteſt, ſed tantùm contingens & probabile. Atque id Pontificii concedunt de omnibus Patribus & Conciliis, quæ non ſunt à Pontifice Romano approbata: negant autem de Pontifice Romano in Cathedrâ docente & de Conciliis ab eo approbatis: de quibus id non minus verum eſſe nos præcedenti lib. oſtendimus. Etſi enim per magnam eſſe auctoritatem Conciliorum generalium legitimorum fatemur, nec quæ ſunt verè talia (cujuſmodi fuerunt quatuor illa prima) in rebus fidei erràſſe concedimus: tamen Pontificis Romani aut Conciliorum ab illo approbatorum nullam prærogativam agnoſcimus: ſed ex quo ille in Eccleſiâ dominari aggreſſus eſt, omnia in deterius vergere & peſſum ire cæperunt. Quid autem cenſendum ſit de auctoritate Pontificis & Conciliorum, ſatis in præcidenti lib. declaratum eſt, præſertim cap. 14. 15. 16. & 26. In bonis autem Patribus ut nævos aliquos & errata nobiſcum agnoſcunt Pontificii, ita ſpecie & prætextu Traditionis nonnullos ex iis erràſſe, & aliis errandi occaſionem præbuiſſe, nos in hoc lib. oſtendimus cap. 7. At Bellarm. „ lib. 4. de Verbo Dei c. 7. §. *Ad hunc locum*, inquit. Etſi errave- „ rint aliqui Patrum in quibuſdam dogmatibus, nunquam tamen om- „ nes ſimul in eodem errore convenerunt: proinde cum omnes con- „ veniant in Traditionibus non ſcriptis aſſerendis, ſatis patet in eo illos non erràſſe. Reſp. Nos certè non putamus evenire ut omnes ſimul Patres conſentiant in errore circa fidem & mores, ſed falſiſſimum eſt quod ait Bellar. omnes Patres convenire in Traditionibus

Digitized by Google

non ſcriptis aſſerendis, ſi intelligantur iſtæ Traditiones, de quibus inter nos & Pontificios eſt controverſia. Nam nos luculentiſſimis Patrum teſtimoniis contrarium probavimus.

3. Diſtinguenda ſunt ſcripta genuina ab adulterinis & ſuppoſititiis: cujuſmodi multa Veterum & piorum ſcriptorum titulos ementita eſſe, & in Conciliorum ac piorum Patrum volumina irrepſiſſe doctis omnibus conſtat.

4. Conferenda ſunt teſtimonia Patrum ſuprà à nobis citata cap. 3. 4. 5. & 10. quibus ſufficientia & perfectio Sacræ Scripturæ clarè aſſeritur, & Traditionum ſupplementum in rebus fidei & morum rejicitur cum teſtimoniis quæ adverſarii contra afferunt, præſertim ex iiſdem Patribus, & facilè patebit noſtra illa eſſe multò magis luculenta ac diſerta majoriſque momenti ac ponderis.

His poſitis teſtimonia ſingula examinabimus. Ex Epiſtolis decretalibus citat Bellarm. Fabiani & Innocentii primi Pontificum teſtimonia. Sed nulla fides habenda eſt talibus Epiſtolis decretalibus antiquorum Pontificum, quas magna ex parte ſuppoſititias eſſe noſtri ſatis demonſtrârunt, & ipſi etiam doctiſſimi Pontificii fidem iis derogant, ut oſtendimus lib. præcedenti cap. 26. Sed tamen quæ inde afferat videamus.

Fabiani & Innocentii Epiſtola ſunt fictitia.

1. Inquit Bellarm. Fabianus Papa in Epiſt. ad Orientales Epiſcopos, poſtea quam docuerat ſingulis annis Sacrum Chriſma renovandum eſſe, ita ſubjunxit, Iſta à ſanctis Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus accepimus, vobiſque tenenda mandamus. At de Chriſmate renovando nihil in ſacris Literis legimus.

R. Etſi inepta illa Epiſtola aliquid auctoritatis haberet, tamen inſtitutionem aut renovationem Chriſmatis ad dogmata fidei & morum pertinere nunquam evincent Pontificii. Platina in vitis Pontificum non Chriſti aut Apoſtolorum ſed Fabiani ipſius inſtitutum fuiſſe memorat, ut ſingulis quibuſque annis in cœnâ Domini Chriſma renovaretur ac vetus in Eccleſiâ combureretur.

2. Innocentius primus in Epiſt. ad Decentium: Si inſtituta (inquit) Eccleſiaſtica, ut ſunt à Beatis Apoſtolis tradita, vellent integra ſervare Domini Sacerdotes, nulla varietas in ipſis Ordinibus & Conſecrationibus haberetur. Hic (inquit Bellarm.) de Traditionibus non ſcriptis agit: ac præſertim cum docet confirmationem etiam parvulis conferendam, & à ſolo Epiſcopo, & ſub certâ formâ verborum. Atque adeo non ſcriptas ejuſmodi Apoſtolicas Tra-

Verba confirmationis non erant ſecreta.

ditiones eſſe teſtatur, ut nec in eâ epiſtolâ formam illam verborum aſcribere voluerit: Verba (inquit) dicere non poſſum, ne magis prodere videar quam ad conſultationem reſpondere. Reſp. Verba illa priora à Bellar. citata habentur initio commentitiæ illius epiſtolæ: in quâ agit de variis Traditionibus, quæ minime ad dogmata fidei & morum, ſed ad certos ritus ſpectant, quorum nonnullæ exoleverunt, nec ſunt in uſu apud ipſos Pontificios: ut de mutuo pacis oſculo dando poſt myſteria, de recitatione nominum eorum, qui offerebant panem & vinum ex quibus Euchariſtia conficiebatur. Ibidem etiam unctionis extremæ adminiſtrationem etiam Laicis permittit. Et quòd habet de conſignatione (quam Bellarm. interpretatur confirmationem) eam vult infantibus communicari: quod tamen Pontificiis minus expedire videtur, ut docet Catechiſmus Concilii Tridentini, qui dicit differendam eſſe confirmationem, donec pueri uſum rationis habuerint ad annum ætat. 12. aut ſaltem 7. Illud autem quàm ridiculum eſt & ſuperſtitioſum, quod ait ſe non poſſe dicere: verba quibus in confirmatione utuntur, ne ſcilicet prodat ſecretum: cùm tamen ſcribat ad epiſcopum, & cùm verba confirmationis pueris dici & publicè proferri ſoleant, & verba illa paſſim propalent Pontificii: ut Concilium Florentinum, Pontificale Romanum Thom. 3. parte q. 72. art. 4. Catechiſmus Concilii Tridentini cap. 3. Bellarm. de confirmatione cap. 10. Verba autem ſunt iſta, Signo te ſigno ſanctæ crucis: & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, Filii, & Sp. Sancti. Quin & Bellarm. ibidem notat apud antiquiores non haberi hæc omnia verba, nec hoc ordine, ſed haberi eundem ſenſum, & hoc ſufficere. Itaque nihil erat quod metueret Innocentius illa verba prodere.

3. Citat Leonem primum de jejuniis quadrageſimæ, Pentecoſtes, & ſeptimi menſis, quod ea referat ad Apoſtolicam Traditionem. Sed nihil ad rem, cùm ad ſtatum controverſiæ ritus iſti non ſpectent.

Deinde ſubjicit Bellarm. teſtimonia Conciliorum

Concilium Nicænum damnavit Arium ex Scripturâ.

1. Inquit Concilium Nicænum primum, ex doctrinâ non ſcriptâ, damnavit hæreſin Arii, ut teſtatur Theodoretus lib. 1. hiſt. cap. 8. Etſi enim quædam Scripturæ poterant adferri contra Arium, tamen quia Arius etiam proferebat Scripturas ex doctrinâ non ſcriptâ ſed traditâ per manus Patrum ſibi in Eccleſia ſuccedentium, eum damnaverunt.

R. Magnâ

Digitized by Google

R. Magnâ injuriâ affici à Bellarmino tum Concilium Nicænum & fidem Orthodoxam, tum Theodoretum: Certiſſimum enim eſt Nicænos Patres & omnes Orthodoxos fidem ſuam probâſſe contra Arium luculentis ſunctæ Scripturæ teſtimoniis. Id quod ex variis ſcriptis Athanaſii, Baſilii, Gregorii Theologi, Cyrilli, Hilarii, Ambroſii, Auguſtini, Sole meridiano clarius eſt. Idemque aſſeritur à plurimis Pontificiis, Alphonſus de Caſtro lib. 5. de hæriſibus tit. *Deus* hæreſ. 6. ait, Ex his quæ oſtenderat ex Scripturis facilè convinci poſſe Arium, & multa quidem teſtimonia ex Sacris Literis citat contra Arium: quæ aperta eſſe verè pronunciat. *Alphonſus à Caſtro.*

Imò ipſe Bellarm. non ſemel hoc inculcat: nam in primo & ſecundo libro de Chriſto, fidem noſtram contra Arium multis Scripturæ locis confirmat. Et in lib. 2. de Conciliis cap. 12. §. *Sic etiam* ait Concilium Nicænum cum definivit Chriſtum eſſe ὁμοούσιον Patri deduxiſſe hanc concluſionem ex Scripturis in quibus disertè continetur. Et in lib. 4. de Verbo Dei cap. 11. §. *Profectò quarto*, reſpondens ad auctoritatem Athanaſii dicentis, ſufficere ſanctas Scripturas ad inſtructionem veritatis, loquitur (inquit) ſolùm de duobus dogmatibus videlicet quòd Idola non ſint Dii, & quòd Chriſtus ſit verus Deus, & ſimiliter homo contra Arium, quæ duo habent in Scripturis expreſſa teſtimonia. Et in eodem cap. §. *Reſpondeo videri*, reſpondens ad auctoritatem Auguſtini, qui prætermiſsâ auctoritate Conciliorum, provocabat Adverſarium Arianum ad Scripturas, hanc reddit rationem: Quia in illis (inquit) quæſtionibus quæ tunc erant (id eſt, in controverſiis cum Arianis & Donatiſtis) extabant in Scripturâ clariſſima teſtimonia, quæ ſine dubio anteponenda ſunt omnibus Conciliorum teſtimoniis. At (inquit Bellarm.) etſi quædam Scripturæ adferri poterant contra Arium; tamen quia Arius etiam proferebat Scripturas, ideo damnatus erat non ex Scripturâ, ſed ex doctrinâ non ſcriptâ. Verùm hæc ratio ineptiſſima eſt, ſic enim nulli hæretici damnarentur ex Scripturâ, cùm ipſi abuti poſſint & ſoleant Scripturâ. Contra autem Chriſtus Satanam etiam cum objiceret Scripturam, ſolius Scripturæ telis profligavit. Quod ad Theodoretum attinet, ille in eodem cap. quod citat Bellarm. ex Athanaſio varia teſtimonia Sacræ Scripturæ recenſet quibus evertebatur Arii dogma, & probabatur Chriſtum eſſe ὁμοούσιον, id eſt, ejuſdem eſſentiæ cum patre. Cùm autem exciperent Ariani iſta vocabula ὁμοούσιος & ejuſdem eſſentiæ non reperiri in *Bellarminus.* *Theodoretus.*

Scripturâ. Reſpondet auctor primo retorquendo, quod Ariani ipſi uterentur verbis à Scripturâ alienis, cùm dicunt Chriſtum creatum fuiſſe *de nihilo ſeu de non exiſtentibus*, & *fuiſſe tempus cùm aliquando non eſſet*. 2. Directè, voces illas non fuiſſe recens confictas ſed à Veteribus uſurpatas, & habere piam ſententiam, hoc eſt, ut ſuprà explicavit, ſignificare idem quod locis omnibus Scripturæ quos ibi citat, ſignificatur. Atque idem abinde docet ipſe Bellarm. de Chriſto lib. 2. & cap. 2. & 3. Patres quos nuper nominavi, ut fuſius oſtendimus cap. 11.

Idem Theodoretus in eodem lib. cap. præcedenti meminit præclaræ illius orationis quam Conſtantinus Imperator habuit ad Patres Concilii Nicæni, in quâ Evangelici (inquit) & Apoſtolici libri, nec non antiquiorum Prophetarum oracula planè nos inſtruunt de ſenſu Numinis. Proinde hoſtili poſitâ diſcordiâ ſumamus ex dictis Divini Spiritûs explicationes quæſtionum. Sed quia cavillantur Pontificii hæc fuiſſe verba Conſtantini qui melior fuit Imperator quàm Theologus: Notandum eſt quod ſubjungit ibidem Theodoretus, *His dictis aſſenſum maxima partis conventus acceſſiſſe*. Denique, etſi Theodoretus & Athanaſio concedat vocabulum ὁμοούσιος fuiſſe ἄγραφον: nemo tamen dixerat fuiſſe illud acceptum ex Traditione non ſcriptâ Apoſtolicâ, ſed uſurpatum fuiſſe à nonnullis Patribus poſt Apoſtolorum tempora. Si igitur urgeant vocabulum illud, nemo unquam Veterum dixit eſſe Traditionem Apoſtolicam: ſi rem ipſam omnes Patres fatentur eſſe Traditionem ſcriptam.

Bellar. lib. 4. de Verbo Dei cap. 11.

Conciliabulum Nicænum ſecundum & octavum Concilium generale rectè docent Idololatriam non probam ex Scripturâ.

2. Profert Bellar. teſtimonium Concilii Nicæni ſecundi & Concilii octavi generalis. In illius actione 6. tom. 4. initio ſic legitur. „ Quod cum multis aliis quæ in Eccleſiâ obſervantur ſine Scripturâ „ nobis Imaginum veneratio tradita ſit ab Apoſtolorum temporibus, latè per hiſtorias traditum eſt. Et actione 7. in fine ſic habet: Siquis Traditionem Eccleſiæ ſive ſcripto ſive conſuetudine valentem non curaverit, anathema ſit. Idem reperitur (inquit Bellar.) in Concilio octavo generali actione 8. & poſt actionem ultimam Can. 1. profitentur Patres ſe ſervaturos omnes Traditiones non ſolum Apoſtolicas, ſed etiam Eccleſiaſticas.

R. Non ignorat Bellarm. nihil nos facere auctoritatem iſtorum Conciliabulorum, in quibus Idololatria ſeu Iconolatria contra auctoritatem aliorum Conciliorum & piorum Patrum ſtabilitur: quam facilè

Digitized by Google

facilè concedimus ex verbo ſcripto, cui planè contradicit, non potuiſſe probari: ideoque neceſſe habuiſſe bonos iſtos Patres ad Traditionum commenta confugere. Ubi obſervandum eſt eos Apoſtolicas & Eccleſiaſticas Traditiones perinde habere, ac non minùs his quàm illis ſe aſtringere. Imo Concilium illud octavum profitetur ſe pariter recipere Traditiones traditas, cùm ab Orthodoxis univerſalibus & particularibus Conciliis, tum etiam à quolibet Divino patre & Doctore Eccleſiæ.

Mirum autem eſt Jeſuitas tam ſtudioſè conari Imaginum venerationem ex Scripturis probare, cùm disertè Pſeudo-ſynodus iſta Nicæna (quam infallibilem ſtatuunt) Imaginum venerationem ſine Scripturâ obſervari aſſerat.

C A P. XXI.

Reſpondetur ad teſtimonia Patrum Græcorum.

Ex Græcis Patribus primò Bellar. citat Ignatium, Qui (inquit) apud Euſebium lib. 3. Hiſt. cap. 36. (alias 32.) hortabatur omnes Apoſtolorum Traditionibus tenaciùs inhærere: *Quas Traditiones cautelæ gratiâ etiam ſcriptas ſe aſſerit reliquiſſe.* Unde colligit Bellarm. eas ab Apoſtolis ſcriptas non fuiſſe. Et inter has recenſet jejunium quadrageſimæ, ordines minores & diem Dominicum quorum fit mentio in certis epiſtolis Ignatii quæ extant in Bibliotheca Patrum.

R. Ex loco illo Euſebii nihil tale evincitur, quale colligitur à Bellarm. ex malæ interpretationis verborum pravâ applicatione. Verba autem Euſebii de Ignatio hæc ſunt: Τὰς κατὰ πόλιν αἷς ἐπεδήμει παροικίας ταῖς διὰ λόγων ὁμιλίαις καὶ προτροπαῖς ἐπιῤῥωννὺς ἐν πρώτοις μάλιστα προφυλάττεσθαι τὰς αἱρέσεις, ἄρτι τότε πρῶτον ἀναφυείσας καὶ ἐπιπολαζούσας παρῄνει· προὔτρεπέ τε ἀπρὶξ ἔχεσθαι τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως ἣν ὑπὲρ ἀσφαλείας καὶ ἐγγράφως μαρτυρόμενος διατυποῦσθαι ἀναγκαῖον ἡγεῖτο. Quæ ad hunc modum reddenda ſunt: Paræcias ſeu Eccleſias, per ſingulas Civitates ad quas adveniebat, congreſſibus per ſermones & adhortationibus confirmans, in primis maximè cavere hæreſes, quæ jam tum primò naſcebantur, ac
„ emergebant, admonebat, & adhortabatur tenaciter adhærere
„ Apoſtolorum Traditioni, quam certitudinis causâ, etiam ſcripto
„ teſtimonium perhibens delineare neceſſarium exiſtimabat. In his verbis

verbis nihil aliud Euſebius vult quàm Ignatium quamvis inſensè à ſatellitibus obſervaretur, tamen pro zelo Religionis, in ſingulis quas pertranſibat Eccleſiis, confirmâſſe fideles, & monuiſſe ut contra hæreſes Traditioni, id eſt, doctrinæ Apoſtolicæ adhærerent quam & vivâ voce & etiam ſcripto majoris ſecuritatis causâ explicavit.

Notum eſt παράδοσιν *Traditionem* pro quacunque re traditâ ſumi. Neque hîc Traditio Apoſtolica opponitur ſcriptæ doctrinæ: ſed Ignatius dicitur & διὰ λόγων & ἐγγράφως, id eſt, vivâ voce & ſcripto doctrinam iſtam declarâſſe. Futile eſt autem illud Bellarmini quod ait Traditionem Apoſtolicam illo loco intelligi de jejunio quadrageſimæ, ordinibus minoribus & die Dominico, & talibus ritibus, quorum fit mentio in illis epiſtolis, quæ nunc Ignatii nomine circumferuntur: quaſi tam neceſſario tempore, homo Dei Divino zelo inflammatus ad martyrium properans & à militibus circumſeptus, cùm in itinere fideles adverſus hæreſes confirmaret, de ritibus iſtis duntaxat eſſet ſolicitus. At longe alia ſunt quæ ex ſcriptis ejus ibidem recitat Euſebius: nec obſcurè indicat in iiſdem verbis hoc fuiſſe ſancto viro ſtudium, ut omnes in fidei Chriſtianæ fundamentis confirmaret adverſus Chriſti hoſtes tum hæreticos tum perſecutores graviſſimos. Hæretici autem tum temporis non de jejunio quadrageſimæ, die Dominico, aut ordinibus minoribus digladiabantur: ſed præcipuos fidei articulos evertebant, Simon, Cerinthus, Menander, & cæteri, qui de Chriſti perſonâ impie ſentiebant. Polycarpus vir Apoſtolicus apud Euſebium eodem lib. cap. ſequente commendans ſcripta illa Ignatii tanquam utiliſſima, dicit ea continere fidem, & patientiam, & quamvis ædificationem in Dominum noſtrum tendentem.

Quid autem cenſendum ſit de quindecim illis epiſtolis, quæ nunc ſub Ignatii nomine extant, non eſt quod hîc diſſeramus. Pleraſque omnes, aut pleraque in illis ſuppoſititia & apocrypha eſſe, multi viri docti oſtenderunt: inter quos conſulantur Witakerus in hunc locum Bellarmini, Cocus in Cenſurâ, Rivetus in Critico: nec deſunt Pontificii, qui in multis aſtipulantur.

Dionyſius Areopagita nullius eſt auctoritatis nec pro Traditionibus.

Secundo citat Bellar. Dionyſium Areopagitam cap. 1. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. Primi illi (inquit) ſacerdotalis muneris duces ſumma illa & ſuperſubſtantialia, partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus ſuis, nobis tradiderunt.

Reſp.

Reſp. Nihil hoc teſtimonium adverſus nos facit. Etenim ſi per primos illos duces intelligendi ſunt Apoſtoli, non dubitamus illos partim ſcripto partim vivâ voce doctrinam ſuam tradidiſſe. Sed dicimus nihil vivâ voce ab iis traditum eſſe tanquam ad fidem, mores, & ſalutem neceſſarium, quod in Scripturâ non continetur. Nec contrarium ex Dionyſii teſtimonio evinci poteſt.

Deinde reſpondent noſtri libros qui Dionyſii nomine circumferuntur, eſſe ſuppoſititios & ψευδεπιγράφους. Id quod multis argumentis probant inter alios Witakerus in Bellarminum hoc loco, & contra Duræum lib. 5. Perkinſus in problemate, Rivetus in Critico, Cocus in cenſurâ, & Chamierus de Canone lib. 9. cap. 3. Nec deſinit ex Pontificiis qui auctoritati hujus auctoris derogant. Cardinalis Cajetanus in act. 17. An iſtemet Areopagita ſit ille Dio- *Cajetanus.*
„ nyſius qui ſcripſit libros de Divinis nominibus, non eſt certum Hæc opera ut ejus nomine conficta deridet Valla in annotationibus in Act. 17. cui ſuffragatur Eraſmus in eundem locum & Guilielmus
„ Grocinus ab eo citatus. Opera Dionyſii ut pſeudepigrapha vi- *Poſſevinus.*
„ dentur à Photio notari, inquit Poſſevinus in apparatu Sacro verbo
„ *Photius:* Imo Photius quatuor inſignibus rationibus id probat initio Bibliothecæ ſuæ.

Franciſcus Ribera Jeſuita in epiſt. ad Hebræos valdè elevat au- *Ribera.*
ctoritatem hujus Dionyſii loquens de hierarchiâ & ordinibus an-
„ gelorum. Multi (inquit) eam ſententiam unius auctoritate Dio-
„ nyſii ſequuntur. Verùm graviſſimi Patres Græci & Latini eum
„ ſequi noluerunt. Gregorius Papa Dionyſii auctoritati noluit ac-
„ quieſcere, ne fortè Scripturæ Divinæ Verbis adverſari videre-
„ tur. Si rem illam abſtruſam ratione noſtrâ metiri volumus, ſæ-
„ pè multumque aberrabimus : nec Dionyſius à Paulo hæc ſe un-
„ quam accepiſſe dixit, nec quiſquam probare poſſit. Non ſic ſcripſiſſet ſi exiſtimâſſet hunc auctorem fuiſſe Dionyſium illum Pauli diſcipulum.

„ At inquit Bellar. Citantur hæc opora nomine Dionyſii Areo- *Inepta Bellarmini replica.*
„ pagitæ in 6. 7. & 8. ſynodo generali: item à Gregorio 1. in hom.
„ de centum ovibus, à Martino primo in Concilio Romano, & ab
„ Agathone in epiſtolâ ad Imperatorem Conſtantinum: ex quo co-
„ guntur fateri hæretici, hunc auctorem ante annos mille ſcripſiſſe,
„ proinde non eſſe contemnendum. Reſp. Nos non contemnimus hunc auctorem, licet non multum auctoritatis illi tribuimus: cujus

auctoritati idem Gregorius primus & graviſſimi Patres Græci & Latini, noluerunt acquieſcere, ut jam dictum eſt ex Riberâ. Iſta autem Concilia, & Martinus ac Agatho Papa diu poſt Gregorium fuerunt: nec ante eum ullus probatus auctor meminit iſtorum operum. Nam quæ afferuntur ex aliis teſtimonia, facilè refutata ſunt à noſtris, quorum jam meminimus. Præterea quàm ineptè arguat Bellarm. quaſi nihil ſit contemnendum eorum quæ ſcripta ſunt ante mille annos.

Hegeſippus non favet Traditionibus.

„ Tertio, inquit Bellar. Hegeſippus apud Euſebium lib. 4. hiſt. „ cap. 8. Apoſtolicas Traditiones quinque libris comprehendit, qui „ etſi modò non extent, tamen ſatis indicat hoc teſtimonium, Apoſtolos non omnia ſcripſiſſe quæ docuerant.

R. Si Hegeſippus iis libris non ſcriptas Traditiones comprehendit, tum vel comprehendit omnes, vel aliquas tantùm: ſi aliquas tantum, cùm illi libri non extent unde ſciri poteſt fuiſſe iſtiuſmodi Traditiones, de quibus nos diſputamus, nempe quæ ſunt de rebus neceſſariis ad ſalutem, fidem, & mores? Ex meris enim particularibus nihil ſequitur. Sin omnes comprehendit, tum id fecit, quod nemo Pontificum aut Pontificiorum auſus eſt præſtare, aut fieri licere putat. Nam Traditionum corpus ἀπέρατον ac indeterminatum relinquit, ut cap. 1. & alibi oſtendimus. Deinde ſi aut omnes, aut præcipuas Traditiones ſcripſiſſet Hegeſippus, tum violâſſet dignitatem Eccleſiæ Catholicæ & dignitatem multorum myſteriorum Religionis, utraque enim requirit Traditiones minime ſcripto eſſe propalandas, ſi benè diſputat. Bellar. lib. 4. cap. 8.

Sed certè nihil prorſus ex illo loco colligi poteſt de Traditionibus non ſcriptis. Nihil enim aliud Euſebius ibi dicit quàm Hegeſippum iis libris commemorâſſe τὴν ἀπλανῆ παράδοσιν τοῦ ἀποστολικοῦ κηρύγματος, id eſt, certam Traditionem Apoſtolicæ prædicationis. Satis eſt Bellarmino quòd hîc vox *Traditionis* occurrat, ſed non eſt ei curæ diſpicere quo ſenſu uſurpetur. Non loquitur de Traditionibus in plurali numero, aut Traditionibus non ſcriptis, ſed loquitur de Traditione Apoſtolicæ prædicationis. Quod ſi prædicatio hîc accipiatur pro doctrinâ prædicatâ, quomodo colligi poteſt ex hoc loco aliam hîc inſinuari quàm quæ ſcripta eſt, ſeu re & ſubſtantiâ à Scripturâ diverſam: imò potiùs contrarium auctore Bellarmino inferri poteſt. „ Nam lib. 4. de Verbo Dei cap. 11. contextu *his notatis* ait, illa omnia ſcripta eſſe ab Apoſtolis quæ ſunt omnibus neceſſaria, & quæ ipſi

ipſi palam omnibus vulgo prædicaverant: κήρυγμα autem ſignificat actionem quâ aliquid palam omnibus vulgo prædicatur aut promulgatur.

Occurrit hîc Gretſerus: Sic explicare locum (inquit) eſt dicere Hegeſippum egiſſe actum, hoc eſt, Apoſtolicam doctrinam antea jam ſcriptam literis mandâſſe. Sed ineptus eſt more ſuo Gretſerus: quis enim neſcit innumeros libros editos eſſe, in quibus doctrina Apoſtolica ſcripta ſeu Sacra Scriptura exponitur, illuſtratur, & confirmatur? *Ineptia Gretſeri.*

Cæterum per Traditionem *Apoſtolicæ prædicationis*, omninò intelligi videtur hiſtoria continuæ ſucceſſionis & progreſſus Apoſtolicæ prædicationis & prædicatorum in Eccleſiâ. Id quod patet ex Hieronymo in Catalogo. Hegeſippus (inquit) vicinus Apoſtolicorum temporum omnes à paſſione Domini uſque ad ſuam ætatem Eccleſiaſticorum actuum texens hiſtorias, multaque ad utilitatem legentium pertinentia hinc inde congregans, quinque libros compoſuit. Et Euſebius qui in dicto loco & aliis citat Hegeſippum, nihil aliud quàm hiſtoricas ejus narrationes memorat. Vide lib. 2. cap. 23. & lib. 3. cap. 11. 17.

Interim notandum eſt quod hîc ait Bellarm. quinque illos libros Hegeſippi, quorum meminerunt Euſebius & Hieronymus nunc non extare: ne decipiamur titulo quinque librorum de excidio Hieroſolymitano, qui Hegeſippi nomine circumferuntur: ex quibus aliquot Traditiones ſuas non nulli Pontificii confirmant: cùm tamen doctores ex ipſis ſuppoſititios eſſe agnoſcant & certiſſimis argumentis probent.

Quartò citat Polycarpum & Irenæum ex Euſebio. Polycarpus (inquit) apud Euſebium lib. 5. cap. 20. (aliàs 18.) referebat verba quæ dicta à Domino ab Apoſtolis ipſe audiêrat, & de virtutibus ejus ac doctrinâ. Irenæus autem, ut ibidem habetur, quæ Polycarpus tradebat, deſcribebat non in chartâ ſed in corde ſuo: hîc certum eſt agi de Traditionibus non ſcriptis: ſi enim de ſcriptis ageretur, nihil ſingulare diceretur de Polycarpo, vel Irenæo, nam etiam ego referre poſſum dicta à Domino quæ in Apoſtolis Legi, nec eſt opus ut ea deſcribantur in chartâ. *Vindicatur Polycarpus.*

Reſp. Fateor quatenus Traditiones ibi referuntur ad dogmata fidei & morum, agi illic de Traditionibus, quæ κατά τι & ſecundum quid ſunt non ſcriptæ, non autem quæ ſunt non ſcriptæ ἁπλῶς & ab-

auctoritati idem Gregorius primus & graviſſimi Patres Græci & Latini, noluerunt acquieſcere, ut jam dictum eſt ex Riberâ. Iſta autem Concilia, & Martinus ac Agatho Papa diu poſt Gregorium fuerunt: nec ante eum ullus probatus auctor meminit iſtorum operum. Nam quæ afferuntur ex aliis teſtimonia, facilè refutata ſunt à noſtris, quorum jam meminimus. Prætereo quàm ineptè arguat Bellarm. quaſi nihil ſit contemnendum eorum quæ ſcripta ſunt ante mille annos.

Hegeſippus non favit Traditionibus.

,, Tertio, inquit Bellar. Hegeſippus apud Euſebium lib. 4. hiſt. ,, cap. 8. Apoſtolicas Traditiones quinque libris comprehendit, qui ,, etſi modò non extent, tamen ſatis indicat hoc teſtimonium, Apoſtolos non omnia ſcripſiſſe quæ docuerant.

R. Si Hegeſippus iis libris non ſcriptas Traditiones comprehendit, tum vel comprehendit omnes, vel aliquas tantùm: ſi aliquas tantum, cùm illi libri non extent unde ſciri poteſt fuiſſe iſtiuſmodi Traditiones, de quibus nos diſputamus, nempe quæ ſunt de rebus neceſſariis ad ſalutem, fidem, & mores? Ex meris enim particularibus nihil ſequitur. Sin omnes comprehendit, tum id fecit, quod nemo Pontificum aut Pontificiorum auſus eſt præſtare, aut fieri licere putat. Nam Traditionum corpus *ἀπέραντον* ac indeterminatum relinquit, ut cap. 1. & alibi oſtendimus. Deinde ſi aut omnes, aut præcipuas Traditiones ſcripſiſſet Hegeſippus, tum violâſſet dignitatem Eccleſiæ Catholicæ & dignitatem multorum myſteriorum Religionis, utraque enim requirit Traditiones minime ſcripto eſſe propalandas, ſi benè diſputat. Bellar. lib. 4. cap. 8.

Sed certè nihil prorſus ex illo loco colligi poteſt de Traditionibus non ſcriptis. Nihil enim aliud Euſebius ibi dicit quàm Hegeſippum iis libris commemorâſſe *τὴν ἀπλανῆ παράδοσιν τοῦ Ἀποστολικοῦ κηρύγματος*, id eſt, certam Traditionem Apoſtolicæ prædicationis. Satis eſt Bellarmino quòd hîc vox *Traditionis* occurrat, ſed non eſt ei curæ diſpicere quo ſenſu uſurpetur. Non loquitur de Traditionibus in plurali numero, aut Traditionibus non ſcriptis, ſed loquitur de Traditione Apoſtolicæ prædicationis. Quod ſi prædicatio hîc accipiatur pro doctrinâ prædicatâ, quomodo colligi poteſt ex hoc loco aliam hîc inſinuari quàm quæ ſcripta eſt, ſeu re & ſubſtantiâ à Scripturâ diverſam: imò potiùs contrarium auctore Bellarmino inferri poteſt. ,, Nam lib. 4. de Verbo Dei cap. 11. contextu *his notatis* ait, illa omnia ſcripta eſſe ab Apoſtolis quæ ſunt omnibus neceſſaria, & quæ ipſi

Digitized by Google

ipſi palam omnibus vulgo prædicaverant : κήρυγμα autem ſignificat actionem quâ aliquid palam omnibus vulgo prædicatur aut promulgatur.

Occurrit hîc Gretſerus : Sic explicare locum (inquit) eſt dicere Hegeſippum egiſſe ac um, hoc eſt, Apoſtolicam doctrinam antea jam ſcriptam literis mandâſſe. Sed ineptus eſt more ſuo Gretſerus : quis enim neſcit innumeros libros editos eſſe, in quibus doctrina Apoſtolica ſcripta ſeu Sacra Scriptura exponitur, illuſtratur, & confirmatur? *Ineptia Gretſeri.*

Cæterum per Traditionem *Apoſtolicæ prædicationis*, omninò intelligi videtur hiſtoria continuæ ſucceſſionis & progreſſus Apoſtolicæ prædicationis & prædicatorum in Eccleſiâ. Id quod patet ex ,, Hieronymo in Catalogo. Hegeſippus (inquit) vicinus Apoſtoli-,, corum temporum omnes à paſſione Domini uſque ad ſuam æta-,, tem Eccleſiaſticorum actuum texens hiſtorias, multaque ad utili-,, tatem legentium pertinentia hinc inde congregans, quinque libros compoſuit. Et Euſebius qui in dicto loco & aliis citat Hegeſippum, nihil aliud quàm hiſtoricas ejus narrationes memorat. Vide lib. 2. cap. 23. & lib. 3. cap. 11. 17.

Interim notandum eſt quod hîc ait Bellarm. quinque illos libros Hegeſippi, quorum meminerunt Euſebius & Hieronymus nunc non extare : ne decipiamur titulo quinque librorum de excidio Hieroſolymitano, qui Hegeſippi nomine circumferuntur : ex quibus aliquot Traditiones ſuas non nulli Pontificii confirmant : cùm tamen doctores ex ipſis ſuppoſititios eſſe agnoſcant & certiſſimis argumentis probent.

Quartò citat Polycarpum & Irenæum ex Euſebio. Polycarpus *Vindicatur Polycarpus.*
,, (inquit) apud Euſebium lib. 5. cap. 20. (aliàs 18.) referebat verba
,, quæ dicta à Domino ab Apoſtolis ipſe audierat, & de virtutibus
,, ejus ac doctrinâ. Irenæus autem, ut ibidem habetur, quæ Poly-
,, carpus tradebat, deſcribebat non in chartâ ſed in corde ſuo: hîc cer-
,, tum eſt agi de Traditionibus non ſcriptis : ſi enim de ſcriptis age-
,, retur, nihil ſingulare diceretur de Polycarpo, vel Irenæo, nam etiam
,, ego referre poſſum dicta à Domino quæ in Apoſtolis Legi, nec
,, eſt opus ut ea deſcribantur in chartâ.

Reſp. Fateor quatenus Traditiones ibi referuntur ad dogmata fidei & morum, agi illic de Traditionibus, quæ κατά τι & ſecundum quid ſunt non ſcriptæ, non autem quæ ſunt non ſcriptæ ἁπλῶς & ab-

ſolutè, ut cap. 11. diſtinximus, quippe quæ non ſunt ſcripta totidem verbis licet ex Scripturis erui poſſint aut deduci. Id quod ex eodem loco perſpicuum eſt: agitur enim de impiis dogmatibus Florini, & tam abſurdis, ut non tantum adverſentur communi ſententiæ Eccleſiæ, ſed etiam ut hæretici qui ſunt extra Eccleſiam, non auſint talia pronunciare: quæ proinde certiſſimum eſt ex Sacris Literis confutari cujuſmodi eſt illud quod dixit Florinus Deum eſſe ποιητὴν τῶν κακῶν effectorem malorum. Addit autem ibi Irenæus uberioris confirmationis causâ auctoritatem & Traditionem Patrum (ac nominatim Polycarpi) qui Apoſtolorum fuerunt Diſcipuli, nec tantùm libros eorum legerunt, ſed & inſtitutionem vivæ vocis acceperunt, & verba eorum ac Chriſti, quæ ex illis audiverant, meminerunt. Atque hæc omnia fuiſſe ſatis Scripturis σύμφωνα, id eſt, conſona, ibidem expreſſe dicitur.

At inquit Bellar. aliud eſt eſſe conſonum Scripturæ, aliud poſſe probari ex Scripturâ, nam omnis veritas eſt conſona Scripturæ, cùm verum à vero diſſonare non poſſit. At inquam, malè ratiocinatur Bellarm. quaſi quicquid non eſt diſſonum, id eſt, non repugnet Scripturæ, ſit etiam conſonum. Multa enim non diſſonant ab aliis, quæ tamen cum iis conſonare non propriè dicuntur niſi conſentiant ſive in ſenſu conveniant. Et ex ſerie loci facilè patet, majorem eſſe emphaſin vocis σύμφωνα, cum certum ſit de iis rebus agi quæ ex S. Scripturâ procul dubio conſtant. Sic vocem hanc Irenæus uſurpare ſolet, ut lib. 2. operis ſui cap. 47. Omnis (inquit) Scriptura à nobis „ conſonans invenietur, & parabolæ his quæ manifeſtè dicta ſunt, „ conſonabunt, & manifeſtè dicta abſolvent (id eſt, explicabunt pa„ rabolas) & per dictionum multas voces unam conſonantem melo„ diam in nobis facient. Docet quæ obſcurè alicubi in Scripturâ dicuntur, in aliis locis clariùs explicari.

Ridiculum autem eſt quod addit hic Bellarm. Sic nihil ſingulare dici de Polycarpo vel Irenæo, cùm nunc poſſit quilibet referre dicta à Domino quæ in Scripturis legit. Quis enim neſcit multa præclarè dicta à Chriſto audiviſſe Apoſtolos, & Diſcipulos Apoſtolorum ab Apoſtolis, quæ non ſunt expreſsè & totidem verbis ſcripta. Et annon hoc dici poteſt de iis ſingulare, quod nobis minimè convenit?

Iuſtinus item Martyr.

„ Quinto inquit Bellarm. Juſtinus in fine ſecundæ Apologiæ pro „ Chriſtianis, poſteaquam expoſuit multa de Chriſtianis, & inter alia

„ alia quædam non ſcripta in divinis Literis, ut, quòd conveniant „ ſingulis Dominicis diebus, & poſt Lectionem Scripturarum & „ Concionum, offeratur & Conſecretur panis & vinum aquâ temperatum, & quòd non liceat ullo modo participare Euchariſtiam „ niſi poſt Baptiſmum & alia: ſubjungit ſtatim. Poſtridie Saturni „ qui dies Solis eſt cum Apoſtolis diſcipuliſque ſuis apparuiſſet, hæc „ illis tradidit quæ vobis conſideranda permittimus, &c. Et quamvis Juſtinus non diceret hæc eſſe tradita à Chriſto, tamen cùm „ Juſtinus viciniſſimus fuerit temporibus Apoſtolorum, neceſſarium eſſet credere quæ ipſius tempore in Eccleſiâ gerebantur ab „ Apoſtolis tradita fuiſſe.

Reſp. Quid reſpondendum ſit ad inſtantias omnes & exempla quæ ex Juſtino afferuntur, ſatis patet ex præcedentibus, præſertim cap. proximo. Sed maximè urget Bellarm. verba Juſtini quibus dicit Chriſtum hæc tradidiſſe. At iſta verba perperam reſtringit Bellar. ad certos ritus & actiones quæ in fine Apologiæ memorantur (quanquam nihil inde contra nos efficitur, qui iſta oſtendimus aut in ſacris Literis contineri, aut ad ſtatum controverſiæ non pertinere.) Verum Juſtinus in genere dicit Chriſtum eadem tradidiſſe quæ ſcripta ſunt in hac Apologiâ de fide Chriſtianâ, cujus rationem hic Imperatori reddit, quæ certè in Scripturis continentur.

Quod autem ab aliis citatur Juſtini liber quæſtionum & reſponſionum, ut probetur Traditio de ritu precandi verſus Orientem: Reſpondemus 1. Eam Traditionem non ſpectare ad ſtatum controverſiæ. 2. Eum librum non poſſe eſſe Juſtini, cùm in eo nominetur Irenæus, Origenes, & Manichæ, qui tamdiu poſt Juſtini tempora extiterunt, ut ab eo nominari non potuerint.

Sextò, inquit Bellarm. Irenæus lib. 3. cap. 2. 3. & 4. multa præclara de Traditionibus dicit. R. Fateor eum multa præclara ibi dicere, ſed quæ Pontificiorum cauſam minimè juvant, imò ei planè adverſantur. Ideoque operæ pretium eſt conferre quæ ſuprà diximus de Irenæi teſtimoniis hinc petitis in lib. noſtro præcedente capitis 27. initio, & in hoc lib. cap. 4. *Item Irenæus.*

Citat hîc Bellarm. verba Irenæi lib. 3. cap. 4. quæ ſic habent. „ Quid ſi neque Apoſtoli Scripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi Traditionis, quem tradiderunt eis quibus „ committebant Eccleſias? Cui ordinationi aſſentiunt multæ gen„tes Barbarorum, eorum qui in Chriſtum credunt, ſine charactere

„ vel atramento ſcriptam habentes per Spiritum in cordibus ſuis ſa-
„ lutem, & Veterum Traditionem diligenter cuſtodientes.

R. Traditio ſumitur vel pro modo tradendi, vel pro re traditâ, ut cap. 11. oſtendimus hyp. 1. & 3. In priore ſenſu uſurpari illic ab Irenæo certiſſimum eſt. Et quis neſcit earundem rerum duplicem poſſe eſſe tradendi rationem, nempe & per Scripturam, & per Traditionem vivæ vocis. Atque Irenæus ibidem exempla ſubjiciens dogmatum, quæ illi Barbari Traditione didicerunt, nulla alia memorat, quàm præcipuos fidei articulos qui in Sacris Literis diſertiſſimè continentur. At in controverſiâ noſtrâ cum Pontificiis, in poſteriore ſenſu uſurpatur vox *Traditionis* pro re traditâ, ſeu dogmate quod nuſquam invenitur in Scripturâ.

Inſtat Bellarm. quòd Irenæus cap. 2. 3. & 4. doceat non eſſe aliam viam perveniendi ad veritatem, quàm conſulendo Eccleſias, in quibus eſt ſucceſſio Epiſcoporum ab Apoſtolis, & conſiderando quid ibi doceatur, & quam dicant illæ Eccleſiæ eſſe Apoſtolicam Traditionem. Vult igitur Irenæus Traditionem latiùs patere quàm Scripturam, & ſenſum Scripturarum difficilium non ex Scripturâ ſed ex Traditione haberi: ita ut traditio ſola ſufficiat, Scripturæ autem non ſufficiant. R. Falſum eſt & antecedens & conſequens (niſi quod dicat Traditionē latiùs patere quàm Scripturam:) Certiſſimum enim eſt Traditionis vocabulum latè uſurpari ſæpius ab Irenæo & aliis, ut complectatur tum Scripturam, tum Traditionem non ſcriptam, ut capitis 11. initio oſtendimus. Sed in hac diſputatione ſtrictè ſumitur ut contradiſtinguatur à Scripturâ & quidem pro rebus traditis extra Scripturam. Nuſquam autem docet aut ſignificat Irenæus cætera quæ eum docere & velle dicit Bellarm. ſed contrarium ex ejus contextu elicitur, diſputat enim contra perverſiſſimos hæreticos, qui aſſeruerunt plures eſſe Deos, & Chriſtum non eſſe genitum ex ſubſtantiâ Virginis Mariæ, & plurima alia opinionum portenta, quæ nemo pius dubitat Sacræ Scripturæ repugnare & ex ea refutari. Contra hos diſſerit, tum ex Scripturâ, tum ex Traditione, id eſt, ex auctoritate Eccleſiarum, in quibus ſucceſſio doctrinæ Apoſtolicæ & Paſtorum ab Apoſtolorum temporibus tum temporis erat perſpicua. Traditionem enim, cum contra diſtinguit à Scripturâ, ſumit pro ratione & modo tradendi continuata per vivam vocem, non pro re traditâ extra Scripturam, ut jam diximus. Neque quiſquam adeò inſanit, opinor, ut dicat Irenæum refellere iſtos hæreticos

Digitized by Google

reticos ex doctrinâ quæ re ipsâ à Scripturâ differt: tantùm negativè dici poteſt hæreticorum dogmata neque reperiri in Scripturâ, neque in doctrinâ vivâ voce ab Apoſtolis tradita & continuatâ in Eccleſiâ. Atque hoc addit ex hypotheſi Adverſariorum, qui Traditiones proferebant extra Scripturam, & quidem argumentum quod ſumit Irenæus ex Traditione, paucis abſolvit duobus capitibus tertii libri: Sed in toto reliquo opere ex Scripturis contra eos diſputat Atque ideo quidem Irenæus eos ad Traditiones provocat, quia illi iiſdem veſtigiis inſiſtentes quibus nunc Pontificii, cùm ex Scripturis arguebantur, eas imperfectionis & obſcuritatis arguebant, & ad Traditiones confugiebant, aſſerentes Apoſtolos recondita quædam myſteria tenuiſſe, quæ non ſcripſerunt aut divulgârunt, ſed ſeorſim perfectis communicârunt. Hanc fuiſſe hæreticorum ſententiam oſtendit Iren. lib. 3. cap. 2. quam ipſe minimè probavit, ut patet ex præcedenti cap. & lib. 2. 47. & lib. 4. cap. 66. quæ nos antea citavimus cap. 4. & 5. Sed ut Scripturæ auctoritatem detrectabant iſti hæretici, ita neque genuinæ Traditioni Apoſtolorum ſe ſubmittebant, quin & ſe Apoſtolis ipſis ſapientiores ſinceram inveniſſe veritatem jactabant. Evenit ita (inquit Irenæus) „ neque Scripturis jam, neque Traditioni conſentire eos: adverſus „ tales certamen nobis eſt, qui more Serpentum lubrici undique fu„ gere conantur, quapropter undique reſiſtendum eſt illis. Atque ita deinceps poſtquam paucis oſtendit eos aberrare à Traditione Apoſtolicâ, & auctoritate earum Eccleſiarum in quibus ſucceſſio Apoſtolica tum temporis clariſſima erat, omnem operam adhibet ad refellendos eos ex Scripturis & rationibus in eâ fundatis.

„ Pergit Bellarm. Poſtquam (inquit) Irenæus cap. 2. dixerat „ hæreticos non poſſe convinci ex Scripturis, & cap. 3. enumerat „ Romanos Pontifices à Petro uſque ad Eleutherium qui tunc ſede„ bat, ut oſtenderet eſſe in Eccleſia continuatam ſucceſſionem Epi„ ſcoporum conſervantium Traditionem Apoſtolicam, ita loquitur „ cap. 4. Tantæ igitur oſtenſiones cùm ſint hæ, non oportet adhuc „ quærere apud alios veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere. „ Cum Apoſtoli quaſi in depoſitorium dives in eam contulerint om„ nia quæ ſunt veritatis. Quibus ſubjungit verba quæ Irenæus habet „ lib. 4. cap. 43. Qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis cum Epiſ„ copatûs ſucceſſione chariſma veritatis certum, ſecundum placi„ tum Patris acceperunt. R. 1. Falſum eſt quod ait Irenæum dicere, hæ-

re, hæreticos non poſſe convinci ex Scripturis: alioqui operam luſiſſet Irenæus & alii qui Scripturis eos refellerunt. Imò in hujus ipſius libri præfatione Irenæus profitetur ſe in hoc opere ex Scripturis contra hæreticos illaturum oſtenſiones, ſeu demonſtrationes. Id quod præſtat ſedulò: & poſtquam pauca præmiſiſſet de Traditione cap. 3. & 4. rediens ad inſtitutum cap. 5. Traditione igitur (in-,, quit) quæ eſt ab Apoſtolis ſic ſe habente in Eccleſiâ & permanen-,, te apud nos, revertamur ad eam quæ ex Scripturis eſt oſtenſionem. Cùm itaque idem tum Traditione, tum Scripturâ oſtendat, non loquitur de aliis rebus traditis & aliis ſcriptis.

Verum eſt, pertinaciam hæreticorum noluiſſe cedere Scripturis, eoſque derogâſſe auctoritati Scripturæ: eodem modo etiam Traditionem genuinam contemnebant, ut Irenæus ibidem dicit: Evenit itaque neque Scripturis jam neque Traditioni conſentire eos. 2. Nihil adverſus non facit quod citat Bellarm. ex lib. 3. cap. 4. & lib. 4. cap. 43. Nos enim libenter fatemur Deum in Eccleſiam ſuam contuliſſe omnia quæ ſunt veritatis ſalutaris: & meritò Irenæum eo tempore provocâſſe ad antiquiſſimas Eccleſias, in quibus certa ſucceſſio doctrinæ Apoſtolicæ & Paſtorum viſebatur, & qui ejuſmodi ſucceſſionem habebant, ab Apoſtolis accepiſſe certum veritatis Chariſma. Sed non loquitur Irenæus de veritate aliquâ aut doctrinâ non ſcriptâ, quæ in Scripturâ minimè invenitur. Non oportet quidem (inquit) apud alios quærere veritatem quam facile eſt ab Eccleſiâ ſumere. Sed non opponit hic Scripturam Eccleſiæ, verùm per alios intelligit hæreticos, quos ibidem appellat fures & latrones. Qui veritatem quærunt ex Scripturis, non eam quærunt extra Eccleſiam, cùm Scripturæ jus ac poſſeſſio ad Eccleſiam pertineat, ut loquitur Tertull. de præſcriptionibus cap. 15. & 19. Et nimis ineptus eſt Gretſerus qui Chariſma illud veritatis & Traditionem non ſcriptam dicit eſſe Synonyma: ſic enim omnia dogmata ſcripta à Chariſmate veritatis excluderentur, quo nihil dici poteſt abſurdius, aut ab Irenæi mente alienius.

Vendicatur Clemens Alexandrinus. Septimò, citatur Clemens Alexandrinus, qui in lib. de Paſcha-,, te, ut eſt apud Euſeb. lib. 6. hiſtor. cap. 11. (alias 12.) dicit ex-,, torqueri ſibi à fratribus ut ea quæ à Presbyteris Apoſtolorum ſucceſſoribus voce ſibi ſola tradita eſſent deſcriberet in libris, ac poſteris traderet Hinc (inquit Bellarm.) Neſcio quid clarius pro Traditionibus dici poſſit.

R. Nihil

Digitized by Google

R. Nihil hinc prorſus colligi poteſt ad rem. Etenim cùm liber ille non extet, ſciri non poteſt quæ & cujuſmodi fuerint illæ Traditiones, quarum meminit. Et verba citata non minus intelligi poſſunt de Traditionibus ritualibus aut hiſtoricis quàm dogmaticis, & ſiquidem fuerint dogmaticæ, non inde colligi poteſt eas fuiſſe re & ſubſtantiâ à Scripturâ diverſâs. Nihil enim vetat fuiſſe eas explicationes aut confirmationes dogmatum ſcriptorum. Adde quod vocabulum *Sola* non ſit in textu Euſebii. Dicit enim ſe à Presbyteris Apoſtolorum ſucceſſoribus ea accepiſſe auditu, at non dicit *voce ſolâ*.

Alii alia objiciunt ex Clemente, quæ tamen facilè ex dictis & inſpectione locorum diluuntur. Inter ea maximam ſpeciem habet „ quod citatur ex Stromat. n primo. Operarius qui in meſſem Domi- „ ni emittitur duplicem habet agriculturam: unam quidem, quæ „ Scripturis continetur, aliam verò quæ non continetur. Ex incommodâ hac verſione Herveti occaſio arrepta eſt detorquendi locum in alienum ſenſum, quaſi Clemens dogmata contenta in Scripturis à non contentis diſtingueret. Verba Clementis hæc ſunt, ἡ γεωργία δὲ διττὴ, ἡ μὲν ἄγραφος, ἡ δὲ ἔγγραφος. Quæ verba ſic vertuntur à „ Daniele Heinſio. Eſt autem duplex agricultura, una quidem quæ non fit ſcriptis, altera verò quæ fit ſcriptis. Ut autem agriculturæ nomine non intelligimus ſemina, ſegetes, plantas, aut fructus, ſed agros colendi rationem: ita hìc Clemens de ſpirituali agriculturâ ſermonem faciens, *Agricultura* nomine non intelligit ipſa dogmata, ſed modum & rationem colendi agrum Dei, id eſt Eccleſiam, quæ partim fit ſcripto, partim vivâ voce. Nihil hìc loquitur de diverſis dogmatibus, ſcriptis & non ſcriptis, ſed tantùm de diverſâ docendi ratione, quâ eadem dogmata tradi & explicari poſſunt, nempe ſcripto vel vivâ voce. Nam ab initio proponit quæſtionem, utrum doctrina Chriſtiana propaganda ſit non minùs ſcriptis quàm vivâ voce, (cum autem de ſcripto loquitur, non intelligit Sacram Scripturam ſed ſcripta Tractatorum aut Doctorum Eccleſiæ) mox con- „ cludit. Si ambo ergo verbum prædicant, hic quidem ſcripto, ille „ vero voce, quomodo non ſunt ambo admittendi qui effecerunt ut „ fides operetur per dilectionem? Et mox, Utrovis modo (inquit) „ operarius præclarum frumentum ſeminaverit, & ſpicas auxerit, & „ meſſuerit, verè divinus apparebit agricola.

Omitto quòd elevari poſſit auctoritas hujus Clementis propter varia illius errata, quæ à doctis obſervantur, ut 1. Græcos ſcilicet

Ethnicos fuiſſe juſtificatos per Philoſophiam lib. 1. & 6. Stromatum. 2. Chriſtum uno tantum anno prædicâſſe lib. 1. Stromatum (quam ſententiam Irenæus lib. 2. cap. 39. hæreticis tribuit, cum ipſe aliam Traditionem non minus falſam aſſerat, quam ſeniores à Joanne Apoſtolo & ab aliis etiam Apoſtolis accepiſſe ait, Chriſtum vixiſſe circiter quinquaginta annos: quanquam certum eſt ex Scripturis Chriſtum ante trigeſimum ſextum ætatis annum mortuum eſſe, & non docuiſſe ampliùs quàm tres annos.) 3. Apoſtolos poſt mortem impiis apud inferos Evangelium prædicâſſe, qui in vita non poterant illud audire lib. 2. & 6. Strom. 4. Chriſtum nec verè eſuriiſſe, nec verè ſitiiſſe, ſed tantùm viſum eſſe eſurire & ſitire lib. 3. Strom. 5. Sive in hoc mundo ſive in alio agi poſſe pænitentiam lib. 4. Strom. 6. Chriſtianos non poſſe contendere judicio nec coram gentibus nec coram ſanctis lib. 7. Strom. 7. Clemens lib. 2. Strom. jecit ſemina hæreſeos Neſtorianæ, ut Hervetus interpres Pontificius indicavit in margine, quibus addi poſſunt multa alia.

Gretſerus Clementem excuſat dicens ejuſmodi errores non eſſe tribuendos Clementi, ſed à falſariis inſperſa eſſe ejus operibus. Id quod ſæpe accidit Patrum ſcriptis quæ ab impoſtoribus vitiata ſunt, idemque teſtatur Poſſevinus in apparatu ad Clementem. Et nos quidem veriſſimam eſſe concedimus multis modis vitiata & falſata eſſe ſcripta bonorum Patrum, ac proinde ſæpenumerò incerta eſſe argumenta quæ à Patrum teſtimoniis afferuntur, niſi inter alia demonſtrari poſſit ea eſſe genuina Patrum verba minimè adulterata aut ſuppoſititiâ: quod rariſſimè aut nunquam oſtendere poſſunt Pontificii in teſtimoniis quæ noſtræ ſententiæ repugnant.

Vindicatur Origenes.

Octavo citatur Origenes Clementis diſcipulus, cujus tamen errores, multo plures & graviores fuiſſe conſtat: quanquam in hoc capite minimè eum erráſſe comperimus. Is in cap. 6. Epiſtolæ ad „ Romanos Eccleſia (inquit) ab Apoſtolis Traditionem accepit, etiam parvulis Baptiſmum dare. Et hom. 5. in librum Numerorum. „ In Eccleſiaſticis (inquit) obſervationibus ſunt nonnulla, quæ „ cum omnibus facere neceſſe ſit, eorum tamen ratio non omnibus patet. Et enumerat (inquit Bellarm.) ſtatim multas Traditiones non ſcriptas.

R. In priore loco verè dicitur Eccleſiam ab Apoſtolis accepiſſe Traditionem de parvulis Baptizandis: ſed ea Traditio ex Scripturâ probatur, ut dictum eſt. In altero loco, cum ait in Eccleſiaſticis obſer-

Digitized by Google

„ obſervationibus eſſe nonnulla quorum ratio non omnibus patet, nihil ex iis verbis inferri poteſt de Traditionibus non ſcriptis. Nam in Sacris Scripturis ſunt nonnulla, quorum ratio non omnibus patet. „ Sic idem hom. in Leviticum 5. ait, Etſi conceditur nobis aliqua „ ex divinis Scripturis apprehendere & agnoſcere, ſunt tamen aliqua quæ Deo reſervanda ſunt. Verum quidem eſt Origenem in citato loco exempla afferre non tantùm ſcriptarum obſervationum, ut Euchariſtiæ percipiendæ, & verborum quæ in Baptiſmo adhibentur, ſed etiam non ſcriptarum obſervationum, verum ejuſmodi quæ non ſpectant ad ſtatum controverſiæ, quippe quæ non ſunt dogmata neceſſaria, ſed certi ritus, iique non immutabiles: ut quod genua flectant orantes, & quòd ad Orientem converſi precentur, & ritus quidam in Euchariſtiâ aut Baptiſmo celebrando qui ad eſſentiam Sacramenti minimè ſpectant.

Nonò citatur Euſebius lib. 1. de Demonſtratione Evangelicâ „ cap. 8. Cæterùm (inquit) Moyſes in tabulis inanimatis, Chri- „ ſtus autem in mentibus vitâ præditis perfecta Novi Teſtamenti „ documenta ſcripſit: ejus verò diſcipuli ad Magiſtri ſui nutum „ auribus multorum doctrinam ſuam accommodantes, quæcunque „ quidem velut ultra habitum progreſſis à perfecto ipſorum Magi- „ ſtro præcepta fuerant, ea iis quæ capere poterant, tradiderunt: „ quæcunque verò iis convenire arbitrabantur, qui animas adhuc „ affectibus obnoxias gererent, curationiſque indigentes, ea ipſi, ad „ imbecillitatem, multorum ſe demittentes, partim literis, partim „ ſine literis quaſi jure quodam non ſcripto ſervanda cō mendârunt. *Item Euſebius.*

R. Etſi illa parum commodè ſcripta videri poſſunt, tamen nihil ibi reperitur, quod noſtræ ſententiæ in hac controverſiâ planè adverſatur, nihil enim dicitur de dogmatibus non ſcriptis, ad fidem & mores neceſſariis. Ponit quidem primò diſcrimen inter Moſen & Chriſtum, quod Moſes legem ſcripto tradiderit, Chriſtus autem nulla ſcripta ediderit. Deinde ait Diſcipulos ſeu Apoſtolos Chriſti ejus præcepta variè tradidiſſe pro ratione & captu auditorum quibus ſe accommodabant, nempe perfectioribus qui illa capere poterant, quæcunque à perfecto ſuo Magiſtro præcepta fuerunt: quæ verò imperfectioribus conveniebant, ea ipſi ad infirmitatem eorum ſe dimittendo, partim literis, partim non ſcriptis conſtitutionibus ſervanda tradidiſſe.

Loquitur hîc de Apoſtolis indefinitè, non de toto corpore & Ca-

Digitized by Google

none Novi Teſtamenti. Si quidem non omnes Apoſtoli ſcripta ediderunt, aut ſaltem non omnium ſcripta extant, neque omnes qui ſcripſerunt, verbi causâ, Petrus & Judas totam doctrinam Chriſti ſcripto complexi ſunt. Proinde indefinitè de Apoſtolis Sermonem faciens (qui ſinguli procul dubio totam doctrinam Chriſti prædicârunt) dicere potuit eos pro ratione auditorum, aut eorum quos inſtituebant, aliis lac, aliis ſolidiorem cibum, idque partim vivâ voce propinâſſe.

Deinde obſervandum eſt, Euſebium hîc non loqui de totâ doctrinâ Chriſti, aut de articulis fidei, ſed de conſtitutionibus vel præceptis vivendi, quæ auctor appellat προστάγματα & Donatus interpres nimis laxè reddidit documenta. Ideoq; mox diſtinguit duos vivendi modos in Eccleſia inſtitutos: unum eorum qui ſe à mundo & mundanis curis ſegregârunt, nec nuptiis aut divitiis operam dabant, ſed ſoli divino cultui vacabant: alterum eorum, qui honeſtum conjugium & negotia mundana, pro ratione vocationis ſuæ curabant: illos hyperbolicè commendat & perfectos appellat, quibus ſublimiora præcepta competunt: hos vero imperfectiores eſſe notat, ad quos communia præcepta ſpectant.

Illa autem ſublimiora præcepta dicit Apoſtolos tradidiſſe, ſed non dicit quomodo tradiderint ſcriptione an vivâ voce. Communia autem illa dicit Apoſtolos partim literis, partim non ſcriptis conſtitutionibus tradidiſſe, non hîc dicit cujuſmodi fuerint illæ non ſcriptæ conſtitutiones: utrum de rebus ad ſalutem neceſſariis an de aliis ritibus. Neque hinc colligi poteſt, etſi quidam Apoſtoli tradiderunt alia inſtituta ſcripta, alia non ſcripta, ea quæ non ſcripta tradiderunt, nuſquam eſſe ſcripta in Sacris Litteris. Atque hic etiam quæ dicit auctor τὰ μὲν διὰ γραμμάτων, τὰ δὲ δι' ἀγράφων θεσμῶν φυλάττειν παρεδίδοσαν, non ſatis commodè vertit idem Interpres, *Partim literis, partim ſine literis quaſi jure quodam non ſcripto commendârunt*, quæ ſic ad verbum reddenda ſunt. Alia quidem Literis, alia non ſcriptis conſtitutionibus ſervanda tradebant.

Quod ſi aliter intelligenda eſſent verba Euſebii, ut ab aliis in alium ſenſum detorquentur, ne ab ipſis quidem Pontificiis defendi poſſent, ut primo ſi intelligeret altiora myſteria tradita eſſe perfectioribus ſine ſcripto, quam quæ in Scripturâ extant, id planè falſum eſſet. Nam quæ poſſunt dari altiora myſteria quàm Trinitatis, Verbi incarnati, θεανθρώπου Crucifixi, Juſtificationis, Redemptionis,

&

& reſurrectionis noſtræ, quæ omnia ſcripta ſunt. Deinde ſic incideret Euſebius in ſententiam veterum hæreticorum, quos hoc nomine refellunt Irenæus, Tertullianus, & Auguſtinus, imò contradiceret variis Scripturæ locis, ut nos ſuprà oſtendimus cap. 9. ad quartam rationem. Denique ſi omnia quæ ſcripta ſunt, ſint accommodata ad captum rudiorum, & imbecillitatem imperfectiorum, ſequetur non tantum falſum eſſe, quod dicunt Pontificii, Scripturas eſſe ſimpliciter obſcuras, ſed nulla eſſe in Scripturis δυσνόητα, & δυσερμήνευτα, difficilia intellectu & explicatu contra Apoſtolum Hebr. 5. 11. & 2 Pet. 3. 16. & contra omnium doctorum conſenſum.

Decimò, citatur Athanaſius in lib. 1. de Decretis Nicænæ Synodi contra Euſebium Nicomedienſem. Ecce (inquit) nos quidem à Patribus ad Patres per manus traditam fuiſſe hanc ſententiam demonſtravimus. Vos autem ô novi Judæi & Cajaphæ-filii, quos tandem nominum veſtrorum poteſtis oſtendere progenitores? *Nihil habet Athanaſius pro Traditionibus.*

R. Bell. etiam Athanaſium citat, non niſi ut numerum augeat apud imperitos, gnarus nihil in toto Athanaſio occurrere, quod noſtræ ſententiæ vel ſpecie tenus repugnet: cùm contrà multa præclara extent ejus teſtimonia, quæ eam planè confirmant, cujuſmodi nonnulla ſuprà recitavimus. Verba autem citata nihil habent de Traditionibus non ſcriptis. Ille quidem ibi adverſus Arianos defendit ſententiam Concilii Nicæni, quòd Chriſtus ſit Patri ὁμοούσιος, tergiverſabantur illi quod ea vox non occurreret in Scripturis: ſed rem ipſam demonſtrari ex Scripturis abunde docet Athanaſius variis in locis, & in illo ipſo libro clariſſimè: Sed tamen (inquit) cognoſcet quiſquis eſt ſtudioſioris animi, has voces tametſi in Scripturis non reperiantur, habere tamen eam ſententiam quam Scripturæ volunt. Id quod luculenter probat ibidem. Et in proximo libro. Etſi non invenerim hanc vocem conſubſtantialitatis in Sacris Literis, rem tamen ipſam inibi deprehendi, cognovique Filium qui verbum eſt, non alienum à Patris ſubſtantiâ eſſe. Idemque omnes Orthodoxi Patres in eâ causâ ſtatuerunt. Et id ipſum diſertè docet ipſe Bellar. de Chriſto lib. 2. cap. 2. & 3. ut nos fuſiùs oſtendimus cap. 11. ad hyp. quartam.

Undecimò citatur Baſilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. Dogmata ſeu inſtituta (inquit) quæ in Eccleſiâ ſervantur ac prædicantur, partim ex non ſcriptâ doctrinâ habemus, partim ex Apoſtolorum Traditione, in myſterio ad nos delata accepimus: quæ utraque eandem *Neque etiam Baſilius.*

„ dem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel me-
„ diocrem ſaltem Eccleſiaſticorum jurium experientiam habet, & enumerat (inquit Bellar.) continuò plurimas Traditiones non ſcriptas, & ſimilia habet cap. 29.

R. Tam luculenta extant Baſilii teſtimonia pro noſtrâ ſententiâ: quorum aliquot ſuprà recitavimus cap. 4. 5. & 10. ut minimè videatur probabile eum à ſeipſo, hac in re diſſenſiſſe. Varia autem occurrunt quæ de hoc teſtimonio dici poſſunt.

Primò, meritò in dubium revocatur an hæc verba ſint Baſilii. Integrum enim iſtum librum de Spiritu Sancto non eſſe Baſilii Magni ſed dimidium operis, videlicet à principio cap. 15. ad finem uſque, otioſi potius hominis fuiſſe putat Eraſmus, ob ſtyli diverſitatem, & varias ineptias à ſanctiſſimo & graviſſimo illo Patre alienas: ut monet in Præfatione in verſionem hujus operis: & Robertus Cocus in cenſurâ variis argumentis confirmat.

At (inquit Bellar.) ſic facile eſt ſolvere omnia argumenta: & refutat hanc reſponſionem auctoritate Joannis Damaſceni qui in oratione primâ de Veneratione Imaginum, hoc opus genuinum Baſilii eſſe agnoſcit. R. Joannes Damaſcenus trecentis & amplius annis vixit poſt Baſilium ſæculo magis corrupto, nec mirum ſi communi errore abreptus fuerit.

Neque verò minùs Pontificii quàm noſtri ſic excipere ſolent adverſus Patrum teſtimonia, etiam cùm minùs juſtæ cauſæ iis ſuppetunt. Sic Clementem Alexandrinum (ut modò dictum eſt) excuſavit Gretſerus, quod errores qui in ejus libris paſſim occurrunt, non ipſi Clementi tribuendi ſint, ſed falſariis, qui libros ejus corruperunt & interpolârunt.

Sic ipſe Bellar. in lib. de amiſſione gratiæ & ſtatu peccati cap. 13. cùm premeretur teſtimoniis hujus ipſius Baſilii ex libro de quæſtionibus compendio explicatis, ait incertum eſſe, an iſte liber ſit Magni Baſilii an potiùs Euſtathii Sabaſteni, cujus multi errores damnantur in Concilio Gangrenſi: idque probat duplici ratione. 1. teſtimonio Sozomeni lib. 3. hiſt. cap. 18. & Nicephor. lib. 9. cap. 16. & lib. 13. cap. 29. qui dicunt nonnullos tribuiſſe hoc opus Euſtathio. At Sozomenus & Nicephorus non illud opus nominant, ſed librum inter opera Baſilii, qui aſceticus, id eſt, de vitâ & diſciplinâ monaſticâ inſcribitur. Atqui illud opus ἀσκητικὸν propria inſcriptione diſtingui ſolet ab illo opere quæſtionum: niſi fortè aſcetica latiùs accipiantur.

Utcun-

Utcunque eſt, Nicephorus illud opus ἀσκητικὸν appellat opus pulcherrimum lib. 3. cap. 29.

Altera ratio Bellarmini eſt, quia (inquit) auctor harum quæſtionum quæſt. 1. & qu. 95. non videtur admittere Traditiones non ſcriptas, cum è contrario Baſilius in lib. de Spiritu Sancto cap. 27. acriter eas defendat. At inquam, cur non nobis eodem jure licebit arguere, quæ habentur cap. illo 27. non eſſe Baſilii, cùm videatur favere Traditionibus non ſcriptis quæ non tantùm in locis à Bellarm. citatis, ſed etiam alibi, ut dictum eſt, à Baſilio rejiciuntur? Nihilominus tamen, etſi Bellarm. eo loco derogat auctoritati libri iſtius quæſtionum: tamen alibi (adeò verſipellis eſt) urget ejus auctoritatem contra noſtros de Pœnitentiâ lib. 3. cap. 8. & alibi. Idem etiam fit ab eo, & aliis Pontificiis in aliis Patribus.

Baronius Bellarmino & Poſſevino contrarius,

Bellarminum ſequutus Poſſevinus Jeſuita in apparatu Sacro ad nomen Baſilii, illud opus ait haud certò conſtare eſſe Baſilii Magni, an potius Euſtathii illius. Contrà, Cardinalis Baronius tom. 3. ad an-
„ num Chriſti 361. ſectione 51. Inanis eſſe (inquit) prorſus con-
„ vincitur illorum aſſertio, qui adeò temerè effutiverunt, commen-
„ tarium illum egregium Sancti Baſilii de regulis, quibus monachi
„ ſimul victuri, eſſent inſtituendi, fuiſſe Euſtathii Sebaſteni non
„ autem Baſilii: cum aſſertione Gregorii Nazianzeni id exploratiſ-
„ ſimum habeatur: ut hoc in dubium revocâſſe ſumma ſtultitia ſit.
Item Frontoducæus Jeſuita annotationibus in Baſilii regulas fuſius diſputatas, refutat eorum ſententiam qui Aſcetica negant eſſe Baſilii, ad litâ auctoritate Hieronymi, Ruffini, Juſtiniani Imperatoris & Photii in Bibliothecâ; num. 144. & 191. Ita præclarè inter ſe conveniunt Jeſuitæ.

Sed quicunque fuerit auctor eorum quæ citantur ex cap. illo 27. libri de Sp. Sancto, non eſt quod ejus teſtimonio tantopere glorientur Pontificii. Nihil enim ibi aſſeritur, quod noſtram ſententiam evertit: puta dari aliquam doctrinam, ad ſalutem, fidem, & mores neceſſariam, quæ in Sacrâ Scripturâ nec explicetè, nec implicitè continetur. Verùm, cùm non ſcripta memorat, loquitur illic primo de variis ritibus ad ſalutem non neceſſariis; cujuſmodi ſunt ſignare credentes ſigno crucis, precari verſus orientem, conſecrare oleum unctionis, ſive in Baptiſmo ſive in confirmatione, ſtando precari die Dominico, & à Paſchate uſque ad Pentecoſten, & ter immergi in Baptiſmo. Hujuſmodi ritus fatemur non contineri in Scripturâ, &

varia

Digitized by Google

varia ex illis non obſervantur ab ipſis Pontificiis.

Deinde loquitur etiam de rebus aut abſolutè aut magis neceſſariis : quæ quidem in Scripturâ non continentur explicitè aut totidem verbis, aut eodem ordine verborum : quas tamen certum eſt habere fundamentum in Scripturâ, & in eâ contineri implicitè : cujuſmodi ſunt Symbolum Apoſtolorum, formula glorificandi Deum, cùm dicitur *Gloria Patri, Filio, cum Spiritu Sancto*. Invocatio Divini nominis cum conſecratur panis & vinum in cœnâ Dominicâ, abrenunciatio Satanæ in Baptiſmo, conſecratio aquæ Baptiſmatis, ſi intelligatur eam fieri per Verbum Dei & preces in ipſa adminiſtratione Sacramenti : alioqui ſi ritualis aliqua conſecratio intelligatur inter res non neceſſarias numeranda eſt. Neque enim cum Chriſtus, Eunuchus, & multi alii in fluminibus baptizabantur, aliquâ aquâ per conſecrationem ſeparatâ utebantur.

Baſilius latè ſumit vocem Traditionis.

Itaque manifeſtum eſt, auctorem hunc, Traditionem non ſcriptam latè ſumerè, non tantùm ut complectitur ritus indifferentes qui in Scripturis nullo modo ſigillatim extant, ſed etiam alia quæ in Scripturâ diſertis verbis, aut eodem verborum ordine non continentur. Unde negat ipſam fidei profeſſionem contineri in Scripturis, ,, nempe in eâdem formulâ & ordine verborum. Omitto cætera ,, (inquit) ipſam fidei profeſſionem, quâ credimus in Patrem, Fi- ,, lium, & Spiritum Sanctum, è quibus habemus Scripturis? Hæc enim & alia dicuntur non ſcripta κατά τι ut nos oſtendimus cap. 11. ad hyp. 4.

Quare in hoc ſenſu auctor loquens de Traditionibus non ſcriptis, ,, non abſurdè dixit : Si conſuetudines quæ ſcripto proditæ non ſunt, ,, tanquam haud multum habentes momenti, conemur rejicere, im- ,, prudentes graviſſimum Evangelio detrimentum inferemus : imò potius ipſam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Nam qui vel ritus omnes tolleret, exercitia pietatis læderet, quæ ſine certis ritibus, vix ac ne vix quidem celebrari poſſunt. Neque in ullâ Religionis ſocietate convenire homines poſſe videntur, abſque quibuſdam ritibus. Multo verò magis prædicatio Evangelii ad nudum nomen revocaretur, ſi nihil dicere aut agere liceret, quod non in Scripturis explicitè continetur.

Sed ſi non ſcripta reſtringantur ad ea quæ nullo modo continentur in Scripturâ ſive explicitè ſive implicitè (quò etiam referri poſſunt ipſæ formulæ Confeſſionis, invocationis, & glorificationis, ſi nimirum

Digitized by Google

nimirum meræ formulæ conſiderentur, nempe abſtractæ à materia, quæ re ipsâ non minus in Scripturis quàm in iis continetur) cum rebus indifferentibus accenſenda ſunt, de quibus penes Eccleſiam eſt & civilem Magiſtratum, Leges ac Canones condere, in quibus violandis nemo debet ſcandalum præbere. Atque hoc patet ex ipſo Baſilio cap. 1. de regulis brevioribus, ubi propoſitâ hac quæſtione,
„ *An liceat aut conducat alicui, ut ſibi ipſi permittat aut dicere aut facere*
„ *quæ recta exiſtimet ſine teſtimonio Divinarum Scripturarum*, in re-
„ ſponſione hæc habet: Quoniam eorum quæ apud nos in uſu ſunt,
„ alia diſtinctè tradita ſunt in Divinâ Scripturâ, alia prætermiſſa
„ ſeu tacita, de iis quidem quæ ſcripta ſunt, in univerſum nulli pote-
„ ſtas permiſſa eſt, eorum aliquid, vel quæ ita ſunt facere, vel
„ quæ juſſa prætermittere. De iis verò quæ ſilentio involuta ſunt,
„ habemus regulam traditam nobis ab Apoſtolo Paulo, cum dicit, *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt, omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.* Hæc autem regula de rebus adiaphoris aut mediis non de neceſſariis intelligatur oportet.

Ceterùm duo hîc occurrunt dubia apud hunc auctorem. Primum, quod illa quæ non ſcripta memorat, appellet myſteria & arcana, ac propterea ſilentio involuta (quæ hîc peculiari quodam ſenſu appellat dogmata) cùm tamen pleraque ex iſtis videantur vulgata & protrita, & nullo modo conferenda cum magnis iſtis myſteriis Trinitatis, Incarnationis Verbi, redemptionis, & reſurrectionis noſtræ quæ in Sacrâ Scripturâ revelantur.

Reſp. 1. impius & abſurdus eſſet proculdubio, quicunque ritus iſtos non ſcriptos, ſive dignitate, ſive ſublimitate, ſive utilitate æquaret magnis iſtis myſteriis Sacræ Scripturæ, nedum anteferret, neque illud voluiſſe auctorem ſuſpicandum eſt, ſed tantùm iſtos & iſtiuſmodi ritus externos, qui alioqui ob ſimplicitatem, ſi divulgarentur, contemni poſſent, majore reverentiâ & auctoritate haberi, cum occulto ſilentio conſervantur. At longe alia eſt ratio magnorum iſtorum myſteriorum, quæ in Sacris revelantur, quæ propriâ & inſitâ ſuâ ſublimitate, arduitate: & magnitudine, dignitatem ſuam tuentur. Atque hoc eſt quod auctorem innuiſſe puto, ubi, poſtquam dixit ritus iſtos arcanos habitos eſſe ob reverentiam, ſubjungit: Eſt autem ſilentii ſpecies obſcuritas ſeu inevidentia, quâ uti-
„ tur Scriptura, intellectu difficilem reddens dogmatum ſententiam,
„ idque ad utilitatem eorum qui iſta conſequuntur.

Deinde notandum eſt illa non ſcripta dici arcana non reſpectu Eccleſiæ ſeu fidelium, aut ſaltem initiatorum (nam ipſam fidei poſeſſionem ſeu ſymbolum Apoſtolorum inter hæc myſteria enumerat, & pleraque alia ab eo enumerata erant in communi uſu) ſed tantum reſpectu infidelium qui ſunt extra Eccleſiam, quibus illa non divulgabantur per Scripturam, ad quam omnibus aditus patet: & nonnulla eorum reſpectu Catechumenorum (id eſt adultorum qui inſtituebantur in Chriſtianâ fide, ſed nondum erant initiati per Baptiſma) quibus myſteria Sacramentorum nondum communicabantur. Sed hæc differentia jam diu ſublata eſt in Romanâ etiam Eccleſiâ, quæ Euchariſtiæ adminiſtrationem, reliquoſque ritus ſacros, noſſe & ſpectare omnibus qui volunt liberum facit, & concionibus ac ſcriptis divulgat. Aut ea dicuntur arcana, ex ſententiâ auctoris, non quia non ſunt communiter nota, ſed quia ratio eorum paucis eſt nota, ſicut ipſe ſe explicat: Hanc ob cauſam (inquit) omnes ſpectamus ad Orientem ,, cùm precamur. Pauci tamen novimus, quod id facientes antiquam requirimus Patriam videlicet paradiſum, quem conſevit Deus in Eden ad Orientem.

Adoratio verſus orientem qualis Traditio.

Quanquam hæc ratio, quam ut arcanam & myſticam celebrat, parum certè ſolida eſt, (adeo facile etiam Veteres decepti ſunt prætextu Traditionum) quaſi verò noſtrum ſit reſpicere ad Paradiſum terreſtrem, quem non expetimus nec expectamus, ſed cœleſtem, in quo non eſt ortus nec occaſus.

Gretſerus in defenſione Bellarmini ait, non convertiſſe ſe Chriſtianos ad Orientem ut Paradiſum terreſtrem quærerent; ſed ut in illo tanquam in typo, ac per illum, tanquam per Imaginem, Paradiſum Cœleſtem inquirerent. Atqui typum & Imaginem nunc conſtituere illud, quod nuſquam extat, aut nullo ſenſu percipitur admodum abſurdum eſt, multoque facilius & certius oculos ad cœlum attollentes Paradiſum cœleſtem directè quærimus, quam ſi per iſtiuſmodi ambages Paradiſum terreſtrem, tanquam antiquam patriam quærentes, ubi terrarum extet aut extiterit incerti, per illum tanquam per Imaginem Paradiſum Cœleſtem inquireremus. Neque verò cum verſus Orientem precabantur, partem aliquam terræ orientalem quærebant aut reſpiciebant, ſed ad Orientalem Cæli plagam oculos dirigebant. Deinde ſi reſpiciendum eſſet ad Paradiſum terreſtrem, qui in certo loco terræ ſitus erat, & comparatus cum aliis terræ partibus ac incolis, aliis ſit ad Orientem, aliis ad Occidentem.

Digitized by Google

dentem, aliis ad Aquilonem, aliis ad Auſtrum, certè pro diverſitate ſitus incolarum precantibus ad omnes terræ plagas reſpiciendum eſſet, nec communis poſſit eſſe Traditio, ut omnes Orientem reſpicerent.

Eucherius lib. 2. cap. 58. Commentariorum in lib. Regum (Sixtus Senenſis putat auctorem hujus operis eſſe Bedam) ait, non præcipi quemadmodum corpus diſponi debeat inter orandum, dummodò animus præſens ſit cum Deo. Socrates lib. 5. cap. 21. ſcribit in Antiochenâ Eccleſiâ quæ à Petro ſucceſſionem derivat, ubi primum Chriſtiani denominatio cœpit, altare ſeu menſam Domini non ad Orientem ſed ad Occidentem ſpectare: unde ſequitur eos in orando ad Occidentem ſpectare ſolitos eſſe. Binius in editione ſuâ Conciliorum tom. 1. in notis in vitam Leonis primi ait Leonem Papam (ut habetur ſermone ejus 15. de jejunio quoniam Manichæi Romæ latentes ſolum velut numen aliquod ad Orientem converſi, ſuperſtitioſè adorabant, ad diſcernendum Catholicos ab hæreticis, interdixiſſe fidelibus uſum adorandi verſus Orientem, quantumvis piè & religioſè id facerent. Idem docet Baronius Cardinalis ad annum Domini 443. num. 5. Et hanc rationem addit Leo ſerm. 17. „ in Natali Domini: Abjiciatur ergo à conſuetudine fidelium dam-„ nanda perverſitas, nec honor Deo debitus, eorum ritibus qui creaturis deſerviunt, miſceatur. Ad quæ verba notans Baronius, Vi-„ des (inquit) quàm procul abeſſe debeat à Catholicis Chriſtianis, „ hæreticorum atque Gentilium error, qui nec ſinantur ſymbolum „ aliquod habere cum illis commune, licet à majoribus acceptum ad pietatem referri poſſit. Atque hæc obiter de hoc ritu diximus, aliis in præſentiarum examinandis ſuperſedere contenti.

Bib l. 4. ad nomen Eucheri.

Alterum dubium eſt quod auctor hic dicit utraque, id eſt, tum ſcripta tum non ſcripta eandem, aut (ut habet Interpres in editione Frontonis Ducæi, & ſic citat Stapletonus de principiis doctrinalibus lib. 2. cap. 6. & alii.) parem habere vim ad pietatem. Quod ſi extendatur ad omnes ritus ibi memoratos, abſurdum videtur iis omnibus parem aut eandem attribuere vim ad pietatem. Reſpondet Bellarm. Traditiones rectiſſimè æquari Scripturis, & licet tum in Scripturis tum in Traditionibus quædam præcepta ſint majora, quædam minora quæ non æquè obligant ad obſervationem, tamen omnia æquè obligare ad fidem & venerationem.

Quomodo eandem vim tribuat Baſilius Scripturæ & Traditionibus.

At inquam, quàm impiè Traditiones non ſcriptæ Scripturis æ-

Digitized by Google

quentur ex tota hac diſputatione patet. Quod autem addit Bellarm. omnia æquè obligare ad fidem & venerationem, pendet ex falsâ hypotheſi, quaſi non ſcriptæ illæ Traditiones pariter ac ipſa Scriptura Deum auctorem haberent, & certè non æqualis reverentia debetur præceptis quæ non æque obligant ad obſervationem, præſertim ſi ab earum obſervatione liberi & immunes eſſe poſſimus. Atqui ipſi Pontificii varias ex Traditionibus memoratis vix aut nullo modo obſervant v. c. trinam immerſionem in Baptiſmo, Traditionem quâ ſtatuitur erecto corpore, non autem geniculando precandum eſſe diebus Dominicis; & diebus interjectis inter Paſcha & Pentecoſten. Neque ipſi nôrunt quæ ſit illa formula invocationis hîc memoratæ in panis & vini oſtenſione, ſeu potius conſecratione (hæc enim eſt vis vocabuli ἀναδείξεως, ut docet Cauſabonus noſter exerc. 16. num. 33. & Fronto Ducæus in notis) imò ægrè ferunt invocationem ad Euchariſtiæ conſecrationem pertinere, quam totam ſitam eſſe volunt in iſtis verbis, *hoc eſt enim corpus meum : hic eſt ſanguis meus.* Gretſerus ineptiſſimè nomine ἐπικλήσεως non invocationem Dei ſed convocationem populi intelligendam putat; quam iſtis vocibus factam eſſe dicit, cùm in celebrandâ Euchariſtiâ vox illa audiebatur ἅγια τοῖς ἁγίοις. *Sancta Sanctis*: quem ritum ait adhuc durare apud Græcos. At ſi hæc ſit Traditio Apoſtolica, cur non tam obſervatur in Romanâ Eccleſiâ quàm apud Græcos?

Sed his omiſſis, ut de hoc dubio noſtram ſententiam explicemus, notandum eſt interpretem malè vertiſſe τὴν αὐτὴν ἰσχὺν *parem vim*, quaſi hæc verba faverent Decreto Concilii Tridentini quo profitetur ſe libros Scripturæ & Traditiones pari pietatis affectu & reverentiâ ſuſcipere ac venerari. Auctor autem hic non parem ſed eandem tribuit vim ſcriptis & non ſcriptis. Notum autem eſt idem variis modis dici, ut idem genere, idem ſpecie, idem analogiâ, &c. & magnam poſſe eſſe imparitatem inter ea quæ dicuntur eadem aut habentur idem v. c. Æthiops & carbo dici poſſunt habere eundem colorem, puta nigredinem, etſi multò nigrior ſit carbo. Et omnes fideles dicuntur habere eandem fidem & eandem ſpem (una enim eſt fides & ſpes Eph. 4. 4. 5.) licet gradibus multùm diſparem. Sic nihil vetat dicere Scripturam Sacram, Traditiones κατά τι non ſcriptas, imò etiam Sacros ritus abſolutè non ſcriptos, quamdiu pietati inſerviunt, & piè obſervandi ſtatuuntur

tuuntur ab Eccleſiâ, eandem habere vim ad pietatem, quia ſcilicet ad unum & eundem pietatis ſcopum diriguntur, & ad pietatis exercitia conducunt, licet longè diverſo gradu; & magno diſcrimine. Interim negari non-poteſt hunc auctorem humani aliquid paſſum eſſe, cùm indifferenter Traditiones has omnes referat ad Apoſtolos, quod nulla ratione probari poteſt, & multò magis, ſi omnes neceſſarios & immutabiles eſſe exiſtimaverit, quod nullo modo concedent ipſi Pontificii: alioqui Eccleſiam ſuam damnarent quæ illas omnes minimè obſervat. Traditio autem illa quâ nefas eſſe ſtatuitur geniculando orare diebus Dominicis, & omnibus diebus inter Paſcha & Pentecoſten, ab Apoſtolo Paulo minimè videtur obſervata, qui unà cum omnibus Presbyteris Epheſi genibus flexis oravit tum cùm properaret Hieroſolymam ad Pentecoſten Act. 20. 16. 36. & 21. 5.

Duodecimò, citatur Gregorius Nazianzenus, oratione 1. in Julianum ultra medium, poſtquam dixerat propter dogmata Teſtamenti, Veteris & Novi, Doctrinam Eccleſiæ viſam fuiſſe Juliano mirabilem, addit continuò. Cæterùm (inquit) majorem atque inſigniorem, ob eas Eccleſiæ figuras, quas Traditione acceptas in hunc uſque diem ſervamus, &c. Explicat autem poſteà ſe figuras Eccleſiæ vocâſſe diſciplinam, politiam, ordinem Eccleſiæ, rationem pſallendi, modum pænitentiæ imponendæ, ſacraria in templis, monachatùm, virginum cœnobia, & alia permulta, quæ ex ſolâ Traditione habentur. Quæ omnia Julianus voluit Ethnicos imitari, ut eo modo Chriſtianos faciliùs traheret ad Paganiſmum.

Nazianzenus non favet Traditionibus.

R. Si ex omnibus Gregorii Nazianzeni operibus, ullum invenire potuiſſent Pontificii teſtimonium quod ullam ſpeciem argumenti adverſus nos haberet, nunquam hoc unum ejus teſtimonium objicerent: ex quo nihil ad rem aliquâ veriſimilitudine poſſunt concludere. Verba ejus hæc ſunt ex interpretatione Billii: Nam cùm doctrinam noſtram dogmatibus quidem & cœleſtibus teſtimoniis magnam & excelſam eſſe perſpiceret Julianus, eandemque veterem ſimul & novam (veterem inquam quantum ad prædictiones ac ſublucentia Deitatis ſenſa, novam autem ratione poſterioris adventus Dei ac miraculorum eorum, quæ tum ex ea tum circa eam deſignata ſunt) cæterùm majorem & inſigniorem, ob Eccleſiæ formas nobis traditas, atque in hunc uſque diem conſervatas.

Non hîc opponit doctrinam Scripturæ Novi & Veteris Teſtamenti dogmatibus non ſcriptis, cùm ne meminerit quidem Scri-

pturæ Veteris & Novi Teſtamenti, aut dogmatum non ſcriptorum: ſed confert inter ſe dogmata ſeu doctrinam Chriſtianam (quæ alia ratione vetus, aliâ verò nova dicitur) & *Eccleſiæ typos*, id eſt, *formas traditas* (minùs rectè nonnulli interpretantur figuras, quanquam ea interpretatio nihil nobis officit) loquitur enim de variis formis externis in Eccleſiâ uſurpatis: & cùm eas formas, aut (ſi placet) figuras traditas eſſe ait, nihil dicit quomodo traditæ ſint, utrum per Sacram Scripturam, an vivâ voce citra Scripturam: utrum Traditione Apoſtolicâ an Eccleſiaſticâ. Nobis in hac controverſiâ ſatis eſt doctrinam Chriſtianam & dogmata contineri in Veteri & Novo Teſtamento: quâ in re, juxta interpretationem Bellarmini nobis aſtipulatur Nazianzenus. Sed ſi τύπων nomine figuræ & Sacramenta intelligantur, certum eſt omnia Sacramenta contineri in Scripturâ, & multos typos, ac figuras. Varias autem externas formas & ritus Eccleſiæ, quorum aliquos recenſit hic Gregorius, fatemur non contineri in Scripturis ſpecialiter, licet eorum fundamenta & regulæ generales in Scripturis habeantur. Varia autem particularia, v. c. Sacraria in Templis, Monaſteria, & Virginum Cænobia, diu poſt Apoſtolorum tempora introducta eſſe in confeſſo eſt.

Vindicantur Chryſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactus.

Decimotertiò citatur Chryſoſtom. hom. 4. in 2. Theſſ. cap. 2. „ 15. Patet (inquit) quod non omnia per epiſtolam tradiderint A- „ poſtoli, ſed multa ſine literis, eâdem verò fide digna ſunt tam iſta „ quàm illa, itaque Traditionem quoque Eccleſiæ fide dignam pu- „ tamus. Traditio eſt, nihil quæras ampliùs. Idem habent Theophylactus & Oecumenius. Idem Chryſoſt. hom. 69. ad populum Antiochenum & hom. 3. in Epiſt. ad Philip. Non fruſtra (inquit) „ ab Apoſtolis ſancitum eſt, ut in Celebratione venerandorum My- „ ſteriorum, memoria fiat eorum, qui hinc diſceſſerint, noverant il- „ lis multum hinc emolumenti fieri, multum utilitatis.

R. Adeò clara ſunt teſtimonia Chryſoſtomi pro Scripturæ ſufficientiâ, quæ ſuprà citavimus cap. 4. & 5. (eorumque unum extat in hom. hanc ipſam quæ hîc citatur, præcedente nempe tertiâ in 2. Teſſ. 2.) ut eum ſibi contradixiſſe haud quaquam ſit veriſimile. Neque verò certè quidquam hic repugans occurrit. In priori teſtimonio ait non omnia Apoſtolos per Epiſtolam tradidiſſe, ſed multa ſine Literis. Loquitur non de totâ Scripturâ ſed indefinitè de Apoſtolorum Epiſtolis. Certum eſt Apoſtolos (ſi de rebus traditis loquamur) multa tradidiſſe, etiam dogmaticè, quæ in unâ aut alterâ Epiſtolâ

Digitized by Google

Epiſtolâ non occurrunt, quæ tamen in Scripturâ continentur. Certum eſt etiam Apoſtolos (ſi modum tradendi intelligamus) non omnia per Epiſtolam aut Literas, ſed multa ſine literis tradidiſſe. Et quidem eandem auctoritatem & fidem merentur quæ Apoſtoli vivâ voce prædicârunt & quæ ſcripſerunt. Cum autem addit Traditionem Eccleſiæ fide dignam eſſe, non dubium eſt, eum piam ac genuinam Traditionem intelligere: ſed non definit cujuſmodi Traditionem intelligat, utrum de fide an de ritibus, ſeu ordine externo & politiâ: neque Traditionem Apoſtolicam nominat: neque dicit dari Traditionem aliquam de dogmatibus fidei & morum, quæ in Scripturâ non continetur: neque ex illius verbis quidquam tale colligi poteſt. Traditio Eccleſiæ poteſt dici quælibet doctrina Eccleſiæ, quæ ſaltem implicitè continetur in Scripturâ, traditio Eccleſiæ poteſt etiam dici aliqua obſervatio aut ritus pietati inſerviens, ſive ab Apoſtolis dirivatus, ſive poſteà ab Eccleſiâ pro jure ſuo inſtitutus, ad ordinem, decorum, & ædificationem ſpectans. De Oecumenio & Theophylacto qui ſequuntur Chryſoſtomum, eadem eſt reſponſio.

Poſterius etiam teſtimonium non attingit ſtatum controverſiæ. Neque enim iſti ritus aut conſuetudo qualiſcunque mentionem faciendi eorum, qui hinc deceſſerunt tempore Euchariſtiæ, eſt dogma ad fidem, mores, & ſalutem neceſſarium: quanquam gratis dicitur à Chryſoſtomo hunc morem ab Apoſtolis ſancitum eſſe. Varii enim olim pii & boni viri ac Patres prætextu Traditionum decepti ſunt, ut ſuprà oſtendimus, quibus ſolenne fuit conſuetudines aliquantò vetuſtiores, quarum origo non facilè monſtrari potuit, ad Apoſtolos majoris auctoritatis causâ referre. Porrò Traditionem iſtam, cujus hîc meminit Chryſoſtomus, Pontificii rejiciunt, quippe illi orant tantum pro animabus defunctorum, quas putant in Purgatorio cruciari: ſed antiqua Eccleſia in Liturgiâ ſuâ meminerat Prophetarum, Apoſtolorum, & Martyrum, pro quibus Deo gratias agebant, iiſque felicem reſurrectionem precabantur, & ut extremi judicii igne leviùs afficerentur. In hoc ipſo autem loco Chryſoſtomus dicit impiis in Tartaro damnatis aliquid ſolatii afferri per preces & eleëmoſynas viventium (boni enim Patres ſuos habuere nævos) quanquam commemorationem defunctorum quæ fit in Euchariſtiâ, reſtringit tantum ad eos qui in fide deceſſerunt, hoc eſt, Baptizatos qui fidem Chriſtianam profeſſi ſunt, quos contra diſtin-

guit

guit ab infidelibus & Catechumenis, qui non erant Baptizati.

Theophylus Alexandrinus videtur.

Decimoquartò, Theophylus Alexandrinus lib. 1. & 3. Paſchali (inquit Bellarm.) diſertè docet legem jejuniorum (intelligit quadrageſimæ) Apoſtolicam eſſe Traditionem.

R. Theophylum etſi virum doctum tamen factioſum & parum conſtantem, Chyſoſtomo aliiſque, piis viris adverſarium acerrimum fuiſſe conſtat ex Socrate lib. 6. cap. 2. 7. & 9. & Sozomeno lib. 8. cap. 2. 13. 14. Cæterum nullius momenti ſunt quæ ex Theophylo citat Bellarm. loquitur quidem Theophylus de jejunio quadrageſimæ, & illud commendat præſertim in lib. 3. urgetque imprimis abſtinentiam à vino eo tempore, à quo tamen Pontificii non abſtinent. Nuſquam autem dicit eſſe Traditionem Apoſtolicam. Tantùm in calce lib. 1. facit mentionem Evangelicarum Traditionum, cum deſcribit tempus quadrageſimæ ſecundum dies menſium Ægyptio-,, rum. Incipient (inquit) dies quadrageſimæ à trigeſimo die men-,, ſis Mechir: & Hebdomadem ſalutaris Paſchæ celebramus quintâ ,, die menſis Pharmuti, finientes jejunia, ſecundum Evangelicas ,, Traditiones veſpere Sabbati, decimâ die Pharmuti: & illuceſcen-,, te ſtatim Dominicâ, Feſta celebremus, undecimâ die ejuſdem menſis. Nihil hic aliud intelligere videtur per *Evangelicas Traditiones*, quàm tempus quod ex Evangeliis colligitur, quo Dominus reſurrexit, in cujus memoriam celebratur Paſcha, nempe poſt Sabbatum, diliculo diei ſequentis: ac proinde cùm feſtum ſit celebrandum eo die, ſequitur jejunia ſolvenda eſſe pridie ejus diei. Utcunque eſt, quadrageſimam ad dogmata fidei, & morum non ſpectare ante oſtendimus, ejuſque obſervationem variis in locis & temporibus variam eſſe, Chriſtumque & Apoſtolos jejunia quidem præcepiſſe, ſed tempora & circumſtantias jejuniorum definiendas libertati Eccleſiæ permiſiſſe. Cæterum de ſufficientiâ Scripturæ ſatis amplum eſt teſtimonium Theophyli à nobis citatum cap. 5.

Et Cyrillus Hieroſolymitanus.

Decimoquintò, Cyrillus Hieroſolymitanus in Catecheſibus Myſtagogicis (inquit Bellarm.) nihil ferè explicat aliud quam Traditiones non ſcriptas de Baptiſmo & aliis Sacramentis. B. Cyrillus ibi agit de duobus tantum Sacramentis, Baptiſmo & Cœnâ Domini (plura enim non agnoſcit.) Certum eſt autem nihil quod ad eorum naturam ſpectat in Sacrâ Scripturâ deſiderari, meminit quidem non nullorum rituum tum temporis obſervatorum in eorum adminiſtratione qui ad ſtatum controverſiæ minimè ſpectant, cùm non ſint immu-

immutabiles, ac plerique eorum in Romanâ etiam Eccleſiâ non obſerventur, ut quod Baptizandi ſtarent verſus Occidentem, ungerentur à vertice ad imum: in Euchariſtiâ daretur oſculum pacis, acciperetur panis concavâ manu dextrâ, &c. Falſum eſt autem quod ait Bellarm. nihil fere aliud in eo opere explicari, quàm tales Traditiones non ſcriptas de Baptiſmo & aliis Sacramentis. Multa enim alia majoris momenti, & præclara illîc explicantur: & inter alia ſufficientia Sacræ Scripturæ in rebus fidei & morum, contra Traditionum additamenta, diſertiſſimè aſſeritur, ut nos ſuprà citavimus cap. 4. ad ſecundam rationem.

Etiam Epiphanius.

Decimoſexto citatur Epiphanius hæreſ. 55. quæ eſt Melchiſedecianorum: Termini (inquit) nobis poſiti ſunt, & fundamenta „ & ædificatio fidei: & Apoſtolorum Traditiones, & Scripturæ „ Sanctæ & ſucceſſiones doctrinæ, & undequaque veritas Dei mu„ nita eſt: & nemo decipiatur novis fabulis. Item hæreſ. 61. quæ „ eſt Apoſtolicorum. Oportet (inquit) & Traditione uti: non „ enim omniâ à divinâ Scripturâ accipi poſſunt. Quapropter aliqua „ in Scripturis, aliqua in Traditione ſancti Apoſtoli tradiderunt. Similia habet hæreſ. 75. Aerii & in compendiariâ doctrinâ.

R. Epiphanii teſtimonium non attingit ſtatum controverſiæ neque enim loquitur de Traditionibus omnino non ſcriptis ad fidem & ſalutem neceſſariis, ſed de Traditionibus κατά τι non ſcriptis aut de hiſtoriis & ritualibus: quarum aliquot incertæ ſunt, & parum probantur ab aliis piis Patribus, imò ab ipſis Pontificiis.

In primo loco citato vult hæreticos refutari, & veritatem muniri tum ex Scripturis, tum ex Traditionibus: quid tum? Nam etiam veritas quæ in Scripturâ extat, poteſt Traditione confirmari, & contrarii errores refelli etiam humanis rationibus, & Ethnicorum teſtimoniis: ſed inde non ſequitur aliqua eſſe dogmata fidei & morum neceſſaria, quæ nuſquam in Scripturâ continentur. Refellit ibi Melchiſedecianos qui contendebant Melchiſedecum dici ab Apoſtolo ſine Patre, & ſine Matre, non quia eorum nulla mentio eſt in Sacris Literis, ſed quod revera nullum haberet parentem. Hos inter alia argumenta refutat, quia ex quadrani Traditione nominantur Pater & Mater Melchiſedeci, prout etiam ſimiliter parentes Danielis & Eliæ, qui in Scripturis reticentur. Neque hic univerſalem ullam Traditionem memorat ſed particularem: παρά τισι τοῦ μελχισεδὲκ ὁ πατήρ τε καὶ μήτηρ ἐκφέρεται apud quoſdam Melchiſedeci Pater & Mater effertur.

effertur. At hæc nomina parentum Melchiſedeci, Danielis & Eliæ non ad fidem divinam ſpectant, neque etiam pii, fide humanâ ut hæc credant ſe aſtringi putant. Eſt ergo hæc hiſtorica traditio qualiſcunque.

In ſecundo loquitur de Traditione [illegible], non autem ſimpliciter non ſcriptâ, nempe hac, quod peccatum ſit poſt decretam virginitatem, ſeu votum virginitatis ad nuptias converti. Hanc Traditio-
1. *Cor.* 7. 28. nem confert cum Scripturâ iſtâ Apoſtoli 1. Cor. 7. 28. *Si nupſerit virgo, non peccavit*, eſt enim hic apparens contradictio quam ſic conciliat, quod in loco iſto Apoſtoli, non intelligatur virgo quæ vovit aut decrevit virginitatem, ſeu quæ dicata erat Deo, ſed quæ neceſſariò manſerat virgo, ob raritatem tum temporis eorum qui in Chriſtum credebant, ſiquidem aliis quàm Chriſtianis nubere nefas putabant. Mox tamen illam quam dixit non ſcriptam Traditionem ex „ ipsâ Scripturâ deducit & confirmat. Quod (inquit) hæc ita ſe ha„ beant, docet nos idem Apoſtolus 1. Tim. 5. 11. dicens, *Juniores* „ *viduas rejice: poſtquam enim Laſciviêrunt contra Chriſtum nubere vo*„ *lunt, habentes judicium quod primam fidem rejecerunt*, ſi itaque & ea „ quæ poſt mundi experientiam vidua fuit atque Deo dicata, & po„ ſteà nupſit, judicium & condemnationem habebit, quòd primam „ fidem rejecit: quantò magis, quæ citra mundi experientiam Deo „ dicata virgo fuit & nupſit, contra Chriſtum Laſciviet, & Majo„ rem fidem rejecit, & judicium habebit, velut quæ proprium erga „ Deum propoſitum relaxavit.

Atque hactenus quidem rectè Epiphanius: nam qui ſe virginitatis voto obſtrinxit, & poſteà ducit uxorem, peccat utique, vel quia temerè vovit, nec ſatis exploratâ ſuâ conditione aſtrinxit ſe ad illud quod non poteſt piè præſtare: (melius enim eſt ducere uxorem quam uri aut ſcortari teſte Apoſtolo) aut quia citra neceſſitatem votum violavit: id quod non tantum uno iſto loco citato, ſed multis aliis Scripturæ locis probari poteſt. Interim notandum eſt, quod hîc Epiphanius docet melius eſſe etiam poſt decretam virginitatem ducere uxorem aut nubere quàm occultè ſcortari: Melius (inquit) eſt „ unum peccatum habere, quàm plura. Melius eſt lapſum à curſu, „ palam ſibi uxorem ſumere ſecundum legem & à virginitate multo „ tempore pænitentiam agere, & ſic rurſus ad Eccleſiam induci, „ quàm quotidie occultis jaculis ſauciari ab improbitate quæ à Diabolo ipſi infertur. Sic plane contradicit Pontificiis qui occultas

ſcor-

Digitized by Google

ſcortationes longè præferunt nuptiis eorum, qui ſe voto virginitatis obſtrinxerunt. Vide inter alios Coſteri Enchiridion cap. 17. de cælibatu, propoſitione 9. Non tamen ei aſſentiendum eſt, ſi exiſtimaverit ex duobus peccatis minus eligendum eſſe. Ut enim nunquam licet malum facere ut inde eveniat bonum: ita non licet unquam peccatum unum admittere ad aliud aut plura vitanda. Sed in caſu ſuprà dicto dicendum eſt peccâſſe hominem in voto temerario & illegitimo, quod propterea ſolvi poteſt ac debet: atque in hoc ſenſu accipi poſſunt Epiphanii verba. His conſentanea ſunt quæ ſcribit Cyprianus lib. 1. Epiſt. 11. Loquens de Virginibus Sacris: Si (inquit) ſe „ ex fide Chriſto dicaverunt pudicè & caſtè perſeverent: ſi autem „ perſeverare nolunt, vel non poſſunt, melius eſt ut nubant, quàm „ in ignem deliciis ſuis cadant.

Sed ut ad rem redeamus nihil incommodi eſt in verbis Epiphanii, cùm ait, oportere etiam Traditione uti, & non omnia à divinâ Scripturâ accipi poſſe, ſive intelligamus Traditionem hiſtoricam de quâ agit in primo loco citato, ſive Traditionem τινὰ ʒ non ſcriptam, de quâ agit ſecundo loco, ſive Traditiones rituales, de quibus agit in reliquis locis citatis: verbi causâ, de Paſchate, de jejunio diei quartæ & Pro ſabbati, id eſt, dierum Mercurii & Veneris (exceptâ Pentecoſte per totos 50. dies in quibus neque genua flecti, neque jejunium imperari ſolebat) de ſtrictiore jejunio ſex dierum ante Paſcha, quibus nihil licebat accipere quàm panem, ſalem, & aquam, de commemoratione mortuorum in Euchariſtiâ, de communione & ſynaxi habendâ die quartâ, pro Sabbato, & Dominicâ, die Dominicâ quidem matutino tempore, die quarto autem & pro Sabbato horâ diei nonâ, id eſt, tertiâ pomeridianâ, quod Dominicis diebus non ſit jejunandum ne in ipsâ quidem quadrageſimâ, & variis aliis inſtitutis, quæ θεσμοὺς appellat, & ipſe apertè diſtinguit à dogmatibus fidei in ultimo loco citato, nempe in compendiariâ doctrinâ circa finem.

Quod autem dicit Apoſtolos inſtituiſſe certos dies & modos jejuniorum, & contradicunt Auguſtinus & Socrates, ut ſuprà oſtendimus cap. 7. Epiphanius ex Traditione aſſerit Adamum ibi ſepultum eſſe ubi Chriſtus eſt Crucifixus, nempe in Calvariâ hæreſi 46. contradicit Hieronymus in Mat. cap. 27. & in Eph. 5. 14. Epiphanius hæreſ. 80. commendat illam Traditionem, quam legit in Apocryphis conſtitutionibus Apoſtolorum, quòd ex divinâ doctrinâ

Digitized by Google

non ſunt ſecundi Barbæ pili, contrà faciunt Monachi Papiſtici qui Barbam radunt, ut & multas alias Traditiones ab Epiphanio memoratas repudiant Pontificii.

Poſtremò citatur Joannes Damaſcenus lib. 4. cap. 17. Plurima „ (inquit) Apoſtoli ſine ſcripto tradiderunt. Multa etiam habet „ Oratione 1. pro Imaginibus Sacris. Sed Damaſceni auctoritatem in hac causâ non moramur, qui corrupto (ut dictum eſt) ſeculo vixit, & Superſtitioſum Imaginum cultum vehementer urſit, quem cum ex Scripturis probare non poſſet ad commune errorum aſylum Traditionum ſupplementum confugit. Licet alibi nempe lib. 1. cap. 1. ſufficientiam Scripturæ viſus ſit agnoſcere.

CAP. XXII.

Reſpondetur ad teſtimonia Patrum Latinorum.

Vindicatur Tertullianus.

EX Latinis Patribus 1. à Bellarm. citatur Tertullianus qui in lib. de Coronâ militis. Etiam (inquit) de Traditionis obtentu exi„ genda eſt, inquis, auctoritas Scripturæ, ergo quæramus, an & tradi„ tio non ſcripta non debeat recipi. Planè negabimus recipiendam, „ ſi nulla præjudicent exempla aliarum obſervationum, quas ſine ul„ lius Scripturæ inſtrumento ſolius Traditionis titulo, exinde con„ ſuetudinis patrocinio vindicamus. Deinde enumeratis cæremoniis Baptiſmi, ſigni Crucis, ſacrificii anniverſarii pro defunctis & aliis „ quibuſdam, ſubdit. Harum (inquit) & ſimilium diſciplinarum ſi „ legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies, traditio tibi „ prætenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſerva„ trix. Idem (inquit Bellarm.) paſſim Traditione utendum docet lib. 1. contra Marcionem lib. 2. ad uxorem. Lib. de velandis Virginibus & lib. de præſcriptionibus, ubi ex inſtituto docet hæreticos non ex Scripturis, ſed ex Traditionibus confutandos.

Bellarminus, Baronius, & alii parvi faciunt Tertullianum.

R. Quam parvi faciant Tertulliani auctoritatem Pontificii, ubi eis adverſari videtur, ex uno Bellar. ſatis liquet. Is lib. 1. de Chriſto cap. 9. contextu *Ad Irenæum* Tertulliani & Euſebii (inquit) in dogmatibus parva eſt auctoritas. Item de Romano Pontifice lib. 4. cap. 8. contextu. *Reſpondeo*, ait non omnio fidem adhibendam Tertulliano in hac parte, quandoquidem ipſe Montaniſta erat. Item lib. 1. de Beatitudine Sanctorum cap. 5. circa finem. Tertullianus (inquit) hære-

Digitized by Google

hæreſiarcha fuit. Et lib. de Indulgentiis cap. 3. contextu Illud quoque. Sic (inquit) ſcripſit Tertullianus cum hæreticus eſſe cœpit, nec ejus ratio ſolida eſt. Sic etiam Baronius multum invehitur in Tertullianum tom. 2. ad annum 201. Quidni etiam nobis pariter elevare licet auctoritatem teſtimoniorum Tertulliani quæ citantur ex libris quos ſcripſit poſtquam in montani hæretici caſtra tranſiit, inter quos eſt liber iſte de corona militis, ut notat Pamelius in vitâ Tertulliani. Etenim in iſto libro cap. 1. certum eſt (ut cum Pamelio notat etiam Rainaudus) eum perſtringere Orthodoxos in iis verbis: „ Plane ſupereſt ut etiam martyria recuſare minitentur, qui prophetias ejuſdem Sp. Sancti reſpuerunt. Intelligit prophetias Montani & mulicularum Priſcæ & Maximillæ, quas ſibi adjunxit. Et „ paulò pòſt cum dicit, novi Paſtores eorum in pace leones, in prœlio cervos. Hieronymo cùm Helvidius objeciſſet Tertulliani auctoritatem: De Tertulliano nihil (inquit) amplius dico, quàm Eccleſiæ hominem non fuiſſe. Sic Hilarius Can. 5. in Mat. Conſequens hominis error ſcriptis probabilibus detraxit auctoritatem. Cæterum nihil illuſtrius eſſe poteſt teſtimoniis Tertulliani à nobis ſuprà citatis cap. 5. & 10. quibus plenitudinem, perfectionem, & ſufficientiam Sacræ Scripturæ contra Traditionem additamenta in rebus & fidei & morum aſſerit. Neque etiam quæ citant adverſarii ex ejus libris, quos poſtquam ab Eccleſiâ defecit, ſcripſerat, eorum cauſam juvant.

In loco enim citato de coronâ militis, qui maximam ſpeciem habet 1. non loquitur de dogmatibus fidei & morum, ſed de ritibus, & obſervationibus quibuſdam diſciplinæ (ut vocat) quam à doctrinâ & regulâ fidei diſtinguit lib. de velandis virginibus cap. 1. Falſum eſt autem quod ait Bellarm. eum inter cætera loqui de ſacrificio anniverſario pro defunctis, quaſi Tertullianus intelligeret ſacrificium Miſſæ quod Pontificii offerunt pro defunctis. Verba Tertulliani hæc ſunt. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annicâ die facimus: oblationes intelligit non corporis Chriſti ſed eleëmoſynarum quæ diſtribuebantur pauperibus. Junius in hæc verba notat, oblationes pro defunctis eſſe legata teſtamentaria ſeu fundationes anniverſarias (ut vocant) quas defuncti præſtari Eccleſiæ, aut pauperibus erogari anniverſariè jubebant pro ſe, id eſt, loco ſuo, tanquam ſi ipſi præſentes præſentibus largirentur, quemadmodum & oblationes pro natalitiis dicuntur inſtitutiones à viventibus factæ in

Quid erant oblationes pro defunctis & natalitiis.

diem natalem ipſorum: ut pauperibus aliquid daretur refrigerii pro eo quod Ethnici celebrantes natales ſuos, profuſo luxu dabant natalitia, nempe conviva & dona, adeo ut oblationes pro natalitiis ſint eleëmoſynæ quæ fiebant natalitiorum Ethnicorum loco. Sic Beatus Rhenanus in hunc locum notat genialem Ethnicorum Lætitiam in celebrando die natali rectè mutatam eſſe à præſulibus Chriſti in oblationes quæ in eleëmoſynam pauperum conferebantur, cum ad noſtram illi Religionem tranſiiſſent. Sed alii per natalitia intelligunt feſta in memoriam Martyrum celebrata in quibus dona etiam diſtribuebantur pauperibus, quippe diem Martyrii cæſorum dicebant diem natalem eorum, quo ſcilicet ad meliorem, vitam renaſcebantur.

Deinde plerique illi omnes ritus quos memorat Tertullianus, jam antiquati ſunt inter ipſos etiam Pontificios: ut ter immergi in Baptiſmo, & inde ſuſceptos, lactis & mellis concordiam prægustare: ex ea die lavacro quotidiano per totam ſeptimanam abſtinere: die Dominico nefas eſſe jejunare(contra quàm Pontificii faciunt in quadrageſimâ) vel de geniculis adorare: eadem immunitate à Paſcha in Pentecoſten gaudere: calicis aut panis etiam noſtri aliquid decutim terram graviter ferre. Denique (quod eſt argumentum totius libri) nefas eſſe Chriſtiano militi lauream coronam, aut ſertum in capite geſtare, non exiſtimatur ad ſalutem neceſſarium; & contraria praxis invaluit, nec ſeveritas Tertulliani probatur, qui eo nomine, uno excepto, reliquos omnes milites Criſtianos damnaverat: quaſi martyrium potiùs eſſet ſubeundum, quàm illud faciendum.

Quod autem Bellar. addit Tertullianum lib. 1. contra Marcionem, lib. 2. ad uxorem, lib. de velandis virginibus, & lib. de præſcriptionibus, paſſim dicere Traditione utendum eſſe, ſubdolum & commentitium eſt: ideoque ut fraudem tegeret, verba recitare non eſt auſus. Nihil enim in iis libris reperitur quod in controverſiâ propoſitâ Pontificiorum cauſam juvat (niſi quod forte Montani hæreſin ſapit) ſed plurima, quæ eam planè labefactant, præſertim in aureo libello de præſcriptionibus, quem Tertullianus tum Orthodoxus per ſcripſit: cujus libri ſcopum & ſententiam nos ſatis explicavimus lib. ſuperiori cap. 28. initio, & tamen audet Bellarm. aſſerere Tertullianum in eo libro ex inſtituto, docere hæreticos non ex Scripturis ſed ex Traditione confutandos eſſe: quod ſi ſimpliciter dictum intelligatur, abſurdiſſimum eſt, atque ut veritati & Scripturæ,

ita

ita Tertulliani menti, & omnium Orthodoxorum, imò etiam ipſorum Pontificiorum ſententiæ & praxi repugnat. Tantùm Tertullianus agens contra perverſiſſimos hæreticos, qui Scripturam mutilabant, interpolabant, rejiciebant, aut corrumpebant *per modum præſcriptionis*, ut à diſputatione ex Scripturis quibus miſerè abutebantur, arcerentur, Traditione revincendos eſſe oſtendit: alioqui in legitima, ex jure, de ipſa cauſa diſceptatione (quam interdum ad mittendam eſſe ait, ne compendium præſcriptionis perpetuò uſurpatum diffidentiæ tribuatur) eos Scripturæ teſtimoniis confutandos eſſe docet: idque in operibus ſuis præſtat ſedulò.

Cæterum Tertullianus in illo libro & alibi ad Traditionem provocans, eamque cum Scripturâ conferens non loquitur de rebus traditis extra Scripturam, ſed de Traditionis modo, nempe de Traditione non ſcriptâ, ſeu continuâ ſucceſſione in Eccleſiâ dogmatum Scripturæ, ut manifeſtiſſimum eſt.

Vindiciæ Cypriani.

Secundo citatur Cyprianus, lib. 1. epiſt. 12. Ungi quoque neceſſe eſt (inquit) eum qui baptizatus eſt. At conſtat nihil de Chriſmate in Scripturâ contineri ſed tantùm in Traditione. Idem lib. 2. epiſt. 3. Admonitos non ſcias, ut in calice offerendo Dominica Traditio ſervetur, neque aliud fiat à nobis quàm quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix qui in commemorationem ejus offertur, miſtus vino offeratur. Hæc ſimiliter Traditio eſt ut miſceatur aqua cum vino in Euchariſtiâ.

R. 1. Hìc occurrit quod Auguſt. lib. 2. contra Creſconium cap. 32. de quadam Cypriani epiſtolâ verba faciens, ait, id quod ſingulis Patribus accommodari poteſt. Ego hujus epiſtolæ auctoritate non teneor, quia literas Cypriani non quidem ut Canonicas habeo, ſed eas ex Canonicis judico: quod in iis Divinarum Scripturarum auctoritati congruit, cum laude ejus accipio: quod autem non congruit, cum pace ejus reſpuo.

Oleum Baptiſmo & aqua Euchariſtiæ non erant neceſſaria. Act 8.37. & 10. 47, 48. & 16.33.

Deinde utrumque quod citatur ex Cypriano teſtimonium ἀδιάφορον eſt, utrumque enim loquitur de ritibus, qui Sacramentis ſunt additi præter eorum eſſentiam. Negari enim non poteſt, & ipſi etiam Pontificii concedunt, integritatem Baptiſmi conſiſtere ſine unctione olei. Neque ii quos in Scripturâ baptizatos legimus, Eunuchus Act. 8. 37. Cornelius Act. 10. 47, 48. & Commentarienſis Act. 16. 33. &c. minus legitimè baptizati ſunt, quia inſuper oleo non uncti ſunt. Lombardus lib. 4. diſtinct. 3. In duobus (inquit) conſiſtit

„ ſtit Sacramentum Baptiſmi, ſcilicet in verbo & elemento (intelli-
„ git elementum aquæ) ergo etſi alia deſint, quæ ad decorem Sacra-
„ menti inſtituta ſunt, non ideo minus eſt verum Sacramentum. De ſubſtantiâ hujus Sacramenti ſunt verbum & elementum, cætera ad ſolemnitatem ejus pertinent. In Catech. Concilii Tridentini de
„ Bapt. art. 5. ſic definitur Baptiſmus: Quod ſit Sacramentum re-
„ generationis per aquam in verbo. Unde efficitur oleum ad eſſentiam Baptiſmi non pertinere, & apertè aſſeritur ibidem ſolam aquam eſſe materiam Baptiſmi art. 7. & àquam ſimplicem, quæ non habet admixtum oleum, eſſe materiam aptum ad hoc Sacramentum conficiendum, quoties Baptiſmi adminiſtrandi neceſſitas accidit art. 11. Similiter in Euchariſtiâ miſtionem modicæ aquæ cum vino inter adiaphora cenſendam eſſe ſuprà oſtendimus: præſertim cum in Judæâ & calidioribus regionibus non ſolerent bibere vinum niſi aquâ miſtum. Hinc factum eſt ut Phraſi apud Hebræos, Græcos, & Latinos receptâ vinum infundere aut proponere miſcendi vocabulo denotaretur ut patet ex Prov. 4. 1. & 5. Homero Odyſſeæ γ.

------ κιρνᾶσθι δὲ οἶνον.

& Odyſſeæ 9. ------ κίρνασι δὲ νέκταρ ἐρυθρόν.

undè κρατὴρ vas in quo miſcetur vinum Ovid. Metamor. 10:

Arripit Iliaden qui nunc quoque pocula miſcet

& Martialis lib. 11.

Dulcia Dardanio nondum miſcente miniſtro
Pocula ------

Alioqui ex duobus elementis pane ſcilicet & vino integrum Euchariſtiæ Sacramentum confici docet etiam Catechiſmus Concilii Tridentini de Euchariſtiâ art. 10. Item, etſi aqua deſit, Sacramentum tamen Euchariſtiæ conſtare poſſet art. 17. Item Durandus. Mixtio aquæ (inquit) non eſt de neceſſitate Sacramenti, ſed de congruitate. Idem ait Græcos non apponere aquam. Idem docet Bonaventura in Lombardum, & Thomas Summæ part. 3. quæſt. 74. art. 7. & Biel lect. 35. in Canonem. At objici poteſt utrumque hunc ritum neceſſarium viſum eſſe Cypriano, & proinde non eſſe rebus indifferentibus annumerandum: nam de priore ait. Ungi quoque neceſ-
„ ſe eſt eum qui baptizatus eſt: & de poſteriore: Sic (inquit) in ſan-
„ ctificando calice Domini, offerri aqua ſola non poteſt, quomodo
„ nec vinum ſolum poteſt: nam ſi vinum tantùm quis offerat, ſanguis

„ guis Chriſti incipit eſſe ſine nobis. Si verò aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto.

R. In neutro loco loquitur de neceſſitate ſimpliciter dictâ, quaſi Baptiſmus non poſſit celebrari ſine Chriſmate, aut Euchariſtia ſine aquâ (alioqui non minùs contradiceret Pontificiis, ut dictum eſt, quàm nobis) ſed in priore loco diſputans irritum eſſe Baptiſmum ab hæreticis adminiſtratum (qui fuit error Cypriani) ſeu neminem baptizari poſſe apud hæreticos, inter plurima alia argumenta hoc addit, quod ab unctione ſumitur, quæ tum temporis Baptiſmo adjungebatur. Nam ſi in hæreticorum cœtu baptiſmus adminiſtrari poſſit, neceſſe eſt etiam unctionem adhiberi poſſe, cum unctio Baptiſmo adjungi ſoleat: at unctio non poteſt adhiberi. E. minorem probat: quia accepto Chriſmate ſeu unctione, unctus Dei eſſe, & habere in ſe Chriſti gratiam poſſit. Hinc conſtat, quod dicit ungi neceſſe eſſe eum qui baptizatus ſit, intelligi tantùm neceſſitatem ex hypotheſi & conſequentiæ (quæ in rebus maximè contingentibus cernitur) non ſimpliciter dictam & conſequentis. Eodem modo intelligendus eſt alter locus: etenim cùm ritus ille miſcendi modicam aquam vino invaleſceret, hanc rationem ejus affert (etſi fortè minùs ſolidam) quia ſicut vino ſignificatur ſanguis Chriſti: ita aquæ nomine populus ſignificatur Apoc. 17. 15. unde miſtio aquæ cum vino ſignificat conjunctionem Chriſti cum populo ſuo. Ex hac hypotheſi ſubjungit iſta verba citata. Sic in ſanctificando calice Domini offerri aqua ſola non poteſt, quomodo nec vinum ſolum poteſt, non intelligit abſolutè non poſſe, ſed ſuppoſitâ iſta ſignificatione myſterii aquæ & vini. Lombardus autem lib. 4. diſtinct. 11. & Durandus meum locum, quod dicit Cyprianus, *non poteſt*, interpretatur, *non debet*: ſicut & illud quod priore loco dixit, *neceſſe eſt*, ex uſu loquendi interpretari licet, *convenit*.

Interim notandum eſt inſtitutum Cypriani in illâ epiſtolâ, qui refellens hæreticos, qui Aquarii dicti ſunt: quod non vinum ſed aquam ſolam adhiberent in Euchariſtiâ, inſtituit oſtendere, & multis argumentis oſtendit non neceſſitatem aquæ, ſed neceſſitatem vini adhibendi in Euchariſtiâ: & quod obiter dicit de miſtione aquæ cum vino, id etiam ex Scripturis conatur oſtendere, quia Prov. 9. & alibi in Scripturâ mixti vini fit mentio.

Hilarius non eſt patronus Traditionum.

Tertiò, citatur Hilarius lib. contra Conſtantium Imperatorem circa medium: ubi objicienti Ariano iſti Principi, *Nolo verba quæ non*

„ *ſcripta ſunt legi*: reſpondet, Hoc tandem (inquit) rogo, quis Epi-
„ ſcopis jubeat? Quis Apoſtolicæ prædicationis vetet formam?
„ Dic prius, ſi rectè dici putas, nolo adverſus nova venena novas me-
„ dicamentorum comparationes. Quibus verbis (inquit Bell.) duo indicat Hilarius: unum, prædicationem conſubſtantialitatis Patris & Filii eſſe Apoſtolicæ prædicationis, licet expreſsè non ſit ſcriptum filium eſſe Patri conſubſtantialem: alterum, nomen ipſum ὁμοούσιος eſſe quidem novum, ſed tamen retinendum, licet non ſit ſcriptum, quia conforme eſt prædicationi Apoſtolicæ.

R. Hoc teſtimonium prorſus extra oleas eſt, Hilarius enim non agnoſcit ullum dogma non ſcriptum: ſed vocabulum ὁμοούσιος rectè uſurpari adverſus Arianos docet, etſi non in Scripturâ reperiatur, cùm tamen res ipſa vocabulo ſignificata certiſſimè in Scripturâ contineatur (id quod ibid. & in lib. ad Conſtantium ipſe luculenter docet) quâ de re ſatis diximus cap. 11. ad hyp. 4. Neque verò Hilarius ipſum vocabulum ὁμοούσιος refert ad Apoſtolicam Traditionem, cùm novum eſſe fateatur, tanquam novum medicamentum adverſus novum venenum. Vide quæ præcedenti cap. diximus ad teſtimonium Athanaſii quod eôdem ſpectat: & teſtimonia Hilarii à nobis citata cap. 5. & 10.

Neque Ambroſius.

Quartò citatur Ambroſius. Is (inquit Bellarm.) in lib. de iis qui initiantur myſteriis cap. 2. & 6. & lib. 1. de Sacramentis cap. 1. & 2. explicat ritus qui ab univerſâ Eccleſiâ ſervantur in Baptiſmo, qui nuſquam ſcripti inveniuntur in Divinis Literis, & quos cæteri conſtanter referunt in Apoſtolos auctores. Serm. 25. 34. & 36. docet quadrageſimam à Chriſto præceptam, & epiſt. 81. & Serm. 38. docet Symbolum Apoſtolorum Apoſtolicam eſſe Traditionem non ſcriptam.

R. Teſtimonia Ambroſii aliena ſunt à ſtatu controverſiæ. Quod enim dicit de Symbolo Apoſtolico, nemini dubium eſt doctrinam Symboli in Sacris Literis contineri, idque totidem fere verbis licet non eodem ordine ac ſylloge verborum, ut diximus cap. 11. ad hyp. 4. Reliqua pertinent ad ritus non autem ad dogmata Religionis, neque ritus illi omnes de quibus loquitur, ſunt univerſales & perpetui: neque omnia quæ de iis diſſerit, ſi æquâ lance penſentur, ſatis ſolida invenientur. Omitto quòd Sermones illos negant eſſe Ambroſii, Eraſmus & Coſterius ordinis Auguſtini Canonicus. In locis citatis multum invehitur in eos qui prandent tempore quadrageſimæ:

dragesimæ: à quo non abhorrent Pontificii, niſi malint cœnam appellare quam meridie ſumunt.

Quintò, citatur Hieronymus in epiſt. ad Mercellam de erroribus „ Montani. Nos (inquit) unam quadrageſimæ ex Apoſtolicâ Tra-„ditione tempore nobis congruo jejunamus. Item in Dialogo adverſus luciferianos ante medium, cùm hæreticos dixiſſet, multa quæ „ per Traditionem in Eccleſiis obſervantur auctoritatem ſibi ſcripta „ Legis uſurpaverunt. Reſpondet Orthodoxus, non quidem abnuo „ hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem; ſed quale eſt, ut Leges Eccleſiæ ad hæreſin transferas. *Reſp.* Rurſus ad eundem lapidem impingit Bellar. Hieronymus enim in locis citatis non de dogmatibus, ſed de ritualibus loquitur, iiſdem fere de quibus Tertullianus in loco citato de Coronâ militis, quorum multa à Romanâ Eccleſiâ rejecta ſunt, ut loca citata legentibus manifeſtum eſt: alioqui ſtrenuò Hieronymus ſufficientiam Scripturæ in dogmatibus aſſerit & defendit: ut patet ex ejus teſtimoniis quæ recenſuimus cap. 4. 5. & 10. *Neque Hieronymus.*

Poſtremò Auguſtini varia teſtimonia congeruntur, quæ fruſtra opponuntur tot clariſſimis ipſius teſtimoniis quibus Scripturæ ſufficientia aſſeritur ſuprà à nobis citatis cap. 3. 4. 5. *Neque Auguſtinus.*

„ Primum ex epiſt. 118. Illa autem, quæ non ſcripta ſed tradita „ cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum Orbe ſervantur, dantur „ intelligi vel ab ipſis Apoſtolis vel plenariis Conciliis, quorum „ eſt in Eccleſiâ ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta „ retineri: ſicut quod Domini paſſio & reſurrectio, & aſcenſio in „ Cœlum & adventus de Cœlo Sp. Sancti anniverſariâ ſolemnitate „ celebratur.

R. Hoc teſtimonium alienum eſt à ſtatu controverſiæ, loquitur enim de ritibus, non de dogmatibus Religionis; In illâ autem epiſtolâ tria rituum genera diſtinguit. Primum eſt eorum qui ab ipſo Chriſto præſcribuntur in Sacris Literis, cujuſmodi ſunt ritus qui ſpectant ad eſſentiam Sacramentorum. Secundum eſt eorum qui politiæ & ordinis causâ â totâ Eccleſiâ per univerſum Orbem terrarum obſervantur, cujuſmodi ſunt obſervationes illæ in loco citato nominatæ. Tertium eſt eorum qui per loca terrarum regionesque variantur: ut quòd alii jejunant Sabbato, alii non: alii quotidie communicant ſanguine & corpore Dominico, alii certis diebus accipiunt. Hæc tria genera ita diſtinguit, ut primo attribuat primum

Digitized by Google

ſecundo ſecundum neceſſitatis gradum, tertium verò ſtatuat indiſferenter habendum,& liberas habere obſervationes, non tamen citra omnem neceſſitatem, requirit enim ut quæ ſunt in hoc quoque genere obſerventur alicubi & aliquando ad vitandum ſcandalum.
„ Nulla (inquit) in his diſciplina melior gravi prudentique Chriſtia„ no, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam,ad quam„ cunque fortè devenerit. Et paulò pòſt citans Ambroſii verba. Sic
„ etiam tu (inquit) ad quam fortè Eccleſiam veneris, ejus morem
„ ſerva, ſi cui quam non vis eſſe ſcandalo, nec quenquam tibi. Nihil enim ferò adeo ſuâ naturâ eſt indifferens, quin circumſtantiarum quarundam ratione neceſſariò bonum aut malum dici poſſit. Secundum etiam genus complectitur ritus naturâ ſuâ indifferentes, qui tamen dici poſſunt neceſſarii, comparatè ad tertium genus ex hypotheſi Auguſtini: loquitur enim de univerſalibus ritibus qui in toto terrarum Orbe obſervantur. Si enim particulares ritus non poſſunt violari in quaque Eccleſiâ, ſine ſcandalo illius Eccleſiæ in quâ obſervantur, certè univerſales in nullâ Eccleſiâ violari poſſunt ſine ſcandalo, quia ubique obſervantur. Cæteroqui illos tam neceſſarios eſſe ac ipſa Sacramenta à Chriſto inſtituta, aut ſimpliciter eſſe neceſſarios ad ſalutem nemo pius dixerit. Vide quæ diximus de hujuſmodi ritibus ad calcem cap. 11.

Neque verò hos ipſos ritus audet Auguſtinus definitè dicere eſſe Apoſtolicas Traditiones: ſed vel ab Apoſtolis, vel à plenariis Conciliis commendatos. Quod ſi non ab Apoſtolis. ſed à Conciliis commendati ſunt, certum eſt non eſſe dogmata fidei. Nullum enim dogma fidei non eſt ab Apoſtolis commendatum. Adeoque ex iſtis verbis Auguſtini non magis commendatur auctoritas Traditionum iſtiuſmodi Apoſtolicarũ,quàm Eccleſiaſticarũ conſtitutionum: quanquam etiam fieri poteſt, ut magis ex conſuetudine & exemplo quàm Lege aut Canone invaluerint illæ obſervationes. Socrates lib. 5, cap. 21. aliàs 22. ſcribit Chriſto & Apoſtolis non fuiſſe propoſitum, ut Leges deſeſtis diebus aut jejuniis celebrandis ſancirent, ſed ut rectè vivendi rationis & pietatis nobis auctores eſſent. Item neque Apoſtolos neque Evangelia in hiſce rebus jugum ſervitutis nobis impoſuiſſe, ſed feſtum Paſchatis, aliaque feſta libero æquoque judicio eorum, qui in illis diebus beneficia acceperant, recolenda reliquiſſe. Similia habet Sozomenus lib. 7. cap. 9. & Auguſt. epiſt. 86. ad Caſulanum.

Deinde

Deinde proferuntur varia dicta Auguſtini ex ejus diſputationibus contra Donatiſtas, ut lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 7.
,, Quam conſuetudinem (inquit) credo ex Apoſtolicâ Traditione
,, venientem, ſicut multa non inveniuntur in literis eorum, neque in
,, Conciliis poſteriorum, & tamen quia cuſtodiuntur per univerſam
,, Eccleſiam non niſi ab ipſis tradita & commendata creduntur. Et
,, lib. 4. cap. 6. Illa conſuetudo, quam & tunc homines ſurſum ver-
,, ſus aſpicientes, non videbant à poſterioribus inſtitutam rectè ab
,, Apoſtolis tradita creditur. Et lib. 4. cap. 24. Quod univerſa (in-
,, quit) tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper reten-
,, tum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolicâ traditum rectiſſimè cre-
,, ditur. Et lib. 5. cap. 23. Apoſtoli (inquit) nihil quidem exinde
,, præceperunt; ſed conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano ab
,, eorum Traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt: ſicut ſunt
,, multa, quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præ-
,, cepta benè creduntur, quanquam ſcripta non reperiantur. Item
,, lib. de Unitate Eccleſiæ cap. 19. Hoc fortè dicis (inquit) lege mi-
,, hi quemadmodum Chriſtus ſuſcipi juſſerit eos qui ab hæreticis ad
,, Eccleſiam tranſire volunt, hoc apertè atque evidenter, neque
,, ego lego, neque tu, &c. Et poſtea ſubdit. Cum hoc nuſquam
,, legatur credendum eſt teſtimonio Eccleſiæ, quam veracem eſſe
,, Chriſtus teſtatus eſt. Similia habet lib. 1. contra Creſconium,
,, cap. 31. 32. 33.

Reſp. In omnibus iis locis diſputat Auguſtinus contra Donatiſtas qui dicebant Baptiſma ab hæreticis aut extra ſuum cætum adminiſtratum non eſſe ratum, ac proinde eſſe iterandum. Ex iſtis autem locis duo ſunt quæ adverſus nos objiciuntur. 1. Quod videatur Auguſt. aſſerere in ſpecie Traditionem eſſe Apoſtolicam, quod Baptiſma non ſit iterandum. 2. Quod eâ occaſione dicat in genere, multas eſſe Traditiones Apoſtolicas non ſcriptas.

Quod ad poſterius attinet, id non eſt apud nos controverſum, cum id intelligi poſſit ac debeat de certis ritualibus, aut hiſtoricis, aut Traditionibus [illegible] non ſcriptis, ut explicavimus cap. 11. ad hyp. 4. & 6.

Quod ad prius attinet, id à nobis ſatis ſuprà explicatum eſt cap. 19. cum de iſtâ inſtantiâ egimus. Ubi etiam reſponſum eſt ad ejuſmodi teſtimonia Auguſtini dupliciter. 1. Quod Auguſtinus loquatur ibi de conſuetudine recipiendi hæreticos reſipiſcentes in Eccle-

 ſiam.

Digitized by Google

ſiam citra iterationem Baptiſmi, non de dogmate quod Baptiſma non ſit iterandum; de facto & exemplis, non de jure aut regulâ. Fatemur enim in Scripturâ non Legi aut extare ejuſmodi conſuetudinem, praxin, & exemplar, imò nec expreſſum præceptum: licet fundamentum & jus quo nititur iſta praxis ex Scripturâ colligatur. 2. Quod Auguſtinus ubi de jure loquitur Traditionem non ſcriptam intelligat, non ſimpliciter, ſed κατά τι, ut dictum eſt, alioqui ſibi ipſi contra diceret. Etenim ſæpe in iiſdem libris & alibi urget auctoritatem Scripturæ contra Donatiſtas in hoc eodem argumento. Similiter fere olim reſpondit Chemnitius, quem refellere conatur Bellarminus.

Duo autem objicit contra priorem reſponſionis noſtræ partem. „ 1. Etſi (inquit) Auguſtinus in uno loco, nempe lib. 1. contra „ Creſconium cap. 33. de exemplis agit, tamen in aliis locis citatis „ non agit de exemplis, ſed de præceptis ſive documentis Scriptu- „ ræ, præſertim lib. 5. contra Donatiſtas cap. 23. cùm ait: Quæ „ univerſa tenet Eccleſia ab Apoſtolis præcepta benè creduntur, quanquam ſcripta non reperiantur.

R. Non tantum in uno iſto loco Auguſt. loquitur de exemplis, ſed in pleriſque omnibus locis citatis apertè loquitur de conſuetudine, idque in illo ipſo loco libri quinti contra Donatiſtas cap. 23. Neque ibi nominat præceptum Apoſtolicum de non iterando Baptiſmo. Nihil quidem (inquit) ex inde præceperunt Apoſtoli: ſed quod credendum ſit conſuetudinem illam ab eorum Traditione exor- „ dium ſumpſiſſe illuſtrat à ſimili: Sicut (inquit) ſunt multa quæ uni- „ verſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis benè præcepta cre- „ duntur, quanquam ſcripta non reperiantur. Ejuſmodi enim ſunt ritus de quibus verba fecit epiſt. 118. ad Januarium.

Deinde inſtat Bellarm. Quòd in illo etiam uno loco ex lib. contra Creſconium quæſtio præcipua non erat de exemplo ſeu facto, ſed de jure Rebaptizandi. Etenim ſi quæſtio præcipua fuiſſet de exemplis, Donatiſtæ non fuiſſent hæretici, nec ullo modo erráſſent, nam veriſſimum eſt, quod illi dicebant, conſentiente iis etiam Auguſtino, nullum exemplum extare in Scripturis de hac re.

Reſp. Etſi quæſtio præcipua non erat de exemplis, ſed de jure in integro iſto libro, tamen quia inter diſputandum (utor verbis Bellarmini) Donatiſtæ petiverant ut oſtenderent Catholici aliquod exemplum in Scripturis alicujus recepti ab Eccleſiâ ſine Baptizatione, Augu-

Auguſtinus reſpondet exempla in Scripturis nulla eſſe nec pro unâ parte nec pro aliâ: atque hoc ipſum clare dicit Auguſtinus loco citato, & lib. de Unitate Eccleſiâ, cap. 19 & lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 6. Non eſt itaque ad rem quod Bellar. loquitur de præcipuâ quæſtione, aut deſcopo totius libri vel operis, cum in illis verbis quæ nobis objiciuntur, tantùm agatur de exemplis.

Quod in poſteriore parte reſponſionis noſtræ diximus Auguſtinum ſæpe multumque urgere auctoritatem Scripturæ contra Donatiſtas in hac ipsâ quæſtione de non iterando Baptiſmo, probari poteſt ex plurimis locis: ſed nos contenti erimus iis quos ex Chemnitio recenſet Bellarm. 1. Ex lib. 1. contra Donatiſtas cap. 7. Jam ne „ videar humanis argumentis id agere, quoniam quæſtionis hujus „ obſcuritas prioribus Eccleſiæ temporibus ante Schiſma Donati, „ magnos viros, & magnâ charitate præditos, Patres Epiſcopos, ita „ inter ſe compulit ſalvâ pace diſceptare atque fluctuare, ut diu Con„ciliorum in ſuis quibuſque regionibus diverſa ſtatuta mutaverint, „ donec plenario totius orbis Concilio, quod ſaluberrimè ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur: ex Evangelio pro„ fero certa documenta, quibus Domino adjuvante demonſtro, „ quàm rectè placuerit, & verè ſecundum Deum, ut hoc in quo„ quam Schiſmatico vel hæretico Eccleſiaſtica medicina curaret, in „ quo vulnere ſeparabatur: illud autem quod ſanum maneret, agni„ tum potiùs approbaretur, quàm improbatum vulneraretur. 2. Ex „ lib. 2. cap. 14. Quid ſit pernicioſius, utrum non Baptizari an Re„ baptizari, judicare difficile eſt: veruntamen recurrens ad illam „ ſtateram Dominicam, ubi non ex humano ſenſu ſed ex divinâ au„ ctoritate rerum momenta penſantur, invenio de utraque re Do„ mini ſententiam, nempe in Scripturis. 3. Ex lib. 4. cap. 7. Huc „ accedit, quia benè perſpectis ex utroque latere diſputationis ra„ tionibus, & Scripturarum teſtimoniis, poteſt etiam dici quod veri„ tas declaravit, hoc ſequimur. 4. Ex lib. 4. cap. 24. Veraciter „ conjici poteſt, quid valeat parvulis Baptiſmi Sacramentum ex „ Circumciſione carnis. 5. Ex lib. 5. cap. 4. Quiſquis & Eccleſiæ „ conſuetudine, & poſteriore robore plenarii Concilii, & tot tantiſ„ que Sanctarum Scripturarum teſtimoniis, & perſpicuis rationibus „ veritatis intelligit, Chriſti Baptiſmum verbis Evangelicis conſe„ cratum non fieri cujuſlibet hominis perverſitate perverſum. 6. Ex „ lib. 6. cap. 1. Poterat jam ſufficere quod toties repetitis rationibus,

Auguſtinus contra Donatiſtas premit in primis Scripturas.

Digitized by Google

„ bus, adjunctis etiam Scripturarum documentis, oſtendimus. 7. Ex „ lib. 5. cap. 23. Contra mandatum Dei eſſe quòd venientes ab hæ- „ reticis, ſi jam illic Baptiſmum Chriſti acceperunt, Baptizantur, „ quia Scripturarum teſtimoniis non ſolum oſtenditur, ſed planè „ oſtenditur, multos Pſeudo-chriſtianos, quanquam non habeant „ eandem charitatem cum ſanctis, ſine quâ nihil pro ſunt, quæcun- „ que ſancta habere potuerunt, Baptiſmum tamen habere commu- „ nem cum Sanctis. 8. Ex lib. 5. cap. 26. Quod nos admonet Cy- „ prianus ut ad fontem recurramus, id eſt, ad Apoſtolicam Tradi- „ tionem, & inde canalem in noſtra tempora dirigamus, optimum „ eſt & ſine dubitatione faciendum. Traditum eſt ergo nobis, ſi- „ cut ipſe commemorat, ab Apoſtolis, quod ſit unus Deus, unum „ Baptiſma.

Reſponſiones Bellarmini refutantur.

Reſpondet Bellarm. 1. Communiter, deinde ſigillatim ſeu ad ſingula teſtimonia. Communiter duo dicit: Primum, Pontificios non adferre loca illa Auguſtini præcipuè propter id quod ipſe ait, conſuetudinem non rebaptizandi eſſe ex Apoſtolicâ Traditione, ſed propter id quod ipſe in illis locis ſubjungit, plurima ſervari ex Traditione Apoſtolicâ quæ ſcripta non ſunt, hoc enim principium tam certum, inquit, erat apud Auguſtinum, ut inde probare vellet etiam conſuetudinem non rebaptizandi eſſe ab Apoſtolis traditam.

At (inquam) plurima ſervari ex Traditione Apoſtolicâ, quæ ſcripta non ſunt, non eſt apud nos controverſum, ut jam diximus. Si autem inde probaret conſuetudinem non rebaptizandi eſſe ab Apoſtolis traditam, peſſimè argumentaretur Auguſtinus, ex particularibus enim nihil ſequitur, ſed Auguſtinus non ita ineptus eſt; tantum praxin illam à ſimili illuſtrat (ut ſuprà monuimus.)

Alterum quod reſpondet Bellarm. eſt, illam ipſam conſuetudinem nunquam putâſſe Auguſtinum poſſe ſufficienter probari ex Scripturis, & ideo attuliſſe eum quidem undecunque rationes & Scripturas, tamen præcipuum fundamentum conſtituiſſe in Traditione, quam declarabat Eccleſiæ conſuetudo, & quam etiam poſteà declaravit Concilium generale.

At (inquam) non eſt ad rem quid præcipue urgeat Auguſtinus contra præfractos Adverſarios, qui teſtimoniis Sacræ Scripturæ convinci ſe non ſinebant. Hoc tantum in præſentiâ ſpectandum eſt, utrum Auguſtinus rectè uſus ſit aut uti ſe putaverit teſtimoniis Scripturæ in hac causâ, an non. Nam ſi non ab uſus eſt Scripturis, aut ex in-

ex inſcitiâ aut ex inſtituto; certè veritas iſtius quæſtionis in Scripturis continetur, aut revera, aut ſaltem ex ſententiâ Auguſtini. Majoris autem auctoritatis procul dubio eſt unum teſtimonium Scripturæ, quàm quævis conſuetudo Eccleſiæ aut Concilium generale. Sequuntur reſponſiones Bellarmini ad ſingula teſtimonia.

Ad primum reſpondet dicere Auguſtinum, non potuiſſe ex Scripturis finiri quæſtionem illam ante Concilium Eccleſiæ plenarium: ſed poſtquam Concilium explicavit dubitationem, jam adferri poſſe certa documenta Scripturæ, Scripturæ enim explicatæ à Concilio firmiter & certò probant id quod ante nòn firmiter probabant.

At inquam, prius eſt falſum, poſterius ἀθεολόγον & ineptum. Falſum eſt Auguſtinum dicere id quod ei affingit Bellarm. Dicit quidem ante Concilium plenarium ob obſcuritatem quæſtionis fluctuâſſe viros dictos, & ſalvâ pace inter ſe diſcrepâſſe ac diſceptâſſe, non autem non potuiſſe finiri quæſtionem ex Scripturis ante Concilium generale; nam ſi non potuiſſet ante Concilium quæſtio determinari ex Scripturis, Concilium ipſum non potuit eam determinare ex Scripturis. Neque enim Concilium quicquam elicit ex Scripturis quod non prius erat in Scripturis.

Deinde ἀθεολόγον & abſurdum eſt dicere Scripturas explicatas à Concilio firmiter & certò probare id quod anteà firmiter non probabant: Concilium enim nullam novam vim, auctoritatem, aut ſenſum infert aut addit Scripturis quem antea non habebant, ſed explicare poteſt & declarare, quod anteà erat in Scripturis, tum ita inepta eſt hæc reſponſio Bellarmini, ut in eâ nobis victas manus det: nam ſi Scripturæ explicatæ à Concilio firmiter & certò probant non eſſe rebaptizandos hæreticos reſipiſcentes, tum non eſt traditio nullo modo ſcripta, ſeu quæ nullum habet fundamentum in Scripturâ.

Ad ſecundum teſtimonium reſpondet Bellarm. illud non eſſe ad propoſitum, ibi enim Auguſtinum probare ex Scripturis, poſt verum Baptiſmum, non eſſe addendum alium Baptiſmum, quod nec Donatiſtæ negâſſent: non autem probare Baptiſmum hæreticorũ eſſe verum Baptiſmum, adeoque non iterandum, de quo erat quæſtio.

At (inquam) hæc reſponſio inepta eſt, aut ineptum facit Auguſtinum, quaſi Auguſtinus in tam accuratâ diſputatione contra Donatiſtas, laboraret in eo probando, quod non eſt ad rem, nempe quod ultro concedebant Adverſarii. Verùm Auguſtinus in totâ iſta

Digitized by Google

diſputatione, hoc ſibi probandum proponit Baptiſma Chriſti verbis Evangelicis conſecratum, ſeu quod adminiſtrabatur more à Chriſto inſtituto in Evangelio non eſſe iterandum (id quod in loco etiam citato docet) ſive ab hæreticis ſive ab Orthodoxis miniſtris conferretur. Exceptionem autem Adverſariorum de hæretico aut Schiſmatico miniſtro paſſim refellit, oſtendens nullam perverſitatem miniſtri irritum efficere talem Baptiſmum, nempe ſecundum inſtitutionem Chriſti celebratum. Hanc autem conditionem addit, quia non putabat Baptiſmum omnium hæreticorum eſſe ratum, nempe à quibus non ſervabatur Chriſti inſtitutio, cùm non rectè de Trinitate ſentirent, nec in ejus nomine Baptizarent. Cum ergo Auguſtinus concludit poſt verum Baptiſmum, non eſſe addendum alium Baptiſmum, intelligens verum Baptiſmum quicunque ſecundum inſtitutionem Chriſti celebratur, planè contradicit Donatiſtis: id quod magis apparet, cùm exceptionem eorum refellit, ut dictum eſt.

Ad tertium, quartum, quintum & ſextum reſpondet Bellarm. Auguſtinum ibi adferre conjecturas ex Scripturis quæ poſt definitionem Concilii & exploratam Traditionem non ſcriptam aliquid valent ad veritatem confirmandam, per ſe autem non ſufficiunt id (inquit) patet ex verbis Auguſtini: ubi ſemper ponit Scripturas poſt „ conſuetudinem & Concilium, & utitur illis verbis: *Accedit huc*, „ *conjicere poſſumus: additis etiam Scripturis, &c.*

Reſp. Quod Auguſtinus ponat Scripturas poſt conſuetudinem & Concilium, utens illis verbis, *Accedit huc, additis etiam Scripturis*, ſtultum eſt inde concludere argumenta à Scripturis ſumpta inferiora aut infirmiora eſſe auctoritate conſuetudinis & Concilii, quaſi verò nunquam uſu veniat, ut graviora & certiora argumenta levioribus ſubjungantur, quod plerunque fieri ſolet. In uno autem tantùm loco utitur Auguſtinus iſtis verbis *Conjicere licet*. Neque tamen quia ſic Auguſtinus modeſte loquitur, exiſtimandum eſt argumentum per ſe eſſe infirmum. Nihil frequentiùs occurrit apud Ariſtotelem & alios magnos viros, quàm verbum δοκεῖ videtur, cùm ſolidiſſimè concludunt & argumentantur. In aliis autem locis appellat *Tot, tantaque Sanctarum Scripturarum teſtimonia, & Scripturarum documenta*: ſicut in primo teſtimonio dixit, *ſe ex Evangelio proferre certa documenta*, à quibus demonſtrat inſtitutum. Et Bellarm. ipſe in reſponſione ad primum locum ait poſt explicationem Concilii adferri poſſe certa documenta Scripturæ quæ firmiter & certò probant inſtitutum. Unde

Unde nos concluſimus etiam ante explicationem Concilii fuiſſe non minùs certa documenta Scripturæ quæ certò ac firmiter probant inſtitutum, neq; enim naturam rei aut argumenti variat Concilium aut tempus, ut ex contingente efficere poſſit neceſſarium aut contrà.

Ad ſeptimum reſpondet, illa verba: *Scripturarum teſtimoniis planè „ oſtenditur*, non referri ad ſuperiora. *Quod venientes ab hæreticis, ſi jam „ illic Baptiſmum Chriſti acceperunt, non ſunt denuò Baptizandi*, ſed ad „ ſequentia, nempe *Multos Pſeudo-chriſtianos quanvis non habeant ean„ dem charitatem cum ſanctis, ſine quâ nihil proſunt, quacunque ſancta ha„ bere potuerunt, Baptiſmum tamen habere communem cum ſanctis.* Ubi beatus Auguſtinus dicit certum eſſe ex Scripturis multos Chriſtianos Baptizatos in Eccleſia perdere charitatem & non perdere Baptiſmum, quod etiam Donatiſtæ concedebant: non autem dicit certum eſſe ex Scripturis Baptiſmum ab hæreticis datum eſſe ratum. Præterea etiamſi illa verba referrentur (inquit) ad ſuperiora, nihil adhuc nos juvarent, nam ibi etiam non dicit Auguſtinum certum eſſe Baptiſmum hæreticorum eſſe ratum, ſed dicit certum eſſe eum qui verum Chriſti Baptiſmum accepit, non debere rebaptizari, quod etiam Donatiſtæ concedebant. Sed poſteà ſupererat quæſtio an Baptiſmus hæreticorum eſſet verus necne.

Reſp. Nos quidem facilè concedimus verba iſta [*Scripturarum teſtimoniis planè oſtenditur,*] conjungi cum ſequentibus, ſed tamen certum eſt reſpectum habere etiam ad præcedentia quibus conjunguntur per particulam [*quia*] quâ oſtenditur illa verba continere rationem ſeu confirmationem præcedentium. Cæterùm nimis ineptus eſt Bellarminus qui vult Auguſtinum adeò ineptè diſputare quaſi futiliter luderet in ignoratione Elenchi, & nihil aliud concluderet niſi quod adverſarius ultro concederet. Sic quidem Auguſtinus non adferret certa documenta (quod ipſe profitetur) ex Scripturis contra adverſarios, imò nec probabiles conjecturas. Notandum autem eſt in hac diſputatione ad convincendos adverſarios duo ſibi propoſuiſſe Auguſtinum: unum, ut oſtenderet verum Chriſti Baptiſma non eſſe iterandum. Verum autem intelligit, in quo ſunt omnes conditiones in Chriſti inſtitutione requiſitæ, alterum, quia excipiebant Donatiſtæ hanc etiam conditionem requiri ad verum Baptiſmum, ut in purâ Eccleſiâ adminiſtretur, quaſi impuritas hominum poſſet vitiare Sacramentum: quanquam ſatis erat Auguſtino negare hanc eſſe conditionem à Chriſto requiſitam, cùm eam probare non poſſent

Bbbb 2 adver-

Digitized by Google

adverſarii, tamen hanc etiam objectionem refellit ex Scripturâ oſtendens perverſitatem hominum non evertere veritatem Baptiſmi. Nulla enim perverſitas miniſtri obſervantis Chriſti inſtitutionem poteſt obeſſe Baptizatis, neque etiam perverſitas recipientis tollit naturam Baptiſmi, ſed inutilem reddit ipſi donec per reſipiſcentiam corrigatur. Atque ut id manifeſtum facit in aliis vitiis & ſceleribus, ita eandem eſſe rationem oſtendit hæreſeos & errorum intellectûs.

Fraudulenter itaque divellit Bellarm. duplicem hunc Auguſtini ſcopum ut diſputationem ejus enervet. Si Auguſtinus tantum dixiſſet quoſdam impios non eſſe rebaptizandos non contradixiſſent Donatiſtæ. Item, ſi nihil aliud dixiſſet, quàm verum Baptiſmum non eſſe iterandum, eludere potuerunt Donatiſtæ, aſſerentes Baptiſmum hæreticorum non eſſe verum, ſed cùm ille verum Baptiſmum explicet quicunque ſecundum morem à Chriſto in Evangelio inſtitutum, celebratur, & probet perverſitatem hominum non evertere veritatem Baptiſmi, neque aliam eſſe rationem hæreſeos hactenus quàm aliorum ſcelerum, tum undique conſtricti tenentur. Quâ enim aliâ ratione probabant Donatiſtæ, & ante eos Cyprianus inter hæreticos non eſſe Baptiſmum, quàm quia ſalutares effectus Baptiſmi, putà ſanctificatio & communicatio Spiritus Sancti & communio Sanctorum non conveniunt iis qui ſunt extra Eccleſiam. At eadem ratio non minùs militat adverſus eos qui ritè in Eccleſiâ baptizati ſunt, omnes enim ſcelerati & impii inſtar Simonis Magi ſuo vitio amittunt fructum Baptiſmi, ſi non reſipiſcant, neque tamen ſi reſipiſcant, rurſus ſunt baptizandi, neque minùs damnantur & Deo exoſi ſunt qui vacant charitate, quàm qui errant in fide. Imo ſi ideo hæretici dicuntur non habere Baptiſmum, quia de Deo prava ſentiunt, hoc idem accidere poteſt (inquit Auguſt. in eodem cap.) iis qui naſcuntur & Baptizantur in Eccleſiâ, ac propterea etiam Baptiſmus Eccleſiæ eſſet irritus, quod abſurdum eſt, item ſi Baptiſmus non poſſit ſeparari ab Eccleſiâ, ſeu à fide Eccleſiæ, tum quicunque in verâ Eccleſiâ Baptiſmum acceperit, non diutius Baptiſmum retineret, quàm quoad in Eccleſiâ maneret, ſeu in fide Eccleſiæ perſeveraret, at hoc falſum eſſe conſtat, neque enim qui diſcedit ab Eccleſiâ ſeu à verâ fide, Baptiſmum amittit, nam ideo redeunti ad Eccleſiam non redditur Baptiſmus, quia, cum diſcederet, non amiſit.

Ad octavum reſpondet Auguſtinum ibi non probare ex Scripturâ ſenten-

ſententiam ſuam, ſed referre quâ Scripturâ conabantur adverſarii probare contrariam ſententiam. At inquam in eo loco laudat ſententiam Cypriani etſi in hac cauſa adverſarii, quod ad Traditionem ſcriptam ſeu Scripturam provocet,& conditionem accipit: ac proinde non tantum refert quâ Scripturâ adverſarii probabant ſententiam ſuam, ſed quod in hac diſputatione recurrendum ſit ad Scripturam tamquam fontem agnoſcit: unde etiam argumenta, pro veritate deducit.

Hactenus omnia teſtimonia à Bellarm. citata expendimus. Quæ ab aliis adduntur leviora ſunt & facile ex dictis ad ea reſponderi poteſt, ut iis recenſendis immorari nullum ſit operæpretium.

Atque ita per Dei gratiam perfectionem & ſufficientiam Sanctæ Scripturæ in doctrinâ fidei & morum, adverſus omnia Traditionum non ſcriptarum additamenta demonſtravimus: ut ad Scripturam tamquam normam adæquatam omnes de Religione controverſias exigendas eſſe, nec quidquam extra eam tamquam ad fidem, mores, & ſalutem neceſſarium agnoſcendum aut admittendum eſſe conſtet.

Digitized by Google

Tractatus de SABBATO & DIE DOMINICO,

Ad Cap. 2. Geneſeos verſu ſecundo & tertio.

Perfecit Deus opus ſuum die ſeptimo nihil tamen eo die creavit.

QUÆRITUR hîc quomodo dicatur Deum perfeciſſe ſuum opus in die ſeptimo, cùm mox addatur Deum quieviſſe ſeu ceſſâſſe die ſeptimo ab omni opere ſuo quod fecerat, & verſu præcedenti in Epilogo qui complectitur opera ſex dierum dicatur perfectos eſſe Cœlos & Terram, & omnem exercitum eorum: in quâ ſententiâ omnes creaturæ comprehenduntur, & in quarto Præcepto Decalogi diſerte doceatur Deum ſex diebus perfeciſſe Cœlum, Terram, Mare, & quicquid eſt in iis, & requies nobis ab omni opere noſtro præcipiatur ad exemplum Dei.

Proinde magis conſentaneum videtur dicere Deum perfeciſſe opus ſuum die ſexto quàm die ſeptimo, ac propterea ſeptuaginta Interpretes hoc loco, pro die ſeptimo, ſextum ſubſtituerunt. Συνετέλεσεν ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ τὰ ἔργα αὐτοῦ.

Error Hieronymi.

Non deſunt qui aliquam operationem Deo tribuunt in ipſo die ſeptimo, ut poſt eam requieverit ab omni opere ſuo. Hieronymus in quæſtionibus ſeu Traditionibus Hebraicis in Geneſin ſcribens in hæc verba quæ ſecundum Septuaginta ſic ſe habent, Et conſummavit Deus in die ſexto opera ſua quæ fecit: pro die ſextâ, in-„ quit, in Hebræo diem ſeptimam habemus Arctabimus igitur Ju-„ dæos qui de otio Sabbati gloriantur, quod jam tunc in princi-„ pio diſſolutum ſit, dum Deus operatur in Sabbato complens ope-„ ra ſua in eo, & benedicens ipſi diei quia in illo univerſa compleverit.

Catarini & aliorum.

Ambroſius Catarinus in Geneſin putat fœminam factam eſſe die ſeptimo, & quod inter opera ſexti diei capite præcedenti v. 27. dicitur

citur *Maſculum & Fœminam creavit eos*, per anticipationem dictum eſſe inquit non eſt dubitandum: cùm fœmina non creata eſſet eo die ſed ſequente. Et anticipationem quidem in illis verbis agnoſcunt Chryſoſtomus & Origenes in illum locum. Item Gregorius Magnus qui lib. 32. Moral. cap. 10. dicit mulierem etiam creatam eſſe die ſeptimo. Probat idem Catarinus auctoritate Hieronymi in tractatu adverſus Judæos. Sic Auguſtinus Steuchus in Geneſ. 2. memorat Traditionem, quòd Adamus poſtquam nomina omnibus creaturis impoſuiſſet defeſſus in altum ſoporem inciderit, & die ſeptimo mane, latere ejus aperto, ex coſtâ mulier fabricata fuerit.

Sed hæc & talia nullum fundamentum habent in Sacris Literis, imo, ut ex locis citatis patet, planè repugnat Scripturæ aliquid die ſeptimo creatum dicere.

Non nemo non ita pridem novam ſententiam de horum verborum ſenſu excogitavit, nempe quod hîc dicitur Deum perfeciſſe die ſeptimo opus ſuum, intelligendum eſſe de ejuſmodi perfectione operis, quæ nullo modo ſpectat ad ſextum diem aut ſex dies præcedentes, ſed quæ propria eſſet diei ſeptimo & à Chriſto promiſſo penderet. Ad quam ſententiam aſtruendam has hypotheſes præmittit, 1. Quòd primi noſtri parentes eodem die ſexto quo creati ſunt, etiam lapſi ſint (atque in hoc multi conſentiunt) idque in extremâ parte ejus diei. 2. Quod Deus reſtituerit hominem per promiſſionem ſeminis benedicti, id eſt, Chriſti, in primâ parte diei ſeptimi qui à veſperâ incipit: ut ſit ὑστερόπρωτον in hiſtoriâ, cum tertio demum capite lapſus & reparatio hominis per Chriſtum promiſſum enarretur. 3. Quòd inſtitutio Sabbati facta ſit eodem tempore quo promiſſio illa data eſt, nempe in ipſo initio diei ſeptimi poſt lapſum.

Sententia nova de Chriſto die ſeptimo promiſſo rejicitur.

His poſitis quatuor illa dicta quæ hîc habentur de die ſeptimo. 1. Quod Deus perfecit opus ſuum die ſeptimo. 2. Quod quievit die ſeptimo. 3. Quòd benedixit diei ſeptimo. 4. Quod ſanctificavit eum, iſta omnia refert ad Chriſtum promiſſum ut unicum Sabbati fundamentum. Benedixit, inquit, revelando eo die maximam benedictionem quæ ſuperat omnia bona in ſex diebus edita: quievit, quia jam homini reconciliatus acquievit in dilecto filio ſuo noſtri Redemptore. Itaque perfecit opus ſuum die ſeptimo, quia per Chriſtum novam perfectionem ei dedit, nempe non naturalem (nam ea data fuit die ſexto & mox aſtu Diaboli per peccatum hominis

minis depravata) ſed ſupernaturalem, Deo Patre promittente Chriſtum ad redimendum hominem & inſtaurandum mundum: & Chriſto Filio hoc officium recipiente, ut nos ab omni malo redimat & transferat ab iſta mutabili conditione in quâ creati ſumus ad multò meliorem & immutabilem tum gratiæ in hac vitâ, tum gloriæ in futurâ: & Sp. Sancto primis parentibus fidem inſpirante quâ promiſſionem apprehenderent, & fœdus novum gratiæ inter Deum & homines obſignante. Denique ſanctificavit, quia ſeparavit hunc diem Deus obſervandum deinceps ut benedictum propter rationes prædictas in memoriam tantorum beneficiorum.

Hæc quidem piè & concinnè dicta videntur, ſed vereor ut parum ſolide: nam cum eodem verbo Sp. Sanctus hîc utatur verſ. 1. hujus cap, & verſ. 2. ubi dicitur *perfectos eſſe Cœlos & Terram, &c.* & *Deum perfeciſſe opus ſuum*, non eſt veriſimile aliam perfectionem intelligi in 2. verſ. & aliam in 1. In primo autem qui continet Epilogum hiſtoriæ ſex dierum, non eſt dubium quin loquatur de conſummatione operis ſpatio ſex dierum quæ propterea etiam in 2. verſ. intelligi debet: & in tam ſimplici narratione non eſt conſentaneum tam longè petita myſteriâ latêre: præſertim cum in quarto Decalogi Præcepto de Sabbato & alibi ſemper in Scripturâ, non alia memoretur perfectio operum Dei quàm quæ ad ſex dies refertur, nec alia quies, quàm quæ eorum abſolutionem conſecuta eſt.

Deus perfecit ſuum opus ceſſando ab ulteriori opere.

Itaque quod hic dicitur Deum die ſeptimo perfeciſſe opus ſuum, nihil aliud innuitur, quàm Deum ceſſâſſe ſeu deſiiſſe ab opere ſuo die ſeptimo: & verba quæ ſequuntur, continent exegeſin præcedentium. Perfecit opus ſuum, & quievit ſeu ceſſavit ab opere ſuo. Rectè etiam obſervatur à doctis hîc verbum reddi poſſe per plusquamperfectum ſic, *Et perfecerat Deus die ſeptimo opus ſuum*: nam Hebræi, quibus unicum eſt tempus præteritum, unâ & eadem voce imperfectum, perfectum, & pluſquamperfectum denotant: ideoque prout ſenſus poſtulat vox præteriti apud Hebræos reddenda eſt per iſtas differentias imperfecti, perfecti, aut pluſquamperfecti. Sic hoc eodem loco vulgatus Interpres reddit iſta duo verba quæ hîc uſurpantur עָשָׂה & שָׁבַת *fecerat, creavit.*

Neque verò in reipſa ullum eſt diſcrimen inter verſionem Septuaginta & Hebraicam veritatem, cùm utrumque verum ſit, & Deum ſexto die abſolviſſe opus ſuum, & die ſeptimo: die ſexto quidem qui eſt

eſt ultimus dies in quo Deus produxit opera creationis, die ſeptimo verò, qui eſt primus per quem totum ab omni opere creationis ab- „ ſtinuit. Nam quod Moſes dixit Deum in ſeptimo die compleviſſe „ ceſſando, Septuaginta dixerunt, Deum in ſexto die compleviſſe „ abſolvendo, inquit Sixtus Senenſis, bibliothecæ lib. 5. annot. 23. Hoc eſt quod quidam dicunt Deum perfeciſſe opus ſuum die ſexto incluſivè, & die ſeptimo excluſivè. Similis phraſis occurrit Ex. 12. 15. *Ex.* 12.15. ubi panis fermentatus poſt Paſcha prohibetur per ſeptem dies. *In primâ* (inquit) *die ceſſare facietis fermentum à domibus veſtris* : ac finis impoſitus fuit fermento pridie illius diei.

Interim nihil huic loco repugnat, quod Chriſtus ait Joan. 8. 17. *Pater meus uſque adhuc operatur, & ego operor.* Deus enim nunquam otiatur, & cùm ſit actus purus nunquam poteſt non agere. Dei operationes quidem aliæ ſunt internæ, aliæ externæ; & quæ ſunt internæ ſunt etiam æternæ, eæque vel eſſentiales vel perſonales, & ab ejus eſſentiâ & perſonâ minimè diverſæ. *Deus operatur uſque adhuc non creando novas ſpecies.* *Ioan.* 8.17.

Externæ reſpiciunt creaturas, in quibus ut creandis operatus eſt Deus, ita in iiſdem conſervandis & dirigendis non ceſſat operari: quippe illud idem eſſe quod Deus initio iis creando tribuit, conſervando porro impertire non deſinit: alioqui in nihilum ruerent: omnia regit, alit, fovet, ſuſtentat, & gubernat: neque quidquam agere ullæ res creatæ poſſunt, niſi Deus in ipſis agat, imò ad earum actiones immediatè concurrat. *In illo vivimus, movemur, & ſumus* Act. 17. *Act.* 17.28 28. *Ille operatur omnia in omnibus* 1 Cor. 12. 6. Sic Iſ. 26. 12. *Omnia* 1 *Cor.* 12.6. *noſtra opera operatus es in nobis omnibus.* Sed hic intelligitur Deum ſpa- *Iſ.* 26.12. tio ſex dierum abſolviſſe omnia opera creationis, ita ut nulla nova ſpecies poſtea creata ſit quæ ad mundi perfectionem ſpectat, licet nova indies oriantur individua, & varia ſubinde Deus edat opera particularia, nova & admiranda, tum ſecundum tum ſupra naturam: item quæ pertinent ad ſtatum tum gratiæ tum gloriæ electorum Iſa. 43. 19. & 65. 17. Jer. 21. 22. *Iſa.* 43.19. & 65.17.

Neque etiam ſic evertitur communis iſta ſententia de quotidianâ creatione humanarum animarum, quâ non aſſeritur creatio novarum *Ier.* 21.22. ſpecierum, ſed propagatio humanæ ſpeciei ſecundum Legem Naturæ initio à Deo poſitam, ut materiæ ab agente naturali diſpoſitæ animam rationalem infunderet.

Quod autem objicitur Deum in pœnam peccati creâſſe ſpinas & tribulos ex cap. 3. 18. non id dicitur in iſto loco tum demum ſpi-

Digitized by Google

nas & tribulos extitiſſe, ſed poſteà multiplicatum iri ut moleſtiam homini faceſſant.

Quomodo quies & motus Deo conveniant. Quòd dicitur hîc Deum quieviſſe ab omni opere ſuo quod fecerat aut creaverat, ſciendum eſt quietem propriè loquendo contra diſtingui à motu, & ſumi duobus modis, ſcilicet vel privativè, & nihil eſt aliud quàm privatio motûs in ſubjecto quod moveri poteſt: vel poſitivè, pro fine & perfectione motûs: ut cùm res per motum tendit ad quietem in loco ſuo: & quia animalia cum operantur, etiam moventur, ac continuâ operatione defatigantur, ideo cum quies iis attribuitur, non tantùm ſignificat ceſſationem à labore, ſed etiam recreationem & refrigerium. Sed nullo ex iſtis modis quies Deo propriè attribuitur, cùm omnis motûs & laboris ſit expers: ſed in Deo quies nihil aliud ſignificat, quàm vel negationem motûs abſolutè (atque hac ratione Deus perpetuò quieſcit, ut & perpetuò agit, nam & quieſcens agit, immotuſque manens dat cuncta moveri) vel negationem certæ operationis reſtrictè: ut cùm hîc dicitur non ſimpliciter quieviſſe, ſed quieviſſe ab omni opere quod creaverat. Etenim Deus ſicut nec in creatione operando laboravit, nec ante creationem ceſſando torpuit, ut loquitur Auguſtinus lib. 5. contra adverſa-
Auguſtinus. rium Legis & Prophetarum cap. 2. ita nec poſt creationem quieſcen-,, do relaxatus eſt. Itidem Auguſtinus de Geneſi ad literam lib. 4. ,, cap. 14. Nec cùm creavit defeſſus, nec cùm ceſſavit refectus eſt.
Iſ. 40. 48. Sic. Iſa. 40. 48. *Non laſſatur neque defatigatur Dominus qui creavit terminos terræ.* Eſt igitur requies Dei non laboris remedium, ſed cœptorum finis operum, ut Gaudentius tractatu de Exodo lect. 8. Neque aliter intelligendum eſt, cùm Scriptura ſimpliciter ait *Deum*
Exod. 20. 11 *requieviſſe die Sabbati* Exod. 20. 11. & *odoratum eſſe odorem quietis*
Gen. 8. 21. Gen. 8. 21. Quanquam & hæc etiam accipi poſſunt κατ' ἀνθρωποπάθειαν (quemadmodum etiam notat Chryſoſtomus in hunc locum) ut & Exod. 31. 17. ubi dicitur Deum die ſeptimo quieviſſe & reſpiraſſe, ,, ſeu refocillatum eſſe. Sic Chaldæa paraphraſis hoc ipſo loco ait ,, Deum delectatum eſſe die ſeptimo in opere ſuo quod fecerat & ,, quieviſſe ab eo.

Scite quidem Auguſt. lib. 4. de Gen. ad literam cap. 15. notat Moſen non dixiſſe Deum requieviſſe in opere ſuo, ſed ab opere ſuo, ut oſtenderet Deum non feciſſe hæc ob ſuam utilitatem in quâ proin- ,, de conquieſceret. Inſinuatur (inquit) per hanc Scripturam nullo ,, opere ſuo ſic delectatum eſſe Deum quaſi faciendi ejus eguerit vel minor

,, minor futurus niſi feciſſet, vel beatior cum feciſſet. Docet itaque Deum in ſe requieviſſe ab operibus quæ fecit, eâ ſcilicet requie à quâ ,, nunquam receſſit. Et ipſe nunquam iſta requie caruit, ſed nobis ,, eam per ſeptimam diem oſtendit: nam qui ſemper eſt quietus, tunc ,, nobis requievit, cùm ſe requieviſſe monſtravit.

Verſ. 3. Et benedixit Deus die ſeptimo & ſanctificavit illum.

Benedictio Dei, inquiunt Hebræi eſt *Toſephéth tobah*, id eſt, acceſſio boni, ſignificat autem Moſes diem ſeptimum privilegio aliquo à Deo honeſtatum eſſe, ut inter cœteros dies eſſet inſignis, non quod aliquam virtutem diei iſti indiderit præ cæteris, ut Judæi ſomniant, ſed quòd eum diem peculiariter ſanctificavit: adeò ut vox quæ ſequitur, & *ſanctificavit eum* ſit exegeſis prioris, Deus enim benedixit diei ſeptimo, ſanctificando eum, ut ille dies eſſet deinceps Religioſus & ſanctus.

Sanctificare ex uſu vocabuli duo ſignificat. 1. Sanctum efficere. 2. Sanctum agnoſcere & declarare. Similiter illa verba juſtificare, glorificare & ſimilia ſignificant vel juſtum & glorioſum efficere, vel juſtum & glorioſum declarare & prædicare: priori modo Deus nos ſanctificat, juſtificat, glorificat; poſteriori modo nos Deum aut Dei nomen ſanctificamus, & glorificamus, eique benedicimus, ſic ſapientia dicitur juſtificata à filiis ſuis Mat. 11. 19. quia ſcilicet ab illis juſta agnoſcitur & declaratur. *Quid eſt ſanctificatio.*

Rurſus ſanctificare pro ſanctum facere duobus modis accipitur. 1. ex impuro & polluto purum & ſanctum reddere, ſic Deus peccatores ſpiritu ſuo ſanctificat, ſordes peccatorum auferendo, & virtutem ſanctimoniæ ac puritatis conferendo. 2. Ex uſu communi ad uſum ſanctum parare, accommodare, & conſecrare. Sic Deus ſanctificavit Levitas, Aaronem, & poſteros ejus, tabernaculum, & vaſa ejus, cùm conſecravit & ſeparavit ad ſacrum miniſterium. Atque in hoc ſenſu Deus dicitur hîc ſanctificâſſe diem ſeptimum, non novam aliquam aut ſpecialem virtutem ſeu ſanctimoniam imprimendo (neque enim tempus aut aliquid rationis expers ſic ſanctificari poteſt) ſed ſegregando eum ab aliis diebus ratione noſtri, nempe à communi uſu & communibus hominum negotiis, à quibus eo die vacandum eſt, & ſibi ſuoque cultui proprium dicando, idque in hominum gratiam. Neque enim propter ſe Deus eum ſanctificavit, ſed propter homines ſicut docet Chriſtus non hominem eſſe propter *Mat. 11. 19*

 ſab-

Marc.2.27 ſabbatum, ſed ſabbatum propter hominem Marc. 2. 27. Sic homo dicitur ſanctificare ſabbatum, cùm non tantùm ab inhoneſtis & illicitis (à quibus ſemper abſtinendum eſt) ſed etiam ab alioqui licitis negotiis & curis mundanis ſe ſegregans diem hunc cultui Divino & Sacris exercitiis impendit. Quare ut Deus præcipiendo, ita homo præſtando Sacram quietem, & Sancta exercitia, diem ſeptimum ſanctificat.

Quæritur quid ſibi velint iſta verba בָּרָא לַעֲשׂוֹת *creavit ut faceret*, vel *creavit ad faciendum*. Varii hoc variè explicant, quorum ſententiis enarrandis ſuperſedeo: mihi videtur verbum לַעֲשׂוֹת *ut faceret*, ſubjungi hîc emphaticώs: ut intelligatur Deum non perfeciſſe opus ſuum ſimpliciter, quaſi aliud non poſſit præterea facere aut facturus eſſet, ſed abſolviſſe univerſum opus, quod ad mundi perfectionem & complementum creationis facere inſtituerat: quaſi diceret Deum ceſſâſſe ab omni opere quod creavit pro inſtituto faciendi id ſicut inſtituerat facere. Nam præpoſitio inſeparabilis ל addita infinitivo ſæpe apud Hebræos ſignificat finem & inſtitutum.

Quando Deus ſanctificavit ſeptimum diem.

Cùm hîc expreſsè dicatur Deum ſanctificâſſe diem ſeptimum, atque hac phraſi intelligatur Deum ſeparâſſe hunc diem ad ſanctum uſum, nempe ad ſacram quietem & ſancta exercitia, quoties recurrit, ab homine peragenda, quæritur quando id à Deo inſtitutum ſit.

Gomari & aliorum ſententia qui ſerius ſabbatum volunt inſtitutum non probanda.

Nonnulli exiſtimant nullum fuiſſe mandatum de ſanctificando Sabbato ante Legem Dei promulgatam in monte Sinai, ſaltem ante promiſſionem de Manna Exod. 16. id eſt, poſt 2450. annos à mundo condito, & ante illud tempus Sabbatum nec obſervatum nec cognitum fuiſſe: adeoque quæ hîc dicuntur de ſanctificatione ſabbati per anticipationem eſſe intelligenda, aut ita accipienda eſſe verba, quod Deus etiam tum ſanctificavit ſabbatum non actu & re ipſâ, ſed decreto & deſtinatione ſuâ, poſteâ, ſcilicet tempore Moſis ſignificanda.

Hanc ſententiam ex Patribus ſequi videntur Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, Tertullianus lib. adverſus Judæos cap. 4. Irenæus lib. 4. cap. 30. Euſebius hiſt. eccleſ. lib. 1. cap. 5. & de demonſtratione Evangelicâ lib. 1. cap. 6. & de præparatione lib. 7. cap. 8. Idemque docent ex recentioribus inter Pontificios Alphonſus Toſtatus Abulenſis quæſt. 3. in 23. cap. Levitici, Pererius Je-

ſuita

Digitized by Google

ſuita in hunc locum, Eſtius in annotationibus in hunc locum, & in ſecundum ſententiarum diſtinct. 15. & Gregorius de Valentiâ Commentariorum Theologicorum tom. 1. diſp. 5. quæſt. 4. puncto 2. qui ait hanc eſſe communem ſententiam Theologorum. Item inter noſtros Gomarus hanc ſententiam acriter defendit, ac nonnulli alii præſertim his temporibus noviſſimis. Hebræi etiam (inquit Mercerus in hunc locum) fere ad futurum referunt, id eſt, ad ſanctificationem Sabbati poſtea lege per Moſen ſancitam.

Inſtitutio Sabbati ante lapſum communiter docetur. *Ita Mercerus.*

Sed contrariam ſententiam plerique ex noſtris tuentur, nempe Deum ab initio hoc ipſo die eum conſecrâſſe. Nec dubitant (ut de „ ſeipſo loquitur Mercerus ibidem) etiam ante legem primis illis „ Patribus, doctore Deo, diem hunc ſolennem, auguſtum & ſacrum „ fuiſſe, ut & pleraque alia ante Legem inter illos ſunt religioſè ob- „ ſervata: ut de ſacrificiis & animalibus mundis & immundis, quæ „ diſtinguebantur in Arcâ Noæ, & alia quæ poſtea quoque lege ſunt „ inſtituta, ut Dei populus intelligeret ea Patres obſervâſſe, non ex ſe, ſed à Deo edoctos: quanquam hominum incuriâ, & corruptelâ Religionis invaleſcente, paulatim exoleviſſe videtur Sabbati obſervatio, donec ex Dei mandato per Moſen reſtitueretur.

Ita Proteſtantes & Pontificii.

Atque hæc eſt communis ſententia præcipuorum Doctorum Reformatæ Eccleſiæ, ut Lutheri in hunc locum, Zuinglii in 20. cap. Exod. Calvini in hunc locum, & in 4. præceptum Deut. 5. Bezæ in Apoc. 1. Martyris in hunc locum, & in quartum præceptum, Bullingeri in 12. Matthæi, Zanchii lib. 1. partis tertiæ de operibus creationis in quartum præceptum, Urſini in explicationibus Catecheticis in quartum præceptum, Gualteri in Matthæi 12. homilia 162. Aretii tomo 1. locorum communium, loco 30. Merceri in hunc locum, Antonii Fayi in Enchiridio. Theologiæ in quartum præceptum, Junii & Paræi in hunc locum, Zepperi lib. 4. 24. de legibus Forenſibus Judæorum, Riveti in hunc locum, & in quartum præceptum, Walæi in diſſertatione de Sabbato, Ameſii, & multorum aliorum. Multò plures nominat Rivetus in diſquiſitione de origine Sabbati cap. 1. quibus etiam adde Nicolaum Selneccervium in Geneſin, Marinum in Geneſin & Angelicos ſcriptores apud Byfeild, p. 205. 207.

Idem docent etiam inter Pontificios Ambroſius Catarinus, Fierus & Cornelius à Lapide in hunc locum, Ribera in Hebræos 4. 3. & alii.

Digitized by Google

Patres. Item ex Patribus Origenes contra Celſum lib. 6. Athanaſius de Sabbatis & circumciſione, Hieronymus in quæſtionibus ſeu Traditionibus Hebraicis in Geneſin, Auguſtinus in Epiſt. 86. ad Caſulanum. Imo Chryſoſtomum, Auguſtinum, Theodoretum, & quotquot in hæc verba commentarios ſcripſerunt qui nullam anticipationem in iis notârunt, nullam agnoviſſe, ſed ſimpliciter verba ſecundum ſeriem hiſtoriæ accepiſſe cenſendum eſt. Et quidem Chryſo-

Chryſoſtomus. ,, ſtomus ſatis diſertè hoc tradit. Jam hinc (inquit) ab initio doctri-
,, nam hanc nobis inſinuat Deus, erudiens in circulo hebdomadis
,, diem unum integrum ſegregandum & reponendum in ſpiritualem
,, operationem: quippe ob hoc Dominus completo in ſex diebus
,, opificio ſuo ſeptimum benedictione dignatus eſt & ſanctificavit,
,, eo quod in illo quieverit ab omnibus operibus ſuis quæ facere cæperat. Similia legere eſt apud Theodoretum in hunc locum. Quanquam Mercerus ait Hebræos fere ad futurum tempus referre ſanctificationem Sabbati quæ hîc narratur: tamen Manaſſe Ben Iſraël qui

Manaſſe Ben Iſrael. nuper diligenter collegit & examinavit ſententias Judæorum doctorum, etſi concedat nonnullos ex antiquis ſapientibus, quibuſdam in locis, aſſerere Sabbati obſervationem ſolis Iſraëlitis mandatam eſſe, adeo ut non omnes obligentur ad cultum illius diei. Nihilomi-
,, nùs tamen (inquit) omnes teneantur credere illud quod Sabbatum
,, ſignificat, atque idcirco recordari illius diei. Et tandem conclu-
,, dit, eos omnes qui per Traditionem à majoribus ſuis creationem
,, mundi acceperant etiam ob ſervâſſe Sabbatum, & quamvis alii qui-
,, dem illo die (inquit) adhibitis quibuſdam cæremoniis coluerunt
,, Deum, & preces ad Deum fuderunt, nihilominus tamen alii qui-
,, que eo die quieverunt & feriati ſunt. Hæc habet problemate octa-
,, vo de Creatione.

Prideaux. Joannes Prideaux in Oratione de Sabbato, etſi magis accedat ad eorum ſententiam qui Sabbatum ab initio obſervatum eſſe negant, tamen mediam quandam ſententiam conjectura ſua ponere vide-
,, tur, inquiens. Sabbati forſan quis dicat invaluiſſe in Patrum fami-
,, miliis ex primâ Benedictione & Sanctificatione liberam obſer-
,, vantiam: quam poſtea liberatæ Eccleſiæ & adultiori pro tempo-
,, re injunxit mandatum Dei.

Sed non humanis teſtimoniis quæ variant ſed Sacræ Scripturæ auctoritate & rationibus ibi fundatis nitendum eſt.

Probatur inſtitutio Quod auten initio mundi ſeptimus dies conſecratus fuerit oſtendi poteſt

poteſt primò ex hoc ipſo loco. Etenim ſiquis hiſtoriæ ſeriem ſpectat, in quâ narrantur ordine opera ſex dierum, & immediatè ſubjungitur narratio de ſeptimo die, vix fieri poteſt ut ea non exiſtimet ſeptimo illo die geſta eſſe quæ hîc ei attribuuntur, non minùs quam quæ reliquis diebus aſcribuntur in iiſdem peracta eſſe credit: & cùm quatuor de ſeptimo die continuè dicantur. 1. Quod Deus eo die perfecerat opus ſuum. 2. Quod ceſſavit & quievit ab opere. 3. Quod benedixit ei. 4. Quod ſanctificavit eum, & certum ſit duo priora ad idem tempus referri, idem videtur de duobus reliquis cenſendum niſi graves rationes diſcriminis appareant, quibus demonſtretur, longo pòſt tempore, ſanctificationem Sabbati eſſe inſtitutam. *Sabbati ab initio mũdi ex Gen. 2. 3.*

Idemque evincere videtur ratio quæ addita eſt in quarto præcepto Decalogi Exod. 20. 11. ubi illa tria immediatè conjunguntur, requies Dei in die ſeptimo, ſanctificatio & benedictio ejus nec diverſo tempore, ſed potiùs eodem contigiſſe innuitur. Porrò cùm confirmatio mandati ſumatur ab exemplo Dei, qui poſt opera creationis quievit die ſeptimo, cui propterea benedixit & ſanctificavit eum, conſentaneum eſt cùm ratio locum habuerit ab initio, etiam legem ipſam ab initio vim obtinuiſſe. Imo niſi mandatum acceſſiſſet, ratio parum conveniens fuiſſet. Neque enim tenemur Deum imitari in aliis quàm in quibus ipſe præcepit. *Item Exod. 20.11.*

Deinde certum eſt ante legem latam & promulgatam in monte Sinai commendatam eſſe populo Iſraëlis obſervationem Sabbati, cum Deus de colligendo Manna præciperet Exod. 16. ubi etiam inſinuatur non novum mandatum de Sabbato, ſed potiùs Sabbatum tanquam anteà inſtitutum, nunc propter Mannæ collectionem violandum non eſſe monetur. Etenim collectio duplicis portionis Mannæ die ſexto, intermiſſio Mannæ die ſeptimo, poni videtur ut argumentum Sabbati olim ſanctificati, verſ. 5. 23. 26. & 29. & requies Iſraëlitarum eo die exponitur, ut obſervatio legis anteà latæ verſ. 30. ſicut factum quorundam qui exiêrunt die ſeptimo ad colligendum Manna notatur ut tranſgreſſio non tantùm admonitionis aut recentis mandati, ſed legis jampridem ſancitæ verſ. 28. *Uſquequò renuiſtis cuſtodire præcepta mea & leges meas:* etenim in iſto capite nulla legitur conſtitutio nova de inſtitutione Sabbati, ſed potiùs commonefactio de Sabbato jam inſtituto, ut ſonant verba verſus 23. *Requies Sabbati ſanctitatis Domino cras*, ut ad verbum vertitur ab Aria Montano, vel ut habet vulgatus Interpres, *Requies Sabbati ſanctificata eſt Domino*

cras.

Digitized by Google

cras. Aut Tremellius, *Quies Sabbatum ſanctum eſt Jehova cras.* Et verſ. 25. *Comedite illud hodie, quia Sabbatum hodie eſt Domino.*

Item in quarto præcepto, vox illa præfixa *Memento* ſatis innuere videtur non novam legem tunc temporis ſancitam, ſed antiquam, quæ fortè incuriâ hominum obſoleverat, & ad quam negligendam homines proni erant, renovatam & ſtabilitam eſſe.

Rivetus argumentatur ab Epiſtola ad Heb. cap. 4.

Graviter urget doctiſſimus Rivetus in hunc locum & in quartum præceptum argumentum ex Hebr. 4. ubi Apoſtolus explicans & applicans ad inſtitutum ſuum Verba Dei quæ extant Pſalm. 95. ltimo; *Juravi in irâ meâ ſi ingreſſuri ſunt in requiem meam*; triplicem requiem diſtinguit: duplex enim erat typica (ut ita dicam) requies, nempe una fuit requies diei ſeptimi, altera erat requies promiſſa patribus in terrâ Canaan poſt diutinas eorum peregrinationes & labores, tertia fuit ſpiritualis & æterna requies, nempe à peccatis & laboribus noſtris ærumnoſis inchoata in hac vitâ & conſummata in futurâ, cujus utraque prior fuit typus: & docet verba Pſalmi non eſſe intelligenda proprie de alterutrâ typicâ requie, ſed præcipuè de illâ ſpirituali & æternâ per utramque illam ſignificata. Et quidem non poſſe intelligi requiem illam diei ſeptimi oſtendit in fine verſus tertii & verſu 4. quia homines à jacto mundi fundamento ingreſſi ſunt illam requiem diei ſeptimi: idque probat ex hoc ipſo loco Geneſeos 2. 3. quem citat. *Requievit Deus die ſeptimo ab omnibus operibus ſuis.* Ergo cùm Pſaltes poſt tria prope annorum millia à mundo condito loquatur de requie à quâ infideles arcentur, & ad quam fideles tendunt, aliam oportet requiem intelligat ab eâ quâ promiſcuè homines uſi ſunt à jactis fundamentis mundi. Unde colligitur quietem illam diei Sabbati incepiſſe ſtatim poſt opera Dei perfecta ſex primis diebus, & homines ab initio mundi ingreſſos eſſe illam requiem: nihil enim ſpectaret ad ſcopum Apoſtoli, ſi diceret tantum Deum quieviſſe primo die ſeptimo ab initio mundi, niſi etiam ſignificaret homines quoque illam requiem exinde ingreſſos fuiſſe.

Gomari exceptio refellitur.

Contra hoc argumentum inſtat D. Gomarus, nullum ibi fieri ſermonem de requie Sabbati nobis præſcriptâ, ſed de Dei ipſius quiete quâ quievit ab omnibus operibus ſuis. Sed rectè reſpondetur quietem hominibus die ſeptimo imperatam, & quietem Dei quæ proponitur ut exemplar quietis noſtræ; ibi quoque, ut alibi ſemper fieri ſolet, conjungendam eſſe. Id quod manifeſtè colligitur ex ſcopo & verbis Apoſtoli: Inſtituit enim, adductâ perfectâ enumeratione gene-

Digitized by Google

génerum quietis quæ ad rem præſentem ſpectant & in Scripturâ memorantur, oſtendere reliquam eſſe adhuc requiem in quam etiamnum fidelibus ingrediendum eſt præter eas quietes quarum participes erant Patres anteà communiter. Itaque alienum eſſet loqui de quiete Dei propriâ quæ hominibus nullo modo accommodari poſſet; ſed loquitur de quiete Dei, quæ nobis communicatur ad modum exemplaris, ſeu nobis imitanda proponitur: quæ etiam Dei quies dici poteſt, quatenus ejus auctor eſt Deus, ſeu à Deo præſcribitur & ad Deum refertur: ut Dei Sabbata paſſim dicuntur, quæ Deus præſcripſit & in honorem ejus obſervantur, & hoc ipſo loco omnes hæ tres quietes, quarum hîc fit mentio, nomine requietis Dei comprehenduntur. Et certè ratione earum omnium & Deus quievit & quietis ſuæ homines participes aliquo modo fecit: ratione primæ Deus quievit die ſeptimo & juſſit homines quieſcere; ratione ſecundæ, Deus qui in ſigno præſentiæ ſuæ peregrinatus eſt in deſerto cum populo ſuo, cum eodem quievit in terrâ Canaan. Ratione tertiæ, Deus qui in ſe æterne beatus quieſcit, fideles illius beatæ quietis participes facit.

Atque hoc ipſum diſertè docet Apoſtolus verſ. 9. & 10. *Itaque reliquum eſt aliquis Sabbatiſmus populo Dei: nam qui ingreſſus eſt in requiem ipſius, requievit & ipſe ab operibus ſuis, quemadmodum à ſuis Deus.* Ergo planè ſignificat ſe loqui de requie ſeu Sabbatiſmo qui ſpectat ad populum Dei, & in quem homines ingrediuntur requieſcentes ab operibus ſuis, quemadmodum à ſuis requievit Deus.

Atque hæc ſunt argumenta ex manifeſtis Scripturæ locis petita, quibus unam, omiſſis aliis, rationem ſubjungam. Conſtat apud omnes hoc eſſe juris naturalis & perpetui, ex ipſius naturæ dictamine; ut certa tempora ſeparentur ad celebrationem & cultum Dei: unde apud omnes gentes ſtata tempora ad hunc finem deſtinata & conſecrata ſunt. Itaque fieri non potuit quin Adamus & ſancti Patriarchæ dies aliquos ſacros habuerint, quibus publicus cultus perageretur: nec veriſimile eſt eos defuiſſe Eccleſiæ ab ortu mundi ad donationem Mannæ 2450. & amplius annis: & ſi qui fuerint tum dies ſacri, conſentaneum diem à Deo inſtitutum eſſe obſervatum ſaltem à primis Patriarchis, de cujus ſanctificatione tam perſpicuum teſtimonium extat in Sacris Literis, potiùs quàm alios dies aut ab hominibus inventos, aut de quibus nihil in Scripturâ legere eſt, nec credibile eſt Adamum à Deo ipſo inſtitutum, cui opera ſex dierum probè *Ius naturæ requirit ſtata tempora divini cultûs.*

nota erant, ignarum fuiſſe ſanctificationis diei ſeptimi: quam ſi cognoverit & ipſum obſervaſſe illum diem, poſteriſque obſervandum tradidiſſe non eſt dubium.

Refelluntur Gomari exceptiones.

,, Reſpondet D. Gomarus ſeptimi diei præ cæteris religionem à ,, Liberâ Dei voluntate dependere, non ab ullâ rei aut diei neceſſi- ,, tate: ac proinde nihil obſtare quo minus alio tempore idoneo ad ,, Religionem publicè exercendam convenerint pii Patres; partim ,, quia neque de Sabbato à Patribus obſervando ullum extat præ- ,, ceptum, neque obſervati illius minimum in Sacris Literis veſti- ,, gium extat.

Sed cùm hoc concedatur pios Patres idoneo tempore ad Religionem publicè exercendam conveniſſe, nec negari poſſit eos, licet verbo ſcripto deſtituti eſſent, tamen revelationibus divinis ſatis inſtructos, & de iis quæ ad cultum Dei ſpectant Verbo Dei aut immediatè, aut mediatè per majorum Traditionem edoctos fuiſſe, multaque obſervâſſe quæ poſteà lege Moſis perſcripta erant (ut in ſacrificiis offerendis, diſtinctione animalium mundorum & immundorum & cæt.) quę illi procul dubio à Deo tradita acceperunt, credendū eſt eos etiam de tempore ſacro non ex ſuo proprio ſed ex divino conſilio & inſtituto ſtatuiſſe: nam temporis ſacri rationem definire ita neceſſarium viſum eſt Deo, ut in breviſſima iſta ſumma præceptorum divinorum quæ in Decalogo continetur, luculenter eam deſcripſerit. Atque illæ ipſæ rationes quæ ibi memorantur de obſervando die ſeptimo non minus ad Patres quàm ad eorum poſteros pertinuerunt. Quocirca alium diem ad ſacra officia publicè peragenda illis quàm his præſcriptum eſſe, valde incredibile eſt, cùm nulla ratio, nulla auctoritas id ſuadeat.

,, Quod autem ait diei ſeptimi præ cæteris Religionem à liberâ ,, Dei voluntate dependere, ultro agnoſcimus: ſed Deum, qui cultum ſui publicum præcepit, neceſſariam temporis circumſtantiam indefinitam reliquiſſe, ut ab hominum voluntate dependeret, ab- ,, ſurdum exiſtimamus. Quod autem dicit nullum extare præcep- ,, tum de Sabbato à Patribus obſervando, manifeſta eſt petitio quæſiti: nam hoc in loco Sabbati inſtitutionem contineri, & de eo obſervando præceptum haberi aſſerimus & probavimus. Et procul dubio, ſi ab initio ſanctificavit diem ſeptimum, de eo ſanctificando præceptum dedit, nihil enim ſanctum fieri dicitur ſine præcepto divino.

,, Quod autem ſubjungit, illius obſervati nullum extare veſtigium

in

Digitized by Google

,, in ſacris Literis, nullius momenti eſt: neque enim in talibus valet argumentum, aliquid non eſſe factum quia Scriptura id non narrat. Imo iſtiuſmodi ratione additis aliis adminiculis, nos multò meliùs colligere poſſemus nullum alium diem obſervatum eſſe à Patribus; quia nullius alterius diei aut inſtituti aut obſervati ab illis uſquam meminit Scriptura. Sed in hoc loco mentionem fieri ſanctificationis Sabbati certum eſt; & ſi quidem hoc tempore inſtitutum eſt, non dubium eſt quin aliquando etiam à Patriarchis obſervatum ſit.

Quanquam etiam ex aliis Scripturæ locis nonnulli probabiliter colligunt praxin Patrum in obſervando Sabbato, ut cùm Geneſ. 4. verſ, 3. 4. legitur Abelem & Cainum in fine dierum (ita enim verba Hebræa ſonant) obtuliſſe ſua ſacrificia, veriſimile eſt intelligi finem ſeu ultimum diem ſeptimanæ: etenim in nullo alio Scripturæ loco facile invenire eſt hanc phraſin uſurpari indefinitè, ſed ad denotandum finem certi temporis. Cur autem hîc longius tempus, quàm unius ſeptimanæ definiretur nulla ratio apparet. Item quod Noah Geneſ. 8. 10. 12. ſeptimum diem obſervavit in emiſſione columbæ: quoniam eo die videtur cum familiâ ſuâ perculiariter exercitatus fuiſſe in cultu divino ac poſt eum expectâſſe Dei benedictionem. Sed in ejuſmodi probabilibus non immoramur.

Reſpondetur ad argumenta adverſæ ſententiæ.

Argumenta pro contrariâ ſententiâ quæ aliquam ſpeciem habent, hujuſmodi ſunt. *Ad primũ Gomari argumentum ex Exodi 16. 29. reſpondetur.*

Primum. Quod Deus in Sacris Literis dediſſe Judæis dicitur peculiariter in ſignum ſanctificationis ipſorum, id non fuit omnibus ab origine mundi traditum: Atqui Sabbatum eſt ejuſmodi: E. Minorem probant ex Exodi 16. 29. *Videte quod Jehovah dedit vobis illud Sabbatum: idcirco dat vobis die ſexto cibum bidui*, & Exodi 31. verſ. 13. *Nam ſignum eſt inter me & vos per generationes veſtras ad cognoſcendum me eſſe Jehovam qui Sanctifico vos.* Et Ezech. 20. 12. *Sabbata dedi eis ut eſſent ſignum inter me & ipſos.* Reſpondetur 1. Id quidem fuiſſe peculiare populo Iſraëlitico quod Deus legem, ſtatuta, & teſtimonia ſua ipſi clarè propoſuerit & communicaverit, manuque ſuâ & per amanuenſem ſuum Moſen exarata conſignaverit & tradiderit, ac per Prophetas & ordinarios doctores explicaverit, quâ ratione ut peculium Dei diſtinguebatur ab aliis gentibus profanis Pſ. 147. 19. 20. *Pſal. 147. 19. 20.*

Digitized by Google

Deut. 4.5. Deut. 4. 5. & cæteris. Non tamen inde ſequitur ea Patribus non fuiſſe antea tradita: conſtat enim non tantum moralia, ſed etiam varia cæremonialia in lege Moſis comprehenſa à Patribus fuiſſe ex mandato Dei longè antè obſervata.

2. Concedimus legem Sabbati jam pene obliteratam, & obſervationem ejus multum neglectam aut intermiſſam, inter ipſos etiam Iſraëlitas obduram ſervitutem Ægyptiacam, & ad quam porro negligendam propenſi erant, peculiari opus habuiſſe renovatione & inculcatione.

3. Dicimus præter rationes primarias & uſus communes ob quos initio inſtitutum fuit Sabbatum; nempe ad memoriam creationis celebrandam, cultum Dei publicum obſervandum & quietem ſpiritualem ac æternam ſignificandam, alios reſpectus additos fuiſſe peculiares Iſraëlitis; ut eſſet eis ſignum ſpeciale, verbi causâ in memoriam liberationis & quietis à ſervitute Ægypti, item miraculi de *Deut.* 5. 15. *Exod.* 16. Mannæ donatione & conſervatione Deut. 5. 15. Exod. 16.

4. Dicimus Sabbatum datum eſſe Iſraëlitis ut ſignum quod diſtinguerentur quidē à profanis gentibus quæ defecerunt à verâ Religione, ſed non à piis patribus; quibus etiam fuit ſignum, licet nonnullæ ſignificationes additæ ſint poſteà in uſum Iſraëlitarum. Similiter circumciſio data eſt Abrahæ & poſteris ejus, *ut eſſet ſignum fœderis* *Gen,* 17. 11. *inter Deum & eos*, Gen, 17. 11. adeoque ad omnes Abrahami poſteros ſpectabat; ut ad Iſmaëlem, filios Keturæ, Eſauum, eorumque liberos, non minus quàm ad Jacobum: ſed quia illi ſe à Fœdere Dei ſubduxerunt, quod poſteà confirmatum eſt Iſraëlitis, ideo his non illis circumciſio ut peculiare ſignum factum & ſancitum eſt: non tamen inde ſequitur aliis anteà non fuiſſe ſignum.

Ad ſecundum etiam ex Deut. 5. 2. 3. Alterum argumentū deducit Gomarus ex Deut. 5. 2. 3. *Deus noſter pepigit nobiſcum fœdus in Horeb, non cum patribus noſtris pepigit Jehovah fœdus illud, ſed nobiſcum qui hic hodie omnes ſumus vivi.* Unde ſic arguit: Quod Deus cum Iſraëlitis, non cum Patribus ipſorum pepigit, illud non eſt inſtitutum ab origine mundi: At fœdus legis Decalogi, idque ratione quarti præcepti & quidem cæremonialis partis illius præcepti, eſt ejuſmodi. E. & cæt. Minorem probat ex verbis citatis, ſed additis tribus hypotheſibus. 1. Supponit nomine fœderis intelligi illic ſolum Decalogum, excluſis legibus aliis ſive judicialibus ſive cæremonialibus. 2. Decalogum reſtringendum eſſe ad quartum præceptum de Sabbato. 3. Quartum præceptum adhuc reſtringendum

Digitized by Google

dum eſſe ad id quod eſt cæremoniale in quarto Præcepto, adeoque fœderis nomine intelligi ſolum id quod eſt cæremoniale in quarto Præcepto (hoc eſt quod ille ait intelligi Decalogum ſecundum quid) nam non dubitat quin reliqua in Decalogo, cùm ſint juris naturæ, Patribus fuerint tradita.

Atque hæc quidem gratis ab eo dicuntur, & parum probabiliter: neque quiſquam ante eum repertus eſt, qui illa verba Moſis ſic interpretatus fuerit. Quod enim dicitur in memorato loco *Deum non cum Patribus noſtris pepigiſſe fœdus illud*, alii hîc intelligunt non Patriarchas, Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, &c. ſed Patres qui immediatè mortui ſunt in Ægyptiacâ ſervitute, qui magnâ ex parte fœderis Dei obliti, ſuperſtitionibus & corruptelis iſtius gentis inquinati ſunt: quibus (inquit Calvinus in hunc locum) merito præfert populum ſuperſtitem cum quo renovatum fuerat antiquum fœdus. Alii hîc intelligunt particulam *ſolum*, quaſi dictum eſſet, *non ſolum cum Patribus noſtris*, ſicut in ſimilibus Scripturæ locis intelligitur vel particula excluſiva *ſolum* vel comparativa *præcipuè*, aut *magis*, aut *tam quam* ut Gen. 32. 28. *Non amplius dicetur nomen tuum Jacob ſed Iſraël* Gen. 45. 8. *Nequaquam vos eſtis qui miſiſtis me huc ſed Deus* Mar. 9. 37. *Qui me recipit, non me recipit, ſed eum qui miſit me* Jo. 5. 30. *Non putetis quod ego ſim vos accuſaturus, eſt qui vos accuſat Moſes.* Et Joan. 6. 27. *Operemini non cibo qui perit ſed cibo qui permanet in vitam æternam.*

Gen. 32. 28. & 45. 8. Mar. 9. 37. Ioan. 5. 30. & 6. 27.

Alii, quod probabilius eſt, dicunt hîc fœdus conſiderari prout nova ratione, ſingulari modo, ſolenni promulgationis formâ ac variis præceptis, ritibus & circumſtantiis auctum Iſraëlitis in monte Horeb ſancitum eſt: quod peculiariter iis iſto tempore conceſſum eſt præ patribus. Nemo autem unquam negavit idem fœdus quod ad ſubſtantiam datum eſſe Patriarchis & eorum poſteris: neque qui idem fœdus iis commune eſſe dixerunt, Sabbatum ab eo excepiſſe legimus.

Similis phraſis Deut. 29. 1. *Hæc ſunt verba fœderis quod præcepit Jehova Moſi ut pangeret cum filiis Iſraëlis in terra Moabitarum, præter fœdus illud quod pepigerat cum illis in Horeb*: non intelligit aliud fœdus quo ad ſubſtantiam datum eſſe in Horeb & in terrâ Moabitarum: ſed quod fœdus datum Iſraëlitis in Horeb poſt. 38. annos renovavit cum poſteris eorum in campeſtribus Moab: imò ſubſtantiâ idem fuiſſe cum fœdere olim inito cum Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo manifeſtum.

Digitized by Google

nifeſtum eſt ex verſ. 12. & 13. ejuſdem capitis.

Sed cur Fœdus illud cap. 5. 2. 3. ad Decalogum reſtringendum ſit, nulla ratio apparet: ſiquidem de toto Fœdere cum omnibus ſuis circumſtantiis, ritibus, & modis, non minùs commodè intelligi poſſit, præſertim cum Moſes 1. verſ. hujus cap. & 45. verſ. præcedentis (quem ad hoc quoque caput refert Junius) meminerit teſtimoniorum, ſtatutorum, & judiciorum: quorum vocabulorum primo Decalogum aut moralia præcepta, reliquis duobus cæremonialem & judicialem Legem Interpretes communiter intelligunt; atque hæc omnia Fœderis nomine comprehendi certum eſt: & licet concederetur Decalogum illic nomine fœderis ſolum intelligi (qua de re non admodum contendendum eſt, quia Decalogus præcipua pars eſt fœderis) at illud durum eſt, fœdus adhuc amplius reſtringi ad unum præceptum, & adhuc amplius ad circumſtantiam cæremonialem illius præcepti, ut fœdus accipiatur pro minimâ particulâ fœderis; nempe pro uno cæremoniali præcepto. Cùm tamen nihil tale ſed potius contrarium in textu appareat, & multæ aliæ fuerint cæremoniæ & ſigna Fœderis, quibus haud dubie Patres carebant, ut quæ ad tabernaculum, ſacerdotes, levitas, & cætera ſpectarunt.

Argumentum Pererii refellitur. Pererius Jeſuita urget hoc argumentum: quod Deus Adamo in ſtatu innocentiæ non aliud impoſuerit præceptum omninò poſitivum, niſi illud de non edendo fructu arboris ſcientiæ: tum quia neque homini opus fuerat ullâ requie à labore, cui nihil moleſtum accidere potuit; neque ſtato die ad vacandum Deo & rebus Divinis, quia tunc nihil futurum erat quod eum diſtraheret aut avocaret à contemplatione & cultu Dei, quo cum aſſiduè beatus vixiſſet.

Reſp. Hoc argumetum non attingit eos qui exiſtimant hominem lapſum eſſe die ſexto eodem ſcilicet quo creatus eſt, quæ plurimorum ſententia eſt.

Deinde, nihil abſurdi eſt hominem etiamſi in ſtatu innocentiæ perſtitiſſet quamdiu animali vitâ victurus eſſet uno die ſeptimanæ vacaturum fuiſſe à laboribus ad exemplum ipſius Dei, & in ſymbolum cœleſtis quietis, ad quam transferendus eſſet; & ut eo die, præ cæteris familiariùs cum Deo ageret, rebuſque Divinis incumberet ſtudioſiùs. Etenim Deus ei in hoc etiam ſtatu labores externos injunxit, in quibus etſi citra moleſtiam exercendus erat, tamen ut eos aliquando tum ob alias cauſas, tum maximè ob peculiarem cultum numinis

numinis intermitteret, conſentaneum videtur.

At (inquit aliquis) homo in ſtatu integritatis æqualiter omni tempore affectus erat ad colendum Deum, & recolenda ejus beneficia: nullâ opus habuit obſervatione diei, nulloque ſigno ad commonefaciendum eum beneficiorum Dei aut officii ſui, aut ad id quod debuit tempeſtivè præſtandum: quippe ſcientia & memoria ejus perfecta erat, ut nihil ignoraret, nihil obliviſci poſſet, quod ipſius inter erat: voluntas item propenſa & parata omni momento ad præſtandum quicquid rectum eſſe noverat: tota denique vita ejus conſtans & perpetuus erat cultus Dei, nec ulla erat inæqualitas ut minùs coleret Deum uno tempore quam alio: quippe plenè ſervivit Deo omni tempore, alioqui non fuiſſet ſtatus ejus perfectus, & voluntati Dei planè conformis.

Item Walkers. Walker. 9. ſ.

Reſp. Multa hic dicuntur quæ parum ſolida aut incerta ſunt. Etenim etiam in paradiſo uſum fuiſſe ſignorum patet; quia arbor vitæ data eſt primis parentibus ut ſignum & ſacramentum. Quod autem nulla fuerat in iis diverſitas aut inæqualitas ratione cultus Dei, quaſi in eum uno tempore magis quàm alio non potuerint eſſe intenti, minus veriſimile eſt, nec conveniens ſtatui in quo creati erant: perfectus quidem erat ille ſtatus pro præſenti conditione, ſed majorem perfectionem adepturi erant, cum ad cœleſtem gloriam transferendi eſſent. Num nam in iſto ſtatu vigilantes & dormientes pariter affecti eſſent, & eodem modo ſe geſſiſſent in omnibus pietatis & juſtitiæ officiis? Quid? ſi liberi in ſtatu innocentiæ procreati eſſent, numquid in infantiâ & maturâ ætate pariter ſapuiſſent, & quævis bona opera perfeciſſent? Cùm tamen Jeſum profeciſſe ſapientiâ conſtet. Luc. 2. ult. Cur non etiam ex iſtiuſmodi principiis inferri poſſet Adamum non potuiſſe errare, decipi, labi, ne quidem ob inadvertentiam aut in conſiderationem intellectus (ut loquuntur Scholaſtici) nec ob liberam electionem aut mutabilitatem voluntatis.

Reliqua argumenta quæ non ſunt magni momenti, & quid ad ea reſpondendum ſit, & de horum etiam nonnullis fuſiùs legere eſt apud Rivetum in commentario in quartum præceptum Decalogi, & in appendice adjunctâ.

Quo

Quo jure inſtituta ſit ſanctificatio diei ſeptimi, & quatenus òbligat.

Explicatur controverſia ſtatus.

SAbbatum à Deo inſtitutum eſſe nemo dubitat qui Scripturam θεόπνευστον agnoſcit: & quicunque Chriſti nomen profitentur (paucis, quos non moramur, hæreticis exceptis) credunt Judæorum ſabbatum ſeu obſervationem diei ſeptimi à creatione abrogatam eſſe: item in quarto præcepto hoc eſſe morale & perpetuum, ut certi dies ſegregentur, ad cultum Dei peculiarem, atque ob hanc rationem diem Dominicum meritò celebrari & celebrandum eſſe. Reliquæ tamen ſunt aliquot graves controverſiæ hac de re, atque hæ præcipuæ. 1. Num vi quarti in Decalogo præcepti omnes adhuc obligemur ad ſanctificandum unum diem in ſeptimanâ. 2. Quâ auctoritate, utrum Divinâ an Eccleſiaſticâ inſtituta ſit diei Dominici ſanctificatio, unde & illa pendet, ſit ne mutabilis an immutabilis inſtitutiò? 3. Quatenus eo die vacandum ſit ab operibus ſervilibus & recreationibus? Aliæ quæſtiones leviores ſunt, in quibus potiùs de vocabulis magnâ ex parte quam de rebus ipſis controverſia eſſe videtur: & cùm quæritur. 1 Num jure naturali obligemur ad unum diem in ſeptimanâ celebrandum? 2. Num præceptum de ſeptimo die à creatione ſanctificando fuerit cæremoniale nec ne? Quas primò breviter expediemus, ut ad illas graviores commodiùs tranſeamus.

Jus divinum aliud eſt naturale, aliud poſitivum. Rom. 2. 15.

In primis illud tenendum eſt, jus Divinum quod nobis præſcribitur aliud eſſe naturale, aliud eſſe poſitivum. Naturale illud dicimus quod homini recta ratio naturæ ipſius à Deo inſita dictat faciendum, vel fugiendum: unde Apoſtolus ait Rom. 2. 15. ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις *opus Legis ſcriptum in cordibus.* Ad hanc naturalem Legem omnia Decalogi præcepta, excepto quarto, pertinere vix quiſquam ambigit; quæ in ſtatu integritatis in animâ hominis ob impreſſam Dei imaginem ſecundum juſtitiam & ſanctitatem perfectè relucebant: nec in ſtatu corrupto ob reliquias Divinæ Imaginis penitus obliterantur ſed inſcripta remanent; alia quidem obſcuriùs, alia clariùs, ſed omnia aliquatenus: ut omnes ἀναπολογήτους inexcuſabiles reddantur, ut docet Apoſtolus luculentè cap. 1. & 2. ad Rom.

Quod autem Apoſt. ait Rom. 7. 7. *Peccatum non cognovi niſi per Legem*: ſi de Lege in genere loqueretur, quæ Legem quoque naturalem comprehendit: certum eſt, cùm peccatum ſit Legis tranſgreſ-

ſio

ſio, nullum peccatum cognoſci poſſe niſi per Legem. Si verò loquatur (ut videtur quidem) de Lege ſcriptâ ſeu Decalogo, id comparatè intelligendum eſt: non quaſi nullum peccatum ſcire potuiſſet citra illam Legem, ſed quod alioqui non ſciret peccatum, quantum eſſet malum & quàm latè pateret, adeo ut etiam multa ſint peccata quæ homo ψυχικὸς non agnoſcit eſſe peccata; prout inſtat ibi Apoſtolus de peccato concupiſcentiæ contra ultimum præceptum: non quod illud quoque peccatum non ſit contra jus naturæ, & cognoſci poſſit naturali ratione; ſed quia reliquiæ lucis naturalis valde obſcuræ ſunt & debiles, & homo non regenitus *tenebris obſcuratam mentem habet, & eſt abalienatus à vitâ Dei propter inſitam ignorantiam per cordis obdurationem*, ut loquitur Apoſt. Epheſ. 4. 18. unde fit ut pra- *Eph.* 4. 18.
vis cupiditatibus abreptus non tantùm multa non videat aut non advertat minutiora quæ tamen inſcripta ſunt cordi ejus, ſed etiam ut in gravioribus cœcutiat & hallucinetur, & interdum quoq; quæ majuſculis quaſi literis exarata ſunt, negligat aut perperam accipiat.

Jus igitur naturale in ſtatu integritatis clarum erat & inviolatum: ſed per & poſt lapſum obſcurius remanſit & multis modis violatum. Cæterum æque omnes homines obligat ut omnibus pariter eſt commune, ſicut natura eſt communis: quanquam pravâ conſuetudine, affectatâ ignorantiâ, maliſque moribus in aliis magis quàm in aliis obſcuretur.

Quomodo peccata contra jus poſitivum adverſentur etiam juri naturali.

Jus poſitivum eſt quod in naturâ aut re ipsâ nullum habet fundamentum, ſed à liberâ Legiſlatoris à quo poſitum eſt inſtitutione dependet, adeoque obligat tantùm poſt revelatam nobis Legiſlatoris voluntatem, cùm alioqui nec boni nec mali rationem haberet.

Dixi *quod in naturâ nullum habet fundamentum*, nempe ratione particularis inſtituti: nam in genere omnis poſitivi præcepti, ſeu Divini ſeu humani æquitas pendet à Lege naturæ. Primò, quia illud licet prius non dictaverit ratio noſtra, tamen poſt quam nobis mandatum eſt, conſentaneum rationi judicatur. Deinde quia ratio dictat eos quorum imperio ſubjicimur habere poteſtatem nobis Leges legitimè præſcribendi, & nos obligari ad iis obtemperandum, juxta primum & quintum præceptum.

Atque hinc eſt quod omnia omnino peccata etiam ea quæ legibus poſitivis adverſantur ſunt contra naturæ Legem: ut veriſſimum ſit ſi ſano modo intelligatur (ut ſuprà monuimus) quod Philoſophi Ethnici dixerunt, vitia omnia eſſe contra naturam. Id ipſum docet Au-

Digitized by Google

guſtinus de Civitate Dei lib. 12. cap. 1. Omne (inquit) vitium natu-„ ræ nocet, ac per hoc contra naturam eſt. Sic Johannes Damaſce-„ nus lib. 2. fidei Orthodoxæ cap. 30. ait homines fieri malos declinando in id quod contra naturam eſt.

Poſitivi juris ergo non tantum ſunt Leges humanæ, ſed etiam quam plurimæ Divinæ: verbi causâ, Lex illa prima de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali: item Leges omnes judiciales quatenus à moralibus differunt: & Leges de Sacrificiis & Sacramentis utriuſque teſtamenti, ac omnino cæremoniales quælibet.

Reſipiſcentia & fides non debent referri ad jus poſitivum.

Sunt qui inter poſitivas Leges numerant præcepta Evangelica de reſipiſcentiâ & fide in Chriſtum mediatorem: quia ſcilicet talia in mentem homini venire non poterant in ſtatu integritatis, nec ante lapſum, ſed tantum ex Divinâ revelatione nota erant. Sed hæc ratio infirma eſt, quia hæc præcepta fundamentum habent in reipsâ, nec à ſolâ Legiſlatoris voluntate dependent, ſed per ſe rationem habent boni, & ad ſubſtantiam cultus Dei ſpectant, atque ipſa naturalis ratio, Divinâ quidem gratiâ illuſtrata id ipſum agnoſcit & docet: adeoque in ipſa Lege naturæ homini primum indita, ex hypotheſi nempe (ſi tale aliquid prævidere potuiſſet) comprehendi poſſe videntur: quemadmodum in ſtatu integritatis dominium & ſervitus non habebant locum, nec moleſtia aliqua à frigore, calore, aut morbis, aut infeſtis animalibus: tamen nemo negaverit naturalem rationem dictare ut ſervi obediant Dominis, & homines adverſus morbos remedia quærant & inventis utantur, & ut ſe ab injuriâ aëris, aut quacunque aliâ defendant. Quod ſi cui placet Evangelica præcepta à merè naturalibus diſtinguere, quod ſupernaturali revelatione & gratiâ indigeant, non repugnabimus; ſed ad poſitivas Leges reducendas eſſe non facilè concedemus.

Feſta & Sabbata erant poſitivi juris.

Non dubitandum eſt autem inſtitutionem feſtorum dierum, ut Sabbati aut diei Dominici, poſitivi juris eſſe: naturale quidem eſt ut aliquod tempus conveniens ſoli Divino cultui tribuatur: etenim Deum colendum eſſe, idque non tantùm privatim ſed etiam publicè ſeu in communi cœtu, non tantùm animo ſed etiam corpore & externis ritibus ac actionibus, ipſa naturalis ratio dictat: ac proinde etiam ad illud præſtandum tempus ſufficiens requiri ſupponit, atque eo tempore vacandum eſſe ab aliis operibus, ut cultui Divino commodiùs vacemus. Sed quod tempus illud ad certum diem in circulo

Digitized by Google

circulo ſeptimanæ aut ſimili ſpatio recurrentem, qui naturâ ſuâ ab aliis diebus minimè differt, ab omnibus obſervandum determinetur, non ex principiis naturæ, ſed ex poſitivâ inſtitutione ortum eſt.

An quartum Præceptum ſit morale.

Sequitur ut examinemus num præceptum de ſeptimo die à creatione ſanctificando ſit cæremoniale, & an omnino quartum Decalogi præceptum ſit cæremoniale an morale; an partim cæremoniale partim morale; & ne lis ſit de vocabulis, ea primùm explicare commodum eſt.

Lex Moſis vulgo dividitur in ἠθικὴν ſeu moralem πολιτικὴν ſeu civilem, forenſem aut judicialem, & ἱερατικὴν ſeu cæremonialem.

Quid ſit Lex Moralis.

Lex Moralis eſt quæ tradit præcepta morum abſolutè, nempe piè, juſtè, & ſobriè vivendi, ad quæ omnes homines pariter obligantur, ratione aut communis aut propriæ ſuæ conditionis. Atque hæc omnia in Decalogo comprehendi certum eſt vel directè vel reductivè.

Quid Cæremonialis.

Lex Cæremonialis dicitur quæ præſcribebat certas res & ritus externos ad Dei cultum ſpectantes ſymbola ac typos rerum ſpiritualium in Novo Teſtamento per Chriſtum implendarum, obligans in hunc finem populum Iſraëliticum uſque ad mortem Chriſti.

Quid Iudicialis.

Lex Judicialis tradidit præcepta externæ diſciplinæ ſeu gubernationis civilis, tanquam adminicula quædam ſubſervientia obſervationi Legis Moralis & Cæremonialis ad conſtitutionem & conſervationem politiæ Iſraëliticæ ſpectantia. eique populo peculiaria uſque ad adventum Meſſiæ: quibus non neceſſariò alii obſtringuntur, niſi forte eadem ratio communis interdum urgeat.

Hinc liquet Legem Moralem eſſe perpetuam & abrogari non poſſe ſalvis moribus. Reliquæ verò Leges, licet aliquo modo circa mores occupentur, quia tamen ſalvis bonis moribus quâ tales mutari aut abrogari poterant, non dicuntur morales. Quæſtio autem hîc de præcepto Sabbati non eſt num ad judicialem Legem pertineat; ſed num ad Cæremonialem aut moralem aut utramque.

Quid Cæremonia.

Cæremonia idem ferè ſonat Latinis quod Græcis θρησκεία, & ſignificat propriè externum Religionis ritum, licet ad alios quoque ritus traducatur: Alii vocem deducunt à caritate (*a*) quatenus ad Deum ut primum objectum refertur: alii à carendo, quod non poteſt Religio exerceri illis ritibus deſtituta & carens (*b*) alii à Cerere, quod cùm ea Dea frugum haberetur, ex frugibus primæ oblationes Diis offe-

(a) *Feſtus.*
(b) *Sabinus apud Gellium li.4.c.9. & Macrobius Saturnalium lib.3.cap.3.*

(c) *Scaliger in F.*

offerentur (*c*). Livius lib. 5. & Valerius Maximus lib. 1. cap. 1. art. 10. ab oppido Hetruriæ Cære derivant, quod Cærites captâ & occupatâ à Gallis Senonibus Româ, ſacra Romanorum à Veſtalibus Virginibus avecta benignè receperint & reſervârint, donec Camillus recuperâſſet patriam: cujus beneficii memores Quirites omnia poſtea ad cultum Religionis pertinentia vocarunt cæremonias. Sunt qui derivant ab antiquo vocabulo Cærus, id eſt, ſanctus, à quâ cæremonia ut à ſanctus ſanctimonia: ſunt qui deducunt à Græco καιρὸς tempus & μόνον ſolum ſeu potius μένειν manere, quod ſcilicet ſolum ad certum tempus maneant.

Utcunque eſt, cæremoniæ propriè ſignificant Sacros ritus & obſervationes, & ſic in Eccleſiâ cæremoniæ vocantur ritus & obſervationes Religioſæ in cultu Dei externo. Unde etiam res dicuntur cæremoniales quæ in his cæremoniis uſurpantur & conſecrantur, ut Templum, Altare, Victima, veſtes Sacerdotales, &c. Duplices autem ſunt iſtiuſmodi cæremoniæ: nam vel inſtitutæ ſunt ſignificationis causâ, vel tantum ordinis gratiâ: & partim ſunt Divinæ, partim humanæ inſtitutionis. Nos autem hic tantùm de Divinis loquimur, quæ ut à Deo inſtitutæ ſunt, ita ab eo ſolo mutari poſſunt. Ad cæremonias ſignificatrices referuntur omnia ſacrificia Veteris Legis & Sacramenta utriuſque Teſtamenti.

Lex autem illa propriè dicebatur cæremonialis, quæ ritus eos præſcribebat, quibus ut typis Chriſtus venturus, & quæ ad eum ſpectabant adumbrabantur & præfigurabantur: ideoq; quia omnes illæ cæremoniæ jam in Chriſto impletæ ſunt, poſt mortem ejus abrogata eſt Lex illa cæremonialis: alioqui Eccleſia nunquam vacare poteſt aut carebit cæremoniis tum ſignificantibus, tum ad ordinem ſpectantibus.

Hactenus de vocibus *Cæremonia* & *Cæremoniale*: nunc ſpectandum eſt quid vocabulum *morale* ſignificet. Morale hoc loco accipimus non pro quacunque re quæ aliquo modo ad mores ſpectat (nam ſic diximus quæ in Lege Cæremoniali & judiciali continentur aliquo modo ad mores ſpectare) ſed quod ad mores bonos ſimpliciter eſt neceſſarium id dicimus bonum morale, & quod eis adverſatur malum morale: dixi ſimpliciter neceſſarium, nempe quod eſt perpetui juris & omni tempore obtinet ſcilicet ante Legem Moſaicam ab initio mundi, ſub Lege, & uſque ad conſummationem ſæculi.

Hujuſ-

Præcepta moralia alia ſunt ex lege naturæ, alia ex lege gratia, alia ex lege poſitivâ.

Hujuſmodi morale eſt triplex. Nempe 1. Quod eſt de lege naturæ, ſeu quod natura ipſa rectè conſtituta dictat, cujuſmodi ſunt prima principia practica quæ ex ſolis terminis nota ſunt: ut, Deum eſſe colendum, parentes honorandos, quod tibi non vis fieri id alteri non eſſe faciendum, & ſimilia: item quæ ex iis principiis evidenter deducuntur, cujuſmodi ſunt præcepta de ſpecialibus virtutibus. 2. Quod eſt de lege gratiæ, ut præcepta de fide & reſipiſcentiâ homini revelata poſt lapſum. 3. Quod eſt juris poſitivi, ſi modò perpetuò obſervandum mandetur. Hujuſmodi fuiſſet præceptum de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali, ſi primi parentes in integritate perſtitiſſent: ejuſmodi eſt præceptum de uno die in ſeptimanâ ſanctificando, ſi modo conſtet illud eſſe perpetuum præceptum ab initio mundi uſque ad finem, de quo poſteà: nam alioqui in genere certa tempora ſeparanda eſſe ad cultum Dei, ex ipſo jure naturæ deducitur. Hinc videre eſt *Morale* non reſtringendum eſſe ad legem naturæ, ſed extendi ad omnia præcepta morum, quæ ſunt perpetua, ſive ſint juris naturæ, ſive gratiæ, ſive poſitivi. Neque ideo ſentio præceptum aliquod poſitivum eſſe perpetuum, quod ſuâ naturâ ſit immutabile: nam quod ex ſolâ inſtituentis voluntate pendet, id pro arbitrio ejus mutari poſſe non eſt dubium: ſed ſatis eſt ut ipſe qui poſſit efficere, velit id eſſe perpetuum.

Non deſunt tamen ex recentioribus qui vocabulum *Morale* extendunt etiam ad ea quæ ſunt juris poſitivi, mutabilis & non perpetui: atque hac ratione freti contendunt omnia præcepta Decalogi ita eſſe planè moralia, ut nihil in eis cæremoniale inveniatur: adeoque ipſum præceptum de Sabbato Judæorum eſſe prorſus morale, & nequaquam cæremoniale.

Nobis non libet de vocabulis litigare ubi de re ipſâ nullum eſt diſcrimen. Neque nobis valdè diſpliceret, ſi dicerent temporale aliquod præceptum eſſe morale, verbi causâ, obſervationem diei ſeptimi à creatione, prout ante legem Moſaicam ab initio inſtituta eſt: ſed quod nihil cæremoniale acceſſerit in renovatione legis iſtius populo Iſraëlitico, concedere non poſſumus. *Cæremoniale* intelligo quod eſt ſignum gratiæ per Chriſtum venturum, nam cæremoniale ratione ordinis Sabbato ab initio convenire ex primâ inſtitutione non negaverim; aut etiam ratione ſignificationis, ſi ea ſignificatio intelligatur quæ ſtatui integritatis convenit: nempe ut ſignũ requietis Dei ab operibus creationis memoria conſervaretur, & cæleſtis

requies ad quam olim transferendi erant homines, ſi in innocentiâ permanſiſſent, quanquam hoc poſtremum ex Scripturâ colligi diſertè non poteſt.

In quarto præcepto eſt aliquid cæremoniale. Primum arg. ex Exod. 31. 13. Ezech. 20. 12. 20.

Sed in præcepto de Sabbato Iſraëlitis dato aliquid eſſe propriè cæremoniale, communis Theologorum ſententia eſt tum veterum, tum recentiorum, & Reformatæ & Pontificiæ Eccleſiæ, ac probatur primò ex variis Scripturæ locis, in quibus Sabbatum conſtitutum fuiſſe Iſraëlitis in ſignum ſanctificationis ipſorum & in ſignum fœderis planè aſſeritur: Exod. 31. 13. *Sabbata mea obſervate, nam ſignum eſt inter me & vos per generationes veſtras ad cognoſcendum me eſſe Jehovam qui ſanctifico vos.* Ezech. 20. 12. *Sabbata mea dedi ipſis, ut eſſent ſigna inter me & ipſos; ut ſciretur me Jehovam ſanctificare ipſos.* Et verſ. 20. ejuſdem cap. *Sabbata mea ſanctificate, ut ſint ſigna inter me & vos, ut ſciatur me Jehovam eſſe Deum veſtrum.* Porro cùm conſtet etiam Sabbatum Judæis fuiſſe peculiare ſignum in memoriam liberationis & quietis à ſervitute Ægyptiacâ & miraculi de Mannæ donatione ac conſervatione, ut patet ex Deuter. 5. 15. & Exod. 16. & utraq; iſta fuerunt typi gratiæ ac beneficiorum Chriſti venturi, proinde Sabbatiſmum eorum fuiſſe quoque typicum neceſſe eſt.

Reſpondent qui alteram ſententiam tuentur, Sabbatum appellari ſignum, quòd ſit documentum ſeu indicativum ſignum rei jam præſentis, non obſignativum futuræ: quoniam in obſervatione Sabbati communis & publica erat profeſſio cultus Dei, ac proinde communionis quæ inter Deum & nos intercedit: ſicut omnis profeſſio ſolennis eſt ſignum illius rei cujus eſt profeſſio, & charitas eſt ſignum quod ſimus Filii Dei, & auditio verbi, oratio, fides, & obedientia ſigna ſunt ſanctificationis noſtræ.

Quomodo Sabbatum erat ſignum. Gen. 17. 11. Rom. 4. 11. Exod. 12. 13. & 13. 16. 19.

At hæc gratis dicuntur, & parum veriſimilia ſunt: quia ſcilicet Scriptura non aliter loquitur de ſigno Sabbati quàm de aliis typis Veteris Teſtamenti qui abrogati ſunt, ut Circumciſione Gen. 17. 11. Rom. 4. 11. & de agno Paſchali Exod. 12. 13. & de comeſtione panum azymorum, & redemptione primogenitorum Exod. 13. verſ. 19. & 16. & alibi. Neque verò in locis illis citatis Sabbatum dicitur ſignum quòd illi colerent Deum, ſed quod Deus ſit Jehova ſanctificans ipſos, & quod ſit Deus ipſorum adeoque Sabbatum dicitur ſignum inter Deum & ipſos, quod planè denotat eſſe ſignum fœderis.

Item conſtat Sabbatum fuiſſe ex genere eorum ſignorum quæ abrogata ſunt poſt mortem Chriſti.

Cùm

Cùm autem effecta rei appellantur ſigna (quanquam eâ phraſi in hoc negotio non utatur Scripturâ) & profeſſio, charitas, obſervatio mandatorum Dei dicuntur eſſe ſigna Filiorum Dei aut Sanctificationis ipſorum, ea ſunt ſigna naturalia & perpetua quæ omni tempore locum habent, nec ejuſdem rationis ſunt cum ſignis illis temporariis quæ ab inſtitutione divinâ dependent.

Alterum argumentum ſumitur ex iis Scripturæ locis ubi res ſignificata hoc typo Sabbati ſpecialiùs declaratur ut Iſ. 66. 23. *Erit de Novilunio in Novilunium, deque Sabbato in Sabbatum alterum, ut veniat omnis caro ad incurvandum ſe coram me, ait Jehova.* In quo loco Sabbati ſpiritualis quietis perpetuitas res ſignificata externo Sabbato quod per intervalla recurrebat, conſtituitur : & magis perſpicuè Heb. 4. 3. & ſequentibus : ubi duplex requies typica, nempe requies diei ſeptimi, & requies in terrâ Canaan exprimitur, & tertia quæ per utramque illam figurabatur, additur. Atque ita concluditur verſ. 9. reliquum eſſe aliquem Sabbatiſmum populo Dei ; nempe ſpiritualem & æternam requiem à peccatis & laboribus noſtris ærumnoſis inchoatam in hac vitâ & conſummandam in futurâ, quam Chriſtus morte ſuâ peperit & promiſit oneratis ac fatigatis ad ipſum venientibus, Mat. 11. 28. & 29.

Secundum arg. ex Eſ. 66. 23.

Heb. 4, 3.

Mat. 11. 28. 29.

Præterea quod Auguſtinus lib. 4. de Geneſi ad literam, tradit Sabbatum habuiſſe ſignificationem quietis, quæ aliquando futura erat Chriſti in ſepulchro, in quo manſit corpus ejus toto die Sabbati : reliqui enim dies, in quibus ibi manſit, non erant completi.

Auguſtinus.

Quod ſi regeratur ſpiritualem illam requiem datam fuiſſe Patribus ante Chriſtum, nihil ad rem facit : nam & beneficiorum aliis etiam typis ſignificatorum participes fuiſſe Patres non negamus, quæ tamen omnia ex fide ipſorum in Chriſtum venturum pendebant.

Quod ſi etiam objiciatur requiem diei Dominici ſignum etiam eſſe ſpiritualis illius & æternæ quietis longe alia eſt ratio, nam licet eadem beneficia ſpiritualia Sacramentis & ſignis tum Veteris, tum Novi Teſtamenti ſignificari concedamus ; tamen in hoc eſt diſcrimen, quod illa Chriſtum venturum reſpiciebant, hæc verò ad Chriſtum qui jam venerit, legem impleverit, & omnia iſta dona nobis actu acquiſiverit, referantur. Itaque illa antiquari, hæc verò in eorum locum ſuccedere oportet : *Etenim mutato Sacerdotio neceſſariò quoque legis mutatio fit*, Heb. 7. 12. & mutato fœdere mutari etiam ſigna neceſſe erat.

Sed

Digitized by Google

Dies Dominica non eſt Sacramentum. Sed neque diem Dominicum ponimus inter ſigna ſeu ſigilla Novi Teſtamenti à Chriſto inſtituta ut obſignarent promiſſiones Evangelii & fœdus gratiæ inter Deum & nos, cujuſmodi ſunt tantùm duo Sacramenta Baptiſmus & Cœna Domini. Sed ſi pro ſigno habeatur, erit ſignum liberum, quo pro libertate Chriſtianâ, in memoriam revocari poſſit & reſurrectio Chriſti, qui eo die reſurrexit, & creatio mundi quæ eo die cæpit, & requies ſpiritualis & cæleſtis per quandam Anagogen: & ſignum erit monitorium aut memorativum, quod ſcilicet nos monet de beneficiis illis præteritis & futuris, aut ea nobis in memoriam revocat: non autem obſignativum aut exhibitivum (ut ita loquar) cujuſmodi ſunt Sacramenta, quæ in vero uſu obſignant & exhibent gratiam ſignificatam, ac proinde non tantùm ſigna ſed ſigilla dicuntur. Etſi ille dies per ſe, aut ex inſtitutione divinâ non ſit Myſterium, aut figura, aut Symbolum Sanctum, quod quà tale ſit inſtrumentum aut pars cultûs Dei (prout in Veteri Teſtamento erat Sabbatum) ſed tantùm inſtitutus ordinis causâ ad ſancta exercitia peragenda, cùm alioqui præ aliis ſanctior non eſſet: adeoque cum hac inſtitutione & determinatione conſtare poteſt dierum in ſe æqualitas, Rom. 14. 5. Gal. 4. 10. Col. 2. 16. Ita diem Dominicum Sanctum appellamus non ſignificatione & effectu (ut loquuntur Scholaſtici) ſed ordinatione & uſu, nempe quia ad ſacrum uſum eſt ordinatus, neque quietem ejus diei per ſe placere Deo aut ab eo mandari dicimus, ſed quatenus ſacris officiis inſervit.

3. Arg. ex Col. 2. 16. Poſtremum argumentum (ut alia omittamus) ſumitur ex Coloſ. 2. 16. *Nequis vos judicet ob cibum vel potum, aut reſpectu feſti aut novilunii aut Sabbatorum, quæ ſunt umbra rerum futurarum; at Corpus eſt Chriſti:* Ecce hîc diſertè Sabbata memorantur inter umbras rerum futurarum, Corpus verò quod adumbrabat Chriſtus, aut quod ad Chriſtum ſpectabat appellatur. Nihil hîc ſuppetit alteram partem tuentibus quod reſpondeant, niſi ut dicant *Sabbatorum* nomine non intelligi *Sabbatum* cujuſque ſeptimanæ; ſed alia *Sabbata* typica; cujuſmodi erat aut *Sabbatum* totius anni, aut dies ſolenniores in majoribus Feſtis. Sed hoc eſt vim inferre contextui, nec ullo modo probabile eſt vocabulo *Sabbatorum* ibi excludi, quæ maximè uſitatâ & propriâ ſignificatione *Sabbata* nuncupantur, cùm nulla talis reſtrictio ex textu colligi poſſit: imò ex textu patet non intelligi debere *Sabbata* de diebus certis Feſtorum Majorum, quia nomen Feſti ſeorſim in textu ponitur: & ineptum eſſet exiſtimare hic intelligi tantum

Sabbata

Digitized by Google

Sabbata ſeptimi anni aut Jubilæi: neque enim uſquam legere eſt ullos falſos doctores eorum obſervationem Eccleſiæ obtruſiſſe, nec periculum ullum erat aut veriſimilitudo ut à gentilibus Chriſtianis obſervarentur (quod nunquam permiſiſſet eorum Magiſtratus) & ſatis conſtabat ea ad ſolam terram Canaan & Rempub. Iſraëliticam ſpectare, unde fit ut ne hodierni quidem Judæi eorum obſervationem urgeant. Et quidem communis Patrum ſententia eſt hîc intelligi *Sabbatum* cujuſque hebdomadis. Vide Epiphanium lib. 1. de hæreſ. 33. n. 11. Ambroſ. in hunc locum. Hieron. Epiſt. ad Algaſ. quæſt. 10. Chryſoſt. hom. 13. in Heb. 7. Auguſt. contra Judæos cap. 1. & contra Fauſt. Manich. lib. 16. cap. 28. Hieron. præfat. in Epiſt. ad Gal.

At inquiunt, ſi verba Apoſtoli de omni dierum diſtinctione intelligenda ſunt, ſuperſtitioſum erit diem aliquem, putà Dominicum, vel unum in ſeptimanâ obſervare. Reſp. ex textu planum eſt, Apoſtolum tantùm intelligere diſtinctiones ciborum, & obſervationes dierum lege Moſis præſcriptas, quas ait eſſe umbras rerum futurarum, putà Chriſti venturi & ejus beneficiorum: alioqui nihil obſtat quin ſub Novo Teſtamento & dies & certus cibus ac potus ſegregari poſſint ad Sacrum uſum, ut Dominicus dies, & panis ac vinum in Euchariſtiâ.

Reliquum eſt ut examinemus eorum præcipua argumenta, qui nihil cæremoniale in præcepto de Sabbato agnoſcunt: quorum primum inde petitur quod præceptum hoc Decalogo non minùs contineatur quàm reliqua novem, & ab ipſo Deo in monte Horeb pronunciatum ſit, ac digito ejus lapideis tabulis inſcriptum, unde Exod. 34. 28. Deut. 4. 13. & 10. 4. *Decem* verba ab ipſo Moſe appellantur. Unde ſic argumentum extruitur, Omnia præcepta Decalogi ſunt moralia E. & præceptum quartum. *Argumentum contrarium primum.*

Reſpondet Walæus diſtinguendo antecedens: nempe omnia præcepta Decalogi Moralia eſſe vel ſimpliciter & abſolutè, vel ſecundum quid tantùm; quatenus ſcilicet materia præcepti præcipua conſideratur, non verò quatenus omnes præcepti circumſtantiæ ac fines includuntur. Sic (inquit) in primi præcepti primâ parte dicitur, *Ego ſum Dominus Deus tuus qui eduxi te ex Ægypto, domo ſervitutis:* quibus verbis non tam præfatio aliqua, ut quidam opinantur, quàm affirmativa hujus præcepti pars continetur, ut quis nobis pro uno & vero Deo habendus ſit initio cognoſcamus. At in eâ tamen præcepti *Walæi reſponſio defenditur.*

parte aliquid continetur quod Judæos peculiariter ſpectabat, & quod non niſi typicè ad reliquos fideles applicari poteſt. Sic etiam in præcepto quinto promiſſio additur quæ Iſraëlitas ſingulariter reſpicit, nempe de benedictione Dei conſequendâ in terrâ promiſſâ, *Eph. 6. 3.* quam Apoſtolus Paulus ab hypotheſi ad theſin transfert Eph. 6. 3. nempe, *Ut ipſis benè ſit & ſint longævi ſuper terram.* Cùm ergo primum & quintum præceptum quæ verè moralia ſunt, ſi materiam ſpectes, ad ſtatum peculiarem Iſraëlitarum à Deo ipſo accommodentur, nihil impedit quo minus in quarto præcepto aliquid commune ac ſimpliciter morale comprehendatur, & rurſum aliquod typicum quod ad ſtatum præſentem Iſraëlitarum peculiariter ſpectabat. Hactenus Walæus.

At inquiunt, non eſt eadem ratio, quia illa exempla pertinent tantùm ad ſecundariam rationem iſtorum præceptorum, nempe ſunt adjuncta quædam ſubſtituta: ſed quod affertur de Sabbato pertinet ad ejus primariam rationem, quia totidem verbis præcipitur in Decalogo. Sed neque hoc diſcrimen admittendum eſt. Neque ſi concederetur, tamen cùm iſtâ ſimilitudine uſus ſit Walæus non argumenti causâ, ſed ad illuſtrandam reſponſionem ſuam, ſatis inſtituto ejus inſervit, licet in nonnullis diverſa ratio oſtendi poſſit: nihil enim tam ſimile eſt, quin ſit etiam diſſimile.

Quod autem ad defenſionem argumenti illius afferunt loca iſta *Gal. 3. 10.* Gal. 3. 10. *Maledictus qui non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in li-* *Ja. 2. 10.* *bro legis ut faciat ea*, & Ja. 2. 10. *Quiſquis totam legem ſervaverit, of-* *Mat. 5. 18.* *fenderit autem in uno, omnibus tenetur.* Et quod Chriſtus ait Mat. 5. 18. *Ne unum Jota ex lege præteriturum*: neſcio, inquam, quorſum ſpectent, præſertim cum Sabbatum Judæorum abolitum eſſe agnoſcant, niſi velint de eo non agi in quarto præcepto. Perinde enim eſt, quantum ad iſta loca ſpectat ſive Sabbatum ſit cæremoniale ſive non, ſi modò agnoſcatur eſſe mutabile & abrogatum. Itaque verba illa aut de perpetuis præceptis intelligenda ſunt, aut de aliis etiam quamdiu vim legis retinent, & necdum impleta aut antiquata ſunt.

Argumentum ſecundum refutatur. Alterum eorum argumentum eſt, Quod rationes huic præcepto annexæ omnes ſint morales non cæremoniales. Negatur conſequentia: quia etiam cæremoniali legi poteſt addi ratio moralis, ut Levit. 11. diverſa præcepta cæremonialia proponuntur de diſcrimine ciborum & de legali immunditie quibus ratio moralis à naturâ & exemplo Dei petita annectitur, verſ. 44. *Nam ego Jehova Deus veſter*

veſter ut ſanctificem vos, & ſitis Sancti, quia ego Sanctus ſum.

Verum quidem eſt, qualis eſt ratio, talem etiam eſſe concluſionem quæ inde primariò deducitur, adeo ut ſi ratio ſit moralis & perpetua, etiam concluſio moralis & perpetua inde deducatur primariò: licet ſecundariò inferri poſſit, concluſio cæremonialis & temporaria: ut in eodem exemplo hæc eſt primaria illatio: Deus eſt Sanctus: E. vos eſtote Sancti (ſemper enim obligamur ad Dei ſanctimoniam imitandam) atque inde ſecundariò concluditur, proinde ſigna ſanctitatis quæ Deus præſcripſit eſſe obſervanda quoad ipſe præſcripſerit. Adeoque omnia cæremonialia præcepta nituntur æquitate morali, quoniam omnia Dei mandata ut juſta ſunt, ita nos obligant quouſque vim mandati obtinent; Sic rationes illæ quarto præcepto additæ ſemper obligabant quatenus & quouſque præceptum ſtetit prout ei accommodantur. Ita cùm Deus nobis ſex dies in ſeptimanâ ad opera noſtra conceſſerit, æquum eſt ut mandato ipſius obtemperemus in uno ſeptimanæ die ſanctificando: & quoad Deus voluit exemplum ſuum eſſe imitandum in obſervatione diei ſeptimi à creatione, nefas erat eum diem non obſervare. Neque nos dicimus præceptum de obſervatione illius diei abſolutè & ſimpliciter eſſe cæremoniale (ſi cæremonialè ſtrictè accipiatur pro typico quod ad Chriſtum referebatur) cùm in ſtatu innocentiæ obſervari debuerit, ſaltem potuerit ille dies: adeoque ſi omne illud quod iſto modo cæremoniale non eſt, morale appellari poſſet, non negaremus præceptum de obſervando Sabbato abſolutè conſiderato eſſe morale, quia non inſtituimus de vocabulis contendere: alioqui ex communi uſu illud præceptum propriè & ſtrictè tantùm moralè appellandum putamus quod eſt perpetui juris: quanquam alio ſenſu præceptum de Sabbato etiam in ſtatu innocentiæ cæremoniale dici poſſet, tum ratione ordinis, tum ratione ſignificationis, quæ iſti ſtatui non repugnabat, ut antè monuimus. Sed dicimus ad priman inſtitutionem acceſſiſſe poſteà illud quod erat typicum ex inſtitutione divinâ ut ante probavimus: idque non ex rationibus in quarto præcepto expreſſis (ex quibus illud non inferri concedimus) ſed ex aliis Scripturæ teſtimoniis, quæ id ipſum ſatis luculenter demonſtrant.

Simile obſervare licet in aliis rebus naturalibus aut poſitivis, quibus præter id quod iis ſuâ naturâ aut ex primâ inſtitutione competebat, acceſſit ut ex Dei ordinatione rationem haberent typi, vel temporalium beneficiorum vel rerum ſpiritualium: ut conſtat de

Ffff 2 Iride,

Digitized by Google

Iride, primogenitura, Regno Judæ & terrâ Cananiticâ: quæ evaſerunt typi liberationis à Diluvio, primogenituræ Chriſti, imperii ejus & cœleſtis Patriæ.

Item tertium. Tertium argumentum ſumitur à tempore quo Sabbatum primo inſtitutum eſt: quod enim ante lapſum in ipſo Paradiſo inſtitutum eſt, id cæremoniale ac typicum eſſe non poteſt: cùm typi omnes Chriſtū redemptorem reſpexerint. Reſp. Ut nullam faciam controverſiam de tempore primæ inſtitutionis Sabbati, utrum fuerit ante lapſum an poſt lapſum, nam etſi Sabbati inſtitutio ad primum ſeptimum diem poſt mundi creationem referatur, multorum tamen doctorum ſententia eſt hominem priùs eſſe lapſum, putà ipſo die ſexto quo creatus eſt. Sed quia hac de re non opportunum eſt in præſentiâ diſputare, quid præterea reſpondendum ſit ex dictis patet: nempe etſi Sabbatum ſit inſtitutum ante lapſum, tamen ad primam inſtitutionem acceſſiſſe poſteà illud quod erat typicum ac cæremoniale ratione Chriſti. At inquiunt, ſi conceſſum fuerit Sabbatum ab initio mundi ante omnem rationem cæremoniæ extitiſſe, nulla eſt ratio cur non abrogatis cæremoniis (ſi quæ in eo erant) adhuc integrum remaneat: ut videre eſt in exemplis ſuprà memoratis, quibus præter id quod erat ab origine, poſteà ratio typi acceſſit. Reſp. Nos quidem facilè concedimus ſublatis cæremoniis Sabbatum integrum remanſurum fuiſſe ad uſus morales, niſi Deus ipſe illud mutâſſet pro ſuâ Sapientiâ, & in diem proximum tranſtuliſſet: adeoque hac mutatione & rem ipſam ad Sacrum ejus uſum retinuit, & inſuper cavit ne aliquid cæremoniale retineretur quod alioqui vix evitari potuit, etſi in aliis rebus, quibus ratio typi acceſſit, nihil ejuſmodi periculi occurrerit. Sed cum auctoritate divinâ abrogatum ſit Sabbatum Judæorum, nefas eſt illud quocunque prætextu revocare aut celebrare, non minus quàm alias legis cæremonias, etſi fortè aliquis non minus legitimum uſum & finem prætenderet.

Quod autem dicitur Exod. 31. 16. 17. obſervandum eſſe ab Iſraëlitis Sabbatum fœdere *gnolam* fœdere ſæculi ſeu perpetuo, & eſſe ſignum inter Deum & eos *Legnolàm* in ſæculum ſeu perpetuum, id non eſt accipiendum de æternâ propriè, ſed de continuâ diuturnaque ejus duratione nempe ad tempus præfinitum poſt Meſſiæ mortem: namque ita vox illa non raro accipitur ut Geneſ. 17. 7. 8. Exod. 21. 6. & 29. 9. & cæter.

An Morali Præcepto obligemur ad unum diem in ſeptimanâ ſanctificandum.

COnvenit inter omnes ſaniores tum in reformatâ tum in Pontificiâ Eccleſiâ, in quarto Præcepto hoc eſſe morale & perpetuum. 1. Ut certus aliquis dies ordine ſuo recurrens ſeparetur à communibus occupationibus ad cultum Dei publicum & privatum & ſacra officia. 2. Non oportere ut dies iſti ad ſacrum uſum deſtinati nimis longo intervallo inter ſe diſtent, ſed tantum tempore ſufficienti. 3. Sufficientiam iſtam rectè determinatam eſſe & ſub Veteri Teſtamento & ſub Novo ad circulum ſeptimanæ. 4. Ut ante Chriſti mortem à Judæis ſeptimus à creatione dies ſacer obſervatus eſt; ita poſteà ab universâ Eccleſiâ Chriſtianâ jure obſervatum eſſe diem Dominicum, nec ullam apparere rationem cur ejus obſervatio ceſſatura ſit in poſterum. 5. Peccatum eſſe morale ſeu in Moralem Legem, ſiquis hunc diem ſacris officiis deſtinatum profanaverit, aut minus ſanctificaverit. Denique inter officia quarti Præcepti meritò explicari rationem & modum ſanctificandi diem Dominicum, & inter vitia eo Præcepto vetita rectè enumerari ea quibus ille dies profanatur: adeoque communia officia quæ ad ſubſtantiam pietatis & charitatis ſpectant, & vitia iis oppoſita ratione illius Præcepti pariter ad Sabbatum Judæorum & Dominicum diem Chriſtianorum referenda eſſe. *Quæ ſint extra controverſiam.*

Non deſunt tamen, licet in his conſentiant, qui præfractè negant vi quarti præcepti obligari Chriſtianos ad unum diem in ſeptimanâ ſanctificandum, nec aliud eſſe in hoc Præcepto Morale aſſerunt, quàm ut indefinitè certi ac ſtati dies, iique ſufficientes ſegregentur ad ſacros uſus: nihil autem haberi ex iſto præcepto, quo dies illi ad certum tempus aut ſpatium determinentur. *Refutantur argumenta eorum qui negant Chriſtianos obligari ad unum diem ſeptimanæ ſanctificandum vi quarti Præcepti.*

Sed multò magis conſentaneum videtur communibus iſtis hypotheſibus, ſi hoc in iſto Præcepto Morale habeatur, ut ex ſingulis ſeptem diebus unus ſanctificetur, niſi aliqua gravis ratio obſtet. Itaque nobis operæpretium erit inprimis examinare argumenta quæ pro contrariâ ſententiâ afferuntur: quæ ſi parum habeant momenti, procul dubio altera ſententia per ſe ſatis clara & firma apparebit.

Argumenta autem quibus ad iſtam ſententiam ſtabiliendam utun-

Digitized by Google

tur viri docti, de quorum pietate non eſt dubitandum, fere communia ſunt cum iis quibus hæretici Anabaptiſtæ in alium finem abutuntur (quibus illi non minùs quàm nos adverſantur) ut omne diſcrimen tollant inter uſum Dominici diei & aliorum.

Primum. Primum argumentum eorum ſic ſe habet: Omnia Præcepta moralia nituntur jure naturæ: at obſervatio unius diei in hebdomada non nititur jure naturæ: E. Negamus Majorem: quia, ut anteà oſtendimus, nihil vetat quin illud quoque morale ſit quod eſt poſitivæ diſciplinæ, & à ſolâ Dei inſtitutione dependet, ſi modò ut perpetuò obſervetur, de ejus voluntate conſtet: quanquam etiamſi illud ad tempus obſervari velit, non ſequetur illud eſſe cæremoniale ſtrictè loquendo.

Secundum. Alterum eorum argumentum eſt. Quod ſi ex vi quarti Præcepti aut inſtitutionis divinæ ſive ſtatim ab ipsâ creatione, ſive Moſis tempore, unus dies è ſeptem cultui Divino præſcribatur, neceſſarium eſt, ut ſecundum textus literam abſolutè ſeptimus à creatione obſervetur.

At negamus conſequentiam. Fatemur quidem inſtitutionem & præceptum accommodatum eſſe ad ſtatum Eccleſiæ illius temporis. Sed cùm nobis conſtet in iſto Præcepto aliquid eſſe temporale aut cæremoniale, aliquid morale & perpetuum, ſublato eo quod eſt temporale & cæremoniale, quod reliquum eſt, conſentaneum eſt eſſe morale & perpetuum. Atqui nihil in eo Præcepto mutabile aut mutatum aut abrogatum eſſe accepimus ex doctrina Novi Teſtamenti & praxi Eccleſiæ, quàm antiquum Sabbatum & ſanctificationem diei ſeptimi à creatione, non autem ut unus dies hebdomadis celebretur: alioqui nefas eſſet adhuc diem Dominicum ab Eccleſiâ obſervari. Cum ergo in quarto Præcepto præſcribatur 1. ut certus ac ſtatus dies, quoties recurrit, ſanctificetur. 2. ut is dies ſit unus ex ſeptem ſeu ſeptimanæ. 3. ut ſit præcisè ſeptimus à creatione: & cùm hoc poſtremum ſolum conſtet eſſe mutatum & abrogatum, reliqua duo integra maneant oportet.

Tertium. Tertium argumentum. Neceſſitas illa ex Divino Præcepto obſervandi unius diei ſeptimi repugnat libertati Chriſtianæ quam Chriſtus nobis peperit, ut probatur ex Rom. 14. 5. Gal. 4. 10. Col. 2. 16. Reſp. Non video quomodo Chriſtianæ libertati magis abeſſe poſſit noſtra ſententia quàm illa qua ſtatuitur ad moralitatem (ut ita dicam) & ſubſtantiam Præcepti pertinere ut ſtati dies ad ſacra officia deſti-

Digitized by Google

deſtinentur, etſi in ſeptenario numero non hæreant: eodem enim, quantùm ad hoc recidet, ſive ex ſeptem, ſive ex quatuor, quinque, aut ſex, aut duodecim, unus dies conſtanter celebretur: & quare magis minuitur Chriſtiana libertas, ſi ex Dei inſtituto unus dies in hebdomade ſanctificetur, quam ſi dies Dominicus ſemper obſervetur ex inſtitutione vel Apoſtolorum vel Eccleſiæ, quem nemini Chriſtianorum unquam liberum erit deinceps violare aut aliter facere; præſertim cùm agnoſcatur id eſſe Divinum Præceptum, ut certi dies iique ſufficientes obſerventur, quos determinare potiùs Divina quàm humana ſapientia optabilius videtur. Itaque non minus illorum quàm noſtra intereſt, ut contra communes adverſarios Anabaptiſtas loca iſta vindicemus.

At inquiunt, ſatis hoc eſt ad libertatem, quòd ſit hic dies mutabilis, & Eccleſia poſſit alium diem loco Dominici diei eligere. At quæro an credibile ſit fore ut unquam ab Eccleſiâ immutetur. Nam aut id fieret ab univerſali Eccleſiâ aut ab aliquâ particulari. Nemo dixerit id eſſe penes particularem Eccleſiam, alioquin unus dies ab hac, alius ab illa Eccleſiâ obſervari poſſet, unde magna oriretur confuſio. Neque expectandum eſt ut unquam univerſalis Eccleſia congregetur aut conſentiat ad ejuſmodi determinationem: neque ratio ulla mutationis occurrere poteſt. Imo quia eadem ratio, ob quam inſtitutus eſt initio dies Dominicus, permanet, & permanebit uſque ad conſummationem mundi; nec gravior ulla cauſa accidere poteſt, cur in alium diem celebritas iſta transferretur, inde perpetuitas ejus ſatis apparet. Et quantulum hoc eſt ad libertatem ſi concedatur diem mutari poſſe, cùm certum ſit nunquam mutatum iri? Quod ſi conſtet diem Dominicum eſſe inſtitutum ab ipſo Chriſto aut Apoſtolis, de quo poſteà, multo minùs mutari poterit ab Eccleſiâ: quanquam quod poſitivo jure nititur (cujuſmodi eſt res de quâ agitur) ſive Divino ſive humano, non eſt ſuâ naturâ & ſimpliciter immutabile, ut antè dictum eſt. Porro ſi primis noſtris parentibus Sabbati ſanctificatio præſcripta eſt, nec ea repugnabat ſtatui integritatis (ut probavimus) nemo dixerit eos propterea ſervituti diei ſubjectos fuiſſe, aut eorum libertatem imminutam, cum ſervire Deo ſit libertas.

Breviter ergo reſpondemus in omnibus iſtis locis citatis Apoſtolum loqui de feriis ſeu feſtis diebus Judæorum, quos omnes abolitos eſſe cum Cæremoniali Lege, ad quam ſpectabant, docet Apoſtolus:

ſed

Digitized by Google

ſed cum hoc diſcrimine, quod etſi morte Chriſti, ut impletæ, ita
etiam abrogatæ ſunt cæremoniæ, tamen liberum earum uſum Apo-
ſtoli permiſerint aliquandiu Judæis ad fidem converſis habitâ infir-
mitatis eorum ratione, donec progreſſu temporis pleniùs inſtitue-
rentur & confirmarentur in Evangelii doctrinâ & libertate Chriſtia-
nâ: adeoque ipſi Apoſtoli ut ſcandalum Judæorum caverent, inter
eos verſantes cæremoniis legalibus aliquandiu indifferenter uteban-
tur, à quibus inter Gentes abſtinebant, caventes ne illæ Judaizarent.
Sed poſt pleniorem Evangelii publicationem cũ Pſeudapoſtoli & falſi
doctores urgere cœperunt neceſſitatem obſervandæ Legis Moſaicæ,
& libertatem Chriſtianam impugnarent, acriter reſtiterunt Apoſto-
li, & Legem Cæremonialem, tunc non tantùm mortuam, ſed
Auguſtinus. etiam mortiferam eſſe oſtenderunt. Id quod præclarè docet Au-
,, guſt. epiſt. 19. ad Hieronymum. *Cur* non mihi (inquit) licet di-
,, cere Apoſtolum Paulum, & alios rectæ fidei Chriſtianos, tunc illa
,, vetera ſacramenta paulatim obſervando, veraciter commendare
,, debuiſſe, ne putarentur illæ propheticæ ſignificationis obſervatio-
,, nes à piiſſimis Patribus cuſtoditæ, tanquam ſacrilegia diabolica,
,, à poſteris deteſtatæ? Jam cùm veniſſet fides, quæ prius illis ob-
,, ſervationibus prænunciata, poſt mortem & reſurrectionem Do-
,, mini revelata eſt, amiſerunt tanquam vitam officii. Verumtamen
,, ſic ut defunctorum corpora neceſſariorum officiis deducenda erant
,, quodammodo ad ſepulturam, nec ſimulatè ſed religioſè, non au-
,, tem deſerenda continuo vel inimicorum obtrectationibus tanquam
,, morſibus projicienda. Proinde nunc quiſquis Chriſtianorum,
,, quamvis ſit ex Judæis, ſimiliter ea celebrare voluerit tanquam ſo-
,, pitos cineres eruens, non erit pius deductor vel bajulus corporis,
,, ſed impius ſepulturæ violator.

Pauli ἐναντιοφανῆ Conciliantur. Ex hac conſideratione facilè Conciliantur quæ in ſpeciem repu-
gnant ſive dicta, ſive facta Pauli de obſervatione dierum & alia-
rum Legalium cæremoniarum. Nam Rom. 14. diſcrimen dierum
& ciborum videtur facere liberum, aut ſaltem excuſare: quan-
Col. 2. 16. quam eorum infirmitatem notat qui illud obſervabant. At Col. 2.
Gal. 4. 10. 16. & Gal. 4. 10. illud refellit & planè reprehendit. Sic Paulus
Act. 16. 3. Timotheum circumcidit Act. 16. 3. Cenchreis votum perſolvit
& 18. 18. Act. 18. 18. Hieroſolymis à Jacobo admonitus, cum eis qui vove-
& 20. 21. rant, Legales ritus obſervavit Act. 21. 20. &c. Non ut putare vi-
,, deretur (inquit Auguſt. ibidem) per ea Sacramenta etiam Chriſtia-
nam

„ nam ſalutem dari, ſed ne illa quæ prioribus, ut congruebat, tem-
„ poribus, in umbris rerum futurarum Deus fieri juſſerat tanquam
„ Idololatriam gentilium damnare videretur. Sed tamen Petro in os
reſtitit, eamque palam reprehendit, quod cæremonialia obſervando
cogeret gentes Judaizare Gal. 2. 11. & planè Galatis denunciat, ſi *Gal.2.11.*
circumciderentur, nihil eis Chriſtum profuturum Gal. 5. 2. neque *& 5.2.*
ullo modo concedere voluit ut Titus circumcideretur Gal. 2. 3. etſi *& 2.3.*
anteà circumciderat Timotheum: tunc nimirum alia fuit ratio ut
„ notatur in textu, & utroque exemplo oſtendit, illa Sacramenta nec
„ tanquam neceſſaria debere appeti, nec tanquam ſacrilega debere
„ damnari, ut ibidem docet Auguſtinus.

Sed ut ad inſtitutum redeam, dixi Apoſtolum in locis citatis loqui de diſcrimine dierum à Judæis obſervato, prout in Lege Cæremoniali præſcribitur: quanquam locus ille Gal. 4. 10. extendi *Gal.4.10.* etiam poteſt ad ſuperſtitioſos dies gentilium (prout nonnulli interpretantur) qui diſtinguebant dies in albos & atros, fauſtos & infauſtos.

Verum objicitur, verba Apoſtoli eſſe generalia, nec in iis talem reſtrictionem apparere: atque ejuſmodi reſtrictionem ſimilem eſſe ſubterfugio Pontificiorum qui ad loca Scripturæ in quibus Traditiones aut Imagines damnantur, reſpondere ſolent ibi damnari Traditiones aut Imagines Judæorum, non autem Chriſtianorum.

Sed reſpondemus, quicquid damnatur aut vetatur reſpectu Judæorum, idem etiam damnari & vetari apud omnes ubi eadem ratio viget: adeoque quicquid dicitur ab Apoſtolo de diſcrimine dierum aut ciborum generaliter quoque intelligendum eſſe, ubi eadem ratio obtinet: neque enim nobis magis licet quam Judæis Imagines colere, aut Traditiones quaſi Verbum Dei non ſcriptum re & ſubſtantiâ à ſcripto verbo diverſum admittere in rebus fidei & morum: neque ejuſmodi ciborum aut dierum diſcrimen facere cujuſmodi Gentes ſuperſtitioſè obſervarunt, aut Judæis olim obſervare licebat, nunc autem nullis ampliùs licet, poſt abrogatam Cæremonialem Legem. Rationem autem indicat Apoſtolus in iſto loco Col. 2. 16. *Col.2.16.* quia erant umbræ rerum futurarum, nempe typi erant Chriſti venturi & rerum ad eum ſpectantium: imò in genere omne diſcrimen ciborum, locorum, & temporum ſublatum eſt, quatenus eis aliquid cæremoniale, myſticum aut Religioſum, id eſt, pars aliqua cultus Dei aut Religionis aſcribitur citra mandatum Chriſti in Novo Teſtamento;

ſtamento: etenim ſi abrogatum eſt quod Deus ipſe ut cæremoniam ad partem Religionis ſuæ inſtituit, multò minus toleranda ſunt ſuperſtitioſa hominum commenta.

Nihil vetat tamen quin ex Chriſti inſtituto certum cibi genus puta panis & vinum in Euchariſtiâ ob myſticam conſecrationem diſcerni debeant à communibus cibariis: & nihil obſtat quin in Chriſtiana Eccleſiâ diſcrimen eſſe poſſit ciborum & dierum ob aliam rationem in alium finem etiam Religioſum: ut in diebus luctûs & jejunii, tenuiori & viliori cibo ac veſte utendum quam aliàs Dan. 10. 3. non quod in illis aliqua ſit Religio aut pars cultus Dei: etenim ut regnum Dei non eſt eſca & potus aut amictus, ita non conſiſtit in abſtinentiâ ab illis, aut delectu eorum: nec iſta placent Deo per ſe, aut ut pars aliqua cultûs Dei; ſed tantùm quatenus Religioni inſerviunt, aut ad promovenda pietatis exercitia adhibentur. Ita cum dies omnes ſub Novo Teſtamento per ſe ſint æquales, nec ullum myſterium aut aliquid in ſe Religioſum uni diei præ alio aſcribendum ſit, tamen cùm oporteat certos dies ſeparari ad cultum Dei, eos obſervamus non myſterii ratione, non ob aliquam inhærentem aut adhærentem ſanctitatem, ſed ratione ordinis & politiæ, ut neceſſarias circumſtantias cultus Dei ad ſanctum uſum deſtinatas. Fateor diem celebrari poſſe occaſione myſterii aut inſignis alicujus Dei operis aut beneficii, nam eâ occaſione electum eſſe diem Dominicum concedimus, quia Chriſtus eo die reſurrexit, & conſentaneum eſt nos eo die celebrare memoriam reſurrectionis ejus aut etiam creationis, & meditari de ſpirituali & cœleſti quiete inter plurima alia noſtra officia: tamen in ipſo die nullum ponimus myſterium, aut partem cultûs, ſed tantùm cultui inſervire diem ordinis causâ dicimus.

In ipſo die non eſt myſterium nec pars cultus.

At inquiunt, ſi Deus in Lege ſuâ præſcripſit unum diem è ſeptem eſſe nobis obſervandum, tum oportet eum diem Religioſum & ſanctum haberi. R. Hoc argumentum non magis nos urget, quàm eos quibuſcum hîc agimus: nam ſi aliquis dies ex vi quarti Præcepti ſit obſervandus, ille eodem quoque modo religioſus erit; nos autem jam reſpondimus Religioſum quidem & ſanctum dici poſſe ratione ordinationis & uſus ſeu ordinationis ad talem uſum: non autem ratione proprietatis, ſignificationis, aut effectus. Sic non alio loco ratione ſanctitatis habemus eum diem quàm alia tempora ſacris uſibus deſtinata, ut dies ad ſacrum jejunium, aut horas.

Digitized by Google

ras ad publicas preces ab Eccleſiâ præſcriptas. Dei quidem Præceptum inſtitutum tempus determinans multò magis nos obligat & aſtringit, quàm Eccleſiæ auctoritas, ſed non majorem ſanctitatem tempori addit, niſi ipſe ita inſtituerit: prout nobis etiam in ipſius mandato inſtare licet, de horis matutinis & veſpertinis, quæ in Veteri Teſtamento ſacrificio jugi & precibus erant deſtinatæ; quæ quidem ex Divino præſcripto, ut cultus Divini circumſtantia aliqua obſervabantur, & tamen reliquis horis non erant ſanctiores, niſi tantum ratione uſus hujus. Idem docet Hieronymus Commentario in Galatas 4.10. ubi aliam docet eſſe rationem dierum à Chriſtianis quàm à Judæis obſervatorum. 1. Quod nos alios dies obſervemus quàm illi. 2. Non quod celebrior ſit ulla dies in qua nos convenimus (nempe ratione propriæ ſanctitatis & apud illos) ſed quod ex conſpectu mutuo major lætitia oriatur: ut ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Chriſto: hoc eſt, ut vitetur in congreſſibus Eccleſiaſticis confuſio; ſic innuitur ordinis tantum causâ obſervari ferias Chriſtianas. 3. Quod ea officia quæ nos præſtamus diebus Sacris licet peragere quocunque die, ut celebrare reſurrectionem Chriſti, veſci carne ejus, orare, jejunare, &c. Sed non ita Judæis fas erat omni tempore immolare Agnum Paſchalem, Pentecoſten agere, Tabernacula figere, jejunare quovis die. Illis certa officia alligata erant ad certa tempora: nobis verò non item, quibus quocunq; tempore licet omnia pietatis officia exercere, etſi quia eis non vacare poſſumus in hac vitâ perpetuo, ideo habitâ infirmitatis noſtræ & ordinis ratione, certa tempora aſſignata ſunt, in quibus ſacris exercitiis magis vacemus quàm aliis.

Sic reſponſum eſt ad eorum argumenta, qui negativam hujus quæſtionis partem tuentur, nempe quòd vi quarti Præcepti non obligemur ad unum diem in ſeptimanâ ſanctificandum: unde pars affirmativa confirmari videtur, cum nullæ ſuppetant rationes quibus refellatur aut enervetur, magiſque conſentanea ſit communibus hypotheſibus, & auctoritate Divinâ quarti Præcepti ſtabiliatur, deque ejus abrogatione nullum teſtimonium Divinum afferri poſſit. *Argumenta pro ſententiâ communi affirmativa.*

Huc accedunt & alia argumenta. 1. Quod ſi ex vi hujus præcepti non rectè colligatur unum diem ex ſeptem Divino cultui eſſe conſecrandum, tum ad nullum certum dierum numerum aut circulum neceſſario aut abſolutè obligamur, ac liberum erit vel nonum, vel de- *Primum.*

cimum, vel viceſimum diem, & ſic de cæteris eligere: At poſterius eſt abſurdum: E. & prius.

Reſpondent ad majorem, non neceſſariam eſſe connexionem: quia vi præcepti hujus obligamur non ſolum ad certos dies, ſed etiam ad ſufficientes obſervandos: proinde non poſſe differri uſque ad viceſimum diem vel ulteriùs. Atqui adhuc eadem difficultas manet: nam iſta ſufficientia vel determinata eſt ad unum diem, numerum aut circulum dierum, aut ſaltem latitudo aliqua definienda eſt intra quam conſiſtere oporteat eam ſufficientiam: At ſi non determinetur ad numerum ſeptenarium vi hujus præcepti, nihil colligi poteſt ex Sacrâ Scripturâ, quo determinetur, ſive præcisè ad unum numerum ſive ad terminos ullius latitudinis. Et illi quidem qui alteram partem tuentur, tantùm alieni ſunt ab altero die determinando quantum à ſeptimo; neque inter eos convenit de terminis ullius latitudinis intra quos conſiſtere determinatio poſſit. Quanquam non deſunt inter eos qui hanc latitudinem determinant intra ſpatium ſeptem dierum, dicentes ex ratione Moralis Præcepti colligi poſ-
„ ſe, quinam dies ſint ſufficientes cultui Divino, ex eo quod Deus
„ rudi populo Iſraëlitarum ſex dies conceſſit ad opus, & ſeptimum
„ requiſivit ut ſuum, cum enim id indulſerit eis Deus pro ſuâ clemen-
„ tiâ ut unum è ſeptem ei dicarent; præſertim cum operoſus eſſet cultus Legalis, nobis ab eo onere levatis, frequentiores eſſe poſſe, minus frequentes non debere, ſed tamen Deum nulli præcisè obligâſſe Chriſtianos.

Sed ex hac ſententiâ ſequetur non minùs nos quàm Judæos aſtrictos ad unum diem ex ſeptem celebrandum, cum iſtum numerum nequaquam excedere, arctioribus autem limitibus conſtringi poſſimus, videlicet, ut unum diem ex quatuor aut quinque aut ſex perpetuò obſervemus: proinde fruſtra allatum fuiſſe illud argumentum, quo contendebant neceſſitatem obſeruandi unius diei ſeptimi repugnare libertati Chriſtianæ: non minus enim repugnaret libertati noſtræ ſi neceſſaria eſſet nobis obſervatio unius dici intra ſeptenarium ſive determinati ſive indeterminati à Deo, quem tamen determinari poſtulat ordo Eccleſiæ, ne ſit confuſio; ut alius ab hoc, alius, ab illo; alius hîc, alius alibi dies obſervetur pro hominum arbitrio.

Imo ſive intra ſive extra ſeptenarium libertas eligendi diem concederetur, non aliter evitari poſſet hæc confuſio, niſi auctoritate aliquâ irrefragabili determinetur, ſive Divinâ ſive humanâ. Et multo quidem.

Digitized by Google

quidem magis conſultum videtur nobis, ſi divinâ auctoritate definiatur quàm humanâ: nullâ autem divinâ auctoritate definitum eſſe conſtat niſi ad ſeptenarium numerum confugiamus. Quod ſi ulla determinatio facta eſt ab Apoſtolis, ea procul dubio ad diem Dominicum & ſeptenarium numerum ſpectat, atque auctoritatem divini præcepti meritò habet, noſtramque ſententiam confirmat, cùm quarti præcepti Analogiam retineat.

Sin autem iſti rem liberam reliquerunt, nihil obſtabat, quominus & eorum tempore, & poſt eorum tempora aut etiam uſque adhuc alibi unus, alibi alius dierum numerus, maximâ varietate obſervari potuerit (quod valde incommodum & ἄτακτον eſſe videtur) neque enim ulla auctoritas humana poſt Apoſtolorum tempora tollere poſſet illam varietatem aut confuſionem, niſi forte auctoritas generalis Concilii aut mandatum Imperatoris, vel communis conſenſus Magiſtratuum, & omnium particularium Eccleſiarum totius Orbis Chriſtiani (nec enim viſibile caput aut Monarcham totius Eccleſiæ cui id juris competat, agnoſcent) at nihil tale expectari poterat à Magiſtratu politico, aliquot ſaltem annorum Centuriis poſt Chriſtum, cùm ii penes quos ſumma rerum erat, non eſſent Chriſtiani; neque abſolutè neceſſe eſt ut totus mundus uni temporali Monarchæ ſubjiciatur, neque ut Principes aut particulares, Reſp. Vel Eccleſiæ hac de re conveniant, in quâ alioqui liberum eſt ſic vel aliter ſtatuere, hoc vel illud obſervare. Et prout Pontificii agnoſcunt generalia Concilia non eſſe abſolutè neceſſaria, multò minus nos dixerimus ea eſſe ſimpliciter neceſſaria: ſiquidem poſt Concilium illud Apoſtolorum per trecentos & amplius annos nullum erat univerſale Concilium. *Bellarm. lib. 1. de Conciliis cap. 10.*

Secundò, cùm pars adverſa concedat in hoc præcepto id eſſe morale ut ſtati dies, prout recurrunt, ac ſufficientes ſanctificentur, ſi iſta ſufficientia latitudinem admittat, oportet in eâ ſpectentur gradus; adeo ut aliquod tempus magis, aliud minus ſit ſufficiens: conſentaneum autem eſt, ut lex Dei quæ ſummam juſtitiam continet, reſpiciat tempus illud quod eſt maximè ſufficiens & Idoneum, ratione omnium qui præcepto obligantur: at illud tempus oportet eſſe unum diem in curriculo ſeptenarii; quia non aliud tempus ab Apoſtolis & univerſâ Eccleſiâ poſt illorum tempora determinatum eſt, nec deinceps determinatum iri credibile eſt, ſecundum Analogiam quarti præcepti. Nec dubitari poteſt ab illis maxime ſuffi- *Secundum.*

Digitized by Google

ciens & Idoneum tempus obſervatum eſſe, & ſummæ arrogantiæ eſſet ſiqui homines aut cœtus hominum, quaſi præ illis ſaperent, aliud tempus determinarent.

Reſpondent, quod primi Chriſtiani etiam unum diem in hebdomade elegerunt, id deputandum eſſe non neceſſitati ex legis præſcripto, ſed prudenti libertati. Atqui quæro an libertate iſtâ alium diem poterant elegiſſe, qui cum prudentiâ etiam illorum conſiſtere potuiſſet; prudentiæ enim erat maximè idoneum eligere: at non aliud curriculum elegerunt quàm quod lege definitum eſt. Ergo hactenus æquitatem & perpetuitatem legis agnoverunt: neque ulla inſtantia afferri poteſt quâ oſtendatur quod in lege erat cæremoniale, aut quovis modo mutabile, id eos denuò ſanciviſſe; niſi quatenus ad tempus nonnulla talia, ſcandali cavendi causâ, toleranda iis videbantur.

Tertium. Tertio, in quarto præcepto aperta fit mentio ſex dierum operibus noſtris conceſſorum, qui numerus non conſtabit, niſi terminetur quiete diei ſeptimi, ſupereſt itaque conſiderandum, an illud quod dicitur de laboribus ſex dierum ſit morale an cæremoniale (nam judicialia in Decalogo contineri nemo dixerit) certum autem eſt non eſſe cæremoniale, alioqui nobis id nunc obſervare non liceret, cùm cæremonialia ſint abolita: relinquitur ergo ut ſit morale, ac proinde id quoque eſſe morale ut unus in hebdomade celebretur.

Reſpondent, ſex dies non eſſe conceſſos præcisè, abſolutè, & in perpetuum) ut patet ex aliis inſtitutis, quibus cautum eſt ut aliæ feriæ obſervarentur quæ in unum aliquem eorum inciderent) ſed relatè tantum ad ſeptimum diem cujus ſublatâ determinatione, ſequitur nullum diem eſſe talem quo quis ex naturâ rei & Dei conceſſione non poſſit operari, niſi aliter legitimâ auctoritate injungatur.

Nos quidem facilè concedimus ſex dierum laborem intelligendum eſſe relatè ad ſeptimum diem, ſed duplex relatio hìc ſpectatur, ſcilicet & generalis, quâ ſex dies referuntur ad ſeptimum diem indefinitè ac generaliter, & ſpecialis, quâ hi dies ſex referuntur ad hunc diem ſeptimum ut ad diem ſeptimum à creatione definitè & peculiariter. Nos dicimus generalem relationem in quâ nihil eſt cæremoniale, manere, ſpecialem verò cum cæremoniâ ſublatam eſſe.

Quartum. Denique ſi nihil aliud in hoc præcepto morale ſtatuatur quàm ut certi & ſtati dies obſerventur; tum non magis morale erit quartum præceptum quàm præcepta illa de Paſchate, Pentecoſte, & aliis feſtis

Digitized by Google

feſtis Judæorum diebus. Nam exinde etiam illud colligi poteſt generale, certos dies eſſe ſeparandos ad cultum & celebrationem Dei; tanquàm præcepta de tabernaculo & templo ædificando: nam hîc conſtat aliqua loca eſſe aſſignanda cultui publico in cætu Eccleſiæ, ejuſmodi enim moralem æquitatem talia præcepta continent. Imo nullum eſt præceptum cæremoniale ex quo non aliquod morale elicitur: ſed nihil prætereà tribuere præcepto Decalogi valde abſonum & inſolens videtur.

R. Si nihil eſt morale) ut illi volunt) niſi quod eſt naturalis juris, ne illud quidem in hoc præcepto relinquitur morale ut integri dies ſeparentur ad cultum Dei: nihil enim aliud hîc natura dictare videtur quàm temporis quantum ſatis eſt tribuendum eſſe cultui Dei; at tantum temporis inſumi poteſt, in dimidiatorum dierum multiplicatione, quàm in integrorum poſt longius intervallum revolutione.

Utcunque eſt, ſi nihil aliud ex quarto præcepto morale colligatur quàm quòd naturâ notum eſt, ut certa tempora cultui Dei aſſignentur, nunc illud præceptum non eſt omninò neceſſarium, quia illud colligi poteſt ex præcedenti mandato quo cultus Dei præcipitur: etenim ſi obligamur ad colendum Deum, neceſſe eſt ut obligemur ad tempus idque ſufficiens & idoneum ejus cultui tribuendum & eo tempore vacandum ab aliis negotiis quæ cultum impediunt; quemadmodum qui credunt mundum eſſe creatum, tempus quoque concreatum credant neceſſe eſt. Quoniam autem id quod eſt morale in hoc præcepto eſt primarius ejus ſcopus ut unus dies ex ſeptem obſervetur. Ideo quod dicit Irenæus de diſcrimine Decalogi ab aliis legibus, etiam huic præcepto accommodari poteſt. Decalogi verba ,, ipſe per ſemetipſum, omnibus ſimiliter loquutus eſt Dominus. Et ,, ideo ſimiliter permanent apud nos, extenſionem & augmentum ,, ſed non diſſolutionem accipientia per carnalem ejus adventum. ,, Servitutis autem præcepta ſeparatim per Moſen præcepit populo, ,, apta illorum eruditioni ſive caſtigationi.

Quâ auctoritate & quouſque inſtituta ſit diei Dominici Sanctificatio.

DE inſtitutione ac origine diei Dominici quæſtio inter doctos etiam orthodoxos agitatur, utrum nitatur jure divino an Eccleſiſtico

ſiaſtico tantum? Et qui priorem ſententiam ſequuntur, alii ejus auctorem Chriſtum, alii Apoſtolos ſtatuunt: qui verò poſteriorem defendunt, alii referunt illius diei obſervationem ad conſtitutionem & praxin Apoſtolorum, ſed ejuſmodi quam liberam Eccleſiæ reliquerint; alii verò nihil certi hac de re ſtatuiſſe Apoſtolos volunt, ſed eam ab Eccleſiæ conſuetudine & praxi duntaxat pendere, quam variabilem agnoſcunt.

Divina inſtitutio diei Dominici probatur.

Qui Chriſtum auctorem dicunt, inter alia hoc utuntur argumento: quia ne unam quidem ſeptimanam poſt Chriſti mortem differri potuit hæc inſtitutio: alioqui tempus aliquod interceſſerit oportuit, quo ex præcepto divino non tenebantur aliquem diem cultui divino conſecrare; quippe dies Sabbati morte Chriſti erat abrogatus, nec amplius ad obſervationem ejus quiſquam aſtringebatur: quod ſi igitur nullus alius ſurrogatus fuiſſet, nullo alio die obligati erant ad publicum cultum celebrandũ, nec ad rem eſt (inquiunt) ſi reſpondeatur Apoſtolos, Judæorũ gratia, *Sabbatum* Judæorũ aliquandiu obſervâſſe, hoc enim non quæritur, ſed an ex debito illud fecerint: ſin minus tum vel anteà inſtituebatur dies Dominicus, vel nullũ ex debito obſervarunt. Cæterum parum intereſt ad auctoritatem hujus inſtituti, ſive Chriſtus immediatè, ſive Apoſtoli diem hunc inſtituerint, etenim Apoſtoli, quæcunque tradiderunt neceſſariò credenda aut obſervanda, ea acceperunt à Chriſto (ut profitetur Paulus de inſtitutione Cœnæ, 1. Cor. 11. 23.) cujus ore docebantur aut ſpiritu ducebantur in omnem veritatem ab omni errore immunes.

1. Cor. 11. 23.

Chriſtum autem & Apoſtolos primum hebdomadis diem ſanctificâſſe & obſervâſſe, probari ſolet variis teſtimoniis, nempe quia Chriſtus ut eo die reſurrexit, ita diſcipulis ſuis in unum locum congregatis ſæpiùs apparuit hoc ipſo die Jo. 20. 1. & 19. 26. item Spiritum Sanctum effudit in eos cùm unà conveniſſent hoc ipſo die Act. 2. 1. Sic mentio fit obſervationis primi diei in ſeptimanâ Act. 20. 7. quo die dicitur congregatos eſſe diſcipulos ad frangendum panem, & Paulum diſſeruiſſe cum eis & produxiſſe ſermonem, uſq; in mediam noctem, & 1. Cor. 16. 2. ubi Apoſtolus de collectâ in Sanctos præcipit ut primo quoque die hebdomadis aliquid colligatur & ſeponatur in hunc uſum, id quod fieri ſolebat die Dominico quo tempore conveniebant fideles ad Sacra peragenda: quem Eccleſiæ morem fuiſſe notat Juſtinus Martyr (qui Apoſtolis fere erat conterminus) in ſecunda Apologiâ. Huc etiam ſpectat diei Dominici appellatio,

Jo. 20. 1. & 19. 26. Act. 2. 1. & 20. 7. 1. Cor. 16. 2.

quæ

quæ legitur Apoc. 1. 10. nam ut δεῖπνον κυριακὸν Cœna Dominica 1. Cor. 11. 20. ſic ἡ ἡμέρα κυριακὴ dies Dominicus in illo loco dici videtur, quia in honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti conſecratus eſt: quæ appellationes ab Apoſtolis uſurpatæ perpetuo uſu Eccleſiæ receptæ ſunt.

Ex his omnibus non tam ſigillatim ſpectatis quàm ſimul ſumptis ſatis clara eſt diei Dominici ab Apoſtolis & Apoſtolicâ Eccleſia conſtans obſervatio, quæ inſtitutionem neceſſariò præſupponit, quam etiam à poſteriore confirmat conſequens Eccleſiæ praxis perpetua Conciliorum canonibus ac regum reſcriptis munita.

Non deſunt (ut omittamus alia) ex veteribus & recentioribus qui id ipſum confirmant ex verbis illis Pſal. 118. 24. *Hac eſt dies quam fecit Jehovah*: nam Chriſtus ipſe ſibi accommodat Mat. 21. 42. verba illa præcedentia, *Quem lapidem reprobarunt ædificantes, is factus eſt caput anguli, &c.* Oportuit enim Chriſtum prius reprobari ab hominibus & humiliari uſque ad mortem Crucis, & poſteà exaltari per reſurrectionem, ut ſic declararetur ſummus angularis lapis. Ita dies reſurrectionis dicitur, *Dies quem fecit Dominus*; quia licet omnes dies facti ſint à Deo, tamen ille dies maximo opere, maximoque beneficio Domini inſignis fuit: ac proinde eum diem peculiariter ſibi conſecravit. Unde Athanaſius in libro de Sabbatis ac Circumciſione. Finis (inquit) prioris creationis Sabbatū: Secundæ autem creationis initium Dominicus dies: in quâ veterem hominem renovavit & reſtauravit, ſicuti igitur prioribus temporibus Sabbati diem ſervari voluit in monumentum finis priorum, ita Dominicum diem veneramur ut monumentum exordii ſecundæ reparationis. Et paulo pòſt. Ideoque cùm creaturam intra ſex dies conditam renovatione interpolâſſet, diem illam huic inſtaurationi conſecratam voluit, quam in Pſalmo ſpiritus pronunciat, *Hac eſt dies quam fecit Dominus.*

Pſal. 118. 24. *Mat.* 21. 42.

Atque hæc ſunt præcipua argumenta eorum qui diem Dominicum jure divino ſtabilitum credunt. Sed & hi in duas Claſſes diſtinguuntur: nam alii diei Dominici obſervationem in primâ hac inſtitutione ac Decalogi quarto præcepto fundatam dicunt, quatenus unus dies ex ſeptem ſanctificandus ibidem determinatur: alii nullam talem determinationem agnoſcunt, nec præceptum in Sacrâ Scripturâ ex quo deducatur, ſed in exemplo & praxi Chriſti aut Apoſtolorum acquieſcendum eſſe volunt. Sic itaque diſtinguit D. Prideaux in Oratione de Sabbato. Dicitur (inquit) quidpiam eſſe

Digitized by Google

„ jure divino duobus modis: vel quod inſtitutum habeat in Sacris „ Literis, idque aut expreſsè, aut certâ deductione erutum, vel ex- „ emplum continuatâ Eccleſiæ praxi omni ſæculo commendatum. „ Inſtitutum diei Dominicæ ſive expreſſum ſive elicitum oſtendant „ in Sacris Literis qui invenerit: exempla ſunt ſatis obvia quibus nitatur praxis Eccleſiæ. Nos verò dicimus exempla eſſe ejuſmodi, ex quibus inſtitutio ſatis manifeſtè colligi poteſt, præſertim ſi accedant duæ iſtæ hypotheſes. 1. Abrogatum eſſe Sabbatum Judæorum. 2. Immotam eſſe legem de obſervatione unius diei in ſeptimanâ, quarum hanc jam confirmavimus, illam agnoſcunt omnes Orthodoxi: quibus poſitis ſi conſtet praxis Apoſtolica in obſervando die Dominico, non eſt quod ultra præceptum aut inſtitutionem deſideremus; præſertim cùm ratio nobis conſtet, ob quam Apoſtoli primum ſeptimanæ diem elegerunt, ut jam maximo Dei beneficio nobilitatum, aliiſque prolatum.

Diei Dominici inſtitutum nunquam mutabitur.

Atque hinc conſtat quid cenſendum ſit de illa quæſtione, ſit ne diei Dominici inſtitutum mutabile an non. Nam etſi agnoſcamus, quicquid eſt poſitivi juris, ſive divini ſive humani, id non eſſe quà tale, naturâ ſuâ immutabile, quia eâdem auctoritate mutari poſſit, quâ poſitum eſt; tamen nunquam mutatum iri aut mutandum eſſe cenſemus, prout de Sacramentis novæ legis credimus: imò cum divino jure ſtabilitum eſſe cenſeamus, nullâ auctoritate humanâ mutari poſſe exiſtimamus: aut etiamſi aliquid juris hac in re hominibus competeret, nullam tamen mutationem eſſe faciendam conſtat, cum nulla idonea ejus ratio occurrere poſſit, maximumque ſcandalum citra omnem rationem inveheret. Neque verò qui ex noſtris mutabilem hanc diem dicunt, aliud voluiſſe exiſtimandi ſunt quàm ut ſuâ naturâ mutari poſſit, licet nunquam mutari debeat. Atque hoc eſt quod Suarez lib. 2. de Religione cap. 10. abſolutè quidem dixit eſſe mutabilem, practicè verò non item.

Dies Dominica non eſt Traditio nõ ſcripta.

Ex dictis patet vanam eſſe inſtantiam, quam nonnulli ex Pontificiis objiciunt de die Dominico, pro Traditionibus non ſcriptis; præſertim cùm doctiſſimi ex Pontificiis iiſdem Scripturæ locis quos nos citavimus, ejus diei celebrationem confirment, nec deſunt inter eos qui agnoſcant jure divino, nempe vi quarti præcepti unum diem in hebdomade dicandum eſſe cultui divino (ut fuſiùs oſtendimus in tractatu noſtro de perfectione & ſufficientiâ Scripturæ) inter quos ſunt Viegas & Ribera Jeſuitæ in Apoc. 1. 1. Janſenius, Maldonatus,

&c

& Lucas Brugenſis in Jo. 20. 19. Bellarm. de cultu Sanctorum lib. 3. cap. 11. Suarez de Religione lib. 4. cap. 4. Eſtius in 1. Cor. 16. 1. Imo Alexander Tertius Papa, ut citatur in ipſo Jure Canonico Decretalium lib. 2. tit. 9. de Feriis c. licet, & Catechiſmus Concilii Tridentini par. 3. cap. 4. pag. 471. Quanquam etiam & illis *non deeſt reſponſio* ad iſtam inſtantiam, qui diem Dominicum in libertate Eccleſiæ ponunt (ut ibidem oſtendimus) quam tamen non perinde validam eſſe innuit Junius prælectione in Gen. 2. 2. In-„ eptè faciunt (inquit) qui obſervationem diei Dominici ex Tradi-„ tione non ex Scripturâ aſſerunt in Eccleſiâ perdurare, ut hominum Traditiones his adminiculis (ſi Deo placet) ſtatuminent.

Sequitur ut examinemus exceptiones ſeu objectiones, quibus utuntur qui alteram partem tuentur adverſus noſtras rationes, & argumenta quibus ſuam ſententiam aſtruere aut noſtram evertere conantur. Objiciunt contra teſtimonia quibus oſtendebatur diem Dominicum obſervatum eſſe à Chriſto & Apoſtolis: Nullum (inquiunt) indicium occurrit Apoſtolos obſervâſſe illum ipſum diem quo reſurrexit Chriſtus; etſi facti erant certiores eodem die mane de ejus reſurrectione, aut Chriſtum apparuiſſe illis ante ſeram veſperam, quod non tamdiu diſtuliſſet, ſi ſanctificaturus fuiſſet una cum eis diem illum. Imo duo ex diſcipulis Chriſti eo die proficiſcentes Hieroſolymis Emmaunta, eodemque die redeuntes iter ſexaginta ſtadiorum bis, id eſt, omnino quindecim milliaria confecerunt, quod eſt contra ſanctificationem & quietem quæ iſti diei deberi dicitur; neque hoc nomine legitur à Chriſto reprehenſos fuiſſe. *Ad exceptiones contra noſtras rationes reſpondetur.*

Quod autem dicitur Chriſtum ſæpiùs apparuiſſe Apoſtolis eo die, ac proinde apparitione ſuâ ſanctificâſſe illam diem, negant & antecedens & conſequentiam: Neque enim (inquiunt) Scriptura dicit eum ſæpiùs apparuiſſe die primò hebdomadæ quàm aliàs: ſed Act. 1. narratur eum conſpectum fuiſſe ab Apoſtolis 40. diebus, nec una die magis quam alio. Quod dicitur Jo. 20. 26. Jeſum à primâ apparitione octo poſt diebus rurſus apparuiſſe, non evincit hoc primo die ſeptimanæ accidiſſe: textus enim ait hoc non octavo poſt die, ſed poſt octo dies contigiſſe. At ſi poſt primum hebdomadis diem numerentur octo dies, & dies proximè ſequens intelligatur, is erit tertius hebdomadis dies.

Deinde etiam conſequentiam infirmam eſſe hinc docent: quoniam ſi apparitio Chriſti ſufficeret ad creandum ſacrum diem, tum

oportuit illum diem quo Petrus & reliqui Apoſtoli piſcabantur Jo. 21. ſacrum quoque fuiſſe: maximè autem quintum ſeptimanæ diem, quem Jovis appellant, quo Chriſtus aſcendit in Cælum aſpicientibus Diſcipulis, Act. 1. Quod Spiritus Sanctus deſcenderit die primo ſeptimanæ, eodemque die Petrus concionatus fuerit, Baptizata fuerint, & converſa ſint tria hominum millia. Id (inquiunt) caſu factum eſt non ob conſecrationem diei Dominici, ſed ob celebritatem Pentecoſtes, quam eo anno contigit in primum hebdomadæ diem incidiſſe, cum alioqui feſtum eſſet mobile à Paſchate dependens quod conſequebatur 50 poſt die, & alias in alium quamvis hebdomadæ diem incidere potuerit.

Act.20.7. Quod Act. 20. 7. Diſcipuli dicuntur congregati ad frangendum panem, & Paulum cum iis diſſeruiſſe primo die hebdomadis, id quoque pro occaſione tantum factum eſſe dicunt, quia Paulus diſceſſurus erat poſtridie: addunt perfractionem panis illic non intelligi Euchariſtiam ſed communem cibum. Porrò Paulum non tam homiliam aliquam aut concionem habuiſſe eo tempore, quàm diſſertationem pro re natâ cum conveniſſent ad refectionem corporalem, item nec prædicationem verbi nec adminiſtrationem Sacramentorum efficere aut probare diem ſacrum: quia ejuſmodi officia quovis die Apoſtoli præſtiterunt: ut patet ex Act. 2. 46. 47. & 5. 42. &c. Maximè autem opportunitatem Sabbati Judæorum ad prædicandum arripuerunt, Act. 13. 14. 42. 44. & 16. 13. & 17. 2. & 18. 4. Denique incertum eſſe an illic denotetur primus dies ſeptimanæ ſeu dies Dominicus: quia alii aliter interpretantur iſta verba τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, aut ſic, *in uno die ſeptimanæ*, aut ſic *in uno die Sabbatorum*, id eſt, quodam die Sabbati: aut etiamſi denotetur illic primus dies ſeptimanæ, tamen incertum eſſe (ut patet ex Auguſtino in Epiſt. 86. an nox de quâ loquitur illic fuerit illa quæ ſequuta eſt lucem diei Dominici, an illa quæ proximè diem artificialem Sabbati conſequuta eſt, iſta enim nox more Judæorum pertinebat ad primum diem naturalem ſeptimanæ: adeo ut ſic Paulus iter ſuum aggreſſus ſit prima luce diei Dominici, quod repugnaret quieti diei Sacri.

Act.2,46. 47. & 5. 42. & 13. 14.42.44. & 16. 13. & 17.2. & 18. 4.

Contra locum etiam illum de collectâ ſeponendâ die primo Act. 16. variè excipiunt. 1. Incertum eſſe primum hebdomadis diem intelligi ut ſuprà. 2. Particulare fuiſſe præceptum datum tantum Galatis & Corinthiis. 3. Eam collectam fuiſſe extraordinariam ad ſublevandos fratres egenos Hieroſolymis tempore famis quam prædixerat

Digitized by Google

dixerat Agabus Act. 11. 28, 29. adeoque mandatum fuiſſe tantum temporarium. 4. Collectam in uſum pauperum fieri poſſe non minùs aliis diebus quàm die Sacro. 5. Nullam illic eſſe mentionem collectæ faciendæ in cœtu populi ſed privatim ſeponendæ. *Act.11.28. 29.*

Poſtremo ad locum Apoc. 1. 10. ubi mentio fit diei Dominici, reſpondent nonnulli ibi intelligi poſſe diem adventus ſeu apparitionis Domini (prout 1 Cor. 5. 5. dies adventus ejus in ultimum judicium appellatur dies Domini; aut licet ibi accipiatur pro die reſurrectionis Chriſti, tamen intelligi poſſe diem anni non ſeptimanæ; aut etiamſi intelligeretur dies primus ſeptimanæ, non propterea tamen ſequi eum diem inſtitutum eſſe ut Sacrum. Ad hæc omnia reſpondemus 1. in genere, eos ſophiſticè divellere partes argumenti noſtri quæ conjungendæ ſunt. Etenim cùm inſtitutum ſit nobis probare obſervationem diei Dominici à praxi Apoſtolicæ Eccleſiæ ex Novo Teſtamento; non ex ſingulis locis ſeorſim ſpectatis, ſed ex pluribus ſimul ſumptis colligitur conſtans Apoſtolorum praxis. Deinde in interpretandis locis citatis, ut vim argumenti effugiant, eos communem doctiſſimorum Interpretum veterum & recentiorum ſententiam refugere, & aut commenta ſua obtrudere, aut ſi quid fortè minus conſideratè viris piis & doctis parum advertentibus exciderit, id avidè arripere.

Quod autem ad ſpecialia attinet 1. Parum intereſt quo tempore diei Chriſtus apparuerit: cum hoc certum ſit ex textu Apoſtolos eo die congregatos fuiſſe proculdubio, non ad civilia negotia ſed ad Sacra exercitia. Chriſtumque eis eodem die apparuiſſe, quando commodum cenſuit: nec dubium eſt toto illo die in meditatione & conſideratione reſurrectionis Chriſti occupatos fuiſſe (quanquam in fide illius ſinguli aut aliqui ex iis identidem vacillabant) etenim multò mane renunciata eſt eis revelatio quam acceperunt mulieres, primò ab Angelis, deinde ab ipſo Chriſto de reſurrectione ejus. Poſteà apparuit etiam Petro, qui idem reliquis quoque ſignificavit antequam à duobus illis diſcipulis qui Emmauntem profecti ſunt, edocti erant: ut patet ex 1 Cor. 15. 5. & Luc. 24. 34. ac demum ut eos planè confirmaret, omnemque dubitationem eximeret, toti cœtui Apoſtolorum, & aliorum qui cum illis erant, ſe manifeſtavit. Nam licet Thomas eâ horâ abfuerit aliquò forte digreſſus, tamen Evangeliſta undecim meminit, quia collegium Apoſtolorum quod conſtabat ex undecim, convenerat, tametſi unus ex numero undecim abfuerit. Nam ut *1 Cor.15.5 & Luc. 24.34.*

antea collegium hoc denominabatur à numero duodecim ante perditum Judam: ita nunc ab undenario numero Apoſtolica ſocietas nuncupabatur donec Matthias Judæ ſurrogaretur. Imo duodenarium numerum retinuit Paulus 1 Cor. 15. 5. etiam extincto Juda ac nemine in ejus locum ſubſtituto (ſic enim legiſſe ſe teſtatur Beza in omnibus manuſcriptis codicibus excepto Claremontano qui habet ἕνδεκα undecim) prout collegium 100 virorum, decem virorum, ſeptemvirorum nomen retinet, etſi aliqui abſint. Sic cum Gideoni
*Jud.*8.30. fuerint 70. filii Jud. 8. 30. cùm Abimelechus frater eorum occide-
& 9.5.18. rit reliquos, excepto Jothamo, dicitur intereniſſe 70. viros Jud.9.
24.56. 5.18.24.56.

Quinquies autem hoc primo die Dominum apparuiſſe ex col-
*Mar.*16.9. latione Evangeliorum colligitur. 1. Mariæ Magdalenæ ſoli Marc.
*Mat.*28.9. 16. 9. 2. Eidem cum reliquis mulieribus Mat. 28. 9. 3. Petro ſoli. 4. Duobus illis Diſcipulis. 5. Toti cœtui ut dictum eſt.

Duo illi Diſcipuli qui profecti erant Emmaunta non erant ex nu-
*Luc.*24. mero Apoſtolorum, ut patet ex Luc. 24. 18. 33. Quod autem
18.33. diſceſſerant eo die à cœtu Apoſtolorum, & reliquorum qui cum illis convenerant, id eorum imperitiæ ac infirmitati aſcribendum eſt, &
*Luc.*24.25 Chriſtus ipſe eos increpat ut amentes & tardos corde ut Luc. 24. 25. Nec mirum eſt, hæc de iis dici, cum & ipſi Apoſtoli multarum rerum rudes fuerunt quæ ad regnum Dei pertinent, magnaque inſcitiâ & infirmitate laborârint, antequam à Chriſto per quadraginta illos dies à morte ejus ad aſcenſionem pleniùs edocti, & demum Spiritu S. repleti eſſent: quibus, ut alio ſæpe, ita hoc ipſo quoque die ex-
*Mar.*16. probravit incredulitatem & cordis duritiem Marc. 16. 14. Non mi-
14. rum eſt igitur ſi in obſervando primo die Dominico defectus aliqui notari queant.

Secundò, quod dicitur Act. 1. Chriſtum conſpectum fuiſſe ab Apoſtolis quadraginta diebus, non ſic intelligendum eſt, quaſi ſingulis ex illis quadraginta diebus illis apparuerit: veriſimile eſt enim poſt eum diem quo reſurrexit non apparuiſſe ante octavum exinde diem: & certiſſimum eſt enim Thomæ non antè apparuiſſe, ut patet ex Joan. 20. Quod ſi quotidie apparuiſſet reliquis, mirum eſt Thomam ſemper abfuiſſe, nec admonitum à reliquis voluiſſe expectare adventum ejus; cujus vivendi proculdubio cupidiſſimus fuit.

*Jo.*20.26. Quod dicitur Joan. 20. 26. Chriſtum poſt octo dies rurſus apparuiſſe,

paruiſſe, ineptè colligunt octo dies interceſſiſſe inter illam & procedentem apparitionem : ſed cùm ſex tantum dies interceſſerint ex communi phraſi octo nominantur, connumeratis utriſque extremis, ut præclarè docet Cyrillus Alexandrinus in hunc locum. Diem octa- *Cyrillus*
„ vum (inquit) diem Dominicum eſſe neceſſe eſt, nam unâ Sabbato- *Alexan-*
„ rum cæteris apparuit, id eſt, die Dominico : die deinceps octavo, *drinus.*
„ connumeratis utriſque extremis congregati rurſus Diſcipuli Tho-
„ mâ præſente ſimili modo Dominum vident. Jure igitur ſanctæ
„ congregationes die octavo in Eccleſiâ fiunt. Similis planè phraſis occurrit Marc. 8. 31. ubi Chriſtus ipſe docet oportere ſe mori & *Mar.* 8.31
μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀναστῆναι *poſt tres dies reſurgere*. Quidni ergo hinc colligant Chriſtum non tertio ſed quinto demum die reſurrexiſſe. Sic Gen. 40. quod verſibus 13. & 19. dicitur de tribus diebus verſ. 20. dicitur tertio die factum. Item quod Deut. 31. 10. dicitur de fine *Deut.* 31. 10.
ſeptem annorum intelligitur de fine ſeptimi anni, ut Mat. 27. quod dicitur μετὰ τρεῖς ἡμέρας poſt tres dies in ver. 28. exponitur de tertio die. Sic cùm Latine dicitur tertio aut quarto Kalend. aut *Non.* etſi præpoſitio *ante* intelligatur, non tamen excluditur ipſe dies Kalendarum aut Nonarum, ſed includitur.

Tertiò, nos non dicimus quamvis apparitionem Chriſti ſufficere ad creandum ſacrum diem : nec ex uno illo loco de deſcenſione Sp. Sancti die primo ſeptimanæ concludimus diem Dominicum ſanctificandum, ſed ex complurium locorum collatione, colligimus eum diem celebratum eſſe ab Apoſtolis.

Quartò per τὴν μίαν τῶν σαββάτων non indefinitè aliquem diem, ſed certum & definitum diem intelligi articulus indicat : & quidem intelligendum eſſe diem primum ſeptimanæ certiſſimum eſt ex Mat. *Mat.* 28.1.
28. 1. Marc. 16. 2. Luc. 24. 7. Joan. 20. 1. ubi eâdem phraſi denotari primum hebdomadis diem extra omnem controverſiam eſt. *Mar.* 16.2. *Luc.* 24.7. *Ioan.* 20.1.
Eſt enim Hebraiſmus notiſſimus, quòd numeri cardinales uſurpentur pro ordinalibus, & unum ponatur pro primo, ut Gen. 1. 5. *Gen.* 1.5. & 8.5.
Fuitque mane & veſpera dies unus, id eſt, *primus*. Sic Gen. 8. 5. Num. *Num.* 29.1.
29. 1. in unâ menſis, pro primâ die menſis, & Dan. 9. 1. in anno *Dan.* 9.1.
uno Darii, id eſt, anno primo. Atque hac in re conſentiunt Patres Græci & Latini : ut Juſtinus Martyr in dialogo cum Tryphone Judæo, Cyrillus in verbis citatis, Auguſt. epiſt. 86. & in Ioan. 21. Chryſoſtomus, Theophylactus, Ambroſius, Beda & Anſelmus in Act. 20. & in 1 Cor. 16. 1. & Hieronymus contra Vigilantium, &c.

Imo

Imo Evangeliſta ipſe ſe interpretatur Marc. 16. Nam diem quem verſ. 2. dixit μίαν σαββάτων interpretatur verſ. 9. πρώτην σαββάτου. Etſi autem in plurali numero vox *Sabbata* ponatur aliquoties pro ſingulari

Mat. 12.1. *Mar.* 1.21. *Act.* 16.3. *Exod.* 16.23. *&* 20.8

Sabbatum ut Mat. 12. 1. Marc. 1. 21. Act. 16. 3. Item 70 Interpretes ſæpe Sabbata in plurali numero eodem ſenſu uſurpant quo *Sabbatum* in ſingulari ut Exod. 16. 23. Σάββατα ἀνάπαυσις ἁγία τῷ κυρίῳ & Ex. 20. 8. μνήσθητι τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων ἁγιάζειν αὐτὴν, & verſ. 10. τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ σάββατα κυρίῳ τῷ θεῷ σου. Ita ut unam aut primam Sabbatorum interpretari liceat per ellipſin præpoſitioni ἀπὸ unum ſeu primum diem à Sabbato: tamen non incommodè interpretantur docti Sabbata ſeptimanā. Nam ſic etiam Hebræi denotant per vocem

Lev. 23.15 *&* 25.8. *Luc.* 18.12.

Sabbati in plur. numero שַׁבָּתוֹת Lev. 23. 15. & 25. 8. ita etiam in ſingulari uſurpatur pro hebdomade Luc. 18. 12. νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου. Jejuno bis Sabbato, id eſt, hebdomade.

Act. 20.7.

Quamvis Auguſtinus diſputandi causâ in aliâ quæſtione proponit duos modos quibus intelligi poſſit nox illa quâ differebat Paulus cum Diſcipulis Act. 20. 7. nempe vel quæ diem Sabbati, vel quæ diem Dominicum proximè ſequuta eſt, tamen ſatis certum eſt ex textu (quod & ibidem notat Auguſt.) primum diem quo ibi dicitur congregatos fuiſſe Diſcipulos, non fuiſſe eundem diem quo diſceſſit Paulus, quia expreſsè dicitur Diſcipulos fuiſſe congregatos primo die & Paulum abiturum poſtridie, prout abivit ſequente luce.

Act. 20.7.

Quintò, quod objiciunt Act. 20. 7. Diſcipulos congregatos fuiſſe ad frangendum panem, & Paulum cum eis diſſeruiſſe pro occaſione tantùm accidiſſe quia Paulus diſceſſurus erat ſequenti die: multò magis veriſimile eſt expectatum fuiſſe à Paulo diem Dominicum, ut pridie diſceſſus ſui faciliùs Diſcipulos omnes in unum locum aggregatos conveniret: quorſum enim illius diei expreſſa mentio niſi ut temporis opportunitas & delectus notetur. Per fractionem panis Euchariſtiam illic intelligi communis doctorum ſententia eſt, ſicut & Syrus Interpres appellat ibidem fractionem Euchariſtiæ. Et (ut

Calvinus.

„ Calvinus in locum rectè obſervat) Quamvis Hebræis panis fractio
„ convivium etiam domeſticum ſignificet, tamen hoc loco de Sacrâ
„ cœnâ propter duas rationes intelligi & exponi debet. Nam cùm
„ ex ſequentibus colligere promptum ſit, non parvam hominum
„ multitudinem illic fuiſſe collectam, cœnam privata in domo potuiſſe

Digitized by Google

„ tuiſſe inſtrui conſentaneum non eſt. Deinde narrat poſteà Lucas, „ non cœnæ tempore, ſed poſt mediam demum noctem Paulum pa- „ nem ſumpſiſſe verſ. 11. Huc accedit quod non veſcendi causâ cibum dicit cepiſſe, ſed tantùm ut guſtaret γευσάμενος. Quanquam etiamſi illâ voce ſignificetur cibi etiam communis ſumptio ut Act. 10. 10. nihil incommodi eſt: quandoquidem eâ tempeſtate non erat inſolens, ut cœna Domini cum cœnâ communi ſive agapis conjungeretur in conventu Eccleſiæ.

Parum autem intereſt ſive Paulus tum continuam orationem habuerit, ſive identidem miſcuerit colloquia cum auditoribus. Neque verò in tam diutino tempore unquam intermiſiſſe ſermonem Paulum exiſtimamus; quamvis prolixiores ejus ſermones fuiſſe veriſimile eſt ex ſomno Eutychi. Neque nos præciſe ex his Sacris exercitiis ſacrum hunc diem fuiſſe concludimus: ſed ex praxi conſtanti Apoſtolorum diem hunc inſigniter notatum ad ſacra exercitia deſtinatum eſſe colligimus: cum, abrogato Sabbato Iudæorum, unum aliquem diem, ſtato tempore, in ſufficienti ſpatio recurrentem obſervandum eſſe concedatur.

Sextò quæ objiciunt contra locum illum de collectâ faciendâ die primo 1 Cor. 16. præceptum eſſe particulare, occaſionem extraordinariam, nullam eſſe mentionem collectæ faciendæ in cœtu populi ſed privatim ſeponendæ, eamque fieri poſſe non minus alio die quàm die ſacro; non infirmant argumentum noſtrum, quo illud maximè urgetur, quod iſtud præceptum ibi determinetur ad primum diem; ut temporis ſcilicet opportunitas ac delectus notetur, tanquam commodiſſimi ad illa officia præſtanda, atque exinde receptum eſt in Eccleſiâ, ut, cum convenitur ad ſacra die Dominico, eleëmoſynæ colligantur, ſicut ſuprà monuimus: quod inſtitutum in hoc loco fundatur. Etſi enim præceptum datum ſit Corinthiis particulariter, & ſpecialis fuerit occaſio; tamen ratio eſt generalis. *Pauperes enim ſemper habebitis vobiſcum* (inquit Chriſtus) in quos beneficientiam noſtram exercere debemus: nec aliud quidquam ad hanc rem conducibilius quàm collectarum inſtitutum, cujus modum ac circumſtantias determinare penes eccleſiam eſt.

Chryſoſtomus & alii poſt eum ita hunc locum intellexerunt, quaſi velit Paulus pecuniam cujuſque, quam conferre cogitaret ſepoſitam ac reconditam apud ſe ipſum remanere, donec univerſa collecta mittenda eſſet Hieroſolymam. Sed nihil repugnat textui, ſi intelli- *Chryſoſtomus.*

gatur pecuniam, quam aliquis apud ſe poſuit, ſeu in iſtum uſum ſeparavit, eodem die mitti in Gazophylacium Eccleſiæ, prout conſuetum eſt: Imò textus hoc potius innuere videtur, cùm ſubjungit: *Ne, cùm venero, tunc collectæ fiant*, nam ſi quiſque apud ſe ſepoſitum retinuiſſet uſque ad adventum Pauli, tamen oportuit poſtea collectam fieri: quanquam facilior futura erat cùm quiſque apud ſe in promptu haberet: & tunc potiùs dicendum fuit, *ne, cum venero collectæ difficilius fiant*. Utrumque eſt, hîc notatur nullum aliud tempus in hanc rem magis opportunum eſſe quàm diem Dominicum, ut hac de re præclarè monet Chryſoſtomus in hunc locum. Vide (inquit) quo-
„ modo adhortetur à tempore. Dies enim erat idoneus ad eos ad-
„ ducendos ad eleëmoſynam. Recordemini (inquit) quæ nam eo die
„ conſecuti eſtis: bona enim ineffabilia, & radix ac initium vitæ no-
„ ſtræ eo die facta ſunt. Non hac autem ſolâ ratione aptum eſt tem-
„ pus ad benignitatem prompto ac alacri animo exercendam; ſed &
„ quod habet quietem ac remiſſionem immunitatemque & vacatio-
„ nem à laboribus: nam anima à laboribus libera, redditur expeditior
„ & aptior ad miſerendum. Adhæc autem venerandis quoque ac im-
„ mortalibus communicare myſteriis, magnam affert & immittit
„ animi alacritatem.

Id ipſum multò luculentius urget ad hæc verba de collectâ in ſan-
„ ctos, ubi poſt varias amplificationes ſic concludit. Spirituali ho-
„ nore hunc diem honorare oportet, non convivando, non vinum
„ profundendo, non ebrietati choreiſque vacando, ſed indigentes
„ fratres liberalitate facili juvando. Neque enim putare debetis hæc
„ ſolis Corinthiis eſſe ſcripta, ſed & unicuique noſtrum, ac omnibus
„ qui poſt nos futuri ſunt. Faciamus itaque ſicut Paulus nobis præ-
„ ſcripſit, & die Dominico unuſquiſque noſtrum domi opes Domi-
„ nicas reponat, fiatque ex hoc Lex & conſuetudo immutabilis, &c.
„ Statuamus igitur hoc, ut Dominico die aliquid in ſubſidium paupe-
„ rum reponamus, neque Legem poſteà tranſgrediamur, etiam quan-
„ tacunque urgeat neceſſitas.

Apoc.1.10. Poſtremò, quod objicitur, diem Dominicum Apoc. 1.10. intelligi poſſe diem aliquem adventûs ſeu apparitionis Domini, non autem primum diem ſeptimanæ, hoc eſt unius D. Gomari nuperum commentum, contra omnium Interpretum veterum & recentiorum ſententiam qui diem Dominicum non aliter illic interpretantur, quàm phraſis illa in communi uſu intelligi ſolet pro die primo ſeptimanæ.

Quod

Digitized by Google

Quod objicit Gomarus perpetuum eſſe uſum Scripturæ, ut dies Domini (qui notiſſimo, inquit, Hebraiſmo nihil aliud eſt quàm dies Dominicus) diem adventus ſeu apparitionis Domini ſignificet; nihil impedit quin dies reſurrectionis hîc intelligi poſſit. Nemo enim negaverit diem reſurrectionis Chriſti fuiſſe diem apparitionis ejus: nec ullum alium diem apparitionis huic loco competere poſſe facile deprehendemus, ſi ſingula ritè examinemus.

Etſi autem dies Domini in Novo Teſtamento frequenter accipitur pro die adventus Chriſti in ultimum judicium; tamen dies Dominicus nuſquam aliter accipitur quam pro primo die ſeptimanæ, etenim dies iſte hîc non tantùm κυρίου relativè, ſed & denominativè addito etiam articulo ἡ κυριακὴ ἡμέρα appellatur. Verum quidem eſt eam appellationem non alibi extare in Novo Teſtamento: ut cœna Dominica tantùm in uno loco legitur 1 Cor. 11. 20. & licet ex vi vocabulorum phraſes iſtæ aliis cœnis & diebus accommodari poſſint: tamen ex iis locis in uſu Eccleſiæ recepta eſt illa appellatio. quâ ad peculiarem iſtam cœnam & diem reſtringuntur ἀντονομαστικῶς. 1 Cor. 11. 20.

Et quidem diei Dominici in eo ſenſu appellationem uſitatam fuiſſe in primitivâ Eccleſiâ conſtat ex vetuſtiſſimis ſcriptoribus qui proximè Apoſtolorum tempora ſequuti ſunt; ut cum hoc etiam loco legatur, ab Apoſtolis traditam eſſe, minimè dubitandum ſit. Nam ut omittam teſtimonia quæ citantur ex Clemente Romano & Canonibus Apoſtolorum, quia multa in his ſuppoſititia eſſe docti obſervârunt. Ignatius qui ante 100 Domini annum floruit, & tempore Apoſtolorum vixit, Dominici diei prout ſub hoc nomine celebratur in Eccleſiâ meminit in epiſtolis ad Magneſianos, & ad Trallenſes, & ad Philadelphenſes, quas Hieronymus in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, & Euſebius lib. 3. cap. 32. & 33. memorant. Item Dionyſius Corinthius qui floruit anno 170. in epiſt. ſuâ ad Romanos teſte Euſebio lib. 4. cap. 23. Item Melito Sardicenſis eidem coætaneus librum integrum de die Dominico inſcriptum edidit ut teſtatur Euſebius lib. 4. cap. 55. Similia teſtimonia de die Dominico legere eſt apud Clementem Alexandrinum Stromatum l. 5. Tertullianum de Idololatriâ c. 14. & de coronâ militis cap. 3. Origenem in cap. 15. Exodi hom. 7. & lib. 8. contra Celſum. Qui tres ante aut circa annum 200 floruerunt. De poſteriorũ autem Patrum & ſequentis Eccleſiæ uſu res ita manifeſta eſt ut nemo ambigere queat.

Cum igitur conſtet diem Dominicum Apo. 1. 10. eſſe primum diem ſeptimanæ, non dubia eſt ratio appellationis, non tantum quia eo die Chriſtus Dominus reſurrexit (nam alioqui cur non item dies quo natus eſt, & quo aſcendit in Cœlos Dominicus appellaretur?) Sed quia illa dies quo reſurrexit ſingulis hebdomadis Iudæorum Sabbato abrogato in Eccleſiâ tempore Apoſtolorum celebratus eſt; adeoque ex eorum aut Chriſti ipſius inſtituto memoriæ & cultui ejus conſecratus eſt, nam celebratio inſtitutionem præſupponit. Neque enim credendum quidquam ex iis quæ ad publicum Dei cultum ſpectant, receptum ac approbatum fuiſſe in Eccleſiâ, tempore Apoſtolorum, quod non ab ipſis aut à Chriſto natum eſt.

Argumenta contra Divinam inſtitutionem Dominicæ refutantur.

Hactenus objectiones eorum qui alteram partem tuentur adverſus noſtras rationes examinavimus. Nunc argumenta expendemus quibus ſententiam ſuam confirmare aut noſtram evertere conantur.

I. Primum eorum argumentum eſt, quia nullum mandatum aut inſtitutum legitur de die Dominico obſervando. Reſponſio ex dictis patet, nam ſi conſtet Sabbatum Iudæorum eſſe abrogatum & Legem Dei manere immotam de uno die hebdomadis ſanctificando, & in hunc uſum diem Dominicum ab Apoſtolis obſervatum & electum eſſe graviſſimas ob rationes, quarum vis eſt perpetua ſuffragante univerſâ Eccleſiâ, ut jam oſtendimus. Non eſt quod quiſquam de mandato aut inſtitutione diei Dominici ambigat.

Inſtant Socratem lib. 1. hiſtoriæ cap. 22. aut (ut alii diſtinguunt) 21. dixiſſe nec Chriſtum nec Apoſtolos quidquam de feſtis diebus ſanciviſſe: item Apoſtolis propoſitum fuiſſe non ut Leges de feſtis diebus celebrandis ſancirent, ſed ut rectè vivendi rationis & pietatis nobis auctores eſſent. Et ne elevetur Socratis auctoritas, quem Pontificii hîc ut Novatianum repudiant, addunt idem iiſdem prope verbis à Nicephoro tradi hiſtor. lib. 12. cap. 32. Sed reſpondeo, nec Socratem, nec Nicephorum ibi loqui de die Dominico, ſed de feſtis anniverſariis: ſcribunt enim de diſſenſionibus quæ erant in diverſis locis de Paſchate, ſtatis jejuniis, & ſimilibus Eccleſiaſticis obſervationibus.

II. Secundum argumentum. Si ex vi quarti Præcepti unus dies hebdomadis celebrandus; iſque dies Dominicus ex Apoſtolorum inſtituto, tum Sabbati appellatio ei convenire poſſet: Atqui hæc appellatio nunquam tribuitur diei Dominico in Scripturâ aut ab antiquis Patribus: etſi multi in hoc ſæculo iſta voce ſic abutantur.

Reſp.

Reſp. Hæc ratio nullius ponderis eſt: nam ubi de re ipsâ conſtat, de vocabulis non eſt contendendum. Aliam eſſe rationem Sabbati Judæorum & Sabbati Chriſtianorum, partim jam oſtendimus, partim deinceps oſtendemus: itaque non incommodum erat, ſi diverſa quoque fuerit appellatio, & veteri obſervationi vetus nomen relictum eſſet, atque tum diſtinctionis tum honoris cauſa denominatio diei à Domino obtineret, aut quavis aliâ appellatione ſecerneretur à Sabbato Judæorum.

Neque verum eſt nuſquam Sabbati appellationem diei Dominico *Veteres appellant Dominicam Sabbatū.*
,, à Veteribus tribui. Ignatius in Epiſt. ad Magneſianos. Non Sab-
,, batizemus (inquit) Judaico more &c. Sed unuſquiſque noſtrum
,, Sabbatizet ſpirituali meditatione legis gaudens. Deinde monet. *Ignatius.*
,, Ut poſt Sabbatum (ſcilicet Judæorum) omnis Chriſti amator ce-
,, lebret Dominicum diem reſurrectioni Domini conſecratum, regi-
,, nam & principem omnium dierum.
,, Hilarius prolegomenis in Pſalmos: Cùm in ſeptimo die, Sab- *Hilarius.*
,, bati ſit nomen & obſervantia conſtituta: tamen nos in octava die
,, quæ & ipſa prima eſt, perfecti Sabbati feſtivitate lætamur. Inter
,, Sermones de tempore qui Auguſtino aſcribuntur Serm. 251. ſic
,, habetur: Obſervemus ergo diem Dominicam fratres, & ſancti-
,, ficemus illam ſicut antiquis præceptum eſt de Sabbato. Et paulò
pòſt. Sic quoque ſanctificemùs ritè Sabbatum Domini, dicente Domino, *Omne opus non facietis in eo, &c.* Illic per Sabbatum Domini intelligit diem Dominicum.

Origenes etiam in Numeros homilia 23. Chriſtiani Sabbati meminit quod diſtinguit à Judaico; atque ita deſcribit, ut deſcriptio optimè competat diei Dominico. *Origenes.*

Verum eſt, quia per varias gentes diſperſi erant Judæi, qui à reliquis gentibus diſcernebantur, maximè ratione circumciſionis & Sabbatorum, ideo ut circumciſionem, ita Sabbata eis propria habita fuiſſe: Mart. lib. 4. Epigram. 4. Ovid. de Arte Amandi lib. 1. Cultaque Judæo ſeptima ſacra viro. Item, Cultá Palæſtino ſeptima feſta viro. Item de remedio lib. 1. Nec te peregrina morentur Sabbata. Unde Apellæ ſeu recutiti & Sabbatarii contemptim appellabantur, ut apud Horat. 1. Serm. Sat. 5. Credat Judæus Apella. Et apud Perſium Sat. 5. recutitaque Sabbata palles: & Juvenalem Sat. 14. Quidam ſortiti metuentem Sabbato patrem: inde factum ut communi appellatione Sabbatum diem Saturni notaret, atque ut

gentibus odioſum erat nomen Sabbati, ita etiam ob ſuperſtitioſam obſervationem Judæorum parum erat gratum Chriſtianis prout nomen *Catholici* quod olim Chriſtianis commune erat, nunc male audit, quia illud ſibi proprium vendicant Pontificii. Ideoque parcius nomen Sabbati diei Dominico Patres tribuerunt, niſi additâ explicatione ut ex locis citatis patet. Nunc autem liberius uſurpatur de die Dominico, præſertim ubi nullus locus eſt ſuperſtitioni Judaicæ, nec periculum fallaciæ ab homonymiâ; prout ratio nominis optimè quadrat.

Athanaſius. Etenim diem Dominicum in locum priſci Sabbati ſurrogatum eſſe vel à Chriſto vel ab Apoſtolis, Patres paſſim agnoſcunt: ut Athanaſius in principio homiliæ de ſemente: Olim (inquit) priſcis ,, hominibus in ſummo pretio Sabbatum fuit, quam quidem ſolen- ,, nitatem Dominus in diem Dominicum tranſtulit. Item in Ser- ,, mone de Tempore 251. nuper citato ſic legitur, Dominicum ,, diem Apoſtoli & Apoſtolici viri ideo religioſâ ſolennitate haben- ,, dum ſanxerunt; quia in eodem Redemptor noſter à mortuis re- ,, ſurrexit, qui ideo Dominicus appellatur, ut in eo à terrenis operi- ,, bus vel mundi illecebris obſtinentes, tantùm divinis cultibus ſer- ,, viamus, &c. Ac ideo ſancti Doctores Eccleſiæ decreverunt om- ,, nem gloriam Judaici Sabbatiſmi in diem Dominicum transferre, ut ,, quod ipſi in figurâ, nos celebremus in veritate.

Tertium argumentum ex Act. 18. 3. 4. Tertium argumentum colligitur ex Act. 18. 3. 4. Paulum Apoſtolum die Dominico manibus laboráſſe: unde ſequitur diem eum non fuiſſe tum conſecratum cultui divino aut ab operibus ſervilibus abſtinendum eſſet. Antecedens inde confirmant, quia dicitur Paulum operatum eſſe in arte conficiendi tabernacula, verſ. 3. & diſſeruiſſe in Synagogâ omnibus Sabbatis: unde veriſimile eſt Sabbata ab eo obſervata eſſe, reliquis autem diebus artem ſuam exercuiſſe. Reſp. Ex illo loco nihil tale deduci poſſe. Prideaux quidem citat Hieronymum in Act. 18. hoc colligentem. Sed Hieronymus non ſcripſit in Acta, & irridetur à D. Tuiſſo hoc nomine. Non negaverim Paulum Sabbatum Judæorum obſervâſſe, ut commodiùs eos lucrifaceret pro libertate ſuâ, donec Synagoga ſepeliretur: ſed diem Dominicum ab eo profanatum eſſe non legimus. Neque verò abſurdum cenſeri debet ſi dicatur quamdiu licuit Chriſtianis naſcente Eccleſiâ Judæorum Sabbata liberè obſervare non fuiſſe eos obligatos ad ſtrictam quoque obſervationem diei Dominici, cùm lex tantùm

Digitized by Google

tantùm requirat unum diem non duos dies in ſeptimanâ ſanctificari; adeoque abrogationem Sabbati, ut aliorum rituum, & plenam ſubſtitutionē diei Dominici paulatim & progreſſu temporis obtinuiſſe.

Huc accedit quod obſervatio legis poſitivæ cedat charitati & neceſſitati: adeoque ſi conſtaret Paulum die Dominico tum manibus laboraſſe (quod tamen non conſtat) in promptu eſſet nobis ratio, tum à charitate, tum à neceſſitate, non tantum ut vitæ ſubſidia ſibi pararet, ſed ne alienaret Judæos, quorum ſaluti ſtudebat, præſertim Priſcillam & Aquilam, quibus ſe ſocium adjunxit eoſque mox ad Chriſtum convertit, quippe *Omnibus factus eſt omnia, ut omnino aliquos ſervaret*, 1. Cor. 9. 21. *1. Cor. 9. 21.*

Quartum argumentum. Si divino jure dies Dominicus univerſaliter celebrandus eſſet, tum oporteret idem tempus iiſdem terminis circumſcriptū in univerſo terrarum orbe obſervari: Atqui id fieri non poteſt propter varietatem dierum & noctium quę contingit in globo terreno, idque ob diverſitatem tum longitudinis tum latitudinis. Nam ſi longitudinem ſpectemus quæ inter ortum & occaſum conſideratur, in locis Orientalioribus citius Sol oritur, Meridianum attingit & occidit quàm in Occidentalioribus: adeo ut in eodem inſtanti aliis Sol oriatur, aliis occidat, aliis ſit Meridies, aliis media nox. Ita fiet ut cùm nos primo mane ſurgimus celebraturi diem Dominicam, alii aut mediam aut totā illam lucem abſolverint, aut concubiâ ſeu intempeſtâ nocte dormiant: etenim cum terra ſit ſphærica & circa eam Sol volvatur ſpatio 24 horarum, adeoq; ſingulis horis conficiat 15 gradus, (ſiquidem utriuſque orbis tum Terræ, tum Solis circuli dividuntur in 360. gradus) fit ut contra motum ſolis diurnum progredientibus hominibus ad Orientem, ſemper citius eis oriatur Sol, & ſecundum ejus motum procedentibus ab ortu ad occaſum, tardiùs ſemper appareat. *Quartum argumentum.*

Hinc evenit, ut ſi duo homines ambitum terræ conficiant ex eodem loco progreſſi, ille Orientem verſus, hic contrà verſus Occidentem, & ad eundem locum revertantur, ille unum diem lucratus, hic amiſiſſe in computatione ſuâ videbitur. Verbi gratiâ, ſi iter cæperunt ex aliquo portu Hiſpaniæ die Saturni cùm redierint, idem dies qui in Hiſpaniâ Saturni dicitur, alteri ſecundum ipſius ſupputationem in itinere, erit dies Veneris, alteri vero dies Dominicus. Atque id experientiâ compertum eſt ab Hollandis qui anno 1615. Orbem circum navigârunt, ut cum Occidentem verſus profecti domum

Digitized by Google

ſmum redirent, unum diem amiſerint: adeo ut qui dies in patriâ ipſorum erat Dominicus ſecundum ipſorum calculum fuerit dies Saturni; eadem ratione ſi contra proceſſiſſent, nempe verſus Orientem, idem dies futurus erat iis dies Lunæ.

Rurſus ſi latitudinem ſpectemus progrediendo ab æquinoctiali verſus Auſtrum ſive Septentrionem, notum eſt dierum longitudinem augeri adeo ut ſub polaribus circulis dies ad incrementum 24. horarum perveniat: atque ita progrediendo uſque ad loca ſubjecta polis dies brevi ſpatio paulatim creſcat ita ut Sol non iis occidat per unam ſeptimanam & deinceps per plures & tandem directè ſub ipſis polis per ſex menſes integros, eademque ſit longitudo noctium oppoſitis anni temporibus: adeoque directè ſub polis totus annus complectatur unum tantum diem artificialem, unamque noctem: quo pacto qui illic degunt, diem Dominicum diſtinguere & obſervare poſſunt?

Eadem ratione colligi poteſt neque eundem diem Sabbati ſeu ſeptimum à creatione per univerſum mundum celebrari potuiſſe. Huc accedit non exiguam varietatem in ratione dierum accidiſſe, ob duo inſignia miracula, quorum alterum fuit tempore Joſuæ cùm
Joſ. 10. 11. 13. Sol meridie circiter integrum diem ſubſtiterat, Joſ. 10. 11. 13. alterum tempore Hezechiæ cùm Sol per 10 gradus retroceſſit 2. Reg. 2.
2. Reg. 2. 11. 11. & Iſ. 38. 8. adeoque ille dies 20 graduum, id eſt 10 horarum ſpatio longior effectus eſt.
Iſ. 38. 8. Nam gradus illic notantur non gradus Cœli ſed gradus in ſolario Ahazi. Erant autem gradus ſinguli ad ſemi horas notandas conſtituti, & propriis commatis diſtinguebantur, ut obſervat Junius in notis. Proinde neque ipſi Judæi poterant præcisè obſervare diem illum ſeptimum à creatione.

Reſpondeo. Ex his quidem patet nullam virtutem aut inſitam ſanctitatem ulli diei præ alio attribui poſſe. Cæterùm Sabbatum typicum & *μυστηριώδης* concedimus fuiſſe proprium Judæorum; poſtquam Deus cæremonialem ejus rationem inſtituerat; ut quod de varietate diei apud alias gentes objicitur nihil ad eorum Sabbatum ſpectet, neque verò illa miracula typica illam obſervationem Sabbati impediebant. Verùm cùm anteà ſeptimus dies tantùm ordinis causâ obſervatus fuerit; & poſt Chriſtum non ob aliam rationem ſacer habeatur dies Dominicus citra omnem rationem myſterii, nec ut ſit pars cultûs Dei; non incommodum cenſemus, ſi non apud omnes gentes, aut in omni peregrinatione, iiſdem præciſe terminus circumſcriptus fuerit aut olim dies ſeptimus aut nunc Dominicus, ſi

modò

Digitized by Google

modò unus dies ex ſeptem obſervetur, & nunc quantùm fieri poteſt commodè, abrogato Judæorum Sabbato, quàm proximò accedatur ad tempus quod ab Apoſtolica Eccleſiâ obſervatum eſt.

Etenim cùm arctiſſimâ Religione præſcribebatur obſervatio dierum, etiam myſterii cauſa & nominatim Paſchatis 14. die primi menſis ob memoriam eximiæ liberationis eo die factæ, idque ſub graviſſimâ pœnâ Exod. 12. 14. 18. Levit. 23. 5. tamen cùm neceſſaria impedimenta occurrerent quominus eo die celebrari poſſet, differri potuit ejus obſervatio in 14 diem proximi menſis Num. 9. 11. & ſic Hezechias cum univerſo populo non die primùm inſtituto, ſed altero illo Paſcha celebrârunt Chron. 20. 30. Notum eſt etiam Paſchatis celebrationem differri potuiſſe & identidem à Judæis dilatam eſſe in proximum diem, ſi modo is fuerit Sabbatum, ne ſcilicet duo Sabbata concurrerent, etſi hac de re nullum extat peculiare præceptum: quantò magis varietas obſervari poteſt in obſervatione diei ordinis tantùm causâ inſtituti, cùm neceſſitas poſtulat.

Exod. 12. 14. 18. *Levit.* 23. 5. *Num.* 9. 11.

Etſi autem dies Dominicus, non minùs quàm alii dies 24 horis conſtet; tamen quis neſcit parum eſſe diſcriminis inter illum & alios dies ratione temporis quod ſomno tribui ſolet: niſi quod ea pars temporis quæ ſomno conceditur in die Dominico non eſt transferenda ad ſervilia opera & hujus vitæ occupationes: & prout ſomni requies neceſſaria eſt ad labores vocationis noſtræ perferendos; ita etiam ad opera ſacra alacriùs peragenda requiritur. Non aliâ autem ratione quies die Dominico inſtituitur, quàm ut ſubſerviat ſacris exercitiis quæ eo tempore iſtius diei peragenda ſunt, quod alias civilibus aut mundanis negotiis conceditur: ideoque ſanctificatio diei ad illud tempus propriè pertinet. Ob quam rationem non eſt conſentaneum ut aliquot horis poſt tempus ordinariè ſomno conceſſum, verbi gratiâ, ut alicubi meridie dies Dominicus incipiat celebrari, quoniam accidit, ut eadem hora qua Chriſtus reſurrexit, alibi gentium fuerit meridies. Cujuſmodi ſcrupuloſa obſervatio ſi adhiberi poſſet (non poſſe autem certum eſt) ut apud omnes Gentes eodem momento inciperet & deſineret diei Dominici celebratio, non Religionem ſed ſuperſtitionem ſaperet, nec ordinem ſed confuſionem pareret.

Etſi autem aliqui ſub polis degerent, quibus in toto anno unicus eſt dies artificialis & unica nox: non deeſſet tamen illis ratio, licet minùs commoda quàm nobis, ſupputandi ſua tempora, ut diei natu-

Digitized by Google

ralis aliam partem ſomno, aliam laboribus tribuerent: (ſicut nos æquè in breviſſimo ac longiſſimo die, inter labores & requiem tempus quotidie æqualiter partiri poſſumus) ac proinde nihil vetaret quin ſeptimam temporis ſui partem Deo conſecrare, & ſemel edocti de Dominici diei conſtitutione, eam deinceps ſimili nobiſcum Analogiâ obſervare poſſent.

Quatenus die Dominico ab operibus ſervilibus & recreationibus abſtinendum.

Chriſtiani omnes aliqualem Dominica ſanctificationé concedunt.

CUM ex præcedente diſputatione conſtet, id eſſe morale & perpetuum in quarto præcepto ut unus dies hebdomadis ſeparetur ad cultum Dei: atq; hoc ipſum à Deo inſtitutum eſſe ab ipſis mundi incunabulis, & ad conſummationem uſque ſæculi obſervandum eſſe; cum hoc quidem diſcrimine, quòd olim ante reſurrectionem Chriſti celebraretur dies ſeptimus à creatione, & poſteà ex divino etiam inſtituto in ejus locum ſucceſſerit dies Dominicus qui primus eſt ſeptimanæ, dubitandum non eſt Dominicum ſingulariter ſanctificandum, id eſt, à communi uſu ad officia pietatis exercenda ſegregandum eſſe. Neque etiam hoc omninò negant qui de inſtitutione diei Sabbati & Dominici, ac neceſſitate unius diei ex ſeptem celebrandi à nobis diſſentiunt; etſi ex eorum doctrinâ laxior obſervatio diei Dominici conſequitur, & ad majorem licentiam quàm oportet via ſternitur. Et certè Chriſtiani nomine indignum planè ſe proderet, qui diem Dominicum neutiquam obſervaret, ſiquidem hac olim notâ præcipuè diſcernebantur Chriſtiani, quorum quilibet hac ſolenni quæſtione propoſitâ *Dominicum ſervâſti?* Reſpondere ſolebat, *Chriſtianus ſum, intermittere non poſſum.*

Cùm autem Sabbati & diei Dominici Sanctificatio duo complectatur, nempe ſeparationem à communi uſu, hoc eſt, vacationem à laboribus communibus, ſeu ab operibus ſervilibus, & conſecrationem ſeu dedicationem ejus ad ſacra exercitia, putà pietatis & cultus Dei; conſtat fere inter omnes, vacationem illam ſeu quietem externam ex præcepto & inſtituto divino mandatam eſſe, tum ad relaxationem ſervorum & operariorum, imò ipſorum jumentorum, erga quæ etiam miſericordiam exerceri vult Deus; tum præcipuè ut cultui divino ſubſerviret, nempe ut ab ejuſmodi impedimentis & evocamentis liberi, vacaremus cultui Dei & pietatis officiis. Et nemini ſanæ

Digitized by Google

ſanæ mentis dubium eſſe poteſt non minùs homines obligari ad colendum Deum ſub Evangelio quàm ſub lege, nec minùs nobis neceſſariam eſſe ſufficientis temporis ad ſacra exercitia ſeparationem, ſed multò etiam magis, tum ob amorem Dei nobis in Chriſto uberiùs revelatum, tum ad Dei veritatem contra errores & hæreſes nunc frequentiores quàm ſub Veteri Teſtamento promovendam, item ad fidem & pietatem propagandam, contra omnes Satanæ & aſſeclarum ejus inſultus & machinationes, quæ temporibus noviſſimis magis magiſque invaleſcunt.

Diſcrimen inter Judæorum quietem in Sabbato, & Chriſtianorum in Dominicâ.

Duæ tamen ſuperſunt quæſtiones diſcutiendæ: una eſt de diſcrimine requietis Sabbati Judæorum, & noſtri diei Dominici: altera de ludis & recreationibus, utrum congruant quieti & ſanctificationi diei Sacri.

Quod ad priorem quæſtionem attinet, certum eſt ſanctificationem diei inferre etiam ceſſationem à laboribus externis qui impedimento ſunt ſacris exercitiis: atque hactenus convenit inter quietem Sabbati veteris & noſtri. Verùm alia etiam ratio acceſſit ad quietem Sabbati Judæorum, nempe ut eſſet typus quietis ſpiritualis & æternæ Chriſti morte comparandæ, ac etiam typus quietis Chriſti in ſepulchro qui per iſtum ſolum integrum diem in ſepulchro requievit. Item erat ſignum peculiariter eis conſtitutum in memoriam liberationis & quietis à ſervitute Ægyptiacâ & miraculi de Manna, quibus etiam gratia & beneficia Chriſti venturi adumbrabantur; adeoque ſignum erat ſanctificationis ipſorum & ſignum fœderis inter Deum & eos Deut. 5. 15. Exod. 16. & 31. 13. Ezech. 20. 12. Heb. 4. Atque hanc ob rationem maximum eſt diſcrimen inter quietem Iſraëlitis die Sabbati & quietem nobis die Dominico præſcriptam: illis enim quies erat typica, myſtica, & cæremonialis, adeoque pars ipſius cultûs Dei ac Religionis. Nobis verò quies non eſt myſterium, typus, aut pars ulla cultus Dei, aut aliquid in ſe religioſum, ſed aliquid ſubſerviens cultui Dei quatenus removet impedimenta quibus diſtrahimur ab officiis Religionis; ita ut intelligatur quietem externam non per ſe mandari ſive directè ſive ratione typi, ſed tantùm ad ſacra exercitia promovenda.

Deut. 5. 15. Exod. 16. & 31. 13. Ezech. 20. 12. Heb. 4.

Cùm itaque cæremonialia omnia Judæis præſcripta morte Chriſti abolita ſint, ſic ut Sabbato eorum quæcunque acceſſerunt cæremoniæ, deſierint: proinde ut ſacrificia quæ propria erant Sabbato abrogata ſunt, ſic & requies illa typica, cujus ratione Sabbatum dicebatur,

 batur,

batur, umbra rerum futurarum ceſſavit, manente interim poſt tranſlatum diem quiete morali, quæ ſervis & operariis ob relaxationem conceditur, & ad ſanctificationem diei ab omnibus requiritur.

Judæorum requies rigidior quã Christianorum.

Hinc communis Theologorum ſententia eſt, nos non obligari ad rigidam & ſtrictam illam quietem, quam Judæi tenebantur obſervare: id quod his indiciis confirmant. 1. Quia Judæis non licuit eo die loco exire aut iter aliquod capeſſere ſecundum mandatum illud Exod. 16. 29. *Manete quiſque in loco, ne exeat ullus è loco ſuo die ſeptimo,* nimirum ob aliquod proprium negotium, alioqui mandatum erat iis ut irent ad convocationem ſanctam Levit. 23. 3. & liberè egrediebantur & ingrediebantur domum Dei Sacerdotes & populus 2. Reg. 11. 6. 7. Secundo non licuit Judæis ignem accendere die Sabbati Exod. 35. 3. ac proinde nec cibos illo die parare coquendo, elixando, aut aſſando Exod. 16. 24. unde nonnulli decepti ſunt putantes Judæos eo die jejunâſſe: ut Juſtinus lib. 31. & Octavianus Auguſtus apud Suetonium lib. 2. Quod objicitur de neceſſitate ignis tempore Brumali, ad id reſpondent, ſi modo uſus fuerat aliquis ignis die Sabbati, neceſſarium fuiſſe ut pridie illius diei, ſicut cibos parârent, ita etiam forum ſtruerent & accenderent, qui die Sabbati foveri & continuari poterat. 3. Quod nullum genus oneris eo die portare licuit Jer. 17. 21. Nehemiæ 13. & 15. &c. At Chriſtus Jo. 5. juſſit hominem quem ſanavit tollere Grabatum ſuum die Sabbati: quo nomine reprehenſus fuit à Judæis. Denique quia ex mandato divino morte afficiendus erat, quicunque in Sabbato opus fecerit Exod. 31. 14. 15. ſicut qui ligna collegerat die Sabbati, lapidibus obrutus erat Num. 15. 32.

Exod. 16. 29. Levit. 23. 3. 2. Reg. 11. 6. 7. Exod. 35. 3. Exod. 16. 24. Jer. 17. 21. Exod. 31. 14. 15. Num. 15. 32.

Contrà ſententiâ argumenta.

Non deſunt tamen qui nos non minùs arctè quàm Judæos ad quietem obſervandam obligari contendunt. 1. Quia quod in quarto præcepto de quiete mandatur, ad nos non minùs quam ad illos ſpectat. 2. Quia ratio juncta mandato moralis eſt & perpetua. 3. Quia per & propter doctrinam Evangelii nos magis tenemur quàm illi ſpiritualem vitam degere, adeoque magis nos à mundo & mundanis negotiis ſeparare, quantò major nobis data eſt ſpiritûs copia, & uberior lux ac notitia rerum cœleſtium,

Walker. p. 119. &c. Heilen hiſtorie of the Sabbath

Ad loca autem illa Scripturæ, quibus tam rigida quies videtur Judæis præſcribi ſic reſpondent.

Ad primum, quod Exod. 16. 30. jubetur quiſque manere in loco ſuo & non exire, dicunt reſtringendum eſſe ad collectionem Mannæ,

næ, id eſt, vetitum eſſe ne quis exiret è caſtris ad colligendum manna: nam eâ occaſione interdixit Deus ne exirent, quia non nulli ex populo contra mandatum exiverant die Sabbati ad colligendum manna, quod nuſquam eo die reperiebatur.

p.1061 Twiſſ. p. 178.226. & apud eundem defence of Theſes fol. antepen. 2.m.

Ad ſecundum locum Exod. 35. 3. ubi prohibetur ignem accendi, reſpondent non vetari accenſionem ignis abſolutè aut ad parandum cibum, ſed quoniam in eo capite loquitur de oblationibus rerum neceſſariarum ad tabernaculum conficiendum & de opificibus qui illud cum totâ ejus ſupellectile fabricaturi erant. Deum mandare ne in eo opere quantumlibet ad ſacrum uſum deſtinato violarent Sabbatum; adeoque ut ne ignem quidem accenderent eo die ad opus ullum promovendum, verbi causâ ad aurum, æs, argentum eliquandum & fundendum; & omnino accenſionem ignis prohiberi dicunt tantùm cum reſpectu ad ejuſmodi opera ſervilia facienda. Negant autem Exod. 16. 24. prohiberi mannæ coctionem ant elixationem die Sabbati; aut aliud præſcribi, quàm ut die ſexto coquatur aut elixetur quod iſti diei ſatis eſt: quaſi reliquum quod erat ſervandnm, die ſeptimo coquendum aut elixandum eſſet. Certum eſt autem die primo & ſeptimo azymorum in quibus omne opus interdicitur, excipi laborem qui in parandis cibis ſumitur Exod. 12. 16. Præterea notum eſt opus fuiſſe igne accenſo ad comburenda ſacrificia ſingulis Sabbatis.

Exod. 35. 3.

Ex. 12. 16.

Sunt qui putant Deum egiſſe ſtrictius cum eis in deſerto, ut diſciplinâ arctiore eos contineret quàm quæ poſteà obſervata eſt: etenim Nehemiæ 5. 18. traditur paratum fuiſſe unoquoque die ad menſam Nehemiæ bovem unum, & ſex oves ſelectas cum avibus: unde colligitur idem quoque die Sabbati factum fuiſſe; cum tamen Nehemiæ Sabbati ſanctificationem inprimis curæ fuiſſe pateat ex ultimo capite libri ejus.

Ad tertium argumentum de oneribus portandis reſpondent, æquitatem Legis eſſe perpetuam, ut die qui cultui Divino conſecratus eſt ab oneribus portandis non minùs quàm ab aliis operibus ſervilibus abſtinendum ſit, niſi gravis neceſſitas aliter urgeat puta ad officia pietatis & charitatis exercenda; cujus reſpectu opera alioqui vetita die ſacro ſemper legitima cenſenda ſunt.

Ad quartum argumentum de pœnâ mortis infligendâ & inflictâ operanti in Sabbato Exod. 31. & Num. 15. non ita intelligenda ſunt iſta loca (inquiunt) quaſi profanatio Sabbati quæcunque morte

 plectenda

plectenda eſſet (quanquam coram Deo omnis Legis tranſgreſſio mortem meretur) ſed quæ elatâ manu & per contemptum committitur: ut apparet ex verbis præcedentibus ejuſdem cap. Numer. 15. verſ. ſcilicet 30. & 31. alioqui vel onera portabant & vendiderunt commeatum non ex contemptu ſed vel ex ignorantiâ, vel pravâ conſuetudine, vel malo exemplo adducti tempore Nehemiæ, non morte damnati ſunt, ſed legitimâ auctoritate & *Neh.* 13.15. comminationibus aliuſmodi ad ordinem redacti ſunt Nehemiæ 13. 15. &c.

Ad argumenta priora reſponſio. Quanquam autem hæc probabiliter dicuntur, & pleraque ex his admitti poſſunt, tamen non recedendum puto à communi ſententia; nempe Iſraëlitas ob myſterium & cæremoniam quæ acceſſit ad Legem de Sabbato aſtrictos fuiſſe ad arctiorem & magis onerosam quietem; idque ſub gravioribus pœnis temporalibus, quàm aut Patres ante Legem aut nos ſub Evangelio.

Neque verò ſatis firma videntur omnia quæ reſpondentur ad argumenta ſuperiùs allata, in quibus diſcutiendis minimè immorandum cenſeo. Sed, ut alia omittam, aliena & nimis longè petita videtur illa reſponſio ad locum Exod. 35. 3. quaſi vetaretur accenſio ignis ſolùm ad opera tabernaculi & ejuſmodi alia ſervilia opera conficienda: nihil enim tale appareat in textu. Multò minùs veriſimilis eſt ſenſus loci Exod. 16. 34. quem afferunt contra communem ſententiam interpretum; quaſi non prohiberetur Mannæ elixatio aut præparatio die Sabbati, quod autem die primo & ſeptimo Azymorum omne opus interdicitur præter id quod in parando cibo ſumitur, manifeſta eſt illic exceptio, & exceptio firmat regulam. Rarò autem primus & ſeptimus dies Azymorum incidebat in Sabbatum, neque etiam ex loco Neh. 5. 18. ſatis firmiter colligitur victum diei Sabbati paratum fuiſſe illo die cum potuerit parari pridie illius diei. Quod dicitur opus fuiſſe igne accenſo ad comburenda ſacrificia non eſt ad rem: ſiquidem opera quæ ad Dei cultum ſpectant, nunquam *Mat.* 12.5. interdicta erant die Sabbati, ut docet Chriſtus Mat. 12. 5. *Annon legiſtu in Lege, Sabbatis ſacerdotes in templo Sabbatum profanare & inculpabiles eſſe?* Ad argumenta eorum facile reſponderi poteſt. 1. Quicquid eſt morale in quarto Præcepto aut in ratione Præcepti non minus ad nos quàm ad Judæos ſpectare: ſed cùm in iſto Præcepto oſtenſum ſit aliquid eſſe cæremoniale; id quidem ad nos minimè pertinere. Deinde etſi nos magis quàm illi obligemur ad ſpiritualem vitam

vitam degendam, ac ne mundo & mundanis negotiis ampliùs quam oportet implicemur; tamen nos liberos eſſe à jugo & ſervitute cæremoniarum: itaque in libertate qua Chriſtus nos liberavit perſtandum eſſe, ſecundum quam Deo ſervire licet in ſpiritu, etſi ad rigidam & cæremonialem illam quietem minimè obligemur.

Illud quidem certum eſt, Phariſæos & alios ſuperſtitioſos doctores, Legis Interpretes inter Judæos, ita Legis literam urgere ſolitos eſſe, ut ſenſum ejus depravarent, ac graviora quam oporteret, aut quæ ferendo eſſent, onera hominibus imponerent, quemadmodum Dominus & Servator noſter eorum erroribus & pravis interpretationibus ſæpenumerò in hiſtoriâ Evangelii occurrit, cum ipſe & Apoſtolis arguerentur violati Sabbati, quòd hi ſpicas vellerent, ille morbos & infirmitates die Sabbati ſanaret, Mat. 12. 1. Luc. 13. 10. & 14. 1. Joan. 5. 8. & 7. 23. & 9. 14. Hac ſuperſtitione cùm tenerentur complures ex Judæis, quod nefas putarent ſe adverſus hoſtes Sabbato tueri, miſerè perierunt mille homines 1 Maccab. 2. 34. Philo Judæus in vitâ Moſis ſcribit diem Sabbati inducias laboris afferre non tantùm mancipiis & jumentis, ſed etiam arboribus & ſtirpibus; ut nec ramum nec frondem nec folium decerpere liceret: multa alia ridicula legere eſt in Catalogo Hebræorum Præceptorum negativorum 65. narrat Volaterranus Geographiæ lib. 3. Judæum quendam Teuxburienſem cùm incidiſſe die Sabbati in cloacam, noluiſſe ob diei Religionem eo die extrahi; ſequenti vero die caviſſe loci Dominum ne extraheretur prætexendo diei Dominici reverentiam. *Mat. 12. 1. Luc. 13. 10. & 14. 1. Joan. 5. 8. & 7. 23. & 9. 14. 1 Maccab. 2. 34.*

Cæterùm non habitâ ratione ſuperſtitionis Judæorum, ſed conſiderando quid cæremonia Legis ab eis olim requirebat, non inepte Lyranus (qui ex Judæo converſus eſt in Chriſtianum) ſcribens in „ quartum Præceptum, Sciendum (inquit) quod non obſervatur cum „ tanto rigore vacatio ab operibus manualibus ſub nova Lege ſicut „ in vetere: quia poſſunt parari cibaria & aliqua alia fieri die Domi„ nica quæ non erant licita die Sabbati, quia illa vacatio partim figu„ ralis erat ſicut totus ille ſtatus, ut dicitur 1 Cor. 10. 11. Omnia in „ figurâ ſeu typicè contingebant illis. A figura autem quantumcun„ que modico ſubtracto mutatur tota ſignificatio, ſicut una litera „ ſubtracta ab hoc nomine lapis, mutatur tota ſignificatio. *Lyranus.*

In Synodo Dordracenâ cùm ad eam poſt peregrinorum Thelogorum diſceſſum controverſiæ de Sabbato eſſent delatæ, & variæ eſſent *Synodus Dordracena.*

ſent ſententiæ de ſenſu quarti Præcepti, aliis ſententiam rigidiorem & ſtrictiorem, aliis laxiorem tenentibus & tuentibus, quas plenè decidere, cum alterius partis condemnatione Synodo non viſum eſt opportunum aut commodum: tamen in hos articulos ab utraque parte conceſſum Seſſ. 164.

Primò. In quarto Legis Præcepto aliquid cæremoniale eſt, aliquid morale. 2. Cæremoniale fuit quies diei ſeptimi à creatione, & rigida ejuſdem diei obſervatio, Iudaico populo peculiariter præſcripta. 3. Morale verò quod certus & ſtatus dies cultui Dei ſit deſtinatus, & tanta quies quanta ad cultum Dei ſanctamque ejus meditationem eſt neceſſaria. 4. Abrogato Sabbato Judæorum dies Dominicus Chriſtianis ſolemniter eſt ſanctificandus. 5. Hic dies inde ab Apoſtolis in priſcâ Catholica Eccleſiâ ſemper fuit obſervatus. 6. Idem dies ſic cultui Divino eſt conſecrandus ut in eo ceſſetur ab omnibus operibus exceptis eis quæ ſunt charitatis aut præſentis neceſſitatis; & ab ejuſmodi recreationibus quæ cultum Dei impediunt.

Multa opera externa in ipſo Iudæorum Sabbato erant licita.

Ex his theſibus patet communem eſſe ſententiam, etſi rigida illa quies ad cæremoniam diei pertineat, tantam tamen quietem adhuc requiri die Dominico, quanta ad cultum Dei ſanctamque ejus meditationem eſt neceſſaria: adeoque ceſſandum eſſe propterea eo die ab omnibus operibus exceptis eis quæ ſunt charitatis aut præſentis neceſſitatis. Non eſt quod excipiantur externa opera pietatis, aut cultui Divino inſervientia, cùm ea ad cultum Dei referantur: nam ejuſmodi opera, magis etiam laborioſa ſub Lege exercebantur: circumcidebant enim Sabbato Joan. 7. 23. victimas etiam Sabbato, eaſque duplo plures quàm aliis diebus mactabant, ſic circumeùntibus Ierichuntem Iſraëlitis arcam portabant ſacerdotes etiam Sabbato cùm continuis ſeptem diebus idem ab iis fieret: hæc enim opera ipſe Deus præſcripſit eo die non negligenda. *Annon legiſtis in Lege* (inquit Chriſtus Mat. 12. 15.) *Sacerdotes in templo Sabbatum profanare & inculpabiles eſſe.* Profanare intelligit non formaliter (ut loquuntur) ſed materialiter, quia in Sabbato operabantur corporaliter ea faciendo, quæ ſi aliâ ratione facta fuiſſent, nempe citra reſpectum Religionis, violâſſent Sabbatum: cujuſmodi ſunt mactare, excoricare, mundare pecudes, ligna comportare, ignem ſtruere, cadavera igni imponere, liba coquere, opera quidem laborioſa ac planè ſervilia ſi per ſe ſpectentur.

Ioan. 7. 23.

Iter

Iter etiam capeſſere (& propterea uti jumenti operâ) ad prophetam aut locum ubi ſacra exercitia habebantur permiſſum fuiſſe conſtat ex 2 Reg. 4. 33. ubi vir Sunamitidis cum uxor vellet ad prophetam proficiſci quærit *Quare itura es ad eum hodie, cùm non ſit novilunium neque Sabbatum?*

Multo minùs iſta Lege prohibentur opera quæ Deus ſeu Dei filius ut Dominus Sabbati extra ordinem fieri jubet, vel per ſe aut per alios facit, qualia ſunt opera miraculoſa à Chriſto in Sabbato edita Luc. 13. 16. & 14. 2. Ioan. 5. 8. & 9. 14. unde Tertullianus adverſus Marcionem lib. 2. cap. 21. rectè notat *Sabbato Legem humana opera non Divina prohibere.* Divina autem ſunt vel quæ jubet, vel quæ per ſe aut alios extra ordinem facit.

Luc 13.16. & 14. 2. Ioan 5.8. & 9.14.

Quæ autem excipiuntur opera charitatis, non intelligenda ſunt quæcunque opera charitatis: ſed ea quæ vel non ſunt laborioſa vel in aliud tempus commodè differri nequeunt: verbi causâ, ſiquis operam ſuam aut boves commodare velit ad arandum proximi agrum, id non die Dominico ſed aliàs faciendum eſt. Verum erogare aut colligere eleëmoſynam, inviſere ægrotos aut aliter afflictos ad eorum conſolationem & ſimilia charitatis officia, licet forte in aliud tempus differri poſſint, tamen cùm non ſit magni laboris, optimè congruunt cum ſanctificatione diei. Sub charitatis operibus comprehendi poſſunt quæ ad moderatam corporis refectionem ſpectant: ut convivium moderatum adornare; eique adeſſe & inſervire, Luc. 14. 7. Atque hic major Chriſtianis libertas conceditur in coquendis, elixandis, aut aſſandis cibariis, ut dictum eſt, quàm Iudæis, ſi modo iſta ſub Lege non permittebantur. Sed citra neceſſitatem laborare, aut tempus conſumere in aucupiis, venationibus, piſcationibus, animalibus mactandis, & eduliis mercandis, in computationibus, & operoſis conviviis cum legitimâ diei ſanctificatione conſiſtere nequeunt.

Quouſque extendenda charitatis opera.

Luc. 14. 7.

Opera autem charitatis quantumlibet laborioſa, urgente præſente neceſſitate, ſemper licita ſunt habita. Cùm autem de neceſſitate loquimur, non tantùm intelligimus id quod eſt ſimpliciter neceſſarium ad vitam proximi aut noſtram tuendam, ſed etiam quod citra inſigne damnum aut ſaltem apparens periculum differri nequit in iis quæ ſpectant ad vitam humanam, aut bona noſtra, & creaturarum conſervationem, quæ nobis curæ eſſe debent. Qua ratione, die ſacro non tantùm licet vitam noſtram & proximi tueri, &

Digitized by Google

propterea ad bellum neceſſarium nos comparare, hoſtibus bellum inferentibus reſiſtere 1 Reg. 20. 29. 1 Maccab. 2. 40, 41. incendium reſtinguere, res noſtras aut proximi è præſenti aut imminente diſcrimine eripere, ovem, aſinum, aut bovem cadentem in foveam inde extrahere Mat. 12. 11. Luc. 14. 5. ſed etiam curare ea quæ ad victum brutorum animalium nobis inſervientium ſpectant: ut ſolvere Sabbato bovem aut aſinum è præſepi & aquatum ducere Luc. 13. 15. Sic Chriſtus defendit Diſcipulos qui Sabbato ſpicas vellebant & edebant Mat. 12. 1. Luc. 6. 1. item ſuo exemplo docuit, licere homines ſanare Sabbato: unde etiam patet fas eſſe remedia vulneribus & morbis eo die applicare. Etſi enim hujuſmodi opera videantur non ita neceſſaria interdum quin poſſint differri, tamen in iis quæ ad valetudinem noſtram aut proximi ſpectant, opportunitas non eſt negligenda.

1 Reg. 20. 29. 1 Macc. 2. 40, 41. Mat. 12. 11. Luc. 14. 5. Luc. 13. 15. Mat. 12. 1. Luc. 6. 1.

Alia eſt ratio in iis, quæ ad bona externa, & commoda hujus vitæ pertinent: in quibus procurandis & conſervandis non eſt laborandum die hoc ſacro niſi gravior neceſſitas, ſeu magnum diſcrimen appareat, etſi aliquando opportunitas invitet. Proinde nimia fuit illa indulgentia ſeu licentia quam conceſſit Conſtantinus Magnus in illa Lege, quâ requiem diei Dominico ſancivit: ut rure degentes ,, liberè licenterque agrorum culturæ inſervirent, quoniam frequen- ,, ter evenit ut non aptiùs alio die frumenta ſulcis, vineæ ſcrobibus ,, mandentur, ne occaſione momenti pereat commoditas cœleſti proviſione conceſſa, ut habetur codicis lib. 3. titulo 12. de feriis. Sed Deus Lege ſuâ ex inſtituto videtur occurriſſe hujuſmodi licentiæ, ad quam arripiendam homines proclives noverat, ideoque diſertè meminit arationis & meſſis Exod. 34. verſ. 21. *Sex diebus operaberis, die autem ſeptimo ceſſato, in ipsâ aratione & meſſe ceſſato*, id eſt, ut notat ibidem Junius, tempora opportuniſſima, atque in rebus humanis vitæ ſummè neceſſariis opus intermittito ut Sabbatum ſerves. Conſtantinus quidem, primus Chriſtianus Imperator, cùm ejus temporibus nimia licentia profanandi diem Dominicum invaluiſſet, & homines ab uno extremo ad officium non facilè revocarentur, Legem laxiorem conſtituit, ſed poſteà ſtrictior obſervatio diei Dominici mandata eſt variis Legibus Civilibus & Canonibus Eccleſiaſticis, ut ab Impp. Leone & Anthemio anno 469. Codicis lib. 3. titulo 12. de feriis. & in Novellis Leonis conſtitutione 54. Adde Caroli Magni & Ludovici Pii Leges de die Domi-

Conſtantini indulgentia licentioſa. Ex. 34. 21.

Dominico. Concilio 3. Aurelianenſi anno 540 Can. 27. Concilio Mantiſconenſi 2 Can. 1. anno 588.

Ex dictis etiam patet, diem Dominicum Deo ſanctificandum, eſſe integrum diem naturalem qui 24. horis conſtat. Etenim ſi in quarto Præcepto hoc eſt morale, ut unus dies in hebdomade ſanctificetur, cùm ſex dies operibus noſtris concedantur, eum diem qui Deo conſecratur non oportet anguſtioribus terminis circumſcribi quàm alium diem, etſi eo die moderata corporis refectio per cibum, potum, & ſomnum (quæ ad opera charitatis eo die permiſſa refertur) non minus quàm aliis diebus permittitur, nec ſanctificationi diei repugnare cenſetur. Quod ſi tamen vigilando noctem aut aliquam ejus partem ſomno conſueto detrahere libeat, non licebit eam ad opera noſtra inſumere, ſed piè tranſigere, ſicut ob præſentem neceſſitatem noctem diei Dominici egiſſe Paulum Troade ſcribitur Act. 20. 7. *Quid principium & quis finis Sabbati.* *Act. 20. 7.*

Cùm itaque Sabbatum diem integrum naturalem complectatur, quæritur quod ſit ejus initium & finis. Certum eſt Judæos inchoâſſe diem naturalem à veſperâ ſeu ab occaſu ſolis. Sic in hiſtoriâ creationis, *Fuit veſpera & mane dies primus* ac ita deinceps Geneſ. 1. Sic Levit. 23. verſ. 32. *A veſpere uſque ad veſperam celebrate Sabbatum veſtrum.* Sunt qui exiſtimârunt etiam diem Dominicum à veſperâ inchoandum. Inter opera Auguſtini tom. 10. de tempore ſermone 251. ſic ſcribitur: Obſervemus ergo diem Dominicum fratres & ſanctificemus illam, ſicut antiquis Præceptum eſt de Sabbato, dicente legislatore, à veſperâ uſque ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra. Videamus ne otium veſtrum vanum ſit ſed à veſpera diei Sabbati, uſque in veſperam diei Dominici, ſequeſtrati à rurali opere, & ab omni negotio, Soli Divino cultui vacemus. Idem conſtituitur in jure Canonico, nempe in decreti tertiâ parte, de conſecratione diſt. 3. cap. 1. & decretalium lib. 2. tit. 9. de feriis cap. 1. *Gen. 1.* *Lev. 23. 32.*

Sed conſentaneum eſt (ut in hoc quoque diſcrimen ſit inter nos & Judæos) cùm Chriſtus reſurrexerit multò mane ut ab eo tempore diei initium habeatur diei Dominici, cùm autem certum momentum definire nequeat quo Chriſtus reſurrexerit, certum autem ſit ex Scripturâ eum die tertio reſurrexiſſe, & profundo diluculo, cùm adhuc tenebræ eſſent deſideratum fuiſſe à mulieribus in ſepulchro, & tutius ſit citiùs quam ſeriùs tempus capeſſere,

peſſere, atque in rebus dubiis potiùs plus quàm requiritur, quàm minus præſtare, & ad præcipitia ſeu periculoſa loca, non quam fieri poteſt proximè, citra neceſſitatem accedere: idcirco probanda mihi videtur doctorum ſententia qui à media nocte exordium diei Dominici ſumi volunt. Etſi autem Mar. 16. videtur Chriſtum reſurrexiſſe mane: tamen mane ſumi ſolet cum aliquâ latitudine, ut fere totum tempus poſt mediam noctem complectatur ante & aliquanto poſt ortum Solis. Hieronymus autem ad Hedibiam quæ. 3. Item Theophylactus & Euthymius monent vocem *πρωῒ* jungendam eſſe non cum præcedenti participio *ἀναστὰς cùm reſurrexiſſet*, ſed cum ſubſequenti verbo *ἐφάνη* apparuit. Et illud mane definit Joannes, *cum adhuc tenebræ eſſent.* Hieronymus autem ibidem quæſt. 4. putat tempus fuiſſe ſub mediam noctem, & ait Matthæum & Johannem unum & idem tempus mediæ noctis ſcilicet, & Gallorum cantus diverſis appellâſſe nominibus. Atque ejuſdem temporis alterum finem alterum dixiſſe principium.

Mar. 16. 4.

Non eſt tamen quod ſcrupuloſè nimis & anxiè temporis articulum moremur, ſi modo quantum temporis operibus noſtris & mundanis negotiis, aliis diebus tribui ſolet aut debet, tantum die Dominico ab eis requieſcentes pie & ſanctè impendamus. In nocturno autem tempore, quod quieti & ſomno conceditur, parum eſt diſcriminis inter noctem diei Dominici & alias noctes; niſi quis forte velit eam extra ordinem inſomnem ducere, ut certis exercitiis vacet: in quo caſu, id quod monui tutiſſimum eſſe obſervandum eſt, niſi aliter gravis urgeat neceſſitas.

Ludi die Dominico illiciti.

Illud autem tenendum eſt quod monui nuper, cùm maximum ſit diſcrimen eodem tempore ortus & occaſus Solis, adeoque dierum artificialium & noctium pro varietate climatum & regionum: non requiri ut apud Gentes omnes, eodem modo incipiat & deſinat diei Dominici celebratio: ſed ſatis eſt, ſi ratione loci, analogia quoad ejus commodè fieri poteſt, obſervetur cum Apoſtolicâ Eccleſiâ.

His expoſitis, quid de ludis & recreationibus in die Dominico cenſendum ſit, definire non erit admodum difficile. Recreationes autem aliæ ſunt temporales quæ ad temporalem, aliæ ſpirituales quæ ad ſpiritualem vitam ſpectant. Spirituales non eſt dubium quin ſpiri-

ſpirituali ſanctificationi diei optimè conveniant, cùm ad cultum Dei pertineant: cujuſmodi commendat Paulus Eph. 5. 19. *Loquentes inter vos* (inquit) *mutuò Pſalmis, & Hymnis & Cantionibus Spiritualibus canentes ac pſallentes in corde veſtro Domino.* Et Ja. 5. 13. *Hilari animo eſt aliquis inter vos? Pſallat.* Et ad hujuſmodi recreationes crebræ ſunt exhortationes in Pſalmis & Sacris Literis: ex quibus multò majus, purius, ac ſincerius gaudium in piis animis oritur, quàm ex omnibus illecebris, voluptatibus, & deliciis mundanis. Ut omittam doctrinam ipſam Evangelii nobis ſuppeditare incomparabiles delicias & gaudia quæ omnem intellectum ſuperant. *Eph. 5. 19.* *Ja. 5. 13.*

Recreationes temporales ſeu mundanæ, aliæ ſunt ſuâ naturâ licitæ & honeſtæ; quæ ſcilicet in tempore & modo convenienti rectè uſurpari poſſunt: aliæ illicitæ ac inhoneſtæ, quibus nunquam uti licet. Hæ ut ſemper fugiendæ ſunt, ita maximè die Sancto, nec tantùm iſtæ quas ſanis omnibus conſtat eſſe tales, ſed ſi cum talibus aliquam affinitatem habeant, aut ſi ſint ſuſpectæ aut dubiæ honeſtatis, cum omne ſcandalum cavendum, & ab omni ſpecie mali abſtinendum ſit. In quo genere ſunt, non tantum quæ palam ſunt impudicæ ſaltationes, choræ ac tripudia, obſcænæ cantilenæ, & ſpectacula & ſimilia quæ impietatem; impunitatem ac immanitatem apertè fovent: ſed etiam quæcunque animi levitatem aut vanitatem ſapiunt; licet in eis manifeſta ſpurcities aut turpitudo non appareat.

Reliqua eſt igitur quæſtio de iis recreationibus quas ſuâ naturâ conſtat eſſe licitas & honeſtas, num eas die Sacro uſurpare fas ſit. Cum autem ludi & recreationes non per ſe expetendæ ſint, ſed ut laboribus vocationis noſtræ inſerviant; nimirum ut animus à negotiis noſtris paululum relaxatus, ad ea denuò capeſſenda aptior & „ alacrior redeat. Neque enim (ut ait Cicero de officiis lib. 1.) ita *Cicero.*
„ generati à naturâ ſimus, ut ad ludum & jocum facti eſſe videamur,
„ ſed ad ſeveritatem potiùs, & ad quædam ſtudia graviora, atque
„ majora. Ludo autem & joco illis quidem uti licet, ſed ſicut ſom-
„ no & quietibus cæteris, tum cum gravibus ſeriiſque rebus ſatis-
„ fecerimus: addе, & ut ad eas perſequendas magis idonei reddamur. Idcirco non aliter hactenus de ludis & recreationibus in die Dominico quam de quiete aut laboribus ſtatuendum videtur: nempe ut ſi inſerviant aut ſint adminiculo, vel ſaltem non impedimento pietatis officiis, admittantur: ſin autem avocamenta ſint à ſacris exercitiis, nec charitas aut neceſſitas aliter urgeat, excludantur.

Digitized by Google

Quæ recreationes die Dominico illicitæ. Quæcunque igitur recreationes animum diſtrahunt ab aliis curis, ſive corpus graviter exerceant ſive leviter, etſi aliis diebus conveniant, tamen cum ſanctificationem diei impediant, eo die illicitæ ſunt: ut lucta, curſus, pilæ ludus, diſci & globorum jactus, ſagittarum & jaculorum uſus, venatio, aucupium, latrunculorum uſus & cæt. Certum enim eſt ejuſmodi recreationibus non minùs avocari animum à pietatis & cultus Dei exercitiis, quàm fodiendo, arando, ſtamina ducendo, & ejuſmodi mundanis operibus: inter quæ Deum celebrare Pſalmis & canticis, aliaſque pias cogitationes fovere identidem licet; quod inter illas vix ac ne vix quidem fieri poteſt. Inter Epiſtolas Hieronymi in duabus quæ ad Marcellam de laudibus Be-„ thleem tom. 1. ſcribuntur, ſic legitur. Quocunque te verteris, ara-„ tor ſtivam tenens Halleluja decantat, ſudans meſſor Pſalmis ſe „ avocat, & curvâ attendens vitem falce vinitor aliquid Davidi-„ cum cantat.

Cùm igitur à laboribus vocationis noſtræ, quorum præcipua habenda eſt ratio, magiſque neceſſarius eſt uſus, abſtinendum ſit die Sacro quatenus ſunt avocamenta à pietatis exercitiis; multò magis à recreationibus quæ ſecundariam tantùm rationem minuſque neceſſitatis habent, & multò magis nos impediunt, abſtinendum eſt. Etenim prout à ſolicitudinibus, ita etiam à voluptatibus hujus vitæ *Luc. 8. 24.* ſuffocatur ſemen Verbi Dei, Luc. 8. 24.

Quæ autem recreationes ejuſmodi ſunt ut promoveant, aut ſaltem non impediant exercitia pietatis, atque ita à nobis intenduntur ac uſurpantur, omninò legitimæ cenſendæ ſunt. Sicut enim Deus indulget nobis die Sacro uſum cibi, potûs, veſtitûs, ac etiam facultatem concedit cibos parandi ac convivandi, non tantùm quantum ſatis eſt ad præciſam neceſſitatem; ſed etiam quantum convenit ad modeſtam hilaritatem (prout factum legimus in die Sacro, Nehemiæ 10. 10. &c. & prout olim inter Chriſtianos Agapæ celebrabantur, donec ob abuſum tollerentur) ut alacriores reddamur ad Deum celebrandum & colendum: ita ejuſmodi recreationes minimè interdixit, quæ animos noſtros erigunt & excitant ad ſancta officia alacriùs proſequenda, aut iis minimè officiunt: ut ſiquis poſt publica aut domeſtica pietatis exercitia ſe reficiat ambulando in amænis hortis aut perluſtrando campos: & aut ſecum ſolus meditetur aut cum aliis ſermones conferat ad ædificationem & gloriam Dei, de operibus ejus, prout occurrunt, aut rebus divinis quibuſcunque

Digitized by Google

cunque. Ad aliuſmodi autem ludos & recreationes honeſtas, quantum neceſſe & conveniens eſt, tempus concedendum eſt in iis diebus qui ad labores noſtros deſtinantur, ad quos tanquam ad finem referuntur, ut feriis negotiis promovendis inſerviant: ſin autem id minùs durities Dominorum ſervis permittat, legibus & auctoritate Magiſtratûs ordinandum eſt quod Reip. expedit. Aliis autem, qui jure ſuo vivunt, & major licentia conceditur, cavendũ eſt, ut recreationibus etiam legitimis tempeſtivè, commodè & moderatè utantur, ne alieno tempore ſeu loco, aut in pravorum conſortio, aut ſupra modum iis indulgeant: adeoque ne πάρεργον magis quam ἔργον ſit eis curæ.

Cùm itaque piis mentibus cultus Dei non ſit oneri, ac doctrina Evangelii per ſe incomparabile gaudium nobis ſuppeditet: atque in die Sacro feriamur ab omnibus hujus vitæ curis & negotiis, item in victu, amictu, & ſomno quicquid ad refectionem corporis & honeſtam delectationem ſufficit nobis conceditur; & porro nobis copia eſt recreationum tum ſpiritualium quæ ſinceram voluptatem pariunt, tum corporalium quæ officia pietatis promovent aut non impediunt, ut ita liceat nobis per totum diem ſuaviter cum Deo converſari, prout ſine dubio voluntati ejus congruum eſt, nulla apparet neceſſitas ſed potius magnum periculum in exercitationibus iis adjungendis die Sabbati, quæ nos à piis officiis diſtrahunt.

Neque verò illi qui legitimum uſum talium exercitationum die Dominico maximè urgent, eumque diem pro Sabbato haberi nolunt, auſint negare optimum eſſe, ſi dies totus ſacris exercitiis impendatur; cùm ex alterâ parte ejuſmodi ludi & recreationes eo die à piis quam plurimis damnentur, nec niſi cum ſcandalo uſurpentur. Quare ſi ponamus tantùm rem eſſe dubiam, quia hac in re doctorum ſententiæ variant, quis neſcit in rebus dubiis id quod tutiſſimum eſt, obſervandum eſſe? Nulli autem dubium eſſe poteſt fas eſſe diem, quàm fieri poteſt maximè piè tranſigere: non vivitur quidem inter homines perfectos, & optimus quiſque in hac vitâ magnâ imperfectione laborat, & in multis impingimus omnes: ſed lapſus & defectus noſtri deplorandi ſunt, & ad majorem perfectionem indies aſpirandum, atque ad regulam, quoad ejus fieri poteſt, proximè contendendum eſt.

Iſaia 58.13

Ad diem Dominicũ applicari debet.

Regula autem inter alia Scripturæ loca videtur ab Eſaia diſertè exponi 58. 13. *Si averteris à Sabbato pedem tuum ne facias voluntatem tuam die Sancto meo, & vocaveris Sabbatum delicias, ſanctumque Jehova*

bono-

honoratum, honoraveriſque eum, non exercendo vias tuas, non inveniendo voluntatem tuam aut loquendo verbum (ſcilicet tuum) *tunc oblectabis te in Jehová*, & cæt.

Hic textus duo complectitur. 1. Officia quæ commendantur. 2. Beneficia quæ promittuntur. Quod ad priorem partem attinet, ſunt qui iſta omnia officia referunt ad ſpirituale Sabbatum quod perpetuò nobis celebrandum eſt, ut ab operibus malis ſeu peccatis abſtineamus, & ſanctè & piè vitam noſtram inſtituamus; & quidem ſic accommodari poſſe verba prout in hunc locum ea accommodat Hieronymus, non eſt negandum quandoquidem Sabbato legali ſpiritualis Sabbatiſmus adumbratur: non ita tamen ut literalis ſenſus excludatur. Certum enim eſt hunc & alios Prophetas ſæpiſſimè inculcare præcepta & exhortationes de Sabbato ſecundum legem obſervando, item querelas, comminationes, ac divina Judicia ob profanationem Sabbati, ut Jer. 17. Ezech. 30. & alibi. Adeoque non obſcurum eſt Eſaiam in hoc loco de ſanctificatione diei Sabbati agere, prout etiam ſupra cap. 56. verſ. 2. 4. 6. & ut in hoc ipſo capite agit de diebus jejunii quod celebrabatur in feſto expiationis ordinariè & aliàs pro re natâ extra ordinem.

Etſi autem omninò apparet, ut ſuprà in jejunii deſcriptione arguit eorum hypocriſin qui in externâ Religionis ſpecie acquieſcebant, negligentes opera pietatis & charitatis, ac indulgentes corruptis ſuis affectibus ad contraria vitia tendentibus: ita etiam ejuſmodi ſanctificationem diei Sabbati hîc urgere, quæ refectis pravis noſtris cupiditatibus vitiiſque nobis familiaribus vitæ emendationem, veramque ſanctitatem producat. Tamen ut in quarto præcepto *Opus tuum* (quo nomine labores ſæculares & negotia mundana comprehenduntur) opponitur ſanctificationi diei & ſacris exercitiis: ſic hoc loco *Voluntas tua*, *Via tua*, *Verbum tuum*, non reſtringenda ſunt ad ea quæ ſimpliciter ſunt peccata, ſed extenduntur ad omnia quæ nos affectamus, gerimus, ac dicimus, in rebus noſtris, id eſt rebus hujus vitæ ſeu mundanis, quæ ſanctificationi diei repugnant, adeoque eatenus ſunt peccata, licet aliàs legitima ſint. Non diffiteor tamen Prophetam ad regidam illam quietem ad quam obligabantur Judæi ſub lege, reſpicere: ſed ita tamen ut ἀναλόγως transferri poſſit doctrina ad Sabbatum Chriſtianorum; in quo tanta quies requiritur, ut dictum eſt, quanta ad cultum Dei, ſanctamque ejus meditationem

Walæus. „ eſt neceſſaria. Nam quod ad minutula ac leviora (inquit Walæus de

„ de Sabbato cap. 6.) quibus nec corpus fatigatur, nec mens à Dei „ cultu avocatur, hîc ita non videtur attendendum quia illa anxietatem potiùs ſervilem quàm libertatem filialem reſpiciunt; & ad jugum illud omninò pertinent, quod nec nos nec Patres noſtri ferre potuerunt, ut loquitur Apoſtolus Act. 15. 10. ab illâ autem ſervili anxietate nos per adoptionem filiorum, in Chriſto liberatos eſſe docet ex profeſſo Apoſtolus Gal. cap. 4. & 5. modò libertatem illam non vertamus in licentiam carnis, ut idem Apoſtolus monet Gal. 5. 13.

Huc ſpectant decreta principum, Canones Conciliorum & teſtimonia Patrum ex quibus nonnulla ſubjiciemus.

Juſtiniani leges de die Dominico.

Leo & Anthemius Imperatores anno Dom. 469. ut habetur in „ codice Juſtiniani lib. 3. tit. 12. de Feriis ſic ſtatuerunt. Dies Feſtos Majeſtati altiſſimæ dedicatos nullis volumus voluptatibus occupari, nec ullis exactionum profanationibus profanari: Dominicum itaque diem ita ſemper honorabilem decernimus & venerandum, ut à cunctis excuſationibus excuſetur, &c. Et paulò poſt. Nec hujus tamen religioſi diei otia relaxantes obſcænis quemquam patimur voluptatibus detineri. Nihil eodem die ſibi ſcena Theatralis, aut circenſe certamen, aut ferarum lachrymoſa ſpectacula, etſi in ortum noſtrum aut natalem celebranda ſolennitas inciderit, differatur.

Item inter novellas conſtitutiones Imperatoris Leonis conſtitutione 54. poſtquam legem illam Conſtantini Magni de die Dominico correxit, abrogatâ illâ licentiâ quæ rure degentibus illic conce- „ ditur, ſubjungit: Statuimus nos etiam quod Spiritui S. ab ipſoque conſtitutis Apoſtolis placuit, ut omnes in die Sacro, & quo noſtra integritas inſtaurata eſt à labore vacent: neque agricolæ, neque quiquam alii in illo illicitum opus aggrediantur: ſi enim qui umbram quandam atque figuram obſervabant, tantopere Sabbati diem venerabantur ut ab omni prorſus opere abſtinerent, quomodo qui gratiæ lucem ipſamque veritatem colunt eum diem qui à Domino honore ditatus eſt noſque ab exitii dedecore liberavit, non venerari par eſt? Aut quomodo cum ex ſeptem diebus unus in Domini honorem conſecratus ſit, nos aliorũ ad opera uſu contentos non eſſe, neque illum Domino eximium & inviolatum conſervare: ſed ipſum etiam vulgarem facere, noſtriſque operibus applicandum putare, Religionis non eſt prorſus diſſolutæ?

Concilium Mantiſconenſe. In Concilio Mantiſconenſi 2. anno 588. Can. 1. Nullus die Do-
„ minicâ litium fomitibus vacet, nullus cauſarum actiones exerceat:
„ nemo ſibi talem neceſſitatem exhibeat quæ jugum cervicibus ju-
„ mentorum imponere cogat. Eſtote omnes in Hymnis & laudibus
„ Dei animo corporeque intenti. Si quis veſtrum proximam habeat
„ Eccleſiam, properet ad eandem & ibi die Dominico ſemetipſum
„ precibus lachrymiſque exerceat: ſint oculi manuſque veſtræ toto
„ illo die ad Deum expanſæ, &c. Exhibeamns Domino liberam
„ ſervitutem, &c.

Concilium Pariſienſe. In Concilio Pariſienſi anno 829. lib. 1. cap. 50. Si Judæi Sab-
„ batum carnaliter cuſtodientes eo die, nullâ poteſtate terrenâ com-
„ pellente ab operibus ruralibus abſtinent: quantò magis Chriſti
„ gratia redemptis convenit, ut eo die quo auctor vitæ reſurrexit,
„ eiſque ſpem reſurgendi conceſſit, ab his quæ præmiſſa ſunt (ſcili-
„ cet negotiis mundanis ſe abſtineant) & ſolummodò ſpiritualibus
„ gaudiis repleri, Canticiſque Hymnigeris & Laudibus Cœleſtibus
„ toto cordis adniſu vacare ſatagant.

Gratiani decretum. In decreti Gratiani tertiâ parte de conſecratione, diſtinctione 3.
„ cap. 16. ſic legitur. Die Dominicâ nihil aliud agendum eſt, niſi
„ Deo vacandum: nulla operatio in illa die ſanctâ agatur niſi tan-
„ tum Hymnis & Pſalmis & Canticis ſpiritualibus dies illa tran-
„ ſigatur.

Ephremius Syrus. Ephremus Syrus qui claruit 370. in Sermone de Feſtis: Feſtivi-
„ tates Dominicas (inquit) honorate, ſtudioſè contendite cele-
„ brantes eas non panegyricè, ſed divinè, non mundanè ſed ſpiri-
„ tualiter: non inſtar Gentilium, ſed inſtar Chriſtianorum: quare
„ non portarum frontes coronemus, non Choreas ducamus, non
„ Chorum exornemus, non tibiis & citharis auditum effæminemus,
„ non mollibus veſtibus induamur, non cingulis auro radiantibus
„ cingamur, non comeſſationibus & ebrietatibus dediti ſimus: ve-
„ rùm iſta relinquamus iis quorum Deus venter eſt, & gloria in ip-
„ ſorum confuſione.

Nazianzenus. Gregorius Nazianzenus in oratione ſecundâ in Julianum invecti-
„ vâ. Feſtum (inquit) celebremus, non corporis nitore, non veſti-
„ tus mutatione ac magnificentiâ, non comeſſationibus & ebrieta-
„ tibus, &c. Verùm animi puritate & mentis hilaritate, & lucer-
„ nis totum Eccleſiæ corpus illuſtrantibus, hoc eſt, divinis contem-
„ plationibus & cogitationibus, &c. Hymnos pro tympanis aſſu-
mamus,

Digitized by Google

„ mamus, Pſalmodiam pro fœdis modulationibus & cantibus.

„ Auguſtinus tractatu 3. in Johannem, Judæi ſerviliter obſerva-
„ bant diem Sabbatum ad luxuriem, & ebrietatem. Quantò me-
„ liùs fœminæ eorum lanam facerent quàm illo die in Neomeniis ſaltarent? Abſit, ut illos dicamus obſervare Sabbatum. Item in
„ Pſal. 32. Obſerva diem Sabbati non carnaliter, non Judaicis deli-
„ ciis: ut qui otio abutuntur ad nequitiem: melius enim utique to-
„ tâ die foderent quàm totâ die ſaltarent. Similia habet in Pſal. 91. & in lib. de 10. Chordis cap. 3. Etſi enim Auguſtinus in iis locis nobis commendet ſpirituale Sabbatum perpetuo ſanctificandum loco Sabbati Judæorum: tamen hoc etiam indicat ſanctificationi diei nugas, luxurias, ſaltationes, & ejuſmodi ludos tam repugnare, quàm opera ruſtica. Talia etiam legere eſt apud Ignatium in epiſt. ad Magneſianos. *Auguſtinus.*

„ Inter opera Auguſtini Serm. 251. de tempore ſic habetur: Do-
„ minicus dies ideo appellatur ut in eo à terrenis operibus vel mundi
„ illecebris abſtinentes tantùm divinis cultibus ſerviamus.

„ Gregorius Magnus Epiſtolarum lib. 11. cap. 3. Dominico die
„ à labore terreno ceſſandum eſt, atque omni modo orationibus in-
„ ſiſtendum, ut, ſi quid negligentia per ſex dies agitur, per diem re-
„ ſurrectionis Dominicæ precibus expietur. *Gregorius Magnus.*

His adde Synodi Dordracenæ verba quæ Seſſ. 177. libello ſupplici ad Ordines generales unitarum Provinciarum adverſus diei Dominici profanationem inſerta ſunt; ea autem articulo 14. (referente Walæo in quartum præceptum) ſic ſe habent: Ut graviſſi-
„ mæ illæ multipliceſque Sabbati profanationes quæ fiunt quotidie
„ per nundinas, encænia, convivia communitatum, vigilum, vicinia-
„ rum, nuptiarum; per exercitia armorum; per venationes, piſca-
„ tiones, aucupia, luſum pilæ; per hiſtrionicas comœdiarum actio-
„ nes; per tripudia, auctiones bonorum, compotationes; & per mi-
„ nùs neceſſaria quælibet opera ſervilia; ſimileſque actiones alias
„ quam plurimas quæ in hiſce regionibus magno cum ſcandalo, &
„ Reformatæ Religionis dedecore, magnoque cum cultûs Divini
„ impedimento paſſim accreſcunt, ſtrictè admodum prohibeantur
„ atque impediantur. *Synodus Dordracena.*

Hic inter alia quibus Sabbatum profanatur, recenſentur convivia operoſa, quibus procul dubio animus diſtrahitur à ſanctis exercitiis non tantùm ob moram in convivando, ſed multo magis in ap-

Mmmm 2 paratu

paratu eorum in quo plurimum temporis impenditur; & ſervi ac miniſtri maximè laborant ut cultui Divino vacare nequeant: cùm tamen inter moralia quarti Præcepti hoc ſanciatur ut ſervis & operariis quies & relaxatio à laboribus concedatur: & patribus familias hæc cura incumbat ut liberi, ſervi, & miniſtri eorum Deum ſecum unâ colant, diemque Sacrum nequaquam violent; alioqui Dei vindictam in ſe ſibique ſubditos attracturi.

De Nomine
J E H O V A

Ad Gen. Cap. 2. verſ. 4.

Ubi primò ſcribitur nomen Jehovæ.

HIc primò occurrit nomen Dei, quod κατ' ἐξοχὴν τετραγράμματον appellatur, quòd ſcribatur quatuor Literis nempe conſonantibus *Jod, he, vau, he*, de cujus notatione & ſignificatione plerique omnes conſentiunt, de pronunciatione non exigua lis & controverſia eſt. Non eſt dubium quin oriatur à verbo *hajah* aut *havah* quæ idem ſignificant nempe *eſſe*, quanquam *havah* Chaldæis, *hajah* autem Hebræis eſt uſitatius; ſed tamen utrumque ab Hebræis uſurpatur, & literæ *jod* ac *vau* ſæpenumerò inter ſe commutantur.

Vocis etymon & ſignificatio.

Hinc eſt quòd hoc nomen Dei eſſentiam ſignificat, Deus enim eſt purum eſſe, & ipſa (ut ita dicam) entitas: qui in ſe & à ſe eſt, & quicquid eſt, ab ipſo habet id quod eſt. Unde obſervant Hebræi poſt perfectum demum creationis opus, & omnium rerum complementum à Moſe nomen hoc ab eſſentiâ deductum ſubjungi; cùm anteà Deus ſub nomine Elohim nominaretur, quo potentia ejus denotatur, quàm in ſingulis rebus creandis exhibuit.

Exod. 3. 14.

Et quidem ſignificatio hujus vocis ab affini voce facilè colligitur quâ ſeipſum Deus denominat Exod. 3. 14. *Ehjeh* quod eſt prima perſona futuri verbi *hajah ero* vel potius *ſum*, nam futurum ſæpe apud Hebræos uſurpatur pro præſenti, imò ἀορίστως ſumitur ut omne tempus complectatur; quemadmodum ſæpenumerò apud Latinos & Græcos. Nec deſunt qui in nomine *Jehovah* omnes temporum differentias hac ratione denotari volunt, quod terminatio hujus vocis

Digitized by Google

vah ſit indicium præteriti verbi *havah*, media autem pars *ho* ſit nota participii præſentis temporis ſeu *benoni* quo præſens tempus denotatur: initialis autem litera *jod* quæ eſt una ex literis *Ethan* ſit characteriſticum futuri. Sed nos ejuſmodi argutiis non nitimur; etſi non dubitemus vocem hanc denotare eſſentiam ſimpliciter quæ omnes temporum differentias indefinitè complectitur, adeoque *eſſe æternum* repræſentat: unde in Apocalypſi cap. 1.4.8. & 4.8. & 11.17. vis hujus vocabuli tribus vocibus ſecundum tres temporum differentias exponitur: ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος seu ὁ ἐσόμενος Apo.16.5. ut Beza locum reſtituit. *Apoc.1.4. 8. & 4.8. & 11.17. Apoc.16.5.*

Proinde hoc nomine Dei abſoluta eſſentia, æternitas & veracitas ſeu conſtantia denotatur; abſoluta inquam eſſentia, quâ ipſe habet eſſe independens ab alio, alia autem omnia habent eſſe dependens ab ipſo: æternitas, quæ triplici illâ temporis differentiâ circumſcribitur ad captum noſtrum, & ſic æternum propriè totum eſt ſimul nec in eo eſt prius aut poſterius. Veracitas denique & conſtantia in dictis & factis, cùm ipſe ſit purum eſſe, ac proinde immutabilis, apud quem non eſt tranſmutatio aut converſionis obumbratio Jac. 1. 17. ac propterea quicquid facit, ſemper eſt ſui ſimilis, quicquid dicit, haud dubie eſt verum; quicquid prædicit, minatur, aut pollicetur, neceſſariò eventum conſequetur, ipſe enim dat eſſe tum dictis tum factis ſuis: unde Malach.3.6. *Nam ego Jehovah ſum, non mutor, ideo vos filii Jacob non conſumpti eſtis.* Sic ſæpenumerò ubi Deus ſive minas ſive promiſſiones ſuas ratas oſtendere vult, eas hoc nomine ſuo confirmat Exod. 6. 2. Eſ. 43. 10, 11, 12, 13. Jer.16.20,21. Ezech.6.13,14, & 7.27. & 11.10. & ſæpe alibi. *Dei eſſentia abſoluta, æternitas, veracitas, & conſtantia notantur voce Iehova. Iac.1.17. Malach. 3.6.*

Nunc quod ad pronunciationem hujus attinet, difficultas omnis inde emanavit, quòd Judæi multis ſæculis jam præteritis, vocem hanc non legerint per proprias ſuas literas, ſed pro eis inter legendum ſupponunt vocem *Adonai* id eſt Dominus, aut *Elohim* id eſt Deus; puncta autem quæ adduntur nomini παρεγχειμάτων non ipſius propria, ſed earum vocum eſſe volunt, illud autem erat iis ἀνεκφώνητον, ἄῤῥητον ſeu ineffabile. Id quod hoc modo proceſſit. *Exod.6.2. Eſ.43.10, 11,12.13. Ier.16.20. 21.Ezech. 6.13,14. & 7.27. & 11.10.*

Priſci Hebræi cùm hoc nomen Dei maximè proprium exiſtimarent, majore reverentiâ proſequebantur quam reliqua Dei nomina quæ aut à proprietatibus aut effectis ejus petita ſunt; & pio quodam ſtudio ab eo communiter pronunciando abſtinebant, ne quotidiano uſu vileſceret. Tantùm à ſacerdotibus in benedictione illâ ſolenni *Quomodo nomen Iehova devenit ἀνεκφώνητον.*

quæ habetur Num. 6. in fine capitis (in quâ ter repetitur) & quidem cum illam in ipſo ſanctuario ſeu templo recitabant, pronunciatum ferunt: atque progreſſu temporis ita quidem celeriter quaſi abſorbendo vocem, ut vulgus pronunciationem ejus diſtinctam minimè perciperet. At Marmonides in libro *Jad Halacha* de precatione & benedictione cap. 14. refert poſt mortem Simeonis Juſti ſacerdotes deſiiſſe benedicere per illud nomen etiam in templo. Simeonem autem illum nonnulli putant eundem eſſe, cujus mentio fit Lucæ 2. Sed Druſius in τετραγραμμάτῳ & in præteritis in Luc. 2. 25. docet fuiſſe Pontificem maximum qui appellabatur Simeon cognomento Juſtus & trecentis circiter annis ante Chriſtum floruit, de quo Joſephus Antiquitatum lib. 12. cap. 1. Adeoque invaluit ſuperſtitio, ut, cùm olim à promiſcuâ hujus nominis pronunciatione tantùm abſtinerent, poſtea illud omninò pronunciari nefas exiſtimarent, imo ſub pœna mortis æternæ pronunciari vetarent: unde exiſtimatur nunc penitus obliteratam eſſe genuinam hujus nominis pronunciationem: ſiquidem, quæ ſint propriæ ejus vocales ignoratur, & alienis punctis ſemper ſcribitur.

Neſcitur quæ fuerint nomina Dei duodecim & quadraginta literarum.

Poſt Simeonis Juſti tempora in benedictione ſacerdotali in templo (ubi olim τετραγράμματον ipſum pronunciabatur) poſterioribus ſæculis vice ejus, nomina duodecim & quadraginta duarum literarum quaſi periphraſes illius lecta fuiſſe (quæ antea una cum ipſo τετραγραμμάτῳ prolata fuiſſe prohibent) Hebræi prodiderunt; quæ etiam nomina paulò pòſt pronunciantes ſacerdotes abſorbebant inter modulationem fratrum, ut audiri diſtinctè à plebe non poſſent. Sed nunc etiam ignotum eſt quæ fuerant nomina illa duodecim aut quadraginta duarum literarum, nam quæ apud Galatinum extant lib. 2. cap. 10. commentitia eſſe doctiores exiſtimant.

Quando ſubſtitui cæperint puncta אֲדֹנָי & אֱלֹהִים *voci* יְהוָה.

In ſacris autem literis legendis aut recitandis, Hebræi pronomini τετραγραμμάτῳ ea nomina ſubſtituunt quorum puncta ipſi aſcribuntur, puta nomen *Adonai* frequentiſſimè cùm ſcribitur *Jehovah*, & *Elohim* rariùs cùm ſcribitur *Jehovi*: ſemper autem *Adonai* pro τετραγραμμάτῳ in pronunciatione ſubſtituerunt, niſi quando vel ante vel poſt ipſum immediatè nomen *Adonai* conjungitur: tunc enim ad vitandum concurſum duorum *Adonai* expreſſerunt illud per vocem *Elohim*, cujus puncta ipſi adjiciuntur.

Et quidem certum eſt lectionem hanc uſurpatam eſſe à Septuaginta & priſcis omnibus interpretibus; imò ab Evangeliſtis & Apo-
ſtolis

ſtolis qui nec nomen *tetragrammaton*, ut alia propria nomina Hebræa expreſſerunt, nec ſignificationem ipſius propriam, ſed tantùm ſignificationem vocis *Adonai* (ubi duæ illæ voces, ut dictum eſt, ſimul non concurrunt) tranſtulerunt, reddentes per vocem Κύριος *Dominus*.

Id ipſum etiam aliquot rationibus ex analogiâ Grammaticâ probatur, quibus ſubſtituta eſſe nomini *tetragammato* aliena puncta oſtenditur. 1. Quia quoties conjugitur cum voce *Adonai* (ut dictum eſt) ſcribitur mutatis punctis & mutuò ſumptis à nomine *Elohim* ut Gen. 15.2.8. Deut. 3. 24. & 9. 26. Obad. v. 1. Hab. 3. ultimo, & apud Ezechielem paſſim. Inde fit ut poſt literas ſerviles vocales habeat ante ſe *tſeri* ut *Deovi* quod legitur *Lelohim* Pſ. 68. 21. Conſtat autem alias nomina propria nunquam mutari. Et quæ alia ratio afferri poſſet cur mutet puncta cùm jungitur nomini *Adonai* & nunquam aliàs quàm ut ne bis legeretur *Adonai, Adonai?* Non fert autem proprietas linguæ Hebraicæ ut legatur *Jehovi* ſecundum illam punctationem, quemadmodum legit Junius; quod *jod* nunquam cum *Catephſegol* & *he* nunquam in *birik* quieſcens occurrit. Deinde ſi accedant literæ vocales ante *Jehovah* ſemper notantur *patach* ſine ſcheva ſequente prout convenit nomini *Adonai*, cùm alioqui ſcribendæ eſſent cum *birik*. Similiter cùm præponitur litera *Mem* ex præpoſitione *Min* ſubſcribitur ei *tſeri*, ut Prov. 16. 1. ſicut vox *Adonai* poſtulat, cùm alioqui ſcribendum eſſet per *birik*.

Rationes Grammaticæ probantes nomini Jehova ſubſtitui aliena puncta.
Gen.15.2.8 Deut 3.24 & 9.26. Obad.v.1. Hab.3.ult.

Denique quia poſt *Jehovah* literæ *begadcephath* recipiunt *daggeſz lene*, id quod rejiciunt ubi præceſſerit litera quieſcens, præcederet autem litera quieſcens ſi legeretur *Jehovah*: at ſi legitur *Adonai*, cùm ultima illius vocis ſit *jod* mobile, rectè ſequitur *daggeſz lene*.

Utut verò hæc ſe habent, non eſt veriſimile pronunciationem τοῦ τετραγραμμάτου olim ita fuiſſe inuſitatam & ignotam; neque tum demum revelatum fuiſſe nomen cùm Deus legaret Moſen ad Pharaonem, ut nonnulli colligunt ex Exod. 6. 2. *Apparui Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo in Deo Schaddai, ſed in nomine meo Jehovah non ſum cognitus eis*, ſenſus enim loci commodiſſimus eſt (quem ut veterem & receptum explicat Zanchius lib. 1. de naturâ Dei cap. 13.) ut non referantur verba illa ad nominum revelationem, ſed quod ad hunc modum Deus ſe patefecit Patribus, ut Deum fortem ac omnipotentem; & ſic illi Deum fide amplectebantur qui poſſet magnifica ſua promiſſa Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo data præſtare, de numeroſâ eorum

Ab initio nomen Jehovæ legebatur idque per ſua puncta.
Exod. 6.2.
Quomodo Deus apparuit primùm Moſi in nomine Jehovæ.

eorum ſobole terrâ Cananiticâ poſſidendâ, &c. Qua ratione fidem
*Heb.*11.13 eorum commendat Apoſtolus Heb. 11. 13. etſi non adepti ſunt iſta promiſſa, ſed eminùs tantùm ſunt conſpicati: nunc autem Deus Moſi ut ſe noſcendum præbiturum in nomine Jehova, cum promiſſis ſuis effectum & complementum dabit, ut quæ non erant niſi in ſpe, tunc reipsâ exiſterent; id enim hoc nomine ſignificari ſuprà explicuimus. Nam alioqui in libro Geneſeos ſæpe fit mentio hujus nominis, non tantùm in verbis Moſis pro arbitrio ſuo loquentis; id quod fieri potuit per anticipationem: ſed etiam variæ perſonæ introducuntur nomen hoc uſurpantes, ut Gen. 4. 1. & 9. 26. & 15. 28. & 24. 12. &c. Imo & locus in quo Abraham immolaturus erat filium ab hoc nomine indigitatur *Jehova Jire* Gen. 22. 14. Quin & Deus ipſe disertè ſe Abrahamo & Jacobo ſub hoc nomine manifeſtavit Gen. 15. 7. & 28. 13. & Iſaac invocavit nomen Jehovæ Gen. 26.25. Nec tantùm ſanctis Patribus notum fuit hoc nomen, ſed etiam ſervo Abrahami Gen. 24. 12. &c. Item Labani Gen. 24. 31. item Abimelecho profano Regi Gen.26.28.29.

*Gen.*4.1. *&* 9.26. *&* 15.28. *&* 24.12. *Gen.*22.14 *&* 15.7. *&* 28.13. *&* 26.25. *Gen.*24.12 31. *&* 26. 28,29.

Unde patet uſurpatum fuiſſe hoc nomen ante Moſis tempora; prout diu etiam pòſt vulgò cognitum fuiſſe videtur non tantùm inter Iſraëlitas, ſed etiam inter Gentes ſaltem vicinas. Etenim cùm eo fine nomina locis imponantur ut ita communiter appellentur, & ab hoc nomine denominationes locorum inſtituta ſint, prout ante Moſen Gen. 22. 14. ita etiam poſtea Exod.17.15. & Jud. 6. 24. quis dubitet hoc nomen communi uſu receptum fuiſſe? Unde etiam Pharao ſæpiùs hoc nomen à Moſe prolatum reſpondendo repetivit. Item regina Shebæ Deum hoc nomine appellavit 1 Reg. 10. 9. & 2 Chron.9.8. Rabſache Regis Aſſyriorum ſervus in legatione ſuâ ad Hezechiam, & populum Hieroſolymitanum nomen illud aliquoties uſurpavit 2 Reg. 18. 22. 24. 30. 32. 2 Chron. 32. verſ. 11. Eſ. 36. 7. 10. 15. 18.

Nomen Jehova etiam Gentibus cognitum.

*Gen,*22.14 *Exod.*17.15 *Jud.*6.12: 1 *Reg.*10 9 2 *Chr.* 9.8. 2 *Reg.* 18. 22,24.30. 32. 2 *Chr.* 32.11. *Eſ.* 36.7.10. 15.18.

Quanquam autem in alienis linguis commodè pronunciari non potuerit, & omninò in Græcâ linguâ incommodiſſimè, quia in Græcâ linguâ nihil eſt quod reſpondeat *jod* conſonanti, neque aſpiratio in medio dictionis occurrit, neque habetur litera quæ *vau* Hebræum ſatis exprimat, niſi quod à Græcis ejus loco β aut υ uſurpetur, aut quod digamma ſolis Æolibus inter Græcos notum, & aliquo modo reſpondeat: tamen Græci auctores utcunque id expreſſerunt per nomen Ἰαώ, ut colligitur ex verſu Apollinis Clarii, prout citatur à Macrobio

crobio Saturnalium lib. 1. cap. 18. Nam conſultus Apollo Clarius quis Deorum habendus ſit qui vocatur ἰάω, hæc inter alia effatus dicitur Φράζεο τ̃ πάντων ὕπατον Θεὸν ἔμμεν' ἰάω. Ubi Ἰάω ſummum Deorum prædicans ita teſtimonium veritati reddit, nequam ſpiritus ut polytheian ſimul confirmaret. Diodorus Siculus qui 60 annis ante
,, Chriſtum natum ſcribebat Bibliothecæ lib. 1. par. 2. cap. 94. Apud
,, Judæos (inquit) Moſes Deum qui ἰάω dicitur Legum autorem ſuarum finxiſſe perhibetur.

Diodorus Siculus.

Similia loca apud Patres Irenæum, Euſebium, Epiphanium, Clementem Alexandrinum, Origenem, & alios legere eſt, ut notat Rainoldus de Idololatriâ lib. 2. cap. 3. contextu 18. & alii.

Theodoretus in Epitome Divinorum dogmatum ait, Samaritanos vocare Deum ἰαβαὶ vel ἰαβὲ, Judæos autem Ἰάω. Nam ſic locum in nonnullis codicibus corruptum reſtituendum eſſe patet ex collatione cum altero lib. 3. hæreticarum fabularum cap. de Valentino hoc nomen ἰαβε recitat inter Dei nomina Epiphanius ad hæreſin 40. & interpretatur *qui erat, & eſt, & ſemper eſt.*

Theodoretus.

Hinc variæ ſunt ſententiæ & conjecturæ inter doctos de legitimâ aut commodiſſimâ hujus vocis pronunciatione. Sunt qui putant nomen eſſe deſumptum ex tertiâ perſonâ futuri temporis; adeoque ut Deus ſibi attribuit vocem primæ perſonæ futuri *Ehje* Exod. 3. ita etiam hoc nomen τετραγράμματον eſſe futurum tertiæ perſonæ *jihje* vel *jihve* vel *jeheve*, vel *jahave*, atque ad hoc ultimum aut penultimum proxime videtur accedere *jabe* Samaritanorum. Sed ſi hoc nomen nihil aliud eſſet quàm tertia perſona futuri, nulla ratio eſſe poſſe videtur cur magis Judæi abſtinerent ab ejus pronunciatione, quàm cùm ſubit vicem futuri aut quàm à pronunciatione primæ perſonæ *Ehje* quâ ſeipſum Deus appellat Exod. 3. 14.

Retinenda eſt vulgaris pronunciatio Iehova.

Exod. 3. 14

Nunc recepta eſt apud plurimos pronunciatio Jehova ſecundum puncta ipſi aſcripta in Bibliis. Neque verò illi qui contra hanc pronunciationem tanquam maximè alienam diſputant, negare poſſunt eam analogiæ grammaticæ ſatis congruam eſſe, cùm vox hæc
,, per ſe ſpectatur: Neque enim vocalium, nec conſonantium nume-
,, rus, nec ulla Grammaticorum regula (inquit Amama in diſputa-
,, tione de hoc nomine) iſti lectioni *Iehova* adverſatur: nec enim no-
,, vum eſt *jod* hemanticum per ſcheva efferri, nec inſolens eſt no-
,, men proprium maſculini generis in *ah* deſinere, ecce enim exem-
,, plum in *Iehudah.*

Amama.

Quare etſi concedamus Iudæos inter pronunciandum pro *Iehova* ſubſtituiſſe nomen *Adonai* aut *Elohim*, & ejuſmodi pronuciationi punctationem eſſe accommodatam : tamen cùm nobis non ſit Religio vocem pronunciare ut poſſumus, & maximè interſit vocem hanc dignoſci quoties occurrit in Scripturis, nec confundi cum voce *Adonai* à quâ plurimùm ſignificatione differt, & ſatis commodè pronunciari poſſit *Iehova*, prout ſcribitur; neque ulla ratio obſtat, quominùs ſic pronuncietur, ſi vox nuda per ſe ſpectetur, etſi puncta illa eſſent communia voci *Adonai* quæ loco ejus ſubſtituitur.

Quid quod neque per omnia puncta ſunt communia cum voce *Adonai*. Nam ſub primâ literâ in *tetragrammato* eſt *ſcheva* ſimplex, in *Adonai* verò *hateph patach*, cur autem ſi puncta ſint propria vocis *Adonai* ſub primâ literâ τετραγραμμάτου, minùs poſſit ſcribi *hateph patach*, quàm ſub eadem ſcribitur *hateph ſegol*, cum legitur per *Elohim?* Nullam aliam fere rationem aſſerunt qui negant ea eſſe propria vocis *Iehova*, quàm quia compendium Scripturæ quæſitum eſt in voce multoties recurrente, præſertim cùm priſca pronunciatio *ſchevatis* & *hateph patach* ſæpe coincidunt: at quia idem nomen cum punctis nominis *Elohim* rarius occurrebat, ideo literæ *jod* integrum *hateph ſegol* ſubſcriptum eſt.

Sed ſi conjecturis uti licet, cur non dici poteſt & propria puncta vocis *Iehova*, cùm ſola occurrit, ne vox ipſa ignoretur, & certa puncta ut affectiones vocum *Adonai* & *Elohim* aſcripta eſſe, quò eas voces in communi pronunciatione uſurpatas eſſe conſtet?

Quid fuit Ἰαὼ. Atque huic pronunciationi conſentanea videtur vel illa Ἰαὼ quæ Græci τετραγράμματον expreſſerunt : præſertim ſi, ut nonnulli putant, facta ſit vox per metatheſin pro ἰαω, nam ſic vocales τετραγραμμάτου ordine ſuo magis apparent : quanquam etiamſi vox ἰαω conſervetur non minor occurrit variatio, cùm vox propria in aliam linguam transfertur in aliis vocibus, ut cum vox *Iehoſuang* redditur Græcè Ἰησοῦ aut Ἰησοῦς, ſic enim non rarò contingit in tranſlatione nonnullas literas nativæ linguæ mutari aut omitti : ſicut in Ἰαὼ præter aſpirationem in medio quam Græci ignorant, ſyllaba ultima *va* videtur prætermiſſa : & quod loco τοῦ *ſcheva alpha* conſtituunt, id non eſt inuſitatum, prout videre eſt in vocibus *Samuel*, *Salomon* & *Chanaan*, quarum primis literis apud Hebræos *ſcheva* ſubjicitur. Non diffiteor tamen nonnullis viſum eſſe nomen τετραγράμματον legi poſſe

Iacbo,

Iacho, ut eſt in Commentariis in Pſalmos qui aſcribuntur Hieronymo ad Pſal. 8. quanquam in iſto loco pro *Iacho* alii legunt *Iehova*, ut eſt in emendatâ Mariani Victorii editione.

Omitto quòd nonnulli, ut Marinus Brixianus in Arcâ Noæ, exiſtiment Ethnicos ſuum *Iovem* à nomine *Iehova* denominâſſe, cum priſcis omnibus una fuerit de rebus Divinis Theologia, quæ à Græcis poſteà ad fabulas converſa eſt. Illud majoris eſt momenti quod notat Fullerus in miſcellaneis ex tribus illis vocalibus in *Iehova*, duas primas, videlicet *e* & *o tetragrammati* genuinas eſſe, probari exemplis quibuſdam nominum propriorum quæ ex *tetragrammato* componuntur, qualia ſunt *Iehonathan*, id eſt *Iehova Nathan*, *Iehoram*, id eſt *Iehova ram*, *Iehoſaphat*, id eſt, *Iehova ſaphat*, & varia alia ſimilia: cujuſmodi novemdecim ordine recenſentur à Marino Brixiano poſt nomen *Iehova*. Idem etiam confirmatur auctoritate 70 Interpretum qui Ierem. 23. 6. & 33. 16. quod in Hebræo textu exprimitur duabus vocibus *Iehova zidkenu*, *Iehova juſtitia noſtra*, illi unâ voce compo- *Ier. 23. 6. & 33. 16.*
ſitâ reddunt Ἰωσεδὲκ, innuentes compoſitionem ex *Iehova* & צדק. Nam ejuſmodi contractio *Ioſedek* pro *Iehoſedek* uſitatiſſima eſt, ut *Ioram* pro *Iehoram*, *Ionathan* pro *Iehonathan*, *Ioſzaphat* pro *Iehoſzaphat*, *Iuda* pro *Iehuda*, &c.

Ultimam autem vocalem eſſe *Kamets* probat 1. Quia *Adonai* cùm attribuitur Deo ſemper ſcribitur in ultima per *Kamets*; cùm alioqui ſcribatur per *Patach*: ut veriſimile ſit id eò fieri ut conveniat cum fine nominis τετραγραμμάτου. 2. Nomen Dei proprium *Iah* (quod nihil aliud eſt quàm ipſum τετραγράμματον decurtatum) habet *Kamets*. 3. Quia viri docti cenſent in *Iehovâ* denotari tres temporis differentias, puta futurum per *jod*, preſens per *ho*, præteritum autem per ultimam ſyllabam *va*, ut ante meminimus; adeo ut in terminatione habeat *Kamets* more ejuſmodi verborum præteriti temporis.

Quæ cùm ita ſint, ut aſſentior rationibus & ſententiæ eorum qui olim pro *Iehova* in lectione & pronunciatione ab Hebræis voces *Adonai* aut *Elohim* ſubſtitutas docent; ita nihil obſtare puto, quin puncta quæ adſcribuntur nomini τετραγραμμάτῳ, quando ſolum occurrit, eidem conveniant, & à Chriſtianis, qui Iudaicam ſuperſtitionem non morantur, legi *Iehova* poſſit, quâ de re non eſt valdè contendendum. Et ſi quis fortè dubitaret num genuina ſit pronunciatio, cùm etiam in iis quorum punctatio certa eſt, multùm forte

deficiamus ab antiquâ vocabulorum pronunciatione; multò melius eſt per puncta, quæ voci aſcribuntur in Scripturâ pronunciare, cum analogia Hebraiſmi ſatis conveniat, quando vox per ſe ſpectatur, quàm per incerta puncta pronunciare, aut pronunciationem omnino omittere: præſertim cùm nominis hujus maximus ſit uſus & emphaſis, & valdè expediat ut diſtinguatur ab *Adonai*, à quâ ſignificatione plurimùm differt.

Iehova eſt nomen Dei proprium, eſſentiale, & incommunicabile.

Cæterum his omiſſis, operæpretium eſt vim & uſum hujus nominis diligenter obſervare. De ſignificatione & notatione ejus jam dictum eſt: ex quibus colligitur eſſe Dei nomen eſſentiale, proprium, & incommunicabile, id quod etiam Grammaticis rationibus probatur: quia ſcilicet conveniunt ei affectiones propriorum nominum: non enim recipit initio ה demonſtrativum vel emphaticum, neque in fine affixa: neque habet pluralem numerum; neque unquam eſt in regimine niſi forte ſubaudiatur *Elohim*, ut *Iehova Zebaoth*. Iſ. 6. 55. Ierem. 11. 17. & alibi. Idem confirmatur apertis Scripturæ teſtimoniis Exod. 3. 15. & 6. 3. & 15. 3. Pſal. 83. ultimo. Iſ. 42. v. 8. Ier. 33. verſ. 2. & 44. 26. Amos 5, verſ. 8. & 9. verſ. 6. Idem patet ex controverſiâ Eliæ cum Baalis cultoribus, cujus hic erat ſtatus *Num Iehova an Baal eſſet Elohim* 1 Reg. cap. 18. verſ. 21.

Iſ.6.55. Ier.11.17. Exod.3.15. & 6.3. & 15.3. Pſ.83. ult. Iſ.42.8 Ier.33.2. & 44.26. Amos 5.8. & 9.6. 1 Reg.18.21

Chriſtus & Spiritus S. vocantur Iehova.

Hinc ſequitur Chriſtum & Sp. Sanctum non minùs eſſe illum unum verum Deum quàm Patrem; quia prout hoc nomen attribuitur Patri, ita etiam Filio & Spiritui Sanct. attribui legimus: quæ enim dicuntur de Iehova Iſ. 6. & procul dubio Patri conveniunt, eadem de filio interpretatur Ioh. 12. 41. item de Spiritu S. Paulus Act. 28. 25.

Ioan.12.41. Act.28.25. Pſ.16.8. Act.2.25. Iſ.40.3.

Chriſtus autem Filius Dei variis in locis hoc nomine denotatur ut Pſal. 16. 8. ubi dicitur, *Propono mihi Jehovam jugiter, quia is à dextrâ meâ eſt, non dimovebor*. Hæc verba de Chriſto diſertè interpretatur Petrus Act. 2. 25. Quod dicitur Iſ. 40. 3. *Vox clamantis in deſerto parate viam Jehova*, intelligi de Johanne Baptiſtâ qui paravit viam Chriſto teſtantur omnes Evangeliſtæ. Deus quem Iſraelitæ tentârunt appellatur *Jehova* Num. 21. 6. qui propterea miſit in eos ſerpentes: Paulus ait illum ipſum Deum eſſe Chriſtum 1. Cor. 10. 9.

Num.21.6 1 Cor.10.9

In Pſalm. 97. Deus ſæpe appellatur *Jehova*, de quo in verſu 7. dicitur *Adorate eum omnes Divi*, ſeu angeli; eadem verba Apoſtolus ad Hebr. 1. 6. de Chriſto dicta eſſe affirmat. Confer Pſalm. 102. verſ. 26.

Heb.1.6. Pſal.102.

Digitized by Google

verſ. 26. & ad Hebr. 1. 10. Item Iſ. 8. 13. 14. 15. & Luc. 2. 34. Rom. 9. 33. & 1. Pet. 2. 8. *verſ. 26. Heb. 1. 10. Iſ. 8. 13. 14. 15. Luc. 2. 34. Rom. 9. 33. 1. Pet. 2. 8.*

Jeremias 23. 5. 6. loquens de germine Davidis juſto, ſcilicet de Meſſiâ, ait hoc nomine eum appellandum eſſe, *Jehova juſtitia noſtra*, ſic Jerem. 33. 16. quanquam miror quid Interpretibus Anglicanis recentioribus venerit in mentem, ut hanc appellationem Jer. 33. 16. retulerint ad Hieroſolymam ſupplendo quædam verba contextûs: cùm ſine ſupplemento commodiſſimè liceat interpretari de Chriſto ex conſenſu doctiſſimorum interpretum & collatione cum dicto loco, Jer. 23. 5. *Jer. 23. 5. 6. & 33. 16.*

Sic Chriſtus Filius Dei hoc nomine *Jehova* deſignatur Gen. 18. paſſim & 19. 24. & 31. 11. 13. Iſ. 25. 9. & 60. 2. Zach. 2. 8. 9. & 3. 2. & 12. 10. & alibi. *Gen. 18. & 19. 24. & 31. 11. 13. Iſ. 25. 9 & 60. 2. Zach 2. 8. 9. & 3. 2. & 12. 10.*

Excipiunt Adverſarii qui veram Chriſti Deitatem negant biſariam. 1. Negando Chriſtum appellari *Iehovam* in omnibus illis locis citatis. 2. Aſſerendo nomen *Iehova* etiam tribui creaturis. Quod ad prius attinet, id commodiùs diſcutietur cùm in explicatione contextus ad iſta loca devenietur: ſed hoc nobis in præſentiarum ſatis eſt, quod nonnulla ſaltem ex iis teſtimoniis ita clara ſint ac manifeſta, ut nullum effugium aut evaſionem probabilem admittant.

Alteram exceptionem confirmant. 1. Quia Angeli nomine *Iehova* indigitantur: quod fieri poteſt (inquiunt) etiamſi concedatur *Iehovam* eſſe Dei nomen proprium; propterea quòd à Deo legati ejus perſonam in iſta legatione ſuſtinent: proinde ob eandem rationem Chriſto tribui nomen *Iehova* volunt, etſi non ſit Deus, quia in toto ſalutis noſtræ negotio Dei perſonam gerit ejuſque in Eccleſiâ perpetuus eſt vicarius. 2. Quia etiam nomen *Iehova* tribuitur arcæ fœderis Num. 10. 35. Deut. 12. 7. &c. 3. Quia attribuitur altaribus quibuſdam Exod. 17. 15. Jud. 6. 24. *Num. 10. 35. Deut. 12. 7 Exod. 17. 15. Iud. 6. 24.*

Ad primum reſpondemus, nuſquam *Iehova* nomen tribui Angelo creato, ſed ubi idem *Iehova* & Angelus appellatur, intelligi Angelum increatum, id eſt, Filium Dei, qui aliquoties in ſpecie humanâ apparens Patribus futuræ incarnationis indicia quædam oſtendit: & Angelus Teſtamenti ſeu fœderis dicitur Mal. 3. 1. Hæc eſt ſententia Chryſoſtomi in Act. 17. 30. Hilarii lib. 5. de Trinitate, & Ambroſii lib. 1. de fide cap. 5. Sic intelligitur *Iehova* Gen. 18. paſſim: ſic *Iehova* qui apparuit Moſi in flammâ ignis in medio rubi Exod. 3. ubi manifeſtè ſe deſcribit ut verum Deum, Angelus appellatur in eodem *Nullus Angelus creatus dicitur Iehova. Mal. 3. 1.*

capite verſ. 2. & Act. 7. 30. Item *Iehova* qui deſcendit ſuper montem Sinai ad legem Iſraëlitis promulgandam Exod. 19. 3. & cæt. dicitur Angelus à Stephano Act. 7. 38.

Exod. 19. 3. *Act. 7. 38.*

Sunt qui iſta loca ſic interpretantur, quòd revera Angelus creatus apparuerit, ſed quod in iſto Angelo loquutus fuerit Deus, ac proinde nomen *Iehova* non tribuatur Angelo ne quidem ut Dei legato (legatus enim nunquam nomine legantis Principis proprio, imò nec nomine dignitatis ejus appellari ſolet) ſed Deo in Angelo aut per Angelum loquenti. Sic ſentit Hieronymus in Gal. 3. 19. Item Gregorius Magnus præfatione in libros morales cap. 1. & lib. 28. cap. 2. aut, ut alii diſtinguunt, cap. 4. Eandem ſententiam explicat Auguſtinus de Trinitate lib. 2. cap. 13. & lib. 3. cap. 10. & quæſt. 3. in Exodum, & lib. contra Adimantum cap. 9. Nobis verò prior ſententia magis arridet: quanquam quod dicitur lex *ordinata & data* per Angelos in plurali numero Act. 7. 53. Gal. 3. 19. & Heb. 2. 2. id procul dubio intelligendum de miniſterio Angelorum. Data enim eſt lex à Deo per miniſterium Angelorum, ſiquidem Angeli intereà Deo miniſtrabant, & credibile eſt vocem illam quâ promulgata erat lex, editam fuiſſe operâ Angelorum: etenim ſæpenumerò in Scripturâ opus aut actio primarii agentis aſcribitur inſtrumento aut miniſtro. Sic 1. Cor. 6. 2. dicitur *Sanctos mundum judicaturos*, quia futuri erunt teſtes ac approbatores judicii divini ac velut Chriſti aſſeſſores. Item Timotheus dicitur ſervaturus ſeipſum & eos qui ipſum audirent 1. Tim. 4. 16. nempe tanquam miniſter & inſtrumentū Dei.

Act. 7. 53. *Gal. 3. 19.* *Heb. 2. 2.* *1. Co. 6. 2.* *1. Tim. 4. 16.*

Arca fæderis non dicitur Iehova.

Ad ſecundum reſpondemus, Arcam fæderis nuſquam appellari *Iehova*, tantùm ex locis quos citant verum Deum eo nomine compellari, dum Iſraëlitæ arcam reſpiciebant cui Deus præſentiam ſuam pollicitus eſt & tribuit Exod. 35. 22. 1. Sam. 4. 4. 2. Sam. 6. 2. 1. Reg. 19. 15. Unde cùm proficiſceretur arca & diceretur, *Surge Iehova, &c.* Num. 10. 35. hæc compellatio non ad arcam, ſed ad Deum, qui præſidebat arcæ, dirigebatur: ideo David eodem ſenſu invocationem illam recitans, *Iehovam* ab arcâ diſtinguit Pſal. 132. 8. *Surge Iehová aditurus requiem tuam, tu & arca roboris tui:* ſimilis eſt ratio aliorum locorum.

Exod. 35. 22. *1. Sam. 4. 4* *2. Sam. 6. 2* *1. Reg. 19. 15.* *Num. 10. 35.* *Pſal. 132. 8*

Loci denominantur à Iehovâ ſed nō ſunt Iehova.

Ad tertium facilis eſt reſponſio, nam quia in denominatione locorum nomen *Iehova* conjunctum aut compoſitum cum aliâ voce uſurpatur, nullo modo ſequitur nomen *Iehova* eſſe iis commune, magis quàm quia urbs dicitur Conſtantinopolis aut Adrianopolis inde infer-

Digitized by Google

inferretur urbem eſſe aut dici Conſtantinum aut Adrianum. Sic cùm Abraham montem in quo Iſaacum ſacrificare juſſus erat, appellat *Iehova videbit*, nemo inde inferret montem illum vel *Iehovam* eſſe vel videre: adde, ſi inde concluderetur nomen *Iehova* communicari iſtis rebus, pariter ſequeretur iſtiuſmodi appellationes earum rerum convenire Deo, at quædam ex illis nullo modo convenire poſſunt Deo: ut cùm altare appellatur *Iehova vexillum meum* Exod. 17. 15. & cùm nomen civitatis dicitur *Iehova ibi*, Ezech. 48. ult. Neque enim Deus qui ait *Ego ſum Iehova*, dicere poteſt *Ego ſum Iehova vexillum meum*, aut *ego ſum ibi Iehova*. *Exod.17. 15. Ezech.48. ult.*

Cæterùm ejuſmodi periphraſes quibus loca aut aliæ res denominantur, nihil aliud ſunt quàm ſigna & monumenta ad conſervandam memoriam beneficiorum Dei aut aliorum effectorum. Idem cenſendum eſt de iſtâ appellatione *Iehova juſtitia noſtra*, ſi de Hieruſalem aut de Eccleſiâ dicitur Jer. 33. 16. ut nonnulli putant. Sed potius eſt ad Chriſtum referre, ut jam dictum, cui utraque pars periphraſeos ſeorſim & conjunctim in recto caſu tribuitur. Cùm autem ſimiles periphraſes de aliis rebus dicuntur, includunt in ſe verbum aut expreſſum aut intellectum: ut *Iehova videbit*, *Iehova vexillum meum*, ſubaudi, eſt, & ſic de cæteris. In quibus omnibus *Iehova* locum habet ſubjecti in enunciatione & de ſolo vero Deo intelligitur: tota verò enunciatio, verbi causâ, *Iehova eſt vexillum meum*, erat quaſi titulus impoſitus rei aut loco, ut eſſet perpetuum certi beneficii monumentum. *Ier.33.16.*

Hujus nominis recta conſideratio, ut ex dictis patet, inſignem uſum habet ad Deum cognoſcendum, colendum, timendum, celebrandum, eiq; credendum ac fidendum, & omnino ad omnia pietatis officia ad quæ nos obligari nominis hujus emphaſis ſatis oſtendit.

DE IMAGINE DEI
in Homine

Ad Cap. 1. *Geneſ. verſ.* 26.

TRANSIENS Moſes ad hominis creationem quem præ aliis creaturis ornavit, aliiſque præfecit Deus, ut oſtendat hoc Dei opus fuiſſe eximium, ideo peculiari ratione Deum introducit quaſi conſultantem aut conſilii ſui ſententiam pro- *Divinarum perſonarum de creatione hominis conſultatio.*

Digitized by Google

pronunciantem. Certè conſultatio ſeu deliberatio Deo non propriè, ſed κατ' ἀνθρωποπάθειαν tribuitur, quæ autem ἀνθρωποπαθῶς de Deo dicuntur, θεοπρεπῶς ſunt intelligenda. Illud autem maximè obſervandum eſt, quod cùm hîc Deus de ſe in numero plurali loquatur, hinc pluralitatem perſonarum in Deitate omnes Orthodoxi ſcriptores veteres ac recentiores rectè confirmârunt, utcunque vim argumenti eludere conati ſunt Judæi & Hæretici, ſed fruſtra.

Apud Hebræos pluralis numerus in primâ perſonâ non ſolet uſurpari niſi cùm perſonæ ſunt plures.

Objiciunt pluralem numerum pro ſingulari honoris causâ uſurpari: & nos quidem anteà ad verſ. 1. notavimus in quibuſdam vocibus, amplificandi honoris causâ, pluralem numerum pro ſingulari uſurpari: ſed exempla quæ occurrunt in Sacris Scripturis reperiuntur tantùm in tertiâ perſonâ: at hîc in primâ perſonâ loquitur Deus. Etſi verò uſitatum ſit apud Latinos ut de ſolo aliquis uſurpare poſſit alterutrum numerum: & Magnatibus in poſterioribus ſæculis hoc loquendi genus familiare eſſe cæpit, præſertim in mandatis & inedictis ſuis publicis (id quod primùm modeſtiæ causâ factum videtur, ut alios quorum conſilio uſi ſunt, ſecum conjungerent) attamen nunquam oſtendi poteſt apud veteres Hebræos aut in ſanctis Literis fuiſſe in uſu ut in primâ perſona pluralis numerus uſurparetur, cùm non eſſent plures: ut etiã Aben Ezra celebris inter Rabbinos notat, quod & Tremellius obſervavit. Etenim nullum exemplum extat in Scripturâ, in quâ homo aliquis vel potentiſſimus, aut ambitioſiſſimus de ſeipſo in numero multitudinis loquatur: immò nec ipſe Deus in plurali numero de ſe loquitur in illis ipſis locis ubi mandata & leges dat populo ſuo, in quibus maximè talis loquendi formula conveniens fuiſſet, *Nos mandamus*, *nos ſtatuimus*, ſi more Principibus nunc uſitato uti voluiſſet: ſed in Sacrâ Scripturâ quinquies aut ſexies legitur numerum pluralem de ſe uſurpâſſe, nempe hîc & in cap. 2. verſ. 18. cap. 3. verſ. 22. & cap. 11. verſ. 7. & Eſ. 6. 8. & 41. 22. 23. in quibus omnibus locis pluralitatem perſonarum in unitate eſſentiæ denotari pro certo habemus, ſiquidem non in aliorum perſonâ loquatur, aut alias creaturas ſibi adjungat, cujuſmodi ſenſus nec huic loco, nec magnâ ex parte cæteris memoratis accommodari poteſt.

Gen. 2. 18. & 3. 22. & 11. 7. Eſ. 6. 8. & 41. 22. 23.

An Chriſtus loquatur de ſe in plurali numero.

Object. Quod Chriſtus de ſeipſo in plurali numero loquatur, Jo. 3... 11. *Quod ſcimus, loquimur, & quod videmus teſtamur.* Sed Chryſoſtomus & Euthymius exiſtimant illa verba intelligi poſſe de Chriſto ſimul & Patre. Sic Cyrillus dicit Chriſtum in ſe habere Patrem & Spi-

Jo. 3... 11. Chryſoſt. Cyrillus.

& Spiritum S. naturaliter. Verùm veriſimilius videtur Chriſtum in illo loco includere etiam ſecum Joannem Baptiſtam & Apoſtolos ſuos, qui auctoritate Chriſti Baptiſmum adminiſtrabant, quo regeneratio, de quâ Chriſtus ibi loquitur, obſignatur. Imo inquit Calvinus in illum textum, Ego non dubito, quin ſe Chriſtus omnibus Dei Prophetis conjungat, & communiter loquatur in omnium perſonâ. Idem docet Beza in annotationibus & alii, ſcita igitur & viſa à ſe dicit pro indubitatis, neque enim de viſu corporeo loquitur, ſed de ſpirituali. *Calvinus.* *Beza.*

Quod autem commenti ſunt olim Judæi, Deum hîc alloqui Angelos, abſurdum eſt: neque enim in toto hoc capite ulla fit mentio Angelorum, neque Deus operâ Angelorum uſus eſt in creatione hominum, & cùm ait Deus, *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*, Imago ſolius Dei intelligitur: Nuſquam enim dicitur hominem factum eſſe ad imaginem Angelorum, ſed ubique ad Imaginem Dei. Neque, verò etſi concedimus Angelos pariter ac homines creatos eſſe ad Imaginem Dei, dici poteſt hominem creatum eſſe ad Imaginem Angelorum, cùm ab Angelis non dependeat tanquam Imago à prototypo. Rectè enim Auguſtinus de Geneſi ad literam cap. 16. Omnis Imago ſimilis eſt ei cujus Imago eſt: nec tamen omne quod ſimile eſt alicui, etiam Imago eſt ejus: ſicut in ſpeculo vel picturâ, quia Imagines ſunt, etiam ſimiles ſunt: tamen ſi alter ex altero natus non eſt, nullus illorum Imago alterius dici poteſt: Imago enim tunc eſt cùm de aliquo exprimitur. *Auguſtinus.*

Cæterùm disertè cùm hominis creatio tùm Imago ad quam conditus eſt, ſoli Deo aſcribitur verſu proximo, in quo executio hujus conſilii & decreti, quod verſu præcedenti proponebat, explicatur. Ubi etiam obſervandum eſt verbum ſingularis numeri Deo attribui, etſi in priore verſu de ſe pluraliter loquutus eſt, ut unum ſemper intelligamus Deum in quo plures ſunt perſonæ: ut inter alios notat Auguſtinus de Geneſi ad literam lib. 3. cap. 19.

Atque ut in hiſtoriâ primæ creationis hominis, perſonæ divinæ conſpirantes introducuntur, ſic in Baptiſmi inſtitutione, quo nova noſtra creatio ſeu regeneratio obſignatur, trium perſonarum expreſſa fit mentio. Concilium Syrmienſe apud Hilarium lib. de Synodis, & Socratem lib. 2. Hiſtoriæ cap. 30. aliàs 25. dicit Anathema iis qui ſentiant hæc verba, *Faciamus hominem* non Patrem ad Filium dixiſſe, ſed ipſum Deum Patrem ad ſeipſum loquutum eſſe.

Quòd autem alii dicant Patrem hìc alloqui Filium, ut Synodus iſta dicere videtur, & Chryſoſtomus in hunc locum: alii dicunt Patrem alloqui & Filium & Sp. Sanctum, ut plerique: alii, omnes perſonas ſe invicem compellare, ut Cyrillus lib. 1. contra Julianum, non exiſtimamus magni momenti eſſe diſcrimen. Neque enim qui Filium nominant, excludunt Spiritum: & licet ſe invicem alloquentes perſonæ intelligantur, tamen ratione ordinis inter perſonas omninò æquales, principium, fons, & origo, ut eſſentiæ, ita actionum Deo Patri conveniunt.

Nullum Dei decretũ eſt temperandum.

Cavendum autem eſt ne hìc Deo attribuamus conſilium aliquod aut decretum temporale ſeu quod tum temporis cæperit: univerſum enim conſilium & decretum Dei eſt æternum: ſed hìc commemoratur æterni Dei conſilii ſeu decreti quædam expreſſio: quæ more humano ſeu ad captum noſtrum deſcribitur, ſed prout Deum decet intelligenda eſt.

Faciamus hominem in Imagine noſtrâ, &c.

Quid ſit Imago.

VOx Imaginis εἰκὼν habitudinem & relationem denotat ad id cujus eſt Imago: ſumitur autem duobus modis, nempe vel pro relato, vel pro relatione: ut voces illæ, ſectio, propoſitio, enunciatio ſumuntut vel pro actione ſecandi, proponendi, enunciandi; vel pro eo quod ſectum, propoſitum, enunciatum eſt: Item ſignum ſumitur vel pro re ſignante, vel pro ſignificatione, ut cum dicitur, hoc eſt ſignum fœderis, vel eſſe in ſignum fœderis, Gen. 9. 17. & 11. Sic Imago ſumitur vel pro relato, cujus correlatum eſt id cujus eſt Imago ut ἀρχέτυπον vel exemplar: ut cùm dicimus, hoc eſt Imago alterius, homo eſt Imago Dei, vel ſumitur pro ipſa relatione: ut cùm dicitur hìc hominem eſſe factum in Imaginem vel ad Imaginem Dei. Hoc non adveitens 1. par. quæſt. 93. art. 5. ad 4um Thomas (quem multi alii ſequuntur) ait Imaginem ſumi abuſivè pro causâ exemplari ſeu πρωτότυπον & ſic accipi poſſe hoc loco, & ſic accipienda „ eſſe verba Auguſtini de fide ad Petrum, cùm ait, unam eſſe ſanctæ „ Trinitatis divinitatem & Imaginem ad quam factus eſt homo, ſcribit Durandus lib. 1. diſtinct. 18.

Thomas.

Quæ ſimilitudo Imagini ſit eſſentialis.

Imago dicitur quod rem aliquam exprimit, refert, & repræſentat. Propterea ad rationem Imaginis requiruntur duo. 1. Similitudo non quælibet, ſed conformitas cum eâ re cujus eſt Imago aut quoad formam

mam externam aut in formâ internâ ſeu naturâ rei, ejuſque perfectione quâdam. 2. Requiritur ut dependeat à re cujus eſt Imago, ab eaque ſit expreſſa vel effigiata vel activè vel exemplariter: activè, ſicut Pater generat Filium ad ipſius Imaginem: exemplariter, ſicut pictor Imaginem Cæſaris exprimit, unde Durandus ait Imaginem dici quaſi imitaginem, quia fit ad alterius imitationem lib. 1. 2. par. 3. diſt. qu. 1. Non omne effectum dicitur Imago cauſæ, quia deeſt ſimilitudo requiſitæ: rurſum ovum non eſt Imago ovi, licet ſit ſimillimum, quia alterum ab altero non exprimitur, nec exemplariter nec activè.

Eſt itaque Imago alterius alicujus rei ſimilis expreſſio: eaque vel intentionalis vel realis. Intentionalem appello quæ habet eſſe merè intentionale, id eſt, nullum aliud habet eſſe quàm repræſentativum alterius rei: cujuſmodi ſunt ſpecies ſenſibiles & intelligibiles. Realem dico quæ præter conſiderationem repræſentationis per ſe exiſtit, atque hujuſmodi reales Imagines vel ſolam habent conformitatem cum eâ re quam repræſentant ratione externæ formæ, id eſt, in externarum qualitatum & accidentium lineamentis, ut Imago Cæſaris in ligno: vel etiam conveniunt cum re repræſentatâ in ſubſtantiâ, idque aut per accidens, ut Imago aurea vel argentea ex alterâ Imagine ejuſdem materiæ expreſſa: aut per ſe ut filius hominis naturam & ſubſtantiam patris refert de quo Gen. 5. 3. *Genuit Adam* *Gen.* 5. 3.
Seth ſecundum Imaginem ſuam.

Imago Dei dicitur in Scripturis de Chriſto Dei Filio unigenito *Quomodo*
& de hominibus: num autem etiam competat Angelis, poſteà expli- *Chriſtus ſit*
cabimus. Chriſtus dicitur Imago Dei non tantùm quâ eſt homo *Imago Patris.*
perfectiſſimus, ſed etiam quà eſt ſecunda Perſona Trinitatis 2. Cor. 2. *Cor.* 4. 4.
4. 4. Col. 1. 15. Heb. 1. 3. Chriſtus eſt æterna Patris Imago, ea- *Col.* 1. 15.
que eſſentialis, quem totâ ipſius naturâ & proprietatibus eſſentiali- *Heb.* 1. 3.
bus communicatis perfectiſſimè refert. Sic Oecumenius Filium ait *Oecumenius.*
vocari Imaginem Dei, quia eſt πάντοθεν πατρὶ ἴσος καὶ ὅμοιος, omnino Patri æqualis & ſimilis. Verum quidem eſt, cùm hic æternus λόγος fuit incarnatus, radios divinæ virtutis & operationis in humanâ ejus naturâ emicuiſſe: & ſic reſpectu noſtri quoque Chriſtum Imaginem Dei dici poſſe, in quâ nos tanquam in ſpeculo Deum agnoſcere poſſumus Jo. 1. 14. *Verbum caro factum eſt, & vidimus gloriam ejus,* *Jo.* 1. 14.
gloriam inquam unigeniti ut egreſſi à Patre. Neque nos aliter Deum noſſe & colere poſſumus niſi in hac Imagine. Per filium enim Pater

ſe nobis revelat, & gloriam ſuam communicat: & filius in carne manifeſtatus naturam & voluntatem Patris divinâ ſuâ ſapientiâ & mirandis operibus expreſſit: atque ita Deum inviſibilem nobis quo-
Mat. 11. 17. dammodo conſpicuum reddidit: ut ipſe teſtatur Mat. 11. 17. *Nemo novit Patrem niſi filius & cui voluerit filius ipſum revelare*, & Jo. 8. 19.
Io. 8. 19. Io. 14. 9. *Si me noviſſetis & Patrem meum noviſſetis* & Jo. 14. 9. &c. *Philippe qui vidit me, vidit Patrem, non credis me in Patre, & Patrem in me eſſe. Verba quæ ego loquor vobis à meipſo non loquor: ſed Pater qui in me manet ipſe facit opera hæc.* Sed niſi Chriſtus homo fuiſſet etiam Deus, hæc minimè ei conveniſſent.

Solus ergo Filius Dei eſt perfecta ejus Imago: eſt enim de ratione perfectæ Imaginis, ſimilitudo omnimoda, & æqualitas, ut obſer-
Thomas. vat Thomas qu. 93. art. 1. Quanquam Imaginis appellatio longè alia & quidem eminentiore ratione convenit Filio quàm ulli creaturæ: cùm enim ad Imaginem requiratur ſimilitudo, Filius Dei non eſt propriè ſimilis Patri quoad eſſentiam, ſed idem cum eo, non tantùm genere, aut ſpecie, ſed numero quoque, & ſummâ identitate
Durandus. „ ſeu unitate. In perſonis Trinitatis (inquit Durandus lib. 1. diſt. „ 28. qu. 3.) nec eſt totalis identitas propter diſtinctionem extre- „ morum, nec propriè ſimilitudo propter identitatem fundamenti.

Malè Bernardus negat hominem eſſe Dei Imaginem. Longè aliter homini ψιλῶς Imago Dei convenit: etſi diſcrimen illud in phraſi verborum non apparet; ſicut Bernardus ſuper Canti- „ ca Sermone 80. diſtinguit, quod Chriſtus ſit Imago Dei, homo „ autem ſeu anima humaria non Imago ſed ad Imaginem Dei: ſiquidem ut homo dicitur creatus ad Imagiem Dei hîc & alibi, ita etiam
1. Cor. 11. 7 vir dicitur Imago Dei 1. Cor. 11. 7. Paulò cautiùs autem Auguſti-
Cautior in hoc Auguſtinus. „ nus lib. 7. de Trinitate cap. 6. Quia non omninò (inquit) æqua- „ lis fiebat illa Imago Dei tanquam non ab illo nata, ſed ab eo crea- „ ta, hujus rei ſignificandæ cauſa ita homo Imago eſt, ut etiam ad „ Imaginem ſit, id eſt, non æquatur parilitate, ſed quâdam ſimilitudine accedit. Verum & hoc magis argutum eſt quàm ſolidum; neque enim ineptè dici poſſet Patrem genuiſſe Filium ad Imaginem ſuam, ſicut dicitur Deum creâſſe hominem ad Imaginem ſuam.

Homo eſt Dei Imago imperfecta negativè non privativè. Sed in hoc diſcrimen eſt, quòd Chriſtus ſit perfecta Imago per omnia æqualis Patri, homo autem imperfectè Deum referat, à cujus perfectione infinitè diſtat: verè tamen ac propriè dicitur hominem conditum eſſe ad Imaginem Dei; cùm homini ratione Dei binæ illæ conditiones Imaginis, quæ ſuprà recenſuimus, reverà conve-

niant

Digitized by Google

niant licet imperfectè (imperfectionem intelligo non privativam, quæ eſt defectus vitioſus, ſed negativam, quæ cum perfectione naturæ debitâ conſiſtere poteſt) Ita enim homo factus à Deo expreſſuſque eſt, ut pro ſuo modulo cum eo conformitatem haberet, ipſumque repræſentaret.

Non eſt impoſſibile cognitu in quo Dei Imago conſiſtat, ut vult Epiphanius.

Proximum eſt ergo ut deſpiciamus in quo iſta conformitas & repræſentatio conſiſtat. Nec acquieſcendum eſt Epiphanii ſententiæ qui ad hæreſin 70. in Anchorato ait, non conveniens eſſe decernere aut affirmare, quâ in re id quod ſecundum Imaginem Dei eſt impleatur aut conſiſtat, ſed relinquendum ut ſoli Deo notum.

In creaturis inferioribus eſt Dei umbra non Imago.

Atque id quidem conſtat hominem eſſe Imaginem Dei eâ ratione quâ creaturis inferioribus præcellit, quibus Imaginem Dei nequaquam tribuit Scriptura, ſed in iis eſſe veſtigium Dei aut umbram, non Imaginem, docent Scholaſtici; omnis enim effectus aliquo modo cauſam referat, & nonnihil ſimile habeat neceſſe eſt. Unde patet Imaginem hoc loco non ſignificare rationem exemplarem ſeu ideam in mente Divinâ ad quam factus eſt homo, nam ita communis eſſet omni creaturæ: ſed peculiarem prærogativam, quâ præſtat aliis creaturis intelligentiâ deſtitutis.

Neque tamen temere dixerim omnes reſpectus aut modos quibus homo aliis creaturis antecellit, aut aliqualem ſimilitudinem cum Deo habere dici poſſit, ad propriam rationem Imaginis pertinere: quanquam magnâ ex parte, illam, ſi non conſtituunt, ſaltem conſequuntur.

Iuſtitia originalis fuit imaginis Divinæ pars.

Et primùm quidem dotes illas eximias ſpiritualis ſapientiæ, juſtitiæ, & ſanctitatis, quibus homo initio ornatus fuit (quæ juſtitiæ originalis nomine comprehenduntur) ad rationem Imaginis hujus pertinere non eſt dubitandum, quæ cùm fuerint peccato corruptæ per gratiam Chriſti ſunt renovatæ, & novi hominis appellatione inſigniuntur Epheſ. 4. 24. & Col. 3. 10. ſed iis per peccatum amiſſis non eſt concedendum Imaginem in irregenitis penitus intercidiſſe. Id quod ſcitè probat Epiphanius ad hæreſin 70. ex illis locis Scripturæ in quibus Imago Dei poſt lapſum homini communiter tribuitur ut Gen. 9. 6. *Qui fundit ſanguinem hominis, per hominem ſanguis illius effundetur, quoniam ad Imaginem ſuam hominem fecit Deus,* & 1 Cor. 11. 7. *Vir non debet operire caput, cùm is imago ſit & gloria Dei.* Sic Jac. 3. 9. *Per linguam* (inquit,) *benedicimus Deo Patri, & per ipſam execramur homines ad ſimilitudinem Dei factos.*

In homine irregenito ſunt reliquia Imaginis Divinæ. Epiphanius. Gen. 9. 6. 1 Cor. 11. 7. Iac. 3. 9.

Itaque neceſſe eſt dicamus etiam poſt depravatam hominis naturam manere reliquias imaginis Dei: alioqui inania eſſent argumenta illa in locis citatis. Proinde Imago Dei ad ipſam eſſentiam hominis pertineat neceſſe eſt, & cùm eſſentiam dico, facultates naturales quæ ab eſſentiâ fluunt unà complector. Conſtat autem homo duabus partibus eſſentialibus corpore ſcilicet, ut materiâ, & animâ ut formâ: forma autem aut eſt integra natura (ut quidam autumant) aut ſaltem præcipua ejus pars: ergo in animâ hominis præcipuè, nempe primò ac per ſe & directè relucet Imago Dei: eſt enim ſubſtantia per ſe vivens, ſpiritualis, immortalis, intellectûs & voluntatis facultatibus prædita, quibus liberè actiones ſuas moderatur. Atque hæ ipſæ ſunt Divinæ naturæ conditiones, quæ Deo eminenter tribuuntur: nihil enim obſtat quòd in his Deus ab homine infinitè diſtet, nulla enim poteſt eſſe in creaturâ ſimilitudo aut repræſentatio Dei, in quâ non ſit inter eos immenſa diſparitas.

Imago Dei præcipuè eſt in animâ.

An in animâ ſit Imago Trinitatis.

Ingenioſè quidam veteres in animâ humanâ imaginem aliquam Divinæ Trinitatis obſervârunt: quia ſcilicet in unâ ſimplici naturâ animæ tres diſtinctæ facultates reſident, *Intellectus, Voluntas, & Memoria.* Et ſicut Intellectus hominis producit verbum internum, & ex utroque fit amor; ſic Trinitas perſonarum in unâ Deitate eſt ſecundum proceſſionem Verbi intelligibilis ab intelligente, & amoris ab utroque. Sed hæ argutiæ à ſimplicitate hujus narrationis alienæ videntur.

In corpore humano non eſt Imago Dei directè, ut docebant Anthropomorphitæ.

In corpore non ſpectatur Imago Dei directè, nec ratione naturæ materialis aut membrorum vel qualitatum ſenſibilium, ſicut falſi putârunt Anthropomorphitæ & Audiani, qui Deo corpus, figuram & membra homini ſimilia tribuerunt, quos refellit Epiphanius hæreſi 70. Auguſtinus lib. de hæreſibus hæreſi 50. Theodoretus lib. 4. cap. 10. &c. Item illi qui dixerunt Deum, cùm hominem conderet, induiſſe quandam formam humani corporis, & ad eam formam hominem curâſſe. Item illi qui his verbis intelligendum putant hominem factum eſſe ad Imaginem Filii ſecundum naturam humanam „ quam aſſumpturus erat ex virgine. Hoc reſpectu Auguſtinus in „ Pſal. 48. concione 2. in fine. Conſiderate vos fratres (inquit) ho- „ mines factos ad Imaginem & ſimilitudinem Dei. Imago Dei intus „ eſt, non eſt in corpore, non eſt in auribus iſtis, quas videtis, & „ oculis & naribus, & palato, & manibus, & pedibus, ſed ubi eſt „ intellectus, ubi eſt mens, ubi ratio inveſtigandæ veritatis, ubi eſt fides,

Auguſtinus.

Digitized by Google

„ fides, ubi eſt ſpes noſtra, ubi eſt charitas noſtra. Similia habet in lib.1. de Geneſi contra Manichæos cap.17. & lib.6. de Geneſi ad literam cap.12. Item Baſilius homilia 10. in Hexameron. Ambroſius lib. 6. Hexameron cap. 8. & Gregorius Nyſſenus oratione in hæc verba.

Sed tamen ad corpus Imago Dei pertinet ſecundariò & indirectè quatenus corpus animæ adaptatum eſt, & appoſitis organis inſtructū ad ejus munia exequenda, & in eo quodammodo elucet præſtantia & dignitas mentis à quâ regitur. Id quod etiam in compage elegantiſſimâ, ac præſertim in figurâ erectâ corporis humani apparet, de quâ pulchrè Poëta *Eſt tamen in corpore ſecundariò & indirectè.*

Pronâque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri
Juſſit; & erectos ad ſydera tollere vultus.

„ Unde Auguſtinus in lib. 83. quæſtionum, qu.51. Corpus (inquit) „ hominis quà tale eſt, ut ad contemplandum cœlum ſit aptius, magis „ hoc ad ſimilitudinem & Imaginem Dei, quàm cætera animalium corpora factum jure videri poteſt. Hoc ipſo enim indicatur hominem intelligendi facultate prædictum eſſe, per quam rerum cœleſtium particeps eſſe poſſit & *Divinæ conſors naturæ*, ut loquitur Petrus 2. ep. 1. 4. *Auguſtinus.*

Atque hoc multò magis manifeſtum fuit in primævâ hominis integritate, cum corpus ejus inſigniter ſpecioſum fuit, ad omnia animæ munera & imperio exequenda promptiſſimum, nullo vitio, nullâ infirmitate laborans, nulli morbo aut corruptioni obnoxium, & ſinceræ felicitatis unà cum animâ particeps, & nunc etiam in regenitis ex parte apparet, *in quorum mortali corpore non regnat peccatum, ſed ſiſtunt membra ſua arma juſtitiæ Deo* Rom. 6. verſ. 12, 13. Maximè autem apparebit in regno gloriæ cùm plenâ beatitudine homo, animâ pariter ac corpore fruetur: tum corpus hoc animale transformabitur in ſpirituale, & glorioſo corpori Chriſti conforme reddetur, & *ſicut geſſimus imaginem terreſtris hominis, ita etiam geremus imaginem cœleſtis.* 1 Cor. 15. 41. 49. Phil. 3. ult. *Rom. 6. 12, 13.* *1 Cor. 15. 41. 49.*

Huc accedit quod ſi dominium in creaturas pertineat ad Imaginem Dei, ut non eſt dubium quin ſaltem eam ſequatur, id homini non tantùm animæ ſed etiam corporis ratione competat: neque enim id exercere poteſt homo niſi per corpus; alia enim voce agit, alia manu ducit, aliis aliter pro ſuo arbitratu utitur. Nec dubitandum eſt *Phil. 3. ult.*

Deum

Deum etiam corpori humano præſertim in ſtatu innocentiæ eam majeſtatem impreſſiſſe, ut eum omnia alia animalia timerent ac revererentur, cujus etiam nunc aliqua veſtigia ſuperſunt.

Imago Dei eſt in totâ hominis perſonâ.

Denique in totâ hominis perſonâ eſt Imago Dei: cùm enim ſit in animâ primò & in corpore ſuo quoque modo, rectè dicitur eſſe in toto compoſito. Etenim etiam ipſæ proprietates & actiones quæ homini conveniunt ratione unius partis, rectè attribuuntur toti perſonæ, & totum compoſitum eſt earum ſubjectum, & ab iis denominatur magis propriè quàm illa ipſa pars à quâ proxime pendent, vel (ut in ſcholis loquimur compoſitum eſt ſubjectum *ut quod*, pars autem illa ſubjectum *ut quo.* Sic nòn propriè oculus videt, aut anima ſentit, vel mens quandiu eſt in corpore, intelligit: ſed homo videt oculo, ſentit per animam & mente intelligit. Multò magis totus homo eſt ſubjectum Imaginis Dei quæ non tantùm in mente reſidet, ſed ad corpus quoque extenditur, eo modo quo dictum eſt. Quapropter homicida Dei Imaginem violat, licet animam in quâ præcipuè reſidet, non occidat.

In omni homine eſt Dei Imago.

Ex dictis patet Imaginem Dei conſiſtere primò in ipsâ naturâ hominis, quâ aliis animantibus antecellit: deinde in dotibus eximiis naturam perficientibus. Naturæ nomine complector non tantùm ipſam eſſentiam hominis ſed etiam facultates quæ ab eâ fluunt, eamque neceſſariò conſequuntur, adeoque homini conveniunt, quà eſt homo, & omnibus hominibus æqualiter conveniunt, & ad eſſe ejus, ut ita loquar, neceſſaria ſunt. Dotes appello qualitates quæ ad naturam accedunt ut ejus ornamenta & perfectiones, & ad benè eſſe conducunt, cujuſmodi ſunt in corpore temperamenti bonitas, ſanitas, pulchritudo; in animâ ingenii præſtantia & virtutes. Dixi autem *dotes eximias*, nam quæ ſunt communes aliis animalibus, quà tales, ad rationem Imaginis non pertinent; ſed illæ ſolæ, quæ propriam hominis naturam exornant, nempe directè ſolum dotes animi ratione utentis, maximè verò ſpirituales illæ virtutes ſapientiæ, juſtitiæ, & ſanctitatis, ut dictum eſt: indirectè verò, dotes corporis, quæ ab animæ dotibus pendent, & ad eas referuntur. Sic in ſtatu innocentiæ pulchritudo & nuditas corporis Adami animi pulchritudinem & innocentiam oſtendebant, animæ puritatem incorruptibilitas corporis conſequuta eſt, membra corporis eâ facultate & viribus prædita erant, ut expedita eſſent arma juſtitiæ.

Imago Dei eſt in dotibus tantùm eximiis.

Et internis.

Præter duplicem illam perfectionem, alteram naturæ, alteram dotum

tum

tum, utramque internam (in quâ Imaginem Dei conſiſtere diximus) plerique etiam externam perfectionem conſtituunt partem Imaginis Dei, nempe quæ ſita eſt in affluentiâ omnium bonorum externorum, quæ animum recreare, vitamque jucundam efficere valerent; & in imperio quod homo obtineret in omnes creaturas inferiores.

Verum enimverò cùm homo dicatur creatus ad Imaginem Dei, & Adamus genuiſſe filium ad Imaginem ſuam; conſentaneum eſt ut intelligamus Imaginem hanc homini fuiſſe in ipſa creatione & generatione impreſſam, innatam, & inſitam, ac proinde in bonis quæ ſunt in ipſo non extra ipſum conſiſtere: bona autem illa externa nihil addere Imagini Dei, ſed eſſe Dei beneficia collata in hominem ad Imaginem ſuam conditum, & ſecundum eam viventem: ſicut Pater primò gignit Filium ad Imaginem ſuam, deinde providet & ſuppeditat quæ ad ejus neceſſitatem, commoditatem, & decus pertinent.

Dominium in creaturas eſt pars Imaginis non quoad jus nec quoad exercitium, ſed quoad facultatem dominandi.

Et certè in contextu ipſo iſta duo aperte diſtingui videntur Imago & imperium, *Faciamus hominem in Imagine noſtrâ & Dominentur in piſces maris.* In Dominio tria ſpectantur. 1. Jus in creaturas. 2. Vis & facultas dominandi. 3. actus ſeu exercitium Dominii. Nunc quatenus Deus jus homini tribuit in creaturas ſuas, dici poteſt non Imago, ſed aliquo modo vicarius Dei: ſicut Magiſtratus cui Rex committit juriſdictionem & poteſtatem in ſubditos ſuos, ejus quidem vicem gerit, non Imago tamen dicitur. Actus autem ſeu exercitium dominandi, cùm ſit actio tranſiens, non poteſt habere rationem Imaginis, vim autem & facultatem dominandi, vel aptitudinem ad dominandum, ſeu dignitatem hominis & majeſtatem convenientem imperio ad Imaginem Dei pertinere concedimus, ſed illa ſunt interna, non externa: nec ſunt diſtincta à naturâ & dotibus hominis, & ipſum quidem dominium eſt effectus intellectus ſapientis & voluntatis rectæ idoneis inſtrumentis & viribus inſtructæ pro jure homini divinitus conceſſo. Quod ſi quis contendat verba illa, *& dominentur in piſces maris, &c.* eſſe tantùm exegeſin præcedentium *Faciamus hominem in Imagine noſtrâ*, tum ſequetur dominium illud eſſe aut totam Dei Imaginem aut præcipuam ejus partem, id quod nullatenus concedendum videtur.

An ſimilitudo differat ab Imagine.

Supereſt ut ſpectemus quid ſibi velint iſta verba *ſecundum ſimilitudinem noſtram.* Diximus ad omnem Imaginem requiri ſimilitudinem, ſed non quamvis ſimilitudinem efficere Imaginem: unde conſtat

Pppp ſimi-

ſimilitudinem latius patere quàm Imaginem, ſed in latiore ſignificatione hic non videtur accipi; cùm poſt Imaginis mentionem ſubjungatur; quorſum enim attineret addere ſimilitudinem ſi nihil aliud denotaret quàm aliquid univerſalius quod in notione Imaginis omnis comprehendi conſtat.

Alii Imaginem ad naturam, ſimilitudinem ad dotes referunt, præcipuè illas ſpirituales, ſapientiam, juſtitiam, & ſanctitatem: atque adeo volunt hominem peccato amiſiſſe ſimilitudinem cum Deo, etſi Imaginem retinuerit. Sed non eſt dubium Imaginem Dei dici ratione etiam dotum & ſpiritualium illarum virtutum ut patet ex loco ci-
Col. 3.10. tato Col. 3. 10. & 1 Cor. 15. 49.

1 *Cor.* 15.49 Nos iis aſſentimur qui exiſtimant unam rem denotari nomine Imaginis & ſimilitudinis, vocemque ſimilitudinis hîc additam eſſe ἐξηγητικῶς ut intelligatur Imago valdè ſimilis ἀπαραλλάκτως. Itaque hic non intelligitur ſimilitudo communis aut in communi, quæ nomine Imaginis comprehenditur, ſed ſimilitudo propria, nempe quæ perfectionem Imaginis denotat, quatenus ſcilicet benè refert, exprimit, ac repræſentat archetypum ſuum: etſi enim nulla dari poteſt Imago, quin aliquam ſimilitudinem in communi habeat cum *prototypo*: tamen Imaginem prout ſcitè vel inſcitè formatur, ſeu aptiùs vel ineptiùs, repræſentat *prototypon*, ſimilem vel diſſimilem appellare ſolemus. Sic Imaginem Cæſaris, quæ optimè ei reſpondet, ſimilem dicimus: alioqui ſi ineptè formetur, ſimilem eſſe negamus. Proinde hîc nonnulli dicunt eſſe Hendiadyn: ut cùm homo dicitur creatus ad Imaginem ſecundum ſimilitudinem, intelligatur ad Imaginem ſimilitudinis ſeu Imaginem ſimilem, aut valde ſimilem Deo: ejuſmodi enim phraſes frequenter occurrunt apud Hebræos, ut duo ſubſtantiva conjungantur, quorum alterum adjectivi aut epitheti loco ha-
Jer. 29.11. bendum eſt, ut Jer. 29. 11. *Dabo vobis finem & expectationem*, hoc eſt, finem expectatum.

Neque quidquam intereſt, utrum vox *ſimilitudinis* ſubjungatur an proponatur voci *Imaginis*, nam ut hîc ſubſequitur, ita in ſimili planè phraſi præcedit cap. 3. verſ. 5. *Adam genuit filium in ſimilitudine ſua ad Imaginem ſuam.*

Hinc fit ut utraque hæc vox pro eodem ſumatur, & alterutra συνεκδοχικῶς idem ſignificet quod altera & utraque conjunctim: & enim licet in decreto hic verſ. 26. utraque vox conjungatur; tamen mox in narratione executionis decreti verſ. 27. ſolum Imaginis fit mentio,

mentio, & tamen certum eſt, Deum executum eſſe quicquid decreverat: ſic Gen. 9. 6. Omiſsâ Imaginis mentione ſolùm ſimilitudinis Dei meminit ad quam facti ſunt homines. Unde patet, ſicut ſupra diximus, Imaginem etiam ad dotes & qualitates referri, & ſimilitudinem etiam reſpectu naturæ & ſubſtantiæ dici.

Quomodo Deus & creatura conveniant in uno.

Sed objici poteſt quod omne ſimile ſaltem conveniat in uno: at nihil unum nobis eſt cum Deo commune. Reſpondendum eſt unum dici non tantùm genere, ſpecie, & numero, quibus modis nihil commune eſt nobis cum Deo; ſed etiam aliquid dici unum ſecundum analogiam, & hujuſmodi unitatem ſpectari in iſtâ convenientiâ quæ explicata eſt inter Deum & hominum ad ipſius Imaginem factum.

In Angelis eſt Imago Dei.

His expoſitis variæ inſuper quæſtiones & dubia faciliùs explicari poſſunt. Primò quæritur num Angeli etiam creati ſint ad Imaginem Dei. Reſpondeo, etſi in Scripturis id non expreſsè dicitur, tamen ex dictis, & aliis argumentis ex Scripturis petitis, facile colligitur Angelis etiam convenire Imaginem Dei, idque tantò perfectiùs quantò hominibus præcellunt, cùm ſint ſpiritus ſimplices, vitâ ſpirituali & immortali, intellectu & voluntate prædìti, & ab origine eximiis ſapientiæ, juſtitiæ, & ſanctitatis dotibus ornati, in quibus jam boni Angeli ſunt confirmati, ut ab ijis, adeoque à beatitudine eas conſequente excidere nequeant. Unde etiam filii Dei vocantur Job. 1. 6. & 2. 1. imò noſtra beatitudo in cœlis, cùm Dei imago perfectiſſimè in nobis relucebit, in eo ſita eſt, ut ſimus ἰσάγγελοι æquales Angelis Mat. 22. 30. Luc. 20. 36.

Iob. 1. 6. & 2. 1.

Mat. 22. 30. Luc. 20. 36

Etiam in fœminis

1 Cor. 11. 7.

Secundò quæritur, num fœmina etiam facta ſit ad Dei imaginem: quia Apoſtolus 1 Cor. 11. 7. videtur dicere virum quidem eſſe Imaginem Dei, fœminam autem Imaginem viri: unde auctor ille libri (qui falsò aſcribitur Auguſtino) quæſtionum Veteris & Novi Teſtamenti quæſt. 21. & 45. ob hanc præcipuè rationem negat fœminam eſſe Imaginem Dei; item auctor Commentariorum in Epiſtolas Pauli qui Ambroſio tribuuntur in 1 Cor. 11. 7. item Theodoretus in Gen. quæſt. 20. Sed manifeſtum eſt totam deſcriptionem Dei Imaginis in homine quam explicavimus, etiam fœminæ convenire, idemque ex textu ipſo patet hoc capite verſ. 27. & cap. 5. verſ. 1. & 2. ubi cum dicitur hominem factum eſſe ad Imaginem Dei, ſtatim ſubjungitur *Maſculum & fœminam creavit eos:* & nomen Adamus qui dicitur factus ad Imaginem Dei, commune

eſſe viro & fœminæ perhibetur: idemque docet Baſilius hom. 10. in Hexa. Auguſtinus lib. 12. de Trinitate cap. 7. & in epiſt. ad Col. 3. 10.

Fœmina eſt viri gloria non Imago. In loco autem citato 1 Cor. 11. 7. non negatur mulierem eſſe Imaginem Dei, nec dicitur eam eſſe Imaginem viri, ſed gloriam viri: neque id poſtulat ratio antitheſeos, nam antitheſis videtur eſſe potiùs in voce *gloria* quæ repetitur, quàm in voce *Imago*, à quâ repetendâ abſtinet Apoſtolus, quaſi diceret virum ita eſſe Imaginem Dei, ut in eo ſolùm gloria Dei immediatè reluceat; at in muliere etiam gloria viri appareat, unde dicitur gloria viri metonymicè: & ipſe ſe mox explicat Apoſtolus in ratione quam ſubjungit verſ. 8. & 9. ut enim Deus eſt principium & finis hominis & omnium creaturarum, ita vir eſt principium & finis mulieris non contrà. Vir quidem prout initio conditus erat immediatè refertur ad Deum; mulier autem etiam ad virum: quod ſi quis ob hanc etiam cauſam virum peculiari ratione Imaginem Dei indigitari contendat, nos non repugnabimus. Addunt etiam alii hanc rationem, quia dominium primò competit viro, cui ipſa mulier ſubjecta eſt (idem cenſendum eſt de dotibus à quibus illud dominium pendet) etſi imperium in alias creaturas utrique pariter committatur in hoc cap. verſ. 28.

Beza. Non inſcitè Beza in annotationibus in hunc locum interpretatur „ illa verba quaſi eſſet Hendiadys: ut cum vir dicitur *Imago & gloria Dei* intelligatur *Imago gloriæ Dei*, in qua nimirum elucet Dei „ majeſtas & imperium. Eſt enim vir in ſupremo gradu collocatus in hoc mundo, & tanquam ſecundarius aliquis Deus (ut ita „ dicam) ipſius etiam mulieris reſpectu. Hæc igitur non eſt Imago illa ad quam condita etiam eſt mulier, ſed alia viro peculiaris, quæ ex ipſo creationis tum ordine tum fine elicitur ab Apoſtolo.

Tertio quæritur num dentur gradus Imaginis Dei? Reſpondeo, nos quidem gradus agnoſcimus ratione perfectionis ac imperfectionis. Nempe Imago Dei perfectior eſt 1. in Angelis quàm in homine. 2. in viro quàm in muliere cæteris paribus. 3. in conditione hominis integrâ quàm corruptâ. 4. in regentis magis quàm in irregenitis. 5. in ſtatu gloriæ quàm gratiæ. Cæterum cùm de homine loquimur, Imago Dei in eſſentialibus ſemper eſt eadem: in accidentalibus autem ſeu dotibus varietas graduum cernitur.

Quarto

Digitized by Google

Quarto quæritur an & quatenus homo poſt lapſum amiſerit Imaginem Dei, & in Chriſto recuperârit. Reſponſio ex dictis facilè patet. Nam quatenus Dei Imago conſiſtit in ipsâ hominis naturâ & facultatibus eam neceſſariò conſequentibus, non eſt amiſſa poſt lapſum nec amitti poteſt, quamdiu homo eſt homo. Hinc eſt quòd ,, Bernardus Serm. 1. de Annunciatione dicat, Imaginē divinam non ,, eſſe aſſitam ſed inſitam atq; ipſi impreſſam naturæ, dividi ſcindiq; ,, non poſſe. Imago (inquit) in Gehennâ ipsâ uri poterit, non exuri: ,, ardere ſed non deleri, & quocunque perveniat anima, ſimul & ipſa erit: ſed quatenus Imago Dei ſpectatur in dotibus naturam perficientibus, conſiderandum eſt dotes illas vel eſſe temporales, id eſt, quæ ad vitam hanc temporalem & civilem ſpectant, cujuſmodi ſunt ſcientia rerum naturalium & morales virtutes: vel ad ſpiritualem vitam pertinent, cujuſmodi ſunt ſapientia ſpiritualis ſeu cognitio ſalutaris Dei & voluntatis ejus, Fides, Spes, Sanctitas, juſtitia, Charitas quæ omnes originalis juſtitiæ nomine comprehenduntur. Prioris generis dotes poſt lapſum miſerè ſunt labefactatæ, & vitiatæ, non tamen penitus interciderunt: poſterioris generis dotes planè ſunt amiſſæ & deletæ, donec in Chriſto per ſpiritum regenerationis in novo homine reparentur & inſtaurentur, ut docet Apoſtolus Eph. 4. 24. Col. 3. 10. 2. Cor. 3. 18. Id quod in hac vitâ inchoatur, in futuro autem conſummatur, ubi quæcunque ad beatitudinem noſtram perficiendam valent, abunde ſuppeditantur.

Quid Imaginis Dei poſt lapſum ſit amiſſum & quid non.

Bernardus.

Dotes civiles ſunt labefactatæ, ſed ſpirituales penitus amiſſæ.

Eph 4. 24. Col. 3. 10. 2. Cor. 3. 18.

Cùm autem ſive Veteres, ſive recentiores Imaginem Dei planè deperditam & amiſſam eſſe dicunt, dextrè & ſano modo intelligendi ſunt, nempe de Imagine Dei ad dotes Spirituales reſtrictâ, nam & ipſe Apoſtolus de Dei Imagine ſic ſtrictè ſumptâ loqui videtur, 1. Cor. 15. 49. Col. 3. 10. &c. Et ratio in promptu eſt: quia ſine his Spiritualibus dotibus, Imago Dei non eſt integra, perfecta aut Deo grata, ſed vitiata & deformata: quæ propterea opus habet, ut per Chriſtum reformetur ac refingatur.

1. Cor. 15. 49. Col. 3. 10.

Ex Orthodoxis quidem alii in pluribus, alii in paucioribus rationem Imaginis conſtituerunt: licet non tam in re ipsâ quàm in verbis ſeu acceptione vocabuli *Imaginis*, diſſidium ſit. Et certè, ſi erratum ſit à nonnullis, qui Imaginem Dei non in naturâ ſed in ſolis dotibus ſupernaturalibus conſtituerunt, atque propterea Imaginem Dei penitus deletam & obliteratam eſſe dixerunt, in nullum tamen impium aut pernicioſum dogma inciderunt: alioqui iniquiſſimi ſunt

Malè Pontificii noſtris hæreſin affingunt qui Dei Imaginem penitus amiſſam docent.

ſunt adverſarii qui ob eam rationem nonnullis ex noſtris hæreſeos crimen impingunt. Quin & ipſe Gregorius de Valentiâ Jeſuita commentariorum Theologicorum tom. 1. diſput. 7. qu. 3. puncto 1. oſtendit quo ſenſu dici poſſit hominem per peccatum perdere Dei Imaginem, nempe ſi ſermo ſit de eâ Imaginis ratione quæ per gratiam conſiſtit. Quâ ratione etiam docet excuſari poſſe Originem: etſi inter ejus errores numerat Epiphanius in Epiſtolâ ad Joannem Hieroſolymitanum, quòd dixerit hominem per peccatum amiſiſſe Imaginem Dei, idemque refellit ad hæreſin 78. tacito nomine Origenis. Similia legere eſt apud Pererium etiam in hunc locum.

Gregorius de Valentiâ.

Auguſtinus.

Auguſtinus lib. 6. de Geneſi ad literam ſcripſerat Adam Imaginem Dei perdidiſſe peccato. Sed in libro 2. Retractationum cap. 24. „ ſic corrigit. Quod (inquit) dixi Adam Imaginem Dei ſecundum „ quam factus eſt, peccato perdidiſſe, non ſic accipiendum eſt „ tanquam in illo nullâ re manſerit, ſed quod tam deformis, ut re- „ formatione opus haberet.

Error Illyrici,

Cæterùm abſurdiſſima & ineptiſſima eſt ſententia Matthæi Flacii Illyrici, qui cùm originalem juſtitiam, in quâ poſuit Imaginem Dei, ipſam hominis cenſuiſſet eſſe ſubſtantiam, poſt lapſum etiam originale peccatum ſubſtantiam eſſe dixit, adeoque animam humanam per peccatum originale ſubſtantialiter corruptam eſſe ac transformatam in Imaginem Diaboli.

Renovatio autem Imaginis Dei in electis, ut Chriſti merito parta eſt ac vi mortis & reſurrectionis ejus à Spiritu S. perficitur, & ab adoptione noſtri in Chriſto pendet, ita ad exemplar ſeu Imaginem Chriſti hominis efformatur, tum ratione gratiæ tum ratione gloriæ: idemque ſignificat Apoſtolus Rom. 8. 29. *Quos præſcivit etiam prædeſtinavit conformandos Imagini Filii ſui, ut is ſit primogenitus inter plurimos fratres.* Item 1. Cor. 15. 49. *Sicut geſſimus Imaginem terreni, ita etiam geremus Imaginem Cæleſtis.*

Rom. 8. 29.

1. Cor. 15. 49.

Non defuerunt qui exiſtimârunt in iſtis verbis, *Faciamus hominem in Imagine noſtrâ*, per Imaginem illic intelligi Filium Dei qui eſt Imago Patris. Sed hos refellit Auguſtinus de Geneſi ad literam cap. ult. „ & lib. 7. de Trinitate cap. ult. Quia Deus Pater non aut Filio „ loquens, *Faciamus hominem ad Imaginem tuam, aut ad Imaginem* „ *meam*, ſed pluraliter ad Imaginem noſtram, à quâ pluralitate Spi- „ ritum S. ſeparare quis audeat: alioquin quomodo verum eſt quod „ dictum eſt *ad Imaginem noſtram*, ſi ad ſolius Filii Imaginem factus eſt

eſt homo? Nihilominus ſecundum phraſin Apoſtoli in renovatione noſtri rectè dicitur hominem regenitum eſſe ad Imaginem Filii, etiam quà homo eſt, ut patet ex memoratis locis propter rationes antedictas, ita tamen ut ab iſtâ ratione Imaginis non excludantur Pater & Spiritus S. quanquam Auguſtinus de Trinitate lib. 14. cap. 18. iſta loca de conformitate noſtrâ cum Imagine Filii mavult referri ad ſtatum corporum poſt reſurrectionem, cùm corpora noſtra glorioſo Chriſti corpori conformia erunt. Phil. 3. ultimo. Vide plura de Imagine Dei in altero opere hujus auctoris de Voluntate & actionibus Dei circa peccatum lib. 2. cap. 28. de Originali juſtitiâ. *Phil. 3. ult.*

DE DIVORTIO
& Polygamiâ.

Ad Geneſ. 2. verſ. 23.

NOTUS eſt Hebræiſmus, ***Erunt in carnem unam***, id eſt, erunt una caro, ut ſuprà in hoc capite verſ. 7. ***Fuit homo in animam viventem***, id eſt, fuit homo anima vivens, & Jer. 24. 7. & alibi, ***Eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum***, id eſt, vos eritis populus meus, & ego ero Deus veſter. Plurima ſimilia occurrunt. *In carnem unam pro una caro. Ier. 24. 7.*

Eſt & hîc Synecdoche: ***Erunt caro una***, id eſt, corpus unum, imò homo idem: Etenim ut eſt inter conjuges conjunctio corporum, ita etiam debet eſſe animorum: nempe ut ſit eorum cor unum, & anima una, adeoque ut uterque ſit quaſi alter idem: quanquam Emphaſis eſt in phraſi ***Una caro*** ob originem & copulam corpoream & carnalem: adeo ut revera potiùs dicendi ſint una caro aut unum corpus quàm unus homo: & quidem licet ratione conjugii uniantur, tamen perſonâ diſtinguuntur: ac proinde ſinguli etiam pro ſe rationem ſunt Deo reddituri, & ſinguli ſeorſim corpore & animâ accipient ſecundum opera, præmia aut ſupplicia, non ſemper paria aut eadem, ſed nonnunquam contraria. *1. Cor. 6. 16. & 7. 4.* *Conjunges non ſunt una perſona.*

Septuaginta Interpretes hîc addunt vocem δύο: ***Erunt duo in carnem unam:*** quam vocem etiam retinuit Chriſtus in citatione hujus loci Mat. 19. 5. & Apoſtolus Eph. 5. 31. quia licet iſta vox non ſit in *Non malè addiderunt 70 Interpretes vocem duo. Mat. 19. 5. Eph. 5. 31.*

Digitized by Google

in Hebræo textu, tamen ſenſum ejus rectè explicat; cùm antè dictum ſit virum adhæſurum uxori ſuæ non uxoribus, nempe ut unus vir uni uxori adhæreat, quemadmodum Deus Adamo unam uxorem dedit, non plures. Nec poſſunt vir unus & plures uxores eſſe una caro ſimpliciter loquendo, unius enim mulieris caro non eſt alterius mulieris caro, &, ſi plures ſunt uxores, diviſa eſt viri caro pluribus. Prout autem quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe; ita quæ non ſunt eadem inter ſe, non poſſunt eſſe eadem uni tertio.

De Divortio.

HUnc locum citat Chriſtus reſpondens ad quæſtionem Phariſæorum, num liceret homini dimittere uxorem ſuam quavis ex cauſâ. Argumentum ejus ſic ſe habet: Quod Deus conjunxit homo ne ſeparet: At Deus per matrimonium conjunxit virum & uxorem: Ergo homo eos ne ſeparet. Minor probatur ex hoc loco, ex quo infert Chriſtus virum & uxorem ita conjunctos eſſe ex Dei ordinatione, ut non ſint amplius duo ſed una caro. Quod dicitur in concluſione non eſſe hominis ſeparare conjuges, ſenſus eſt, ſeparationem nullam faciendam eſſe humano arbitrio aut auctoritate, ſed divinâ tantum: Chriſtus autem eo in loco unam tantum ſeparationis cauſam memorat, nempe fornicationem, quâ fides & vinculum conjugale abrumpitur, cùm dividat eos qui erant una caro, & delinquentem efficiat unum corpus cum ſcorto, 1. Cor. 6. 16.

1. Cor. 6. 16.

An malitioſa deſertio ſit legitima cauſa Divortii.

1. Cor. 7. 15.

An verò aliæ inſuper divortii cauſæ à Deo probentur, alibi commodior erit diſſerendi locus. Noſtri præter hanc, rejectis aliis cauſis, quas leges Imperatoriæ ſtatuunt, aut Pontificii comminiſcuntur, unam tantum aliam agnoſcunt, nempe malitioſam deſertionem: quam probant ex 1. Cor. 7. 15. ubi Apoſtolus ait, *Si infidelis ſeſe ſeparet, ſeparatus eſto, non eſt ſervituti ſubjectus frater aut ſoror in hujuſmodi rebus.* Quod autem Apoſtolus ibi de eo caſu dicit cùm infidelis ſe ſeparat, ſimili ratione transferunt ad omnem malitioſam deſertionem. Quamvis enim perſona diſcedens eandem Religionem profiteatur ac Religionis odio ſe diſceſſiſſe neget: tamen quia Eccleſiæ cognitionem & judicium ſubterfugiens, & omnem legitimam reconciliandi viam pertinaciter deſpiciens, contra conſcientiam matrimonium dirimit, manifeſtè infideli ſimul & Religionis & conjugis deſertori meritò æquiparandus cenſetur: ut docet Beza de Repudiis & Divortiis.

Quod-

Digitized by Google

Quodſi objiciatur hanc ſententiam doctrinæ Chriſti adverſari qui Mat. 5. 32. ait, *Quiſquis dimiſerit uxorem ſuam extra rationem ſcortationis, facit ut ea mœchetur*, & quiſquis dimiſſam duxerit, mœchatur. Item Mat. 19. 9. *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob ſcortationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Ubi unam tantùm Divortii cauſam, ſcortationem, id eſt, adulterium admittere videtur. Sed reſpondetur Chriſtum loqui tantùm de eo qui dimiſerit uxorem (quod accommodari poteſt etiam mulieri quæ dimittit aut deſerit virum, ſeu Divortium inſtituit à viro) quod tantùm adulterii cauſâ conceditur: non autem loquitur de perſonâ malitioſè deſertâ; quæ quidem non petit Divortium, ſed divertentem repetit, quantùm in ſe eſt; de quâ Apoſtolus pronunciat eam in tali caſu non eſſe ſervituti ſubjectam, ac proinde eſſe liberam. *Mat. 5. 32. Mat. 19. 9.*

Sic firma manet Chriſti doctrina, quòd ob ſolam adulterii cauſam liceat divortium petere aut facere; cui conſentit Apoſtolus. Etenim ſi ob ullam aliam cauſam liceret Divortium facere, videretur id fieri poſſe ob infidelitatem, valde enim inæquale & periculoſum eſt conjugium fidelis cum infideli, Chriſtiani cum Ethnico qui Chriſtum non agnoſcit. Proinde graviter Apoſtolus dehortatur à tam impari copulationis jugo fidelium cum infidelibus 2. Cor. 6. 14. docens fidelem & infidelem tam adverſari ſibi invicem, quàm quæ maximè repugnant; ut juſtitiam & iniquitatem; lucem & tenebras; Chriſtum & Belial. Sed tamen Apoſtolus interrogatus an propter infidelitatem liceret Divortium facere poſt matrimonium initum, reſpondet non licere. Fatetur utique infidelitatem maximum eſſe impedimentum ad contrahendum matrimonium, ſed negat eam eſſe cauſam dirimendi matrimonii jam contracti. Cæterùm ſi infidelis fidelem deſerat, tum oſtendit deſertionis culpam totam reſidere penes deſerentem, & perſonam deſertam eſſe liberam, ut ſuo jure frui poſſit. *2. Cor. 6. 14.*

Quod autem non alias cauſas, ob quas dirimi poſſit matrimonium agnoſcamus, præter adulterium & malitioſam deſertionem, id de propriè dicto Divortio, & legitimo matrimonio intelligendum eſt. Nam morte quidem alterius partis non propriè dirimitur, ſed finitur conjugium, cùm alterâ parte defunctâ, altera pars liberatur à lege alterius Rom. 7. 2. 3. Porrò ſi matrimonium non legitimè contractum fuerit; nempe citra aut contra neceſſarias ejus conditiones, tum matrimonium non propriè dirimi, ſed irritum aut nullum *Ubi verum matrimonium non præceſſit nullum ſequitur Divortium. Rom. 7, 2. 3.*

Digitized by Google

eſſe dicitur: non enim propriè dicitur Divortium inter eos fieri, inter quos nunquam verum conjugium fuerat, verbi gratiâ, ſi inter gradus prohibitus inſtitutum ſit matrimonium; ſi cum Eunucho; ſi cum alterius ſponsâ, vel uxore, ſive dolo, ſive errore id acciderit; neque enim ubi nullum eſt vinculum, ſolutioni eſt locus.

Devortiū ſolvit à vinculo. Quod autem plerique Pontificii nonnullos Patres ſequuti (multis tamen, partim veteribus, partim recentioribus contradicentibus) ſtatuunt, etiam ubi conceditur Divortium, puta propter adulterium non permitti etiam parti innocenti novas nuptias inire, dicentes per Divortium tantùm concedi ſeparationem à thoro & cohabitatione ſeu convictu, non autem à vinculo conjugali, parum firmis rationibus nituntur, & communi æquitati adverſantur, quæ partem inſontem pænam luere ob ſontis culpam, nequaquam probat; & cùm pars innocens liberetur à culpâ, libera etiam à pænâ ſit oportet. Atque ab omni ratione abhorret, ſtatuere aliquem vinculo conjugii aſtrictum eſſe, quem ab omni officio conjugali liberatum eſſe in confeſſo eſt.

Huc accedit quod Chriſtus non de alio Divortio reſpondit, quàm de quo Phariſæi interrogabant; neque in alio ſenſu, quàm illi. At Phariſæi non de alio Divortio interrogârunt, quàm quo vinculum matrimonii ſolvitur, cum facultate aliud conjugium contrahendi.
Lucas Brugenſis. Sic Lucas Brugenſis Pontificius explicat vocabulum ἀπολῦσαι, quo in hac quæſtione uſi ſunt Phariſæi. Ἀπολῦσαι, inquit, eſt abſolvere, re-,, pudiare à thoro, in perpetuum ſeparare, cum facultate ducendæ alterius. Et Chriſtus directè reſpondit, ὃς ἂν ἀπολύσῃ &c. *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob ſcortationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Unde evidenter colligitur hìc ſignificari, eum qui dimittit propter fornicationem, & aliam ducit, non mæchari, alioqui fruſtra addita fuiſſet à Chriſto exceptio: & citra exceptionem pronunciâſſet: *Quicunque dimiſerit exorem, & aliam duxerit, mœchatur.* Verum quidem eſt Marc. 10. 11. & Luc. 16. 18. exceptionem illam omitti. Sed
Mar. 10. 11. Luc. 16. 18. limitatio ex Matthæo eſt ſupplenda: alioqui non benè conveniret inter Evangeliſtas. Iſta enim eſt generalis regula, Quando aliquid breviùs narratur ab uno Evangeliſtâ, idemq; plenius declaratur ab alio, quod deeſt in uno ſupplendum eſſe ex alio. Neque verò alia Divortia Hebræis, Græcis, aut Romanis unquam fuerunt cognita, quàm quæ à vinculo conjugii ſolvebant, ut novum matrimonium contrahere liceret.

Maldonatus. Maldonatus in cap. 19. Matthæi refert nonnullos Veteres hanc ſen-

Digitized by Google

ſententiam ſequutos eſſe ut Tertullianum lib. 4. contra Marcionem, Ambroſium, aut potiùs Remigium in 1. Cor. 7. ait etiam Origenem in Mat. 19. ſcripſiſſe quoſdam ſuâ ætate Catholicos Antiſtites permiſiſſe eis, quorum uxores adulterium admiſiſſent, ut illis dimiſſis alias ducerent; Itemque in Concilio Eliberino conceſſum fuiſſe teſte Gratiano cap. 31. qu. 1. Can. Si qua mulier ut in Concilio Aurelianenſi Can. 10. Bellarminus etiam de matrimonio cap. 15. ait univerſam Græcorum Eccleſiam eſſe in eadem ſententiâ, & inter Pontificios Cardinalem Cajetanum, & Ambroſium Catharinum cum Eraſmo. Sed nos his fuſiùs tractandis in præſentiarum ſuperſedemus. *Bellarminus.*

Ex dictis patet, conjugale fœdus multo arctius eſſe quàm aliorum contractuum humanorum vinculum; qui ut merâ hominum voluntate celebrantur, ita mutuo conſenſu ſolvi & mutari poſſunt. Sed in iſto fœdere, ut Dei auctoritas intercedit, ita ſine divinâ auctoritate diſſolvi neutiquam poteſt.

Pontificii qui negant eam ob cauſam diſſolvi matrimonii vinculum, quam Chriſti auctoritate probavimus, alias tamen cauſas comminiſcuntur citra Scripturam ob quas diſſolvi poſſit.

Gregorius de Valentiâ Jeſuita in tomo quarto Commentariorum Theologicorum diſp. 10. qu. 1. puncto 7. duos ait eſſe certos caſus, & unum alium probabilem, ob quos diſſolvi poſſit vinculum conjugii utroque conjuge, vivente, & novæ nuptiæ contrahendæ.

„ Primus caſus certus (inquit) eſt, quando matrimonium fuit contractum inter infideles; & poſteà altero conjugum converſo ad fidem, alter non vult cohabitare cum illo ſine injuriâ Creatoris: quia ſcilicet illum non patitur Chriſtianè vivere, vel à ſuſceptâ fide dimovere conatur. Hunc caſum probat ex 1. Cor. 7. *Si infidelis diſcedit, diſcedat, non enim ſervituti ſubjectus eſt frater aut ſoror in hujuſmodi:* Ex quo loco, inquit, omnes interpretes colligunt poſſe fidelem alteri tunc matrimonio conjungi: & idem eſt ſi infidelis maneat quidem cum fideli ſed cum injuriâ creatoris & ſpirituali detrimento converſæ conjugis. Porrò, inquit, etſi infidelis velit cohabitare cum fideli, ſine injuriâ creatoris, tamen poteſt fidelis ab illo ſe ſeparare quoad torum & cohabitationem, licet tum non poſſit aliud matrimonium inire, prout etiam docet Thomas, Paludanus, Sylveſter, &c. *Infidelitas nō eſt cauſa Divortii.*

Sed hæc doctrina planè repugnat ſententiæ Apoſtoli in eodem

Digitized by Google

loco; qui non vult fidelem ſe ſeparare ab infideli, ſi infidelis libens conſentiat ad habitandum cum eo: & rationem addit verſ. 15. & 16. *Sed ad pacem vocavit nos Deus: ecquid enim nôſti uxor an virum ſis ſervatura? Aut ecquid nôſti vir an uxorem ſis ſervaturus.* Proinde hic caſus ſubdividendus eſt in duos: quorum alter quidem ab Apoſtolo traditur: alter verò ab eo reprobatur.

Vota monaſtica non ſolvunt matrimonium.

„ Secundus caſus certus (inquit) eſt cùm poſt legitimè contra- „ ctum matrimonium & ratum (id eſt, poſt nuptias rite celebratas) „ inter fideles, non tamen per copulam carnalem conſummatum, „ alter conjugum (etiam diſſentiente altero) facit ſolennem profeſſionem in aliquâ Religione approbatâ, id eſt, cum in aliquo ordine votis monaſticis ſe aſtringit: Pontificii enim in Religione ſuâ plures Religiones agnoſcunt v. g. Religionem Franciſcanorum, Dominicanorum, Jeſuitarum &c.

Sed hic caſus (præterquam quòd nullum habet fundamentum in Scripturâ, ut ipſi fatentur, ſed nititur tantùm fictitiâ Traditione) conjungitur cum apertâ injuriâ alterius conjugis, & pugnat cum doctrinâ Apoſtolicâ 1. Cor. 7. 4. 5. atque ob votum ſuperſtitioſum ordinationem Dei violat, & irritam reddit.

1. Cor. 7. 4. 5.

„ Tertius caſus (inquit) tantummodo ſecundum ſententiam pro- „ babilem, licitus eſt; quando ex causâ juſtâ Summus Pontifex diſpenſat ſuper matrimonio ſimiliter rato, non tamen conſummato.

Sed hic caſus nititur ſolâ Papæ tyrannide arrogantis ſibi poteſtatem diſpenſandi (ut loquuntur) contra legem Dei. Et hinc videre eſt quô dementiæ procedant Pontificii; ut probabilem ſententiam, quæ ſecundum ipſos forte vera fortè falſa eſt, admittant ad diſſolvendum arctiſſimum conjugii vinculum: quæ ſententia ſi falſa ſit, ut eſſe poteſt, & revera eſt ſi ad praxin redigatur, inde myriades malorum eveniant neceſſe eſt.

DE POLYGAMIA.

Polygamia ſemper fuit illicita.

EX hoc etiam textu Moſis ejuſque explicatione, & accommodatione quam tradit Chriſtus Mat. 19. colligitur Polygamiam eſſe illicitam: nempe ut unus vir, præter unam uxorem ſuperſtitem, habeat ſimul aliam vel plures uxores, aut concubinas: etſi id ex more & inſtituto hominum, legitimum habitum ſit, & olim apud Judæos ac varias gentes, & nunc ab aliquot Barbaris

Digitized by Google

baris nationibus uſurpetur, ac à nonnullis hæreticis defendatur: ſed unam uxorem plures habere maritos adeo inhumanum, rectæ rationi ac naturæ adverſum ſemper viſum eſt, ut id nuſquam gentium liceret. Etenim ut Deus initio creavit unũ maſculum & unam fœminam, & conſtituit illam legem in poſterum, ut vir adhæreret uxori, & non uxoribus, & ut duo eſſent in carnem unam: unde Chriſtus deducit, eum qui dimiſsâ uxore aliam ducit extra cauſam adulterii, mæchari. Quod ſi non poteſt vir, dimiſsâ una uxore, extra illum caſum, aliam ducere quin mæchetur, neceſſariò ſequitur eum non minus mæchari, qui uxorem retinens, aliam ſuperinducit: utrobique enim eſt polygamia. Ratio enim cur mæchetur eſt, quia ex Divinâ inſtitutione, non plures quàm duo conjunguntur in unam carnem, & manente vinculo cum unâ conjuge non debet cum aliâ copulari. Huc accedit quod vir non habet in poteſtate ſuum corpus ſed uxor ejus 1 Cor. 7. 4. ergo illud alteri mancipare non poteſt. Præthereà locus Malachiæ cap. 2. verſ. 14, 15, 16. æquè valet contra utrumque genus Polygamiæ, cùm ſuperſtite uxore, alia ducitur, ſive prior dimittatur ſive retineatur. Ratio enim ejus pariter contra utrumque militat verſ. 15. *Nam nonne* (inquit) *Deus unum effecit? quamvis reſiduum ſpiritus ipſi eſſet? Cur autem unum? Quærens ſemen Dei.* Quaſi dixiſſet; Deus inſtituens matrimonium, uni viro unam uxorem adjunxit, cum tamen ei abundantia ſpiritus eſſet: ut, ſi viſum ipſi fuiſſet, plures creare potuerit: tamen unum tantùm par creavit, & conjugavit, ex quo ſemen Dei, id eſt, ſemen ſanctum progigneretur.

1 Cor. 7. 4.
Mal. 2. 14, 15, 16.

Quod ſi unquam licita fuiſſet polygamia, maximè concedenda fuiſſe videtur initio mundi ad propagandum genus humanum, cùm adhuc pauci eſſent homines qui terram colerent. Atqui ut initio mundi uni viro una uxor data eſt; ſic etiam etiam tempore diluvii legimus Noachum cum una tantùm uxore, & filiorum ejus ſingulos, cum ſingulis uxoribus ingreſſos eſſe arcam: profanus autem Lamechus, unus ex impiis Caini poſteris, primus notatur qui plures ſibi uxores aſciverit Gen. 4. 19.

Gen. 4. 19.

Hinc gravis oritur quæſtio quid cenſendum ſit de Polygamiâ ſanctorum Patrum Abrahami, Jacobi, Davidis, &c. Nam Solomonis & ſimilium immanem licentiam in tantâ uxorum & concubinarum multitudine, nemo, opinor, defendit aut excuſat.

Ochinus & Cajetanus malè Polygamiam defendunt.

Ad purgandos aut excuſandos Patres, varia afferuntur à variis: quæ varietas magnâ ex parte pendet à variâ cenſurâ & judicio quod ha-

bent de Polygamiâ. Omitto eos qui nullum fuiſſe vitium putârunt in Polygamiâ ſive ſub Lege ſive ſub Evangelio: quam ſententiam Apoſtata quidam Bernardinus Ochinus defendit, & clariſſimus Beza accuratè refellit in tractatu de Polygamiâ. Iſti errori affinis erat Cardinalis Cajetanus; qui dixit nec jure naturali nec Divino prohibitam fuiſſe uxorum pluralitatem: quo nomine notatur ab Ambroſio Catharino, ut refert Sixtus Senenſis Bibliothecæ lib. 6. Annot. 82.

Malè Durandus & Toſtatus poſt Auguſtinum volunt Polygamiam adverſari tantùm Legi poſitivæ in Novo Teſtamento ſtatutæ.

Qui autem vitium in Polygamiâ agnoſcunt, alii dicunt eam adverſari juri naturali; alii tantùm Lege Divinâ poſitivâ interdici, ſed quæ omni tempore locum habuerit: alii Legem hanc poſitivam tantùm poſitam fuiſſe à Christo in Evangelio, ac proinde tantùm valere ſub Novo Teſtamento. Qui hanc poſtremam ſententiam ſequuntur, ut Durandus lib. 4. diſt. 33. qu. 1. & Toſtatus in cap. 19.° Matthæi, Polygamiam Patrum facile defendunt; ſed in alia graviora abſurda incidunt. Sic Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum cap. 47. Peccata (inquit) alia ſunt contra naturam, alia contra morem, alia contra præceptum, quæ cùm ita ſint, quid tandem criminis eſt, quod de pluribus uxoribus ſimul habitis objicitur ſancto viro Jacob? Si naturam conſulas, non laſciviendi, ſed generandi causâ mulieribus utebatur; ſi morem, illo tempore, & in illis locis hoc factitabatur: ſi præceptum, nullâ lege prohibebatur. Crimen autem nunc eſſe dicit, quia nunc moribus & legibus non licet. Similia habet lib. 3. de doctrinâ Chriſtianâ cap. 12. & lib. 6. de Civitate Dei cap. 38. Item Theodoretus quæſt. 66. in Geneſin.

Conjugium unius cum unâ ſolâ erat ex Lege naturæ.

Qui ſecundum ſententiam tuentur, non magnâ difficultate prementur, ſi Deum poſitivam Legem Patribus relaxâſſe dixerint: ſed ex iis, quæ initio de hoc argumento diximus, Lex conjugii unius viri cum una uxore, non videtur merè poſitiva, quaſi nullâ ratione, ſed ſolâ legiſlatoris voluntate niteretur, quin ex rectæ rationis, ipſiuſque naturæ principiis fluere apparet: unde quæſtio de Patrum Polygamiâ difficilior videtur.

Gemina autem hîc eſt reſponſio, ſunt qui concedunt Patres hac in re peccâſſe, ſunt qui eos à peccato liberant: qui liberant à peccato, dicunt, etſi Polygamia per ſe fuerit illicita, tamen eis licitam factam fuiſſe per Divinam, ut loquuntur, diſpenſationem, id eſt, quòd Deus eis Legem ſuam remiſerit. Atque hîc quoque variæ ſunt opiniones, nam alii quidem volunt ſingulis Patriarchis peculiarem fuiſſe hac de re Divinam revelationem: alii volunt ſatis fuiſſe, ſi primis Patriar-

chis

chis innotuerit iſta diſpenſatio, & deinde illorum verbo aut exemplo ad cœteros pervenerit. Rurſum alii hanc diſpenſationem tantùm cum populo Dei, alii cum omnibus Gentibus factam eſſe docent, & quidem diſpenſationem primùm factam eſſe poſt diluvium & Noacho patefactam. Omnes autem concedunt à Chriſto ſublatam eſſe omnem diſpenſationem, & nullam deinceps fieri poſſe ſub Evangelio.

Sed hîc gravis occurrit objectio, quomodò fieri poſſit diſpenſatio circa Legem naturæ; ſiquidem Polygamia adverſatur Legi naturæ, ut dictum eſt. Reſpondet ex Scholaſticorum ſententiâ Bellarminus in lib. de Matrimonio cap. 11. duo eſſe genera Præceptorum ad jus „ naturæ pertinentium: Quædam (inquit) ſunt univerſalia & com- „ muniſſima, quæ ſunt veluti principia prima juris naturæ: quædam „ alia quæ ex primis tanquam concluſiones derivantur: & quidem „ priora illa continentia univerſalem regulam rectitudinis, ut in nul- „ lo caſu mutatione ullâ indigeant, & ideo ſunt omnino indiſpenſa- „ bilia, qualia ſunt præcepta Decalogi. Poſteriora continent qui- „ dem regulam rectitudinis: ſed aliquando mutatis circumſtantiis „ rerum & perſonarum utile eſt, Legem mutari: ſed tamen etiam „ tunc mutari non poteſt, niſi ab eo qui illam poſuit. In poſteriori genere ponit Polygamiam unius viri cum pluribus uxoribus, in priori autem Polygamiam unius uxoris cum pluribus viris. Ideo ait Deum poſſe diſpenſare circa Polygamiam unius viri cum pluribus uxoribus, non autem unius uxoris cum pluribus viris.

Malè Bellarminus vult concluſiones etſi non principia Legis naturæ diſpenſari.

Sed hæc reſponſio non ſatisfacit: etenim ſi concluſiones legitime deducantur ex principiis, non minùs neceſſariæ ſunt quam ipſa principia, nec poſſunt everti niſi evertantur ipſa principia: ſicut in bono ſyllogiſmo non poteſt fieri, ut concluſio ſit falſa, ſi utraque propoſitio ſit vera: aut ut concluſio ſit contingens, ſi utraque præmiſſarum ſit neceſſaria: & quidem ſi Polygamia adverſetur juri naturæ, adverſetur etiam oportet Legi Morali, ac proinde etiam ſit contra Præceptum aliquod Decalogi. Neque verum eſt, omnia quæ ſunt in Præceptis Decalogi niti jure naturæ, ut antè oſtendimus in Præcepto de Sanctificatione Sabbati.

Proinde mihi potius ſic diſtinguendum videtur; quod prout aliud eſt neceſſarium ad eſſe rei, aliud ab bene eſſe; ita alia pertineant ad jus naturæ, ut neceſſaria, & quaſi eſſentialia; alia, ut adjuncta conducibilia: illa ſi deſunt, evertitur jus naturæ, hæc ſi tollantur, tantùm

Eſſentialia in Legibus naturæ ſunt indiſpenſabilia, ſed adjuncta non ità.

tùm labefactatur aut gradum perfectionis amittit. In illis nulla poteſt eſſe mutatio ſalvâ juris eſſentiâ: ideoque contra ea diſpenſari non poteſt (talis eſt lex de diligendo & colendo Deo, de vitandâ Idololatriâ, blaſphemiâ, &c.) In his poteſt eſſe variatio, & diſpenſatio: & aliquando, mutatis circumſtantiis, & in nonnullis caſibus, minui vel tolli poteſt vitium. Ita Lex naturæ poſtulat ut mutuum reddamus: at Iſraëlitis licuit ea quæ mutuò ſumpſerunt ab Ægyptiis, cùm ab eis diſcederent, auctoritate Divina retinere: Sic nefas eſt inſontem occidere, at Dei mandato licuiſſet Abrahamo filium mactare: quippe Deus vitæ, & bonorum noſtrorum omnium ſupremus eſt Dominus; qui pro ſuo jure poteſt illam, & iſta vel per ſe vel per alios auferre, & quibuſcunque ipſe voluerit in ea poteſtatem concedere. Et in his factis non violatur jus naturæ: nam mutatis circumſtantiis, id quod alioqui fuiſſet injuſtum, nunc evadit juſtum, rectæque rationi conſentaneum: nempe ut ſupremus Dominus, quod ſuum eſt diſponat. Ejuſmodi etiam exempla inter homines occurrunt. Nam ſi quis Rex alicujus rei uſum fructum ſervo ſuo, ad arbitrium ſuum commiſerit; ſi eam alius ei eripuerit, injuſtum eſſet; Domino autem repetere & recipere, fas eſſe nemo negaverit: Sic abſolutè loquendo homini inſontem occidere nefas eſt; ſed ſi aliquis in legitimo judicio, per falſos teſtes criminis capitalis damnatus fuerit, judex, ſceleris teſtium minimè conſcius, mortis ſententiam dicens, & carnifex exequens culpæ expertes ſunt.

Conceſſio Divina Polygamiæ Patribus non poteſt probari.

Itaque non negaverim potuiſſe Deum, pro jure ſuo, ut abſolutum & ſupremum Dominum, nonnullis viris, ex ſpeciali privilegio, ad bonum finem (cujuſmodi eſt multiplicatio populi fœdere ſibi conjuncti) citra injuſtitiam aut eorũ culpam Polygamiam concedere: quanquam valde improbabile eſt eum ejuſmodi diſpenſationem voluiſſe concedere, non ſolùm Hebræis, ſed etiam omnibus Gentibus, id eſt, toti mundo; contra quàm docet Bellar. ibidem. Illud enim eſſet Legem ſuam penitus evertere, ſi omnibus promiſcuè eam tranſgredi licuiſſet.

Sed Deum aliquibus eam licentiam conceſſiſſe, cùm ex Scripturâ probari nequeat, gratis aſſeritur: adeoque hîc illud Hieronymi habet „ locum in 24. Mat. Hoc quia de Scripturis non habet auctoritatem, „ eâdem facilitate contemnitur quâ proponitur.

Polygamia in Patribus fuit peccatũ

Proinde malim eorum ſententiæ accedere, qui Polygamiam ad Patrum nævos referunt, & revera peccatum fuiſſe agnoſcunt, li-

cet

cet variè excuſent. Sed alterâ ex parte objicitur non potuiſſe hoc conſiſtere cum Patrum fide & ſanctitate in Scripturis laudatâ, ut adulterio & peccato contra naturam indulgerent, in eoque permanerent citra reſipiſcentiam ad extremum uſque vitæ terminum. Huc accedit quod nuſquam eo nomine in Scripturâ reprehenſi fuerint.

etſi in particulam non reprehenſum.

Reſpondeo cum Bezâ in lib. de Polygamiâ, non propterea Patres inter impuros ſcortatores & adulteros numerandos eſſe: prout hoc nomine impius ille Fauſtus Manichæus, non ſolum in Patriarchas, ſed in auctorem Veteris Teſtamenti invectus eſt. Multa enim eſſe, quæ Patrum culpam elevent: velut quod non libidinis explendæ, ſed procreandi liberos causâ, ex benedictione promiſſâ plures uxores duxerint: maximè verò, quia communi conſuetudine Polygamia tum approbata fuit, nec contra eam ulla Lex clara extare videbatur, communi errore Patres abreptos fuiſſe credendum eſt. Judican-„ di enim (inquit) ſunt illi judicii potiùs errore quàm apertâ im-„ probitate, vel de induſtriâ peccâſſe præſertim quoties exem-„ plorum multitudo effecit, ut peccatum quandam rei indifferentis veluti ſpeciem induerit; ſicut in Polygamiâ, factum eſt. Fateor ignorantiam juris in Patribus non eſſe omninò excuſabilem; & excuſare quidem non à toto (ut loquuntur) ſed à tanto. Poſtquam verò à Chriſto Lex tam clarè explicata eſt, & ab omnibus verè Chriſtianis agnita, nullus amplius excuſationi locus eſt, quin ejuſmodi Polygamia cenſenda ſit manifeſtum adulterium. At non fuit eadem ratio ante Legem à Chriſto explicatam; quia, ut notat Panormitanus in titulo de Divortiis cap. *Gaudemus*, adulterium non poteſt committi niſi dolo malo: ac propterea ait etiam Judæos, cùm darent libellum repudii, & ducerent aliam uxorem, ſatis excuſatos eſſe ab adulterio. Unde etiam factum eſt ut non ſpurii ſed legitimi haberentur, qui ex ſecundis, tertiis, aut aliis deinceps uxoribus ſimul viventibus nati erant.

Auguſt. contra Fauſtum lib. 22. cap. 4.

„ Quod autem Patres in Polygamiâ perſeveraverint, & ejus for-„ taſſis illos non pœnituerit (inquit Beza) idcirco factum quòd „ hoc peccatum non ſatis intelligerent. Etſi autem ad miſericordiam „ requiritur pœnitentia; tamen non neceſſe eſt ſingulorum pec-„ catorum expreſsè nos pœnitere, quia multa ſunt quæ non rectè „ fiunt, quæ tamen ſcelerate non agimus, ſed duntaxat non ſatis „ eruditâ conſcientia; & multa ſunt quorum etiam obliviſcimur.

Quodam errores in judicio ſine ſpeciali pœnitentiâ aliquando ſunt remiſſibiles.

„ Cùm autem Patres illi ſeſe in omnibus vitæ ſuæ partibus miſer-
„ rimos eſſe peccatores agnoverint, non dubium eſt quin hæc illo-
„ rum pœnitentia & fides in venturum Chriſtum eos ſervaverit.
Pſ. 19. 12. Sic Pſaltes Pſ. 19. 12. *Errores quis intelligat? Me ab occultis abſolve.* Quod Deus expreſsè Patres non reprehenderit, non ſequitur eorum Polygamiam Deum approbâſſe: multa enim manifeſta peccata, ut inceſtus Loti & Judæ, Davidis judicium iniquiſſimum pro Siba abverſus Mephiboſchethum in Scripturâ recitantur hiſtoricè, abſque reprehenſione; nec tamen propterea non ſunt peccata: quanquam cùm frequentiſſimè occurreret Polygamia citra reprehenſionem, id tolerantiam Dei non approbationem arguit: prout etiam libellum repudii permiſit, cùm repudium non probaverit. Quod autem dixi de tolerantiâ & permiſſione, quam diſtinxi ab approbatione, non intelligo nudam permiſſionem, quâ Deus non impedit ſicut Deus dicitur omnia peccata permittere, aut ſimplicem tolerantiam, quâ Deus differt ſupplicium; prout etiam maximos peccatores aliquandiu tolerare dicitur: ſed ejuſmodi tolerantiam, quâ Deus quidem connivet ad infirmitates quaſdam filiorum ſuorum, nec pœnam certam Lege irrogat: etſi varia incommoda ex Polygamiâ orta Patres ſenſerunt, ut patet ex jurgiis & contentionibus in familiâ Abrahami & Jacobi inde natis. Et licet Polygamia Patrum benè uſus fuerit Deus ad multiplicandam ſobolem, non ſequitur tamen in eâ re nullum fuiſſe vitium. Sic delegit ſibi Solomonem Deus, nec tamen probavit Davidis cum Solomonis matre conjugium, ut patet ex 2 Sam. cap. 12. verſ. 10.
2 Sam. 12. 10.

Chryſoſtomus. Huc ſpectat quod dicit Chryſoſtomus agens de Jacobi Polygamiâ, Chriſtus (inquit) omnem illam veterem conſuetudinem
„ abolevit. Vides quomodo non oportet conſuetudinem prætexe-
„ re, ſed quod Juſtum eſt requirere: ecce enim quoniam mala erat
„ illa conſuetudo, exploſa eſt, & nulli ampliùs licet eam prætende-
„ re. Nuſquam igitur conſuetudinem ſpectemus, ſed ubique quod
„ utile & honeſtum eſt, etiamſi non fuerit in conſuetudine, facia-
„ mus: quicquid autem pernicioſum & turpe eſt, tametſi multorum,
„ longi temporis conſuetudine roboratum atque inveteratum fuerit,
„ fugiamus & averſemur.

Quomodo ſcortatores fiant una caro. Quæri hìc poteſt, ſi privilegium ſit legitimi matrimonii ex primâ inſtitutione, ut duo ſint in unam carnem, quomodo Apoſtolus hæc verba

Digitized by Google

verba applicet ſcortatoribus. 1. Cor. 6. 16. *An ignoratis eum qui agglutinatur ſcorto unum eſſe corpus, erunt enim*, inquit, *qui duo erant in carnem unam.* Porrò ſi in ſcortatione duo fiant una caro, quomodo hæc verba faciunt contra Polygamiam? Etenim ſi ſcortator fieri poteſt una caro cum ſcorto (præter uxorem, ſi quam habet) aut cum pluribus ſcortis, quid vetat quin cum pluribus uxoribus ſit una caro? Deniq; ſi ex his verbis, *Erunt duo in carnem unam*, rectè colligitur debere eſſe individuam conjunctionem viri & uxoris, cur non in ſcortatoribus, quibus eadem verba accommodantur, eadem valere debeat ratio, ut perinde non liceat ſcortatorem ab eâ cum quâ ſcortatus fuit, divelli? *1. Cor. 6. 16.*

Reſpondeo, conjunctio duorum in carnem unam in matrimonio fit propriè & ſimpliciter: at in ſcortatione tantùm analogicè & ſecundum quid. Etenim duos fieri in carnem unam, non tantum dicitur ratione actus copulæ carnalis, ſed multò magis ratione juris & poteſtatis quam habet alter in alterius corpus. Ideoque vir & uxor, quantumlibet loco diſſiti, perpetuò dicuntur eſſe una caro: jus enim & poteſtas illa eſt perpetua & non interrupta ratione vel temporis, vel loci: at in congreſſu meretricio, etſi duo ſimiliter fiant una caro, ratione actus & facti pro tempore; non tamen jure aut poteſtate; cùm id fiat non ex Dei inſtitutione aut ex rectâ ratione, ſed contra Dei præceptum & naturalis rationis dictamen. Hinc patet non eſſe eandem rationem unionis in ſcortatione, quæ eſt in legitimo matrimonio, ac propterea iſtam conjunctionem eſſe diſſolvendam, hanc autem nequaquam. Fit tamen ob id quod commune eſt ſcortationi cum matrimonio, quod ex hujuſmodi congreſſu meretricio in quo ſcortatores fiunt ſecundum quid una caro, naſcatur affinitas: ut non liceat viro poſtea matrimonium contrahere cum parentibus, filiabus, aut ſororibus ejus, cum quâ anteà conſueverat, & mulieri ſimiliter: adeoque ſi intra gradus vetitos carnalis copula interveniat, inceſtus habeatur, eodem modo ac in affinitate ex legitimo conjugio oriundâ. Hinc etiam efficitur ſcortatorem, quia cum ſcorto fit una caro, deſinere eſſe unam carnem cum uxore ſuâ, ſeu divellere unionem quam habet cum eâ: id quod non minùs, ſed fortè magis ſtatuendum eſt de Polygamo: quoniam adulterium non ita eſt conjunctum cum individuæ vitæ pacto ut Polygamia: unde Hieronymus contra Jovinianum ait Lamechum fuiſſe improbum virum, qui unam coſtam diſtraxerit in duas. *Ex ſcortatione naſcitur affinitas.*

Digitized by Google

Quomodo ſervi uxor à marito potuit ſeparari.
Mat. 19. 6.
Exod. 24. 4.

Quæritur quomodo hîc locus convenit cum Exod. 21. 4. Hîc enim dicitur, *Homo adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carnem unam,* unde Chriſtus infert Mat. 19. 6. *Quod Deus conjunxit homo ne ſeparet,* & nos jam oſtendimus duas tantùm Divortii cauſas à Deo approbatas eſſe, nempe adulterium & malitioſam deſertionem. At Exod. 24. 4. ſervus in anno ſeptimo jubetur egredi ſolus ſuamque uxorem unà cum liberis relinquere Domino ſuo, ſi nimirum Dominus illi hanc uxorem dederit. Reſpondeo. Lex prior eſt generalis, poſterior ſpecialis continens exceptionem ab illâ pro tempore valiturâ, & ejuſmodi quidem exceptionem, quæ ad illas leges referenda eſt, quæ Iſraëlitis fuerunt conceſſæ ob duritiem cordis ipſorum. Uxor autem illius ſervi à Domino ſuo ipſi data intelligitur ancilla alienigena. Nam ancillam Iſraëlitidem non licebat Domino uxorem dare ſervo à ſe retinendam, ut patet ex eodem capite. Illam autem deſeri (inquit Junius in iſtum locum) facilè permiſit Deus, quia connubium iſtud fuit Deo ingratum, qui genus ſanctum cum profanâ nolebat commiſceri: ut clariùs apparet ex lege Deut. 7. 3. & Ezræ 9. & 10.

Deut. 7. 3.
Ezr. 9. & 10.

FINIS.

TABU-

Digitized by Google

T A B U L A
LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ
Qui in hoc Commentario vel alligantur, aut explicantur, aut vindicantur.

Prima nota Caput Bibliorum, ſecunda Verſiculum capitis, ſequentium quæque paginam hujus Libri ſignant.

E Geneſios.

Cap.	Vers.	Pag.
1	5	615
	14	31
2	3	575
	8	647
	23	671
	58	500
3	22	656
4	1	647
	19	677
5	3	659
	24	500
8	5	615
	21	570
9	6	661
	26	648
11	7	656
14	12,31	648
	18	31
15	1	500
	7	648
	28	648
16	7	499
17	7	479
	11	504,580, 590
18	8	653
	25	61,500
19	3	499
	24	653
22	14	648
24	12	648
26	25,28,29	648
28	12	499
	13	648
31	11,13	653
32	1	499
	28	581
40	18	500
	26	437

Ex Exodo.

Cap.	Vers.	Pag.
3	6	500
	14	644,649, 499
	15	652
	14,15	499
6	2	645,647
	3	499,652
	29	578
12	13	479,580
	14,15	569
	14,18	625
	16	629
	22	495
	46	437
16	24	628
	23	672
	29	628
	35	497,580
17	24	389,445
	15	648,655 655
19	3	654
20	8	616
	11	570,575
21	4	684
24		495
	4	684
28	30	159
31	13	580,627
	14,15	628
32	33	500
34	21	634
	27	479
35	3	634,628
	22	654

Ex Levitico.

Cap.	Vers.	Pag.
4	22	495
9	15	495
13	14	153
16	12	496
	15	495
17	7	499
13	3	628
	5	625
	15	616
	32	635

E Libro Numerorum.

Cap.	Vers.	Pag.
9	11	226
10	35	653,654
15	32	628
17	10	497
19	18	495
21	6	652
	14	439
27	21	159
29	1	615
35	22	494
	31	494

Ex Deuteronomio.

Cap.	Vers.	Pag.
3	24	647
4	2,12,32	334
	5	580
	6	456
	9	332
5	2,3	580
	15	580,627
6	7	332
7	3	684
	8	157
9	26	647
11	19	332
12	7	653
17	18	150,294
18	14	165
	15	35
25		26
27	&c.	153
	26	335
28	1,18	335
29	29	65
31	10	615
	10,11,12,13	332
	12,13	
	24	335
	25,27	332
32	4,11,18,30,31,37	163
	17	499
	22	501
33	16	437

E Iosua Libro.

Cap.	Vers.	Pag.
1	7	335
	8	410
2	10	104
3	7	104
8	32	104
10	11,13	624
	13	439
23	6	105,332
24	2	327

E Iudicum.

Cap.	Vers.	Pag.
6	24	648,653
	26	295
8	30	614
9	5,18,24,56	614
13	5	437

Ex I. Samuelis.

Cap.	Vers.	Pag.
2	27	346
4	4	654
7	12	35
9	6,7,10	346
14	15	594
28	6	159

Ex II. Samuelis.

Cap.	Vers.	Pag.
1	18	439
4	2	654
7	11	35
12	10	682
22	5,22, & 47	163

Ex I. Regum.

Cap.	Vers.	Pag.
4	6	191
10	9	648
12	21	347
13	2,5,6,7	347
14	19	439
18	21	652
19	15	654
	18	308
20	29	634

Ex II. Regum.

Cap.	Vers.	Pag.
2	11	624
8	9	496
10	30	295
11	6,7	628
16		104
	10	114
18	18	191
	22,24,30,32	648
22	8	327
23	5	295

Ex I. Chronic.

Cap.	Vers.	Pag.
5	10	496
17	10	35

Ex II. Chronic.

Cap.	Vers.	Pag.
7	16	306
9	8	648
12	15	439,440
13	22	440
19	11	157
20	34	440
21	11	648
36	4	295
	14	327

Ex Eſdra.

Cap.	Vers.	Pag.
2	63	160
9 & 10. &c.		684

E Nehemia.

Cap.	Vers.	Pag.
7	65	160
13	15	630

E Iobi.

Cap.	Vers.	Pag.
16		667
21		667

E Pſal-

E Pſalmis.

PSA.	VERS.	PAG.
1	2	332
2	7	29
16	8	652
	10	29
19	1	127
	7	341
	8,9	8
	9	402
	12	682
	24	303
25	4,5,9,12,14	39
31	3	163
35	19	2
51	2	495
62	8	163
73	16	ibid.
78	35	ibid.
83	19	652
89	27	163
95		26
98	22	163
102	9,12,14	39
	26	652
105	22	342
110	1	29
118	24	609
119	2	332
	12,28,36	326
	24	303
	105	8
	113	303
	130	8,9
132	8	654
	13	306
147	19,20	579

E Proverb.

CAP.	VERS.	PAG.
6	23	8
8	33	342
17	15	494
30	5,6	334

Ex Eccleſiaſt.

CAP.	VERS.	PAG.
12	11	155,156

Ex Ieſaia.

CAP.	VERS.	PAG.
4	2	437
	6	190
6	8	656
	9	305
7	14	483
8	1	445
	13,14,15	653
	14	163
	19	66
	20	105,237,305,366
11	2	54
14	22,23	656
17	10	163
22	22	190
25	9	653
26	4	163
	12	569
28	16	163
29	13	454
30	8	389
33	20	306
	22	65
36	3	19
	7,10,15,18	648
38	8	624
40	3	652
	8	402
	48	570
42	8	652
43	10,11,12,13	643
	19	569
44	8	163
53	4	36
	7	198
54	13	54,168,234
58	13	639
60	2	653
65	17	569
66	23	591

Ex Ierem.

CAP.	VERS.	PAG.
2	26,27	154
6	13	101
11	17	652
14	14	101
16	20,21	645
17	21	628
18	18	155
20	1	154
21	22	569
23	5	437
	5,6	653
	6	651
24	7	671
26	11	154
29	11	666
31	3,4	54
	33,34	118
	34	234
33	2	652
	14	655
	15	437
	16	651,653
36	2	445
44	26	652

Ex Ezech.

CAP.	VERS.	PAG.
6	13,14	645
7	26	101,155
	27	655
10	12	627
11	10	645
20	7	327
	12,20	590
22	25	101
	26	154
43	11	445
48	35	655

Ex

TABULA LOCORUM

Ex Danielis.

Cap.	Vers.	Pag.
2	22	3
9	1	615
	27	36

Ex Hoſea.

Cap.	Vers.	Pag.
4	6	154
6	2	101
9	7,8	ibid.

Ex Amos.

Cap.	Vers.	Pag.
5	8	652
9	6	ibid.

Ex Obad.

Cap.	Vers.	Pag.
1		647

Ex Micha.

Cap.	Vers.	Pag.
5	2	438

Ex Habbak.

Cap.	Vers.	Pag.
2	2,3	36,445
3	19	647

Ex Zachar.

Cap.	Vers.	Pag.
2	8,9	653
3	2	653
	8	437
	22	493
6	12	437
12	10	653

Ex Hagg.

Cap.	Vers.	Pag.
2	11	157

Ex Malachia.

Cap.	Vers.	Pag.
2	6	645
	7	117
	14,15,16	677
3	1	653

Ex Evang. Matth.

Cap.	Vers.	Pag.
1	21,26,34	483
	26	482
2	2	345
	6	438
5	18	102,436, 594
	21	213,407
	32	673
7	7,22	226
	7,&c.	39
	15,16	55
	24	162
8	17	36
	32,34	345
9	36,&c.	214
10	16	198
11	17	660
	19	571
	25	118
	28,29	519
12	1	616,631
	1,11	634
	5	630
	42	163
13	2	345
	13	212
	25,30	306
14	14	299
15	5	407
	6	9,212
	9	454
	11	503
	6	8,382
16	6	212
	18	111,161,308
18	7	306
	17	208
	20	225.226
19	5	671
	6	684
	9	673
	13	488
	14	490
	28	34
20	26	69
21	23	213
	32	327
	42	609
22	3	667
	4	29
	29	316,327
	31,32	500
23	2	211,212
	4	189
	16,17	212
	37	199
24	11,14	102
	15	36
25	3,6	335
	15	36
36	19	168
	65	154
28	1	617
	9	614
	19	201
	20	85

Marci.

Cap.	Vers.	Pag.
1	5	509
	21	616
2	7	180
	27	572
7	1	407
	9	382
8	21	615
9	37	581
10	11	674
	13	488
	14	490

Vers. 42

Cap.	Vers.	Pag.
	42	63
14	10	163
	26	29
15	28	69
16	2	615
	4	636
	9	614
	12	325
	14	614
	16	488

E Luca.

Cap.	Vers.	Pag.
1	4	389
	10	345
	31	483
	34	482
2	1,2	168
	6,7,22,23	483
	33	499
	34	653
4	21	327
	31	345
6	1	634
8	24	638
10	3	198
	16	236,321
	21	118
11	9,&c.	39,226
12	42	179,197
13	10	631
	15	634
	16	633
14	1	631
	2	633
	5	634
	7	633
16	17	436
	18	674
	19	303
	21	66
	29	69,355
18	15	488
	22	616
	26	490

Cap.	Vers.	Pag.
20		213
	17,18	113
	36	667
	41	29
22	25	63
	31	215,&c.
	38	31
24		20
	7	615
	25 & 18,33	614
	27	327
	34	613

E Iohanne.

Cap.	Vers.	Pag.
1	4,17	236
	14	659
	43	162
	47	438
2	19	118
	20,27	54
3	5	487,490
	11	656
	18	488
4	42	147
5	8	631,633
	29	330
	30	341,581
	39	66,327,361
		417,447
6	27	608
	45	54,234
	56	233
	69	171
7	17	39
	21	305
	23	630,631
	28	69
	42	438
	51	65
8	17	569
	44	168
9	14	631,632
10	4,5	55,256
	16	ibid.

Cap.	Vers.	Pag.
11	49	438
	50	35
12	17,40	305
	41	652
	48	65
13	23,24	226
14	9	660
	13,14	226
	26	425
15	15	34
16		327
	13	227,&c.
18	14	438
19	26	608
	36	345,437
20		16
	1	608,615
	21	201
	26	614
	30,31	425,493
	33	180
21	1	199
	15,16,18	191,&c.
	16	111

Ex Actorum.

Cap.	Vers.	Pag.
1	6	220
	8	345
	16	327,345
	17	63
2		171
	1	608
	25	29,652
	30	35
	38,41	509
	46	612
3	22,26	35
4	5,6,18,19	212
	11	163
	18	154
	19	ibid.
	26	199
	30	345
5	27,28,29	212

Cap.	Vers.	Pag.
	28	154
	29	154,237
	42	612
7	37	35
	38,53	654
8	12,35,38	509
	32	198
	37	551
9	18	509
10		31,171
	43	417,501
	47,48	509,551
11	28,29	613
13	14	612
	33	24
	33,35	29
	38	501
	42,44	612
14	17	127
15		14,171
	28	212
16	3	600,615
	23	612
	25,33	488
	15,36	509
	22	409
	33	551
17	2	612
	11	51,55
	12	361
	22	569
	28	493
18		14
	3,4	622
	8	509
	18	600
	28	417
20	7	116,510,608,612,635
	20,21,27	351,600
	27	345,409
	38	193,200,236
21	21	201
23	3	154
	6	214
26	9	438
	22	66,501,327,556,429,447,501
28	25	652
	26,27	71,305

Ex Epiſt. ad Rom.

Cap.	Vers.	Pag.
1	4	34
	16	181
	20	127
2	15	184
3	2	432,456
	6	41
	19	69,341,345
	21	327
4	3	69
	11	170,504,590
	16,17	170
6	3,5	490
	4,6	ibid.
	12,13	663
7	2,3	673
8	2	125,227,232,234
	16	118
	29	670
	30	325
9	4	456
	17	69
	27	ibid.
	33	163,623
10	4	42
	8,11	69
	17	325
	18	18
12	6	41
13	3	296
14	14,15	503
15	4	16,448
	19	409
16	25,26	3,11

E I. ad Corinth.

Cap.	Vers.	Pag.
1		15
	16	488
	24	63
2	2	41
	6	127
	7,10	3
	9,10	ibid.
	12	118
	14	2,455
	15	2
3	1,2	198,409
	11	110,163
4	1	179
6	2	654
	16	683
	18	672
7	4,5	676,677
	8,9,15	239
	10	11
	15	672
	28	547
9	4	671
	8	69
	16	447
	21	613
	26	27,214
10	4	163
	2	652
	8,11	53
	17	509
	25	503
	31	506
11	2	426
	7	660,661,667
	16	474
	19	306
	20	509,619
	23	668
	29	306

Cap. 12

Cap.	Vers.	Pag.
12	6	569
	8	59,569
	13	490
13	12	4,17
14		63
	29,32	51
15		2
	3	414
	5	613
	33	493
	41,49	663,666
		669,670
16	2	510,608

E II. ad Corinth.

Cap.	Vers.	Pag.
1	22	118
2	16	181
3	14,15,16	4
	18	669
4		9,659
5	5	118
	17	490
6	14	673
11	5	224
	2	234
12	11	224
13	9	2

Ex Epiſt. ad Galat.

Cap.	Vers.	Pag.
1	8,9	237,314
		351
	14	282,407
2	1	224
	1,2	223,&c.
	3	601
	9	234
	11	601
3	8	69
	10	335,594
	15	371
	19	654

Cap.	Vers.	Pag.
	24	42,501
	27	490
4	9	487
	10	600,601
	19	236
	30	69
5	2	601
	24	490

Ex Epiſt. ad Epheſ.

Cap.	Vers.	Pag.
1	13,14	118
	17	39,409
	17,18	118
	23	234
2	20	105,109,
		171,163,
		233
3	4,5,6,9	3
	10	127
	17	233
	19	232
4	4	234
	5	507
	6,12,13,14	51
	7	56,359
	11,	200,204
	14	236
	16	395
	18	585
	24	669
5	19	637
	23	234
	31	671
6	3	594

Ex Epiſt. ad Phil.

Cap.	Vers.	Pag.
3	5	214
	12,13,14	17
	15	409
	21	663,671

Ex Epiſt. ad Coloſſ.

Cap.	Vers.	Pag.
1	9,10	42
	15	659
	18	34,409
	26,27	3,18
2	6	382
	8	109
	12,13	490
	16	409,484,
		487,510,
		592,600,
		601
3	10	666,669
	16	409

Ex Epiſt. I. ad Theſſ.

Cap.	Vers.	Pag.
2	13	144
	21	51
5	5	232
	11,14	249
	21	256

Ex II. Epiſt. ad Theſſ.

Cap.	Vers.	Pag.
2	3	102,306
	10,11	71
	15	414,428
3	2	474

Ex I. ad Timoth.

Cap.	Vers.	Pag.
1	2	432
3	15	231,&c.
4		70
	2	71,305
	5	447,505
	13	330
	14	209
	16	654
5	18	69

TABULA LOC. SACRÆ SCRIPT.

Cap.	Vers.	Pag.
6	11	347
	20	430

Ex II. ad Timoth.

Cap.	Vers.	Pag.
1	13	430
2	1	ibid.
	16	112
	17	239
	19	232
3	8,9	71,305
	8	493
	14,15,16	330
	15	16,54,66,341
	15,16	127,330
	16	4

Ex Epiſt. ad Titum.

Cap.	Vers.	Pag.
1	7	179
	10	71
	10,12	305
	12	493
3	5	490,507,509
	10	474
	11	71

Ex Epiſt. ad Hebraeos.

Cap.	Vers.	Pag.
1		327
	2	112
	3	659
	5,13	29
	6	652
	10	653
2	2	654
3	6	232
	13	219
4		627
	3	591
	12	65,126
5		34
	12	198,409
8	10,11	118
9	4	627
	19	494
10	37,38	35
11	9,13,14,15,15	500
	13	648
12	15	69
	21	493
	23	65
13	7	236

Ex Epiſt. Iacobi.

Cap.	Vers.	Pag.
1	17	39,645
2	10	594
	19	455
3	9	661
4	12	65
5		39
	15	637

Ex I. Epiſt. Petri.

Cap.	Vers.	Pag.
1	18	382
	19	69
	20,22	112
	23	110
	23,25	402
2	4	162
	4,5,6,7	163
	8	653
	24	36
4	10	55
5	1	193

Ex II. Epiſt. Petri.

Cap.	Vers.	Pag.
1	10	59
	19	8,330
2	1	102
3	15	21
	18	409

Ex I. Epiſt. Iohan.

Cap.	Vers.	Pag.
2	1	236
4	1	42,51,55,60,237,256
5	6	118

Ex Epiſt. Iudae.

Vers.	Pag.
9	493
14	439

Ex Apocalypſi.

Cap.	Vers.	Pag.
1	4,8	645
	5	70
	10	618
	11,19	445
	18	170
2	1	445
3	1,7,14	ibid.
	7	179,190
4	8	645
11	17	ibid.
14	13	445
16	5	645
19	9	445
21	5	ibid.
	24	171
22	18	338,&c.

Finis Indicis LOCORUM S. S.

INDEX AUTORUM

Quorum teſtimonia referuntur, ſenſus eruitur, aut refellitur & notatur.

A.

ACoſta. 20,46,364
Alexander Halenſis. 462
Alexander III. decretales. 5,12
Alphonſus à Caſtro. 25,30,83,380,486,507
Amama. 649
Ambroſius. 68,169,165,170,177,181,205, 233,354,373
Andradius. 366
Angloremenſis. 235
Anſelmus. 378
Antoninus. 380
T. Aquinas. 20,25,26,28,30,117,120,183, 185,186,359,378.415,478,490,658,660
Arias Montanus. 60,213
Ariſtoteles. 147
Athanaſius. 67,84.328,345,373,622
Auguſtinus. 15,16,17,18,22,27,28,30,33, 36, 41,46, 47, 56, 68, 100,105,108.131, 135,164,165,178,192,212,224.227,228, 230,235,239,303.310, 326,328,336,340, 355.364,365,375,385,390,391,392,408, 410,415,419,433,445,452,474,482,488, 570.591,600,643,657.662,663,681.
Azorius. 101

B.

BApiſta Mantuanus. 128
Baronius. 31,47.254,442
Baſilius. 18,67,234,340,345,353,363,369, 373,422,415
Baſilius Ancyranus. 432
Becanus. 37
Beda. 178,216,370
Bellarminus. 18,30,31.47,75,83,143,149, 180,318,381,403.404,417,474.487,512, 517,518,605,675
Beza. 657,668
Biel. 380
Bonaventura. 183

C.

CAjetanus. 359,521
Calvinus. 124,133,616,657
Canus. 49,419
Caranza. 61
Carolus Magnus. 378
Carthuſianus. 346
Caſaubonus. 168,174.267
Caſſiodorus. 42
Catechiſmus Concilii Tridentini. 511
Catechiſmus Romanus. 317
Charronaus. 317
Chryſoſtomus. 16,18,19,38,46,55,58,131, 104,165,166,192,216,223,224,228,230, 232,233,290,326,342,347.353,363.365 369,370,374,419,427,574,617,656.682.
Cicero. 69,343,637.
Clemens. 19,362,372
Claudio Politani Ieſuita. 518
Concilium Tridentinum. 317,421
Concilium Laodicenum. 365
Concilium Montiſconenſe. 652
Concilium Nicenum. 372,416
Concilium Epheſinum. 416
Concilium Pariſienſe. 642
Conſtantinus. 14,105
Contarenus. 232
Cyrillus. 15; 59, 165, 192, 340,364,376, 412,425,511,615,656

D.

DAmaſcenus. 412
Diodorus Siculus. 649
Dionyſius Areopagita. 372
Driedo. 144,380
Durandus. 144,183,184, 185,370,660

E.

ECkius. 480
Ephronius Syrus. 642

Epiphanius. 18,169,363,374,661

Eraſmus. 96

Eſpenſæus. 346,380

Eſtius. 340,510

Euripides. 15

Euſebius. 446

F.

FAvorini Canon. 365,369

Ferus. 178,186,366

Feſtus. 587

Fonſeca. 133

G.

GEnebrardus. 82

Gerſon. 52.144,370,380

Georgorius Ederus. 413

Gloſſa Ordinaria. 422

Gratianus. 380. *ejus decretum.* 642

Gregorius Papa. 381

Gregorius. 23,24,164,171,193,326,364. 377.432.445 643.

Gregorius Tholoſanus. 328

Gregorius de Valentia. 5,79,120,133,143, 144,147,184,421,670.

Gretſerus. 471,480

H.

HIeronymus. 21,23,28,30,38,104,174, 156,177 178,179,181,224,231,233, 315,353,364,366,375,412,510.

Hilarius. 15,19,107,169,177,374,412, 416,621.

Heilen Hiſtorie of the Sabbath. 628

Hiſtoria temporis. 252,267

Holius. 318

I.

IAnſenius. 198,213,478,511

Ignatius. 513,621

Illyricus. 670

Innocentius. 3,31,210

Irenæus. 16,18.73,83,105,233,336,372, 407.414.445.450.

Iſidorus Peluſiota. 18,365,376

Iunius. 34,40,278

Iuſtinus Martyr. 371

L.

LActantius. 15,33

Leo. 178

Lindanus. 476

Lombardus. 182,190,398,472

Lorinus. 156,420

Lucas Brugenſis. 171, 190, 198,212,228, 230,340,511,674.

Lyranus. 178,233,379,631

Lyrinenſis. 370

M.

MAcrobius. 587

Maldonatus. 49,107,190,198,213, 448,511,674.

Manaſſe Ben-Iſraël. 574

Marcilius Patavinus. 413

Mercerus. 573

N.

NAzianzenus. 297,642

O.

OEcumenius. 353,419,659

Onuſrius. 82

Optatus. 67

Origines. 15,106,127,177,182,362,621

P.

PAnormitanus. 52

Patres. 616,574

Paulus Brugenſis. 372

Pererius. 31,500,582

Pereſius. 415

Perionius. 476

Petrus

Digitized by Google

INDEX AUTORUM.

Petrus de Alliaco. 19,380
Petrus à Soto. 478
Photius. 369
Picus Mirandulanus. 380
Pineda. 435
Plato. 369
Pontificii. 573
Porphyrius. 29
Poſſevinus, 521
Prideaux. 574
Proteſtantes. 573

R.

R*Henanus.* 85
Rhenenſes. 186
Ribera. 495,510,521
Roffenſis. 476
Rupertus. 378

S.

S*abinus.* 587
Salmeron. 364,405
Scaliger. 62,588
S. Senenſis. 31,47,364
Serrarius refutat. 6
Socrates. 241,377,485
Sozomenus. 251,485
Stapletonus. 144,404
Stella. 49
Suarez. 511,512
Synodus Dordracena. 631,643

T.

T*ertullianus.* 47,73,85,181,215,224, 227, 328, 372, 392, 408, 409, 410, 414,427,447,450,472.
Theodoretus. 19,377,517,649
Theophylactus. 169, 178, 217, 229, 369, 409,494.
Theophilus Alexandrinus. 374
Toletus. 448
Tuiſſus. 629
Turrianus. 199

V.

V*aſquez.* 404

W.

W*alaus.* 640
Walkerus. 583,628

Finis Indicis Autorum.

RERUM

RERUM & VERBORUM
INDEX.
Copioſiſſimus pariter & ordinatiſſimus ad paginas referendus.

Cifram pro pagina non expreſſam, vox aliis typis appoſita, in loco Judicis inquirenda, ſpondit. Quod aliàs per Vide docetur, ut, Omnipotentia Papa. Id eſt: Quare in hoc Judice Papa. Et habebis quod voluiſti.

A.

Aegyptiorum Hieroglyphica alterius erant generis à myſteriis divinis. 24
Aerii error fuit in ritibus potius, quam in dogmatibus. 453
Adoratio verſus Orientem qualis Traditio. 538
Allegoria Rhetorica ſpectat ad ſenſum literalem non myſticum. 26
Allegorica argumenta Pontificiorum ridicula. 31.
Allegorica accommodatio differt ab Allegorico ſenſu. 27
Ἀλληγορία. 40
Ambroſius non patrocinatur Monarchiæ Pontificiæ. 277
Amanuenſes primi & poſteriores omnes fideles Scripturas agnoverunt divinas ex luce ipſe verbo innata. 129
Analogia fidei. 41
Anaſtaſius Papa fuit Neſtorianus. 88
Ἀνάστασις alia eſt exhibitio, alia reſurrectio. 34
Angeli in ſe habent Imaginem Dei. 667
Angelorum nullus creatus dicitur Jehova, 653. eorum creatio habetur, Gen. 1. 2. 493
Angloremenſes confutati. 235
Anſelmi ſæculum fuit corruptum. 290
Apoſtoli omnes habebant pleniſſimam poteſtatem tanquam Petrus, 172. nulla ſecura docuerunt, 355. etſi ex occaſione, tamen divina inſpiratione omnes ſcripſerunt. 446
In Apoſtolatu extraordinario non admittunt ſucceſſionem. 104
Arca fœderis non dicitur Jehova, 654. quomodo in ea fuerit virga & urna. 496
Ἄγραφος quid, & ἔγγραφος. 347
Aſperſio libri per ſanguinem aquâ mixtum, &c. colligitur ex Moſe, Exod. 24. 6. & 8. 494
Athanaſius nihil habet pro Traditionibus. 533
Athanaſio Bellarminus fruſtra conatur abuti. 250
Auguſtinus non tuetur Eccleſiæ inerrabilitatem. 291
Auguſtini ſpecioſus locus vindicatur. 354
Auguſtini verba non crederem Evangelio, niſi &c. quomodo intelligenda, 143. loquitur de ſe ut olim Manichæo, 144. loquitur in perſona non ſua ſed infidelis Ethnici, 145 verba ejus intelligenda nō ſimpliciter, ſed ſecundū quid 146. loquitur de Eccleſia Catholica omnium ſæculorum. 148
Autoritas *Eccleſiæ*.
Autoritas Eccleſiæ cauſat fidem humanam & præparatoriam non divinam. 146
Autoritas *Humana*.
Autoritas Prophetarum non eſſe partim ſed ſimpliciter divina: 108
Axiomata cognoſcuntur ſolo lumine intellectus, Theſes vero & hypotheſes, etſi ſint principia per ſe nota, doceri tamen poſſunt per argum. à poſterior. 123

Baptiſ-

B.

BAptiſma quorundam hæreticorum non eſſe repetendum probatur ex Scriptura. 507

Baptiſmum antecedere Euchariſtiam docet Scriptura. 509

Baptiſmus infantium probatur ex Scriptura, 487. ſignum crucis & Chriſma in eo non ſunt neceſſaria, 503. neque etiam oleum. 551

Baptiſmi verba formalia ſunt in Scriptura. 506

Baronius ſibi contradicit. 86

Baſilius à Bellarmino male tortus ad Pontificiam ſententiam. 252

Baſilii vera mens. 254

Beatitudo cæleſtis. 500

Bellarmini calumnia, 13. ineptia, 58. 199. impudentia, 58. ſophiſtica, 236. fraus in media ſua ingenuitate, 322. puerilia effugia. 88

Bellarminus ſtatum quæſtionis de interpretatione S. Scripturæ pervertit, 52. reſponſiones ejus ad argumenta Proteſtantium refelluntur, 54. ad exemplum Beræenſium male reſpondit, 56. ſibi contradicit. 86

Bellarminus blaſphemus, 108. Novator, 189. corrumpit textum Deut. 17. 18. 153. ſibi non conſtat, 135. 186. rejicit Auguſtinum & alios Patres, 218. ita conſtrictus ut non poſſit effugere, 218. abutitur Irenæo contra ſuam expreſſam mentem. 247

Bellarmini reſponſio pro infallibilitate refutatur, 89. diſtinctio fundamenti primi & ſecundi refellitur, 110. principium fidei incertum. 136

Bellarmini ſex Claſſes argumentorum ad ſtabiliendum externum Judicem infallibilem ex Vet. Teſtamento. 149, 150, ſeqq.

Bellarmini argumentum pro inerrabilitate Papæ refutatur, 293. eſt futile. 306

Bellarmini argumenta contra neceſſitatem Scripturæ. 328

Bellarm. pervertit Irenæi teſtimonium, 357. mala ejus diſtinctio. 358

Bellarm. Chryſoſtomo & ſibi ipſi adverſatur. 436

Bernardi ſæculum fuit corruptum. 290

C.

CÆleſtinus Pontifex fuit hæreticus, 92. falſatos Canones de Romanæ ſedes prærogativis Concilio Carthaginenſi fruſtra conatus eſt obtrudere. 244

Cæremonia quid. 587

Cœtus nullus in terris habet veritatem niſi ſola Eccleſia. 233

Cajetanus abſurdus, 175. ducenti ejus errores. 475

Calvinus vindicatur. 397

Canonis autoritas non eſt ab Eccleſia, ſed ex internis argumentis ſumitur. 442

Canonici libri nulli perierunt. 434

In Carnem unam, pro, una caro. 671

Catechiſmus ab Apoſtolis ſcribi non erat neceſſe. 448

Cathedra Petri ſi ſimilis Cathedræ Moſis, tum Pontifex & Clerus Romanus nihilo meliores Phariſæis. 214

In Cathedra Sedere quid ſit. 214

Cathedra Moſis & Petri nulli loco alligabantur. 215

Cathedra Apoſtolorum aliis locis, ubi Apoſtolica doctrina vigebat, nam præferebantur. 215

Cathedra tantum una in Eccleſia Catholica à Romana longè diverſa. 215

Cepha quid ſignificet. 166

Charitatis opera quouſque extendenda. 633

Chriſtus ſibi & quomodo vocetur Nazaræus, 436. ſtatus ſecundum communem modum juxta pleroſque Patres, 482. ſeptimo die creationis non fuit promiſſus, 567. vocatur Jehova, 652. an Joh. 3. 11. loquatur de ſe in plurali numero, 656. quomodo ſit Imago Patris. 659

Chriſtianiſmi profundiſſima myſteria tradita ſunt ſcripta. 456

Chryſoſtomus male allegatur pro Romani Pontificis Monarchia. 258
Chryſoſtomi error. 434
Chryſoſtomus vindicatur. 542
Circulus Pontificiorum. 136
Circulum Proteſtantes rejiciunt, ſed admittunt Regreſſum. 122
Circumciſio inſtituta etiam pro fœminis, licet non in iis. 479
Claritas externa objecti eſt invariabilis, ſed interna ſubjecti ſecundum gradus variatur. 3
Claritas in viſu alia eſt objecti, alia organi. 117
Claves quid ſint, 178. exercentur circa ſolum peccatum, 179. ſoli Sacerdotes habent eas, 183. Patres omnibus Apoſtolis communicant. 177
Clavis defunctio in Scholis recepta. 182
Claves eædem datæ ſunt cæteris Apoſtolis, quæ Petro. 175
Clavis autoritatis eſt Dei, excellentiæ Chriſti, Miniſterii Petri. 190
Clavis errans nec claudit, nec ligat. 182
Clavium poteſtas abſoluta & ſubordinata: prior in domino, poſterior in ſervo. 178
Clavis alia eſt ſcientiæ, alia poteſtatis, licet utraque eſſentialiter ſit eadem. 183
Clavis ordinis omni presbytero communis. 185
Clavis ordinis & juriſdictionis male diſtinguuntur. 183
Clavium poteſtas omnis eſt in remittendis & retinendis peccatis. 185
Clavium poteſtatem novi Doctores extendunt ad omnem Papæ libidinem. 186
Ex Clavibus nulla peculiaris poteſtas, nedum Monorchia poteſt deduci. 188
A Clave poteſtatis abeſſe poteſt clavis diſcretionis in ipſo Pontifice. 189
Clemens Alexandrinus vindicatur. 518
Columna veritatis eſt Eccleſia paſſivè, ut ſuſtentata à veritate. 232
Collatio Scripturarum. 40
Communicatio piorum inter ſe poſt meditationem, eſt medium interpretandæ S. Scripturam. 43
Concilia non ſufficiunt exponendis Scripturis, 50. uſus eorum maximus, etſi non ſint infallibilia. 238
Concilia generalia multa à Pontificiis rejiciuntur. 48
Concilia Pontificum non habent eadem privilegia cum Conciliis Apoſtolorum. 222
Concila univerſalia nos ſubjicimus uni Chriſto, ſed Pontificii ea Papæ etiam ſubjiciunt, 239. ob Imperatore convocabantur. 240
In Conciliis ſuis Diœceſanis nullum habuit Papa peculiare privilegium. 240
Conciliis Legati Pontificis non præſidebant. 241
Concilium Conſtantienſe & Baſilienſe Pontifices Romanos condemnarunt. 242
Concilium eſſe legitimum fide divinâ non poteſt ſciri, 100. de ejus conditionibus Pontificii ſunt incerti. 100
Concilium Papæ non eſt neceſſarium. 77
Concilium utrum ſupra Papam, an Papa ſupra Concilium ſit, nondum Pontificiis certum eſt. 78
Concilium generale ſine Papa ſemper poſſe errare, fusè probatur à Bellarmino. 98
Concilium etiam cum Papa non eſſe judicem infallibilem probant Proteſtantes variis argumentis. 99. 100. & ſeq.
Concilii generalis ſenſui præferenda aliquando eſt hominis privati interpretatio. 52
Concilii Hieroſolymitani præſes non fuit Petrus. 223
An Conciliis competit infallibilitas à ſola Papa. 101
Confirmatio antiqua Pontificum ſignificabat conſenſum, non addebat autoritatem.
Confirmationis parvulorum verba non erant ſecreta. 515
Conjugium unius cum una ſola erat ex Lege naturæ. 678
Conjuges non ſunt una perſona. 271
Conſecratio aquæ & abrenuntiatio Satanæ eſt

eſt in Scriptura. 503
Conſuetudo non debet opponi Veritati. 427
Conſtantini indulgentia in die Dominico licentioſa. 634
In Controverſiis ad ſententiam Scripturæ recurrendum eſſe, probatur 5. Argumentis. 66, 67, 68.
Controverſiarum quare nullius ſit finis. 73
de Controverſiarum Judice ſententia Proteſtantium. 74
Conventus omnes Chriſtianorum non ſunt inerrabiles. 223
Creatura & Deus quomodo conveniant in uno. 667
Crederem pro credidiſſem. 144
Cyprianus non favet Monarchiæ Romani Pontificis, 266. facit omnes Epiſcopos Romanos pares, 267. nullam in ſe aut ſuos Romani Epiſcopi juriſdictionem agnovit, 270. ſententia ejus de rebaptiſmo fuit erronea, 270. Petrus illi reliquis Apoſtolis æqualis non ſuperior fuit, 271. ejus una Cathedra & unius Epiſcopatus nihil ſpectat ad Romanum Epiſcopum, 273. non comparat Romanum Pontificem Deo, ſoli, aut fonti, 275. non magis Romano quam aliis Epiſcopis hæreticos & ſchiſmaticos excommunicandi jus tribuebat, 276. Male annumeratur hæreticis, 450. vindicatur. 551
Cyrillus Alexandrinus nihil habet de Pontificis Romani Monarchia. 260
Cyrillus Hieroſolymitanus vindicatur. 544

D.

Damaſcenus nihil habet de Pontificis Romani Monarchia. 262
Decretales Pontificum Bellarminus negat eſſe decreta. 93
Decretales tribuunt Papæ poteſtatem nefandam, 422. etiam Bellarminus. 423
Decretalia pleraque ſunt ſuppoſititia. 243
Decretum Dei nullum eſt temperandum. 658
Depoſitum Pauli quid ſit. 432
Dei nomina duodecim & quadraginta literarum quæ fuerint neſcitur. 646
Deſertio malitioſa non eſt legitima cauſſa Divortii. 672
Deus non demonſtratur ex priori, licet talis ex poſteriore, variis argumentis declaretur. 127
Deus apparet autor Scripturæ ex radiis Divinæ ſapientiæ in Scriptura lucentibus. 127
Deus ſolus eſt judex abſolutus ſimpliciter in Eccleſia. 302
Deus perfecit opus ſuum Septimo die, nihil tamen eo die creavit, 566. operatur uſque adhuc, non creando novas ſpecies. 569
Deus & Creatura quomodo conveniant in uno. 667
Dies *Dominicus*.
Dimiſſio rei tempore Paſchatis fuit contraria Legi. 493
Dionyſius Areopagita nullius eſt auctoritatis, nec pro Traditionibus. 520
Divortium ſolvit à vinculo, 674. legitima ejus cauſſa non eſt malitioſa deſertio. 672
Divortium non fit ubi verum matrimonium non præceſſit. 673
Divortii cauſſa non eſt infidelitas. 675
Doctrina quæ in humanis ſcriptis eſt Divina quoad materiam; talis eſt in Scriptura etiam quoad formam & modum. 129
Doctrinarum propria ſedes. 40
Dogmata ad ſalutem neceſſaria quæ ſint. 359
Dominatus interdicitur Presbyteris & Papæ. 196
Dominium in creaturas eſt pars Imaginis Dei, non quoad jus, nec quoad exercitium, ſed quoad facultatem dominandi. 665
Dominicus dies non eſt Sacramentum, 292. in eo non eſt myſterium, nec pars cultus, 602. Divina ejus inſtitutio probatur, 603, 609. & inſtitutum ejus nunquam mutabitur, 610. non eſt Traditio non ſcripta, 610. argumenta contra Divinam inſtitutionem ejus refutantur, 620. & ſeqq Veteris illū diem appellabant Sabbatum. 624

Digitized by Google

Dominici diei aliqualem ſanctificationem omnes Chriſtiani concedunt. 626
Dominico die Ludi ſunt illiciti, 636. recreationes etiam illicitæ, 638. locus Eſai. 58. 13. huc applicari debet. 639
Donatiſtarum error non fuit provocare ad Scripturas. 451

E.

Eʹδω quid fuit. 650
Eccleſia ſemper alligata eſt normæ Verbi Dei, 105. eſt mutabilis, 107. ſimilis eſt mulieri Samaritanæ, 147. eſt Presbyterium, 209. poteſt errare, 210. eſt columnia & firmamentum veritatis, 231, &c. Pontifex & Jeſuitæ Eccleſ. exponunt ſolum Papam, 79, 301. vel etiam Concilium, 103. ex Scriptura demonſtratur diſtinctè, 134. nullus alius in terra cætus habet veritatem, niſi ſola Eccleſia, 233. eſt Columna veritatis paſſivè, ut ſuſtentata à veritate, 232. eſt Columna veritatis in quantum pura, 233. & tantum piorum reſpectu, 231. in ea ſunt Miniſtri non Magiſtratus, 63. quænam Eccl. non poteſt errare.
Eccleſiæ autoritas cauſat fidem humanam & præparatoriam, non Divinam, 146. propter eam ſtulti initio credunt, poſtea ſapientes propter certam notitiam veritatis, 145. dum Pontificii eam probant ex Scriptura, involvuntur vero Circulo, 134. eſt præcipua ratio præparans mentem ad fidem, non ſola. 147
Eccleſiam aut Concilium non poſſe errare probare conantur Pontificii ex Matth. 18. 20. ſed refelluntur, 226. etiam ſecundum eorum Argum. ex Matt 28. ult. nam quæſtio non eſt de inerrabilitate univerſitatis, vel electorum, vel fidelium, vel paſtorum, ad hos enim ut judicem non poteſt recurri, 226. etiam alia eorum argum. ex Joh. 16. 13. & 1 Tim. 3. 15. refutantur. 231, 232, 233
Eccleſia electorum interna regitur à Spiritu ut corpus ab anima. 234
Eccleſia Epheſina erravit. 231
Eccleſia externa judicio charitatis æſtimatur pia. 232
Eccleſiæ præſens non poteſt cudere novos articulos fidei. 404
Eccleſiæ *Sanctitas*.
Eccleſia viſibilis tam in Vetere quam Novo Teſt. ſæpe erravit. 104
Eccleſiam non eſſe ſummum & infallibilem judicem probatur variis Argumentis, 104. & ſeqq.
Eccleſia omnis æquè ac Romana fundata eſt ſuper Petram. 275
Eccleſiæ Teſtimonium eſt humanum non Divinum, 108. per illud cognoſco à poſteriori Matthei Evangelium eſſe Verbum Dei, ſed antea verum fuit, & ex argumentis internis cognoſcibile. 461
Eleucherius Papa fuit Montaniſta. 85
Enochi Prophetia non fuit liber. 441
Epiphanius vindicatur. 545
Epiſcopis ordinariâm Scripturarum interpretationem alligari non probatur ex 1 Cor. 12. 8. 59
Epiſtola ad Epiſcopos orientales pro Athanaſii vindiciis non facit Papam abſolutum judicem. 245
Epiſtolæ decretales Fabiani & Innocentii ſunt fictitiæ. 515
Errare in multis poſſunt qui reguntur à Spiritu. 234
Errores Sanctorum non à Spiritu, ſed à reliquiis carnis fluunt. 235
Errores quidam in judicio ſine ſpeciali pœnitentia aliquando ſunt remiſſibiles. 681
Eſdras Veteris & Johannes Novi Teſtamenti libros omnes approbarunt. 443
Evangelium Lege clarius eſt. 11
Euchariſtiæ aqua non erat neceſſaria, 551. eſt res indifferens. 503
Euſebius vindicatur. 511
Excommunicatio fit per alios quam per Sacerdotes. 184
Exorciſtarum ordinariorum nullus ordo legitimus. 497

Fabiani

F.

Fabiani *Epiſtola*.
Fœmina eſt viri gloria non imago, 668. in fœminis eſt imago Dei. 667
Felix Craſſus Papa fuit Arrianus. 87
Fidei analogia. 41
Fidei Pontificiæ analyſis. 109
Fidei primaria cauſſa eſt internum & privatum Spiritus teſtimonium, 120. Bellarminus Spiritum privatum primariam ejus cauſſam facit, non ſecus ac nos. 121
Fidei principium Bellarmini incertum. 136
Fidei cauſſa, cum non ſit propoſitio Eccleſiæ, male in analyſi fidei collocatur. 140
Fidei inſtrumentum, non autem fundamentum, eſt propoſitio Eccleſiæ. ibid.
Fidei fundamentum Pontificiorum eſt ratum, poſtquam extra Scripturam vagari cœperunt. 318
Fidei cauſſa eſt autoritas humana divinitus inſpirata. 140
Fidei Divinæ primum fundamentum in ſingulis fidelibus & tota Eccleſia omnibus ſæculis unum & idem eſt inſita ſcilicet Scripturæ lux à Spiritu S. demonſtrata. 130.
Fides humana, quæ Divinam & infuſam ſæpe antecedit, teſtimonio humano & aliis argumentis acquiritur. 130
Fides Divina non poteſt reſolvi in teſtimonium humanum, 109. neceſſe eſt ut reſolvatur in Verbum Dei. 464
Fides proteſtantium ultimo reſolvitur in Dei Verbum & teſtimonium, 112. reſolvitur in duos Syllogiſmos. 112, 113, 114
Fides temporaria diverſa eſt à ſalvifica. 117
Fides excitatur & confirmatur teſtimonio externo Eccleſiæ, vel etiam unius fidelis, 120. Teſtimonium publicum in Script. contentum, & ab Eccl. miniſterialiter prolatum, non ſufficit ſolum ad Fidem efficaciter producendam. 120
Ad Fidei eſſentiam non pertinet ſcire, an Scriptor acceperit à Deo Divinam ſuam doctrinam immediatè. 121
De Fidei analyſi ſententia Proteſtantium. 131
Fidei doctrina eſt evidenter credibilis. 135
Fides objectiva non reſolvitur in teſtimonium ſpiritus. 133
Fidem ſuam reſolvunt Pontificii in Eccleſiam & Papam. 134
Fides male diſtinguitur ab acceptatione fidei. 138
Fides ſupernaturalis & acquiſita diverſum habent fundamentum. ibid.
Ad Fidem aliqui aliter adducuntur quam autoritate Eccleſiæ. 144
Fides implicita rejicitur. 360
Fidem Divinam niti Dei Verbo nemo Chriſtianus dubitat. 329
Fides reſolvitur in principium ſua luce evidens, cui non per fidem, ſed per ſe aſſentitur. 467
Fides in Chriſtum non debet referri ad jus poſitivum, 586. nullus ex Gentibus niſi propter illam fidem ſalvatus eſt. 568
Fidejuſſores in Baptiſmo pertinent ad laudabiles ritus. 503
Fidelis quilibet Dei veritatem aliis proponere, & à quovis propoſitam examinare jus habet. 55
Fideles non dubitarunt de Divinitate Doctrinæ recte intellectæ, Epiſt. ad Hebræos, vel cujuſvis alterius Scripturæ. 228
Fideles ſinguli Spiritum in eo gradu habent, ut in exitiali errore perſeverare non poſſint. 230
Formæ proximæ & adæquatæ unius rei non ſunt plures. 32
In Foro Divino idem accuſator, teſtis, & judex. 70
Forum internum & externum. 184
Franciſcani & Jeſuitæ deſerunt Patres. 49
Fundamentum fidei Pontificiorum. 318

G.

Gentium nemo ſalvatus eſt niſi per fidem in Chriſtum. 581

Gomarus negat Sabbatum ab initio mundi inſtitutum, 576. ſed refellitur. 578
Gregorius non favet tyrannidi Pontificis.
Gregorius de Valentia blaſphemus, 108. Bellarminus laborioſior eſt, ſed nihilo ſanior, 137. ejus ſententia de analyſi fidei executitur, 139, 140, 141, 142. ſibi & Cano non conſtat, 141. non ſe expedit ex Circulo. 141.
Gretſeri vanitas, 369. male defendit Bellarminum, 455. ejus ineptia, 523. vana ejus diſtinctio. 488

H.

Hæreſes omnes refutantur per Scripturam. 361
Hæreſin non tollit reſipiſcentia. 96
Hæretici, qua tales, non provocant ad Scripturas, ſed ſunt lucifugæ Scripturarum, 449. quomodo id faciant. 73
Hæretici à Patribus non ſunt reprehenſi quod diſputarent ex Scripturis. 451
Hæreticum poſſe eſſe Papam, ut privatum Doctorem, communis Pontificiorum ſententia eſt. 96
Hegeſippus non favit Traditionibus. 522
Hieroglyphica alterius erant generis à myſteriis Divinis. 24
Hieronymus non favet tyrannidi Pontificiæ, 279. Baronius putat eum Damaſo fuiſſe ab Epiſtolis, 280. erravit in eo quod Deus etiam ſeptimo die aliquid operatus ſit, 556
Hiſtoria temporis. 252
Hominem eſſe imaginem Dei male negatur à Bernardo. 660
Homo Dei quid. 346
Homo eſt imago Dei imperfecta negativè, non privativè. 660
Homo ſpiritualis eſt ſani judicii ſimpliciter, naturalis verò tantum κατά τι. 2
Honorius Papa fuit Monotheleta. 88
Humana autoritas Divinitus inſpirata eſt cauſſa fidei. 140

I.

Jacobi Epiſtolam Lutherus judicavit ſtramineam. 465
Jehovæ vocis etymon & ſignificatio, 644. Dei eſſentia, abſoluta æternitas, veracitas & conſtantia illa voce notantur, 645. quomodo illud nomen devenerit ἀνεκφώνητον, ibid. quomodo ſubſtitui cœperint puncta, 646. quomodo aliena puncta, 647. ab initio legebatur per ſua puncta, ibid. quomodo Deus in hoc nomine primùm apparuit Moſi, ibid. etiam Gentibus cognitum fuit, 648. vulgaris ejus permutatio retinenda, 649. Eſt nomen Dei proprium eſſentiale & incommunicabile. 652
Jejunia non ſunt neceſſaria, 503. à Jejunio abſtinere die Dominica non eſt traditio Apoſtolica. 397
Jeſuitæ deſerunt Patres. 49
Idololatriam non probari ex Scriptura rectè docent Concilium Nicenum ſecundum, & octavum Generale Concilium. 518
Imago quid ſignificet, 658. quæ ſimilitudo illi eſſentialis. ibid.
Imago Dei in quo conſiſtat non eſt cognitu impoſſibile, 661. juſtitia originalis fuit ejus pars, ibid. reliquiæ ejus ſunt in homine irregenito, ibid. præcipue eſt in anima, 662. non eſt directè in corpore humano, ut docebant Anthropomorphitæ, ibid. eſt tamen in corpore ſecundario. 663. & in tota hominis perſona, 664. eſt in omni homine, ibid. eſt tantum in dotibus eximiis, ibid. & internis, eſt in Angelis, etiam in fœminis. 667
Non Imago, ſed umbra Dei eſt in inferioribus creaturis. 661
Imago Dei imperfecta eſt homo negative, non privative, 660
Imaginis Dei quid poſt lapſum ſit amiſſum, quid non, 669. dotes civiles ſunt labefactatæ, ſed ſpirituales penitus amiſſæ, ibid.

Digitized by Google

Imago Patris quomodo ſit Chriſtus. 652
Imperatores olim jus Pontificium non agnoverunt. 246
Imperium unius in alium non probat relationem unius Patriarchæ apud alium, 251
Impii non habent Spiritum veritatis. 230
Implicitè quænam ſunt in Scriptura. 417
Infallibilitas Eccleſiæ collectivæ nulla eſt, 75. Sophiſmata pro ea proferuntur,& refelluntur, 307. argumentum Bellarmini pro infallibilitate Papæ refutatur, 293. Papam non eſſe ſummum & infallibilem judicem probatur variis argumentis, 80. & ſeqq. Papa cum Conciliis non eſt judex infallibilis. 76
Infallibilitas Conciliis non competit à ſolo Papa. 101
Infallibilem externum judicem dari, non conſtat fide Divina. 111
Infallibilis judex nullus datur. 108
Infantes quomodo dicantur ſalvari per fidem parentum aut Eccleſiæ. 481
De Infantium actuali fide melior eſt Lutheranorum mens quam verba. 488
Infantes an habeant fidem. 489
Inferni miſeria, 500
Infidelitas non eſt cauſſa divortii. 675
Innocentii moderatio circa infantium fidem. 491
Inſpiratione Divina omnes Apoſtoli ſcripſerunt. 446
Interpretatio S. Scripturæ propria eſt Miniſtris, 50. etiam omni fideli communis eſt. 51
Interpretationum varietas probat varietatem opinionum, non ſenſuum à ſpiritu intentorum. 33
Interpretandi media quædam adhibenda ante meditationem, quædam in meditatione, quædam vero poſt meditationem. 39, 40, 41, 42.
Interpretatio hominis privati aliquando præferenda ſenſui generalis Concilii. 52
Interpretationem ordinariam S. Script. allegari Epiſcopis locûs 1 Cor. 12. 8. non probat. 59
Interpretes S. Script. initio nulli. 46
Job vixit ante Legem. 331
Johannes 22. Pontifex & gloria Sanctorum hæreticus. 94
Johannes nihil addidit Paulo neceſſarium ad ſalutem. 352
Irenæi laudes Romanæ Eccleſiæ antiquæ, non excuſant apoſtaſiam hodiernæ. 249
Irenæo Bellarm. abutitur contra ſuam expreſſam mentem. 247
Irenæo Bellarm. aſſignat ſententiam hæreticorum, quos refutat. 248
Irenæus totus noſter eſt in quæſtione de infallibilitate Papæ. 250
Irenæus non vult perverti. 360
Judæi pii nullas habebant Traditiones non ſcriptas. 453
Judæos magis uſos Traditione quam Scriptura falſum eſt. 331
Judex ſummus & infallibilis ſenſus Scripturæ & omnium controverſiarum de Religione quis ſit, 74. de eo ſententia Proteſtantium, 64, 74. Pontificii dicunt illum Judicem eſſe Papam cum Concilio, 76. Eccleſiam non eſſe ſummum illum judicem probatur variis argumentis, 104, 105, & ſeqq. ſolus Deus eſt judex abſolutus ſimpliciter in Eccleſia, 302
Judicum ſummorum ſententiis non ſemper ſtandum. 155
Judicem abſolutum, Epiſtola ad Epiſcopos Orientales pro Athanaſii vindiciis, non facit Papam. 245
Judicis ſummi vox eſt S. Scriptura, 65. nam etſi improprie, verè tamen judicat. ibid.
Judex abſolutus καθ' π, à quo non poteſt appellari. poteſt errare & corrigi. 302
Judex viſibilis in Eccleſia reſtringitur ad Legem Dei. 299
Judex civilis requirit obedientiam externam etiam in interno diſſenſu. 304
Judicis ſummi ſententiâ latâ, relinquitur ſingulis judicium ſuum privatum diſcretionis. 304.
Judicis in republica eſt alia ratio ac in Eccleſia. 298

Judicium juriſdictionis, non diſcretionis denominat judicem. 61
Judicium diſcretionis & juriſdictionis quid. 62
Judicio, etiam privati, omnes ſuæ facultates obtemperare ſolent. ibid.
Judicium noviſſimum. 500
In Judicio quidam errores, ſine ſpeciali pœnitentia aliquando ſunt remiſſibiles. 681
Judicium ultimum non eſt abſolutum nec infallibile. 209
Juriſdictio Dei eſt ſumma & independens abſolute. 62
Juriſdictio ſummi magiſtratus eſt ſubordinata ſimpliciter, & ſumma ſecundum quid. 63
Jus Divinum aliud eſt naturale, aliud poſitivum. 584
Juſtiniani Leges de die Dominica. 647
Juſtinus Martyr vindicatur 524
Juſtitia Originalis fuit Imaginis Divinæ pars. 661

L.

Labyrinthus Pontificiorum. 135
Laicorum multi egregii tractatus Theologici. 58
ad Laodicenſes Paulus nullam Epiſtolam ſcripſit. 442
Legati Pontificis non præſidebant Conciliis. 241
Legis vincula non ſunt ſolvenda. 189
Legis αὐτόγραφον & exemplar primarium cum perdebatur, omnia privata exemplaria non fuerunt deperdita. 332
Lex Dei eſt Dei judicium. 70
Lex Moralis, Cæremonialis & Judicialis. 587
Liberius Epiſcopus Romanus fuit Arrianus. 86
Libri Scripturæ ſe mutuo confirmant. 130
Libri aſperſio per ſanguinem aquâ mixtum &c. colligitur ex Moſe Heb. 9. 19. 494
Ligant Miniſtri declarative, communiter per Verbum & Sacramenta, ſingulariter per cenſuras ſeu diſciplinam. 181
Literaliter non accipiuntur illa in quibus non ſiſtitur in litera. 28
Loci denominantur à Jehova, ſed non ſunt Iehova. 614
Lombardi ſententia de Clavibus in Concilio Tridentino damnatur. 186
Lombardi 26 errores. 475
Ludi die Dominico illiciti. 636
Lutheranorum ſententia de fide infantium. 490
Lutherus aliquamdiu Purgatorium & alios errores credidit. 475

M.

Magiſtratus partes in controverſiis Eccleſiæ, 294. non Magiſtratus ſed Miniſtri ſunt in Eccleſia. 63
Magiſtratus ſummi juriſdictio eſt ſubordinata ſimpliciter, & ſumma ſecundum quid. ibid.
Magiſtratus conſtituunt leges de rebus ordinis & diſciplinæ. ibid.
Manichæi rejiciebant Eccleſiam, & jactabant unius ipſius veritatis fidem. 145
Marcellinus Papa fuit Idololatra. 86
Marcionitæ tam Scripturas quam Traditiones rejiciebant. 450
Mariæ virginitas ad natum Jeſum eſt de fide. 482
Mater & matrix omnium Eccleſiarum non probat juriſdictionem in omnes Eccleſias. 272
Matrimonium non ſolvitur per vota Monaſtica. 676
Matrimonium verum ubi non præceſſit, nullum ſequitur divortium. 673
Media interpretandi S. Scripturam meditationem antecedentia, 39. in ipſa Scripturæ meditatione interna, 40. externa, 42. poſt meditationem. ibid.
Media Communia interpretandi S. Scripturam, 43. primarium eſt ipſa Scriptura. 46
Media ad autoritatem Scripturæ dignoſcen-

Digitized by Google

dam ſunt à Deo inſtituta, & in ſe validiſſima πιϛεία. 118,119
Miniſtri ſunt nuncii & indices, non proprie judices, 63. dici poſſunt judices controverſiarum miniſteriales, 63
Miniſtri declarativè ligant, communiter per Verbum & Sacramenta, ſingulariter per cenſuras. 181
Miniſtri omnes ſunt Apoſtolorum ſucceſſores. 204
Miniſtri Dei θεόπνευϛοι primarii doctrinam ſuam tradiderant ſcripto. 323
Miniſtris interpretatio Scripturæ eſt propria. 50
Monaſtica vota non ſolvunt matrimonium. 676
Moralia præcepta alia ſunt ex lege naturæ, alia ex lege gratiæ, alia ex lege poſitiva. 589
Moſis privilegia nihil ad Pontificem. 149
Moſes Deut. 17. 18. &c. loquitur de Sacerdotibus inferioribus & Magiſtratu Politico non minus quam de Pontifice Maximo, 152. loquitur de controverſiis facti & externis non de quæſtionibus fidei, 153. reſtringit Iudices ad præcepta Dei. ibid.
Mulieres Scriptura admittit ad Euchariſtiam. 509
Myſteria profundiſſima Chriſtianiſmi tradita ſunt ſcripta. 456
Myſticus ſenſus S. Scripturæ cum literali conjungitur, & in eo fundatur. 28
Mythologica Poëtarum alterius erant generis à myſteriis Divinis. 24

N.

Nathanis, Gaddi, & aliorum ſcripta inſerta ſunt libris Canonicis. 439
Nazaræus ubi & quomodo Chriſtus vocatur. 436
Nazianzenus à Bellarmini ſophiſtica vindicatur. 255
Nicænum Concilium Arrium damnavit ex Scripturis. 516
Nicolai & Johannis Pontificum in materia fidei irreconciliabilis pugna. 93
Numerus pluralis apud Hebræos in prima perſona non ſolet uſurpari, niſi cum perſonæ ſunt plures, 656. an Chriſtus Joh. 3.. 11. in plurali num. de ſe loquatur. ibid.

O.

Obedientia omnis humana eſt conditionata. 210
Obedientiam parentibus & Magiſtratibus Deus præcepit, poſſibile tamen illis eſt errare. 237
Obediendum ſedentibus in Cathedra Moſis, in quantum docent conſentanea Moſi. 212
Oblationes pro defunctis & natalitiis quid fuerint. 549
Obſcura non eſt Scriptura ſimpliciter, nec plures ſenſus habet non ſubordinatos. 72
Obſcuritas S. Scripturæ quædam ſimpliciter, quædam per accidens. 1
Obſcuritatem Scripturæ probat Bellarminus ex Pſal. 119. 32. & quibuſdam aliis Sacræ Scripturæ locis, ſed refellitur pag. 20. 21
Oecumenius vindicatur. 542
Omnia probate eſt præceptum commune Chriſtianis, non peculiare Epiſcopis. 57
Omnipotentia *Papæ.*
Opera multa externa in Sabbato ipſo Judæorum erant licita. 632
Opera charitatis quouſque extendenda. 633
Oratio de rebus altis & obſcuris poteſt eſſe clara quoad voces & modū ſignificandi. 3
Oratio multorum ſenſuum fallax. 32
Oratio medium eſt antecedens meditationem S. Scripturæ. 39
Origines primus infelix Commentator. 13. in Allegorico ſenſu nimius & ridiculus. 29
Origines vindicatur. 530

P.

Papa cum Concilio, juxta Pontificios, eſt quid ex infallibilibus. 76
Papa ſolus eſt Eccleſia. 79
Papa non vult, nec poteſt multas controverſias determinare, 81. ſæpe non datur Papa, ibid. nunquam legitimus Papa ſciri poteſt, 82. poteſt eſſe, & ſæpe fuit hæreticus, 83. à ſententia ejus licet diſſentire ſine nota hæreſeos, ibid. ut privatus Doctor poteſt eſſe hæreticus.
Papæ ut hominis, & Papæ ut Papæ diſtinctio vana. 97

De Papæ immenſa potentia Pontificiorum ineptiæ, 161. de Papa &c. Petro hypotheſes falſæ, ibid. loci Matt. 16, 13. *Tu es Petrus, &c.* verus ſenſus, 162
Papæ fallibilitas demonſtratur, 190
Papæ infallibilem & abſolutam poteſtatem judicandi in rebus fidei, ejuſque dominium in Eccleſias & orbis Chriſtiani Principes præcipue probare conantur Pontificii ex loco Ioh. 21. verſ. 15, 16, 18. *Paſce agnos & oves meas*, 191. quomodo ad ſolum Petrum locus ſpectet, quomodo non. 193
Papæ non ſunt paſtores nec doctores. 198
Papæ omnipotentiam Pontificii probare conantur ex Matt. 18. 17. ſed refelluntur, 208. 209. nam loquitur ibi Chriſtus non de controverſiis fidei, ſed de privatis offenſis, 209. aliud argumentum ex Matt. 23. 2. refellitur, 211. unuſquiſque enim Phariſæus non fuit infallibilis judex veritatis, 211. argum. ex Lucæ 22. 31. deſumtum refellitur, 215. explicatio Bellarmini confutatur, 217. nam Chriſtus pro omniũ electorum fide, non pro Petri tantum precatus eſt, 220. nam Papa poteſt errare fide & vita perire, & ab inerrabilitate nõ oris ſed cordis Petri malè concluditur inerrabilitas non cordis ſed oris Papæ, 221. Argum. ex Gal. 2. 1. 2. deſumtum refellitur, 223. nam nihil ibi concluditur de Petro præter alios Apoſtolos, ibid. Paulus contulit cum Apoſtolis, ſed nihil ab iis didicit, 224. *Non in Vanum currere* intelligendum κατ' ἰδίαν, non ſimpliciter. 244
Papa non fit abſolutus judex per Epiſtolam ad Epiſcopos Orientales pro Athanaſii vindiciis. 245
Παρὰ plerumque eſt *præter*, non *contra*. 353
Parentibus Deus præcepit obedientiam, illis tamen poſſibile eſt errare. 237
Paſcere in loco Ioh. 21. non probat ſummam poteſtatem, 194. quid ſit *paſcere*, 197
Paſchatis tempore reum aliquem dimittere fuit contrarium Legi. 493
Paſchatis feſti obſervatio non fuit neceſſaria. 484
Paſtores etſi nos fallant, eorum tamen culpa non eſt rejicienda in Deum. 236
Patres à Pontificiis ſæpe rejiciuntur, 47. Franciſcani & Jeſuitæ deſerunt illos, 49. Cajetanus non vult iis alligari, 49. quatuor eorum regulæ in exponendis Scripturis. 41
Pauli tota doctrina ſcripta fuit in Vet. Teſt. etiam in Novo. 356
Peccata contra jus poſitivum quomodo adverſentur etiam juri naturali. 585
Peccatum retinetur ratione culpæ & pœnæ. 182
Peccata remittendi *Poteſtas*.
Pererius negat Sabbatum ab initio mundi inſtitutum, & refellitur. 582
Perfectio S. Scripturæ probatur, 334. multo perfectior eſt quam quævis ſapientia in cujuſquam mortalis corde jam latens. 324
Perfectio Scripturæ patet ex Apoc. 22. 18. item ex Pſal. 19. 7. pag. 341. & Ioh. 5. 39. 2. Tim. 3. 15. pag. 341. 342. 343. & ex 2. Tim. 3. 15. fuſius premitur. 344
Perfecti erant libri Moſis, & ſufficientes abſolutè, ſed reſtrictè ad ſtatum illius temporis, 338
Perplexitas *Pontificiorum*.
Perſpicuitas S. Scripturæ, quæſtiones de ea quoad ſenſum, non verba, 1. Ieſuitæ ſtatum controverſiæ pervertentes, diſputant contra ſuas umbras non contra nos, 1. quædam Scripturæ partes ſunt aliis magis perſpicuæ, 3. quænam hîc inter partes ſint extra controverſiam, ibid. ſententia Proteſtantium de ea, 4. ſententia Pontificiorum, 5. ſententia Serrarii, 6. probatur ex Deut 30. 13. & Bellarmini objectiones refutantur, 7. probatur ex iis locis, qui Verbo Dei aſſcribunt lucem, 8. & Bellarmini object. refelluntur, 8. 9. probatur ex 2. Cor. 4. 3. 4. & objectiones refutantur, pag. 10, 11, 12
Perſpicua eſt Scripturæ Summa. 12
Perſonarum divinarum conſultatio de creatione hominis. 655
Petra denotat Chriſtum, 163. de Petra tres ſententiæ, ibid. quid πέτρος & πέτρα ſignificent, 167. quid pronomen *hanc*, 168. male reſtringit Bellarminus Petri confeſſionem ad perſonam Petri, 166.
qui

qui Petram de Petri perſona exponunt nihil inde tribuunt Romano Pontifici, 169. Origenes Petram nominat quemlibet fidelem. 169
Petrus primus jecit Eccleſiæ fundamenta tam inter Iudæos quam Gentes, 170. habuit primatum ordinis, non poteſtatis, 173. iſte primatus nullam importat in cæteros Apoſtolos juriſdictionem, 170. diſtinctio Bellarmini de Petri poteſtate ordinaria & cæterorum extraordinaria eſt vana, 176. quomodo verba Chriſti, *Paſce oves meas*, ad Petrum ſpectent, quomodo non. 193. non fuit præſes Concilii Hieroſolymitani.
Petri *Succeſſor* nullus.
Pluralis *Numerus*.
Polycarpus vindicatur. 523
Polygamia ſemper fuit illicita, 676. male defenditur ab Ochino & Cajetano. 677
Polygamiam adverſari tantum Legi poſitivæ in Novo Teſt. malè poſt Auguſtinum volunt Durandus & Toſtatus. 678
Polygamia in Patribus fuit peccatum, 680. conceſſio divina Patribus non poteſt probari. ibid.
Pontifex Romanus nunquam fuit Petri ſucceſſor. 206
Pontifices præferuntur omnibus Patribus & Conciliis. 513
Pontifices errarunt frequenter, 84. ſæpe etiam Pontifices Iudæorum, ut Aaron, Vrias, Paſſur, Cajaphas & alii. 154
Pontifices Romani à Concilio Conſtantienſi & Baſilienſi ſunt condemnati. 242
Pontifices Formoſus, Stephanus, Iohannes & Sergius ex Cathedra ſe mutuo condemnarunt. 91
Pontificis Iſraëlitici jura nihil ad Papam. 151
Pontificum confirmatio antiqua ſignificabat conſenſum, non addebat autoritatem. 241
Pontificum Romanorum priſca autoritas nihil ad hodiernas controverſias. 243
Pontificiæ fraudis parva Bellarmini vindicatio. 244
Pontificii refugiunt ad Eccleſiam repræſentativam. 76
Pontificii amant cùm ratione inſanire, 470. multi eorum docent Pontificem ut Pontificem eſſe poſſe hæreticum. 77
Pontificiorum ſententia de ſummo judice interpretandi Script. 64. rara eorum perplexitas, 74. pugnæ inter ſe, 93. confuſio & pugna. 148
Poteſtas aperiendi & ſolvendi eſt eadem. 180
Poteſtas ordinis & juriſdictionis male diſtinguuntur. 183
Poteſtas Architectonica latior eſt civili. 297
Poteſtas Eccleſiaſtica interna eſt ſolorum Miniſtrorum, externa Architectonica etiam Magiſtratuum. 297
Praxis cognitorum eſt medium interpretandi Scripturas. 43
Praxis Eccleſiæ examinanda eſt ad Scripturas. 47
Præter latius eſt quam *contra*. 352
Principium in quod Pontificii ſuam fidem ultimò reſolvunt, etiamnum ipſiſmet incertum eſſe. 79
Propagatio ſubſtantialis & accidentalis. 202
Prophetæ aliquando non ſub typis ſed expreſſis oraculis literaliter intelligendis de Chriſto agunt, 29. nihil addiderunt Moſi quo ad ſummam doctrinæ, ſeu de fide, ſeu de moribus, 336. omnia illorum ſcripta ſecundum Auguſtinum non erant Canonica, 440. autoritas eorum non eſt partim ſed ſimpliciter divina, 108. nullum ullius Prophetæ ſcriptum periiſſe vult witakerus. 443
Proſelytæ habebant Script. Iudæorum. 330
Proſper non eſt patronus Pontificis Romani. 287
Proteſtantes plus deferunt legitimis Conciliis quam Pontificii, 102. ſententia eorum de interpretatione S. Scripturæ. 53
Pſalmorum cantatio præcipitur in Verbo Dei. 503
Pſalmus ſecundus de æterna Chriſti generatione variè accommodatur. 34
Purgatorium non probatur ex Scriptura. 476
Puritas mentis eſſe medium antecedens interpretationem S. Scripturæ. 34

R.

Ratisbonenſium Ieſuitarum ſubdola hypocriſis prædicantium Scripturarum perfectionem. 319

Recreationes die Dominico illicitæ. 638
Regeneratio in hac vita eſt imperfecta. 2
Regia autoritas ſupra Pontificiam in ordinandis judiciis ſacris. 159
Regula divina fidei & morum eſt perfecta & adæquata. 365
Regula nulla divina eſt partialis. 367
Regula univerſalis & particularis aliud eſt quam totalis & partialis. 369
Regulæ quatuor Patrum in exponendis Scripturis. 41
Remittit peccata Sacerdos tribus modis. 182
Reſipiſcentia & fides non debent referri ad jus poſitivum. 586
Retinetur peccatum ratione culpæ & pœnæ. 182
In Revelatione rei fuit ſubſiſtendum, ab ea datur regreſſus non progreſſus. 138
Revelatio Dei clare ſcitur, licet id quod Deus revelat quà creditur, non clarè ſciatur. 138
Revelationi Scripturæ qui credit propter ſeipſam, Scripturam facit αὐτόπιστον, & ultimum terminum fidei. 142
Revelationi ſi creditur ob revelationem, proceſſus erit in infinitum. 139
In Revelatione divina, cui non per fidem, ſed per ſe aſſentimur, fides tandem ſiſtitur. 468
Reus non eſt judex. 80
Ritus Eccleſiaſtici ſecundum regulas Apoſtolicas, vocantur opera ſecundum Scripturam. 419
Ritus Apoſtolici quidam ſunt mutabiles. 420
Ritus Sacramentorum maxime ſubſtantiales à Pontificiis mutantur. 421
Romæ hodie non eadem ratio eſt quæ fuit olim. 248
Romana Eccleſia particularis radix & matrix erat tantum reſpectu ſuorum membrorum, non aliarum Eccleſiarum. 272
Romanorum Pontificum priſca autoritas nihil ad hodiernas controverſias. 243

S.

Sabbati mutatio in Dominicum diem habetur in Scriptura. 510
Sabbati inſtitutio ante lapſum docetur à Merecro, Proteſtantibus, Pontificiis, & multis Patribus, 573. 574. inſtitutio Sabbati ab initio mundi probatur ex Gen. 2. 3. & Exod. 20. 12. item ex jure naturali, 575. & 576. non eſt probanda eorum ſententia qui illud ſerius inſtitutum volunt. 572
Sabbati quorundam Reformatorum ſententia. 512
Sabbatum fuit cultûs pars, Dominica eſt cultûs circumſtantia. 512
Sabbati quid principium & quis finis. 655
Sabbata & Feſta erant juris poſitivi. 586
Sabbatum quomodo dignum fuerit, 590. ἐναντιοφανῆ Pauli de obſervatione diei Sabbati conciliantur. 600
in Sabbato ipſo Judæorum multa opera externa erant licita. 632
Sacerdos remittit peccata tribus modis, 182. in ſua ordinatione accipit poteſtatem ſacrificandi & abſolvendi, 183. exercet validè poteſtatem abſolvendi ſolùm in eos qui per juriſdictionẽ ejus ſubditi ſunt. 184
Sacerdotes ſoli habent Claves. 183
Sacerdotes omnes non erant infallibiles. 157
Sacerdotes non tantum declarative, ſed reipſa miniſterialiter abſolvere à culpa & pœna æterna, hodie docent Pontificii. 187
Sacerdotes & Pontifex Maximus à Prophetis reprehenſi. 213
Sacramentum 7 ordinum Apoſtoli non tradiderunt. 39
Sacramentorum nomen, natura, numerus & forma habentur in Scripturis. 504
Salomonis Eccleſ. 12. 11. *unus paſtor*, eſt Deus, ejuſque *Sapientes* ſunt Prophetæ. 155.
ad Salutem quæ dogmata ſint neceſſaria. 359
Sanctificatio diei quid ſignificet. 571
Sanctificatio diei Dominicæ aliqualis ab omnibus Chriſtianis conceditur. 616
Sanctitas Eccleſiæ. 216
Sardicenſe Concilium falſatum. 344
Scandalo Judæorum ceſſante, ceſſavit Lex de ſuffocato & ſanguine. 503
Scholis quædam diſputanda relinquuntur. 490
Scientiæ habitus reſolvitur in lucem humanæ rationis. 133
Scortatores quomodo fiant una caro, 682. ex Scortatione naſcitur affinitas. 683

S. Scriptura, quædam ejus partes ſunt aliis magis perſpicuæ, 3. intelligebatur ſine omni commentario, 13. primus commentator Origenes, ibid. eſt fundamentum Eccleſiaſticarum doctrinarum, 14. accommodatio ejus, manente eodem ſenſu literali, eſt multiplex, 27. eſt vox ſummi judicis, 65. loquitur non eſt muta, 69. non eſt ſimpliciter obſcura, nec plures ſenſus habet non ſubordinatos, 72. ex hypotheſi eſt neceſſaria, 73, 315. eſt αὐτόπιστος, propria ſua luce, abſque externo argumento innoteſcens, 126. exponitur per ſeipſam. 131

Scripturæ autorem eſſe Deum, ex radiis Divinæ ſapientiæ in Scriptura lucentibus apparet. 127

Scripturæ cujuſvis Divinitatem agnoverunt primi Amanuenſes, & poſteriores omnes fideles, ex luce ipſi Verbo innatâ; ſed quod illa lux non perſpiciatur, procedit ex humana infirmitate. 128, 129

Scripturam eſſe Verbum Dei probatur variis argumentis, tam internis quam externis. 114, 115, 116

Scriptura nulla eſt propriæ explicationis. 59

Scriptura eſt Metaphorice norma & Metonymice judex. 61

Script. normam fidei eſſe concedunt Pontificii, ſed partialem, non ſolam & unicam, 61, 315. nam tuentur Verb. Dei non ſcriptum diverſum à ſcripto. 315

Scriptura ſcitur eſſe Scriptura per ſe certius, quam per ullam fidem. 468

Scriptura eſt ad ſalutem ſufficiens, non abſolute, ſed in ſuo genere, ſcilicet doctrinæ & revelationis divinæ. 473

Scripturæ *perfectio*.

Scriptura omnis ſumenda collective non diſtributive. 345

abſque Scriptura facile perditur Veritas. 326

poſt Scripturam clauſam nunquam licuit hominibus quicquam addere quod prius non fuit ſcriptum. 337

Scriptura eſt Dei Teſtamentum, 370. & Paulus vetat quicquam docere præter Scripturas, 355. ipſi Prophetæ provocant ad Scripturam, 327. eſt tota doctrina ab Apoſtolis prædicata. 351

in Scriptura quædam ſunt actu, quædam virtute. 418

Scripturam eſſe Divinam docetur in Scriptura, 459. quæſtio qui ſciam illam Divinitatem, ſecundum Pontificios, procedit in infinitum. 460

Script. eſſe Dei Verbum eſt principium indemonſtrabile à priori. ibid.

Scripturæ ſingulos libros quis ſcripſerit, non eſt neceſſe ſcire, neque ad ſalutem abſolute neceſſe credere ſingulos Scripturæ libros eſſe Divinos. 463 464

Scripturæ ullum librum qui obſtinate negat eſſe Divinum, eſt hæreticus, non item qui de aliquibus dubitat. 464

Scripturam eſſe Verbum Dei & à Deo revelatam ſcitur per argumenta multa à poſteriore, 466. non eſt articulus fidei ſtricte ſumtus. 467

Scripturam Auguſtinus imprimis premit contra Donatiſtas. 559

Scripturæ autoritatem animus variis argumentis præparatus agnoſcit ex inſita luce & teſtimonio Spiritus. 132

Secreta Apoſtoli nulla docuerunt. 355

Senſus Scripturæ alius ſimplex, alius compoſitus. 23

Senſus compoſitus duplex habet ſignum. 1. verba. 2. res. ibid.

Senſus compoſitus in Veteri Teſtam. eſt frequens, in Novo rarus, 24. conflatur ex duobus, literali ſeu Grammatico vel Hiſtorico; & myſtico ſeu ſpirituali. 25

Senſus figuratus parabolarum eſt literalis. ib.

Senſus myſticus eſt triplex allegoricus, tropologicus, anagogicus. 26

Senſus allegoricus differt ab allegorica accommodatione. 27

Senſus omnis myſticus cum literali conjungitur, & in eo fundatur 28. Pontificii dicunt unius loci varios eſſe ſenſus literales proximos, 32. ex uno Senſu multæ ſunt conſequentiæ & accommodationes. 38

Senſus Scripturæ nullus datur infallibilis judex. 108

Senſus Scripturæ eſt in verbis Scripturæ. 471

Septimo die Deus perfecit opus ſuum, nihil tamen eo die creavit, 566. in quo Catarinus

 rinus

Digitized by Google

rinus Hieronymus & alii errarunt. ibid.
Septimum diem quando Deus ſanctificave-rit. 572
ad Septimanæ unum diem ſanctificandum vi quarti præcepti omnes Chriſtianos obligari, 597. & argumenta eorum qui hoc negant refutantur, 598, 599. argumenta pro ſententia communi affirmativa. 603. & ſeqq.
Shebna Eſai. 22. erat præſes politicus, non Eccleſiaſticus. 190
Similia κατ' ἀντίθεσιν convertuntur. 233
Similitudo an differat ab imagine. 665
Σοφίσμα quid ſit. 342
Sophiſmata pro infallibilitate Eccleſiæ, 307. & eorum refutatio, ibid. & pro infallibilitate Conciliorum. 308
Spiritualis quomodo omnia judicat. 56
Spiritus Sanctus vocatur Iehova. 652
Spiritus S. eſt doctor, teſtis, ſigillum, pignus & arrhabo. 118
Spiritus teſtimonium internum, quod eſt adæquata cauſa fidei, intelligendum eſt in concreto, conjunctum ſcilicet cum Verbo, 119. tam eſt publicum & commune, quam privatum & ſingulare. ibid.
Spiritum, quem Bellarminus privatum vocat, primariam fidei cauſam facit, non ſecus ac nos. 121
Spiritū Proteſtantes per Scripturam, & Scripturam per Spiritum probant, 121. quod cum faciunt, nec eſt Circulus, nec Regreſſus, nec ullus proceſſus ſyllogiſticus. 122
Spiritus Teſtimonium non eſt medium, nec facit propoſitionem; etſi mentem aperiat & objectum illuſtrat, ut lumen, non ut argumentum aut motivum. 122
Spiritus non prius dictat Scripturam eſſe Divinam, & poſtea ob hoc dictamen credendum eſſe ut Divinæ, ſed ſimul dictat & efficit credere, 123. qui teſtimonium Spiritus vocant medium perſuadens autoritatem Scripturæ, loquuntur catachriſtice cum Bellarmino & Valentia ibid.
Spiritus quomodo probetur per Verbum. 124
Spiritus ſæpe per ſeipſum ſeu interna ſigna ſe certè patefacit. ibid.
Spiritus probandus per effecta ſua certò in Verbo revelata. ibid.
Spiritus probat Scripturam eſſe Divinam ex ipſius Scripturæ luce, ibid. non probamus Script. per Spiritum, ſed vi & luce Spiritus conſtat nobis de Scriptura, 125. quomodo hoc fiat abſque Circulo. ibid.
Spiritus teſtimonium de Scriptura Verum eſſe conſtat ſine ullo proceſſu Syllogiſtico. ibid.
Spiritus teſtimonium non eſt argumentum diſcurſivum, 468. aliquando eſt argumentum externum. ibid.
Spiritus luminis neceſſitas non probat inſufficientiam Scripturæ. 472
Spiritum Veritatis impii non habent. 236
à Spiritu qui reguntur in multis poſſunt errare. 234
Spiritus hominum publicorum non minus quam privatorum ſunt probandi. 60
Stapletonus 4 proponit regulas, quibus in S. Scripturæ interpretatione utendum eſt, 43. quæ refutantur. 44, 45
Stapletonus rectè proponit controverſiæ ſtatum de Traditionibus, 423. vanum ejus effugium. 321
Studia præparantia ſunt media interpretandi S. Scripturam. 39
Stylus Scripturæ clarus eſt. 15
Succeſſio propagationis & ſubſtitutionis, 202. juſta & injuſta, naturalis & caſualis, 203. ab ordinante ad ordinatum, & à decedente ad ſubſtitutum, alia ex aſſe, alia ex parte. 203
Succeſſio Papæ Petro non eſt Traditio Apoſtolica. 207
Succeſſio accidentalis in Apoſtolorum Cathedris. 205
Succeſſionem in Apoſtolatu extraordinario non admittunt. 204
Succeſſores Apoſtolorum ſunt omnes Miniſtri. ibid.
Succeſſor Petri nullus ex aſſe, 205. Pontifex Romanus nunquam fuit
Succeſſores Apoſtolorum conſiderantur vel conjunctum cum Apoſtolis, vel ſeorſum. Seorſum conſiderantur vel univerſi collective, vel ſinguli diſtributive, idque vel ſeorſum, vel congregati in Synodo. 219
Succeſſores Apoſtolorum interpretari tantum de congregatis in Synodo generali, appro-

approbante Romano Pontifice, eſt inſigne ſophiſma, 250. Bellarminus per Succeſſores Apoſtolorum intelligit ſolos Pontifices Romanos. 230
Symbolum Apoſtolorum, quoad materiam eſt in Scriptura. 502
Symbola aut Catechiſmos ſcribere Apoſtolis non eſſe neceſſe. 448
in Synedrio ubi præſidebat Pontifex multi habebant jus ſuffragii. 157, 158
Synodi de rebus ordinis & diſciplinæ conſtituunt Canones, & magiſtratus leges. 63

T.

Tanneri argumentum pro infallibilitate Papæ refutatur, 298. ejus futilis argumentatio. 300
Temima quid ſit. 341
Temporis *Hiſtoria*.
Tertullianus non favet Traditionibus in præjudicium Scripturæ, 262. quid ſint ejus præſcriptiones, & quid retractus, 263, 264. non favet Pontificiis, 265. non tuetur Eccleſiæ inerrabilitatem, 291. vindicatur, 548. à Bellarmino, Baronio, &c. parvi æſtimatur. ibid.
Teſtamentum Novum ante Apoſtolorum mortem totum fuit ſecretum. 332
Teſtamenti Veteris libros omnes Eſdras, & Novi Johannes approbarunt. 443
in Teſtamento Veteri ſenſus compoſitus eſt frequens, in Novo rarus. 24
Teſtimonium Eccleſiæ eſt humanum, non divinum, 108. non gignit fidem divinam, 467. per illud cognoſco à poſteriori Matthæi Evangelium eſſe Verbum Dei, ſed antea verum fuit, & ex argumentis internis cognoſcibile. 461
Teſtimonium externè prolatum de interno Spiritus actu eſt hominis, non Spiritus. 120
Teſtimonium externum ſuadet, non perſuadet, & eſſe poteſt argumentum, ſed teſtim. internum perſuadet, etſi non ut argumentum, ſed ut internus Doctor, cui ſtatim & immediate mens credit & aſſenſum præbet. 123
Teſtimonium publicum in Scripturis contentum autenticè, & ab Eccleſiâ miniſterialiter prolatum, non ſufficit ſolum ad fidem efficaciter producendam. 120
Teſtimonium Spiritus quod eſt adæquata cauſſa fidei, intelligentum in concreto, conjunctum ſcilicet cum Verbo. 109
Teſtim. internum Spiritus tam eſt publicum & commune, quam privatum & ſingulare. ibid.
Teſtim. Spiritus non eſt argumentum diſcurſivum, licet Spir. agat tam in mentem, quam objectum. 468
Theologia ſymbolica quandò argumentativa, & quando non. 30
Theophylactus vindicatur. 542
Theophilus Alexandrinus vindicatur. 544
Thuribulum in Sancto Sanctorum. 496
Traditio, quid ſit, & earum diſtinctio, 316. ſumitur aliquando pro actu tradendi aliquando pro re tradita, 413. traditio, ſive res tradita, tam ſit per Scripturam, quàm ſine Scriptura, ibid. aliquando includit Scripturam, aliquando contra diſtinguuntur Scripturæ, 414. traditio extra-ſcripturalis eſt 1. quæ initio non ſcribebatur, ſed poſtea ſcripta eſt, 2. quæ non eſt in Scriptura ſimul ſed ſparſim, 3. quæ non habetur in Scriptura expreſſe, ſed per conſequentiam, 414, 415. quædam ſunt in Scriptura, quædam virtute. 418
Traditiones non ſcriptæ vocantur opera ſecundum Scripturam, tales ſunt 1. Vita exemplaris Apoſtolorum, 2. narrationes quædam hiſtoricæ, 3. nonnullis ritus Eccleſiaſtici, 419. an ullæ traditiones Divinæ de doctrina vel moribus, ad ſalutem neceſſariæ, non ſcribantur. 317
Traditiones non ſcriptas Pontificii præferunt, ſaltem adæquant Sacroſanctis Scripturis. 317
Traditiones eſſe neceſſarias, Scripturas non neceſſarias abſurde docent Pontificii. 324
Traditio Divinæ Doctrinæ per vivam vocem ſine Scriptura nunc non ſufficit, 326. quod apud Judæos tradebatur viva voce, fuit in Lege ſcriptum. 331
Traditiones à Scripturâ damnantur, 382. exceptiones Bellarmini, Pontificiorum & Coſteri refelluntur. 383, 384, 385, 386
Traditiones Papæ ab Euſebio convincuntur falſi. 387
Traditionum veterum vanitas. 388

Tradi-

Digitized by Google

Traditiones nôn ſunt conſervatæ in ſcriptis humanis, 390. neque in uſu Eccleſiæ, neque in monumentis externis, 391. neque per hæreſium refutationem, 392. non ſunt æternæ & immutabiles, 402. non ſunt determinatæ, 403. earum inventio vitium fuit Judæorum & hæreticorum. 407

Traditiones veras à falſis diſcernendi nulla certa ratio eſt, ſi Scriptura ſeponatur, 392. refutatio 5. Regularum Bellarmini, quibus veræ Traditiones dignoſcuntur. 393, 394, &c.

Traditiones non probant hæc loca S. Scripturæ. Joh. 16. 12. Joh. 21. 25. 2 Theſſ. 2. 15. 1 & 2 Johannis Epiſtolæ. 424, 425, &c.

Traditionum negatio nihil detrahit dignitati Eccleſiæ. 455

Traditionem eſſe divinam quomodo ſciatur, ſecundum Pontificios procedit in infinitum. 460

Traditionem non ſcriptum eſſe Verbum Dei Brentius non putavit. 466

Traditiones in rebus non neceſſariis ſunt extra oleas. 493

Traditiones falſæ, quales multi Pontificiorum errores, non ſunt in Scriptura. 502

Traditionibus non favet Hegeſippus, 522. neque Nazianzenus, 541. nihil etiam pro iis habent Athanaſius, nec Baſilius, nec Ambroſius, nec Hieronymus, nec Auguſtinus. 535. 553. 554. 555

Traditionis vocem late ſumit Baſilius 536. uſque eandem vim tribuit ac Scripturæ. 539

Trinitatis doctrina habetur in Scriptura. 504

In Tropo eſt τὸ ῥητὸν & ἡ διάνοια. 25

Typi in ſenſu compoſito S. Scripturæ aliquando habent uſum, etiam abſolutum, aliquando tantum relativum. 24

V.

Valentinianæ ſententiæ errores. 138, 139

Verbum Dei eſt prius Eccleſia, ejuſque ſemen ac fundamentum. 110

Verbum Dei non ſcriptum, diverſum à ſcripto tuentur Pontificii, 315. Enthuſiaſtæ & Papiſtæ exæquant ſcripto, 316. eſt imperſcrutabile myſterium, 319. eſt prima controverſiarum Pontificiarum. 319

Verbum Dei eſt multiplex. 323

Verbi ſui ſcriptionem Deus præcepit. 444

Verbum Dei nullum eſſe, niſi ſcriptum habetur in Scriptura, 470. & licet non haberetur tamen eſſe credendum. ibid.

In Verbo finis Dei eſt, ut ab omnibus intelligatur. 16

Veritas ſemper manet in Eccleſia, ſed ſæpe latens & oppreſſa, 104. eſt firmamentum & columna Eccleſiæ, 233. eam nullus alius in terra cœtus habet niſi ſola Eccleſia. ibid.

Veritatis columna eſt Eccleſia paſſive, ut ſuſtentata à veritate, & ratione Forenſi Architectonicâ. 232

Veritas olim conſervata fuit, non tam hominum traditione, quàm Dei immediatâ revelatione. 330

Veritati non debet opponi conſuetudo. 427

Vincentius Lyrinenſis non eſt Patronus Pontificis Romani. 287

Virginitas Mariæ ad natum Ieſum eſt de fide, 482. perpetua ejus Virginitas creditur piè, ſed non neceſſariò, 483. Baſilii de hac re ſententia. ibid.

In Viſu alia eſt claritas objecti, alia organi. 117

Urim & Thummim quid. 159

Uxor ſervi quomodo à marito potuit ſeparari. 684

W.

Walæi reſponſio pro moralitate quarti præcepti defenditur. 593

Walkerus negat Sabbatum ab initio mundi inſtitutum, ſed refellitur. 583

Witakerus nullum ullius Prophetæ ſcriptum vult periiſſe. 443

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

1-1-2

Digitized by Google